EVANGELIORUM
(quæ vocant)
DOMINICALIUM DISPOSITIO TRIPARTITA.

SEXENNALIS, ITA ADORNATA, UT AD MINIMUM SEX ANNORUM CONCIONANDI MATERIAM UBERRIMAM FIDELI VERBI MINISTRO SUPPEDITET:

PARS PRIMA,

Continens Evangeliorum pericopas, ab Adventu Domini, usque ad festum Pentecostes:

EDITA STUDIO & OPERA

M. CHRISTOPHORI DAUDERSTADII, Ecclesiæ Friburgensis ad Onestrum Pastoris & vicinarum Superintendentis:

EDITIO TERTIA,

Adjectas habens tabulas singularum dispositionum analyticas, cum Indice rerum & verborum justo.

Cum Privilegio Elector. Sax.

JENÆ,

Sumtibus VALENTINI PAULMANNI, Bibliop. Hamburg. Imprimebat BLASIUS LOBENSTEIN,

Anno M DC XLIV.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AD DOMINO,

DN. AVGUSTO,

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI POSTULATO, PRIMATI Germaniæ, Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Lusatiæ item superioris & inferioris, Comiti de Marca & Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein, &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Gratiam & Pacem à DEO Patre, per JESUM CHRISTUM in Sancto Spiritu P.

Reverendissime ac Illustrissime Princeps, Domine Clementissime; jubemur nos, qui *vigiles constituti sumus* rerum sacrarum ordinarii, non tantùm ὑποτύπωσιν ἔχειν τῶν ὑγιαινόντων λόγων; non modò τὴν καλὴν παρακαταθήκην φυλάσσειν διὰ Πνεύματος ἁγίου, τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν; non solùm δοκίμους παραστῆσαι ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἐργάτας ἀνεπαισχύντους; non saltem ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν ἡμῖν: sed vel maximè jubemur etiam ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας: Sic enim Apostolorum ille apex, qui in ipsum *cæli tertii* consortium singulariter admissus, ipsum Dei Filium immediatum habuit Theologiæ Evangelicæ Doctorem, suum quondam Timotheum, Ecclesiæ Ephesinæ Episcopum informavit, in hujus verò persona omnes simul Ecclesiarum Evangelicarum mystas sive Doctores instruere voluit, idq; apud omnes sacrarum divinarumq; rerum Antistites, extra omnem controversiæ ac dubitationis aleam esse positum, ἀσφαλῶς statuo. Prætereo jam ὑποτύπωσιν sive formam sanorum verborum; silentio involvo egregium verbi divini depositum; scimus omnes, quàm sanctè utrumq; nobis sit concreditum: taceo præceptum de probatis in Ecclesia operariis, à quibus omnis procul abesse debet ἀπάτη, omnis dolus: non attingo necessarium maximè τὸ ἀναζωπυρεῖν, sive sanctum donorum divinitùs concessorum suscitabulum: Unicum saltem τὸ ὀρθοτομεῖν impræsentiarum premo & urgeo.

2. Tim. 1, 13. vers. 14. 2. Tim. 2, 15. 2. Tim. 1, 6. 2. Tim. 2, 15. 2. Cor. 12, 4.

In epist. Pauli p. 609

Bullingerus censet, metaphoram sumtam esse à securi aut gladio, quo resecantur inutilia & supervacanea. Rectiùs Dn. Philippus Melanchthon, quem pleriq; Theologorum nostrorum sequuntur, putat, à legali victimarum sectione ac distributione petitam. Dn. D. Gerhardus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, metaphoram ductam esse haut absurdè statuit, à conviviorum adparitoribus, & dapum instructoribus; qui superstitiosa quodammodo diligentia ordinare & disponere consveverunt ea, quæ hospitibus invitatis, tàm quoad edulia, quàm quoad potulenta adponi debent. Eandem planè, si non majorem, requirit Apostolus ἀκρίβειαν, in pabuli cœlestis cura, à quovis Ecclesiaste adhibenda, ut sciat unum ab altero separare, separatum suo quodvis loco reponere, repositum distinctè auditoribus adponere. Nec fructu caret ista sive ἀκρίβεια, sive cum diligentia singulari conjuncta ὀρθοτομία; comitem enim illa habet συμφώνειαν, perpetuam τῆς εὐταξίας pedissequam; τάξις autem omnis præsuppositam subincludit textuum biblicorum, tanquam materiæ tractandæ, justam ἀνάλυσιν, quæ Sacerdotum V. T. erat propria atq; vernacula, in sacrificiis quippè non modò mactandis, sed etiam dissecandis ac resolvendis commodè occupata. In N. T. Sacerdotes quidem, sublatis sacrificiis, propriè non habemus, nisi latè sumto vocabulo: nullibi enim, D. Gerhardo teste, in N. T. Sacerdotis adpellatio in specie tribui-

In epist. dedicat. erotematibus Dialect. præmissa.

Harm. part 1. pag. 1039.

Tom. 6. L. C. pag. 23.

buitur ministris Ecclesiæ; sed in genere omnibus Christianis verè-piis, qui sunt uncti Spiritûs Sancti chrismate, ac proinde spirituales Sacerdotes. Confer D. Tarnov. de minister. pag. 1396. Sacris verò nostris ministrantes, Doctores (διδασκάλους) potiùs, veriùs & rectiùs dicemus, eò quòd κυριώτατον, maximè præcipuum & principale eorum munus sit, docere verbum Dei, non purè saltem & sincerè, sed & justo ordine ac distinctè. B. Hieronymus in Comm. sup. cap. 4. Ephes. notat, *Apostolum, cùm in ceteris discreverit officiorum genera, duo conjunxisse: neque enim dictum est, quosdam pastores, quosdam doctores; sed alios pastores & doctores, quod quicunque sunt pastores, iidem debeant esse doctores.*

Ut ergò eò feliciùs procedat sacrum illud docendi munus, ad quod vocati & destinati sunt omnes in Ecclesia verbi divini præcones, requirit Apostolus πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, etiam τὸ ὀρθῶς τέμνειν; h. e. justum in docendo ordinem, necessariam textuum sacrorum ἀνάλυσιν, & accuratam eorundem διάκρισιν vel distinctionem, secundum tralatitium & πολυθρύλλητον illud: *Qui benè distingvit, benè docet.*

Verùm enimverò, quot capita, tot sententiæ: non omnium hîc est Doctorum mens & sententia eadem. Malunt nonnulli splendidè coram populo rhetoricari, orationesq; arte coloratas, pictas & fictas auditorio Ecclesiastico proponere, atq; ita aurium θελκτήρια ac blandimenta adhibere, quàm simpliciter, planè & perspicuè cum Christo & Aposto-

lis docere. Quod facere illis per nos quidem licet; (quid enim opus, *ut alius alium judicet?* Rom. 14, 13. *Omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, dividens peculiariter unicuique* καθὼς βούλεται. 1. Cor. 12, 11. ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως. 1. Cor. 7, 7.) modò non contemnant, rideant, despicatui habeant & vituperent eos, qui ordinis amatores ac studiosi ita docent, ut audientium cuivis artificium orationis sit obvium, quod illi malunt occultare, studio sibi habentes, ac laudi, quin in sinum usq; sibi gaudentes placentesq;, si aliis fiant vel δυσμίμητοι, vel planè ἀμίμητοι. Hæc autem ego non eò dico, ac si de aliis mihi sumam judicium: absit hoc, & in æternum absit à me! conscius enim mihi sum propriæ & infirmitatis, & tenuitatis; & didici jampridem meo me metiri modulo ac pede; sed quòd amem piam & Christianam in docendo simplicitatem, quam suo nobis exemplo & monstravit, & commendavit Salvator atq; Magister communis, Dominus noster Jesus Christus, cujus actio nostra hîc esse debebat institutio. Paulus certè Apostolus, idemq; gentiũ Doctor incomparabilis, de seipso scribit, missum se esse εὐαγγελίζεσθαι μὲν, ἀλλ' οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου. 1. Corinth. 1, 17: *venisse sese, sed non cum eminentia sermonis ac sapientiæ*; quin sermonem & prædicationem ejus non fuisse *in persvasoriis sapientiæ humanæ verbis*: 1. Cor. 2, 1. 4. hoc est, se nõ curiosè ac studiosè quæsivisse τὰ πιθανὰ ex Aristotele, Hermogene, Demosthene, aut aliis dicendi artificibus, Doctorem sese, non Oratorem pro-

Rom. 14, 13.
1. Cor. 12, 11.
1. Cor. 7, 7.

professus. 1.Tim.2,7. 2.Tim.1,11. Sanè mutuas tradere operas artes illas & docendi & dicendi, nemo forsan nostrum iverit inficias; neq; enim una sine altera consistere facilè potest: illud solummodò urgeo, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν requiri principaliter etiam, teste Apostolo omni exceptione majori, τὸ ὀρθῶς τέμνειν, textûs puta, uti jam antè monui, biblicos. Hinc *bonus textualis bonus* quoq; habetur inter eruditos *Concionator.*

Videmus profectò non planè nullos & audimus interdum, si peculiaris illis ad populum explicandus adsignetur textus, vel nullam penitùs ejusdem facere illos mentionem; vel planè extra oleas vagari; vel à scopo toto, quod dicitur, cœlo aberrare; vel ἀτάκτως καὶ ἀδήλως τρέχειν; vel aliena miscere; vel meris ταυτολογίαις aures audientium onerare; vel flosculis ex profanis, gentilium quoq;, auctoribus ac historiis petitis auditores demulcere, suam veriùs imaginariam quandoq; jactare eruditionem, atq; inde aliquam imperiti popelli laudem venari; (in B. certè Luthero, Chemnitio, Hunnio, Gesnero, Osiandro, Gerhardo &c. nullum istius rei videre est vestigium vel cubile) non attendentes Petrinum illud: *qui loquitur, loquatur eloquia Dei.* 1.Petr.4,11. 1. Pet. 4, 11

Circumfertur in Academiis historia de novitio quodam Concionatore, qui specimen concionis exhibiturus elaboravit, vel in chartam potiùs exscriptam conjecit conciunculam, cui cum manum

num imposuisset extremam, exclamâsse dicitur: **Gott Lob vnd Danck / die Predigt ist fertig / wer nun auch einen Text hette.**

Dantur etiam (proh pudor, proh dolor!) hodieq; ἐργάται δόλιοι, (2. Cor. 11, 13.) καυχώμενοι ἐν ἀλλοτρίοις κόποις; (2. Cor. 10, 15.) qui in vineã admissi Dominicã magis curant terrã, quàm cœlũ, magis agros, quam libros, magis equos, aut boves, quàm fideles, sangvine Jesu Christi acquisitas, oves, nihil fermè pensi habentes, quid de pastorali animarũ concreditarum cura suo aliquando ἀρχιποιμένι sint responsuri. Libros itaq; abjiciunt nonnulli, vel quò cervi cornua, satis sibi putantes, si imminente habendæ concioni destinato tempore, veterem arripiant concionem, quam quotannis repetere, magno cum auditorum suorum tùm fastidio, tùm dispendio solent. Hinc adeò fit, ut auditores, ob concionem unam, decies, vicies, tricies, quadragies nonnunquam odiosè repetitam, segniores subinde in studio verbi divini evadant, Catechismum quoq; negligant, & tantùm non consvetudinis inveteratæ obtinendæ ergò, ædes sacras accedant potiùs, quàm ut doctiores, meliores vel emendatiores post auditam concionem sese futuros sperent. Diuturna enim ejusdem cantilenæ auscultatione tandem & ipsi memoriter, & ad ungvem, quod dicitur, nôrunt, quid quavis die Dominica de suggestu Pastor sit dicturus, qua forma, quibusq; verbis, hanc

2. Cor. 11, 13.
2. Cor. 10, 15.

hanc vel illam περικοπὴν, ſive Evangelicam, ſive Epiſtolicam expoſiturus. Atq; ita pietas vel cultus Deo debitus degenerat in opus merè operatum.

Ab ignava iſthac & præpoſtera docendi conſvetudine (ut quod ſentio liberè dicam) totis ego, quod ajunt, caſtris, ſalvo tamen aliorum judicio, diſſido: namq; & *citharœdus*

ridetur, chordâ qui ſemper oberrat eadem.

Laterem lavant, qui auditorum βεβαίωσιν ſuæ aſtutè prætendentes ignaviæ, Apoſtolicum illud in cauſæ morbidæ ſubſidium producunt: *Eadem ſcribere vobis me quidem haut piget, vobis autem* ἀσφαλὲς *tutum eſt.* (Phil.3,1.) οὐδὲν enim illi πρὸς ἔπος, parùm attendentes, longè aliam eſſe pronunciati Apoſtolici ſententiam, quàm quæ in cauſæ hujus patrocinio ipſi adfingitur. Illud enim ſaltem verba Apoſtoli allegata ſibi volunt, nihil diverſum ſcribere Apoſtolum abſentem ab iis, quæ præſens voce Philippenſes viva docuerat: quin potiùs eandem juſtificationis vel ſalutis adſequendæ rationem ſcripto ſæpiùs ſe iterando inculcare, & inculcando repetere, propter falſos fratres ac doctores, (hos enim verbis immediatè ſubſequentibus, ut canes & operarios malos, omni ſtudio cavendos eſſe præmonuerat) qui juſtitiam legalem cum evangelica, & hanc cum illa malitiosè ac planè ἀθεολόγως confundebant. *Potuiſſent enim Philippenſes* (quæ B. Hunnii ſunt verba) *cogitare, ſupervacuum eſſe, ut unum*

Phil.3,1.

Comm ſup. epiſt. ad Philip. p.m.113.

b *idemq;*

idemque toties iteretur & inculcetur. Sed respondet Apostolus, cùm ipsemet nullo inde tædio adficiatur, necessariam hanc doctrinam, de perpetuæ salutis rationibus, identidem repetendo: neque ipsos pigere oportere, idem frequentiùs audire, meditari & imis sensibus animorum infigere, ne unquam per falsorum doctorum fraudulentiam, in tàm necessario capite doctrinæ cœlestis, perturbentur. Hactenus ille. Latiùs itaq; extenditur dictum Apostolicum, quàm verba, immò scopus & contextus admittunt. Manifestus quoq; committitur oppositorum elenchus. Nam, ut ex dictis patet τὰ αὐτὰ opponuntur tantùm diversis, contrariis, novis: ut sit sensus, eadem scribo, sc. quæ anteà viva voce tradidi, uti exponit D. Echartus p. m. in Pand. cap. 1. p. 27. Eadem ergò semper docemus cum Apostolo, h. e. eandem doctrinam, idem Dei verbum, idem Evangelium, quanquam non uno semper modo, non una methodo, non nno docendi ordine; sed eandem, quam à Christo per Evangelistarum & Apostolorum scripta accepimus doctrinam, modò latiùs diducendo, modò in angustum contrahendo; modò catecheticè? modò in cibi solidioris forma proponimus. Exemplum dictorum cape sis tibi ab ipso, à quo dolosè κρησφύγετον hocce producitur, Apostolo. Is unam eandemq; doctrinam, de vera salvificaq; hominis peccatoris coram Deo justificatione, scribit ad Romanos, scribit ad Galatas, scribit ad Philippenses; sed num

iisdem

iisdem ubiq; verbis ac sententiis? num uno eodemq; tractandi modo? Neutiquam: hac enim ratione una omnibus sufficere potuisset epistola, variè ad varios descripta & emissa. Provoco ad accuratam scriptæ literæ lectionem.

Cocum certè videmus unum eundemq; cibum variè præparare; carnes quoq; ejusdem generis modò elixas, modò assas, modò frixas mensæ domini sui adponere, secundum culinarium illud;

nempè cocus domini debet habere gulam:

eum duntaxat in finem, ut nauseæ ventriculi mederi, & adpetitum cibi integrum conservare queat. Abyssus utiq; multa & inexhausta est verbum Domini, ut unâ unius horulæ concione tot paragraphos, quot prælegi solent, sufficienter ponderare & enucleare haut valeas: verendum enim est maximopere, ne - -dum *brevis esse laboras, obscurus fias.* - - -

Magister ac Dominus noster Jesus Christus suo ipsemet exemplo nobis facem hac in parte præferre voluit. - Idem enim doctrinæ caput jam nudè, simplici ac plano dicendi genere proponit: jam illud ipsum adhibitis ornamentis copiosè illustrat: jam similitudinum ac parabolarum involucris tegit. *Est enim*, quod Gregorius M. scribit, *Sacra Scriptura fluvius, in quo elephas natat, & agnus ambulat.* Nostrum solummodò est, studiosè ἐρευνᾶν, & talentum commissum non in terram abscondere.

in Epist. ad Leand.

Novimus enim ex Evangelica Salvatoris parabola, distinctè Dominum nostrum sua distribuisse sive talenta, sive χαρίσματα ac dona, uni decem, alteri quinq;, tertio unũ modò talentũ tribuisse, sed ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν. A singulis in ultima sua ad judicium ἐπιφανείᾳ rationem exposcet gravissimam, tùm ab iis, quibus plura, tùm ab his, quibus vel unum saltem talentum commisit. Nam & ab illis, & ab his cum lucro verbum suum sese repetiturum gravissimè comminatus est. Matth. 25, 14. seqq.

Matt. 25, 14 & seq.

1. Cor. 4, 1.

Ministri ergò cùm simus, & *dispensatores mysteriorum Dei*; danda profectò nobis est opera sedulò, ut Domino nostro lucrari plurimùm valeamus, ne πονηροὶ καὶ ὀκνηροὶ, ἀλλ' ἀγαθοὶ καὶ πιστοὶ δοῦλοι aliquando audiamus, de justa fidelitatis mercede planè interim ἀμείρομενοι. Sic enim B. hortatur Apostolus Petrus:

1. Pet. 5, 2. 4.

Pascite, quantum in vobis est, (de vestra saltem nihil quidquam remittentes diligentia) *gregem Christi, curam illius agentes*, μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως, *& cùm adparuerit ille Pastorum Princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam.*

Me quod spectat, infirmitatis quidem & ego meæ tàm probè mihi sum conscius, ac quisquam forsan alius; rationibusq; omnibus exactis deprehendo, omnium indignissimum & infantissimum me esse servorum Christi unum: nolim tamen segnescere, & turpi otio me dedere: vereor enim illud, è summo cœlo quondam evibratum tonitru; *maledictus omnis, qui facit opus Domini remissè*: sed do-

Jer. 48, 10.

num

num Dei, quod ſentio in me perquàm exiguum, *exſuſcitare* totis viribus, ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα ſcrutando, adlaboravi, & in hodiernum usq; diem adlaboro. In tractandis ergò Dominicalium Evangeliorum (quæ vocant) lectionibus, id dedi operam, ne cum tædio ſæpiùs vel quotannis eadem repeterem. Textûs itaq; Evangelicos ab eo ſtatim tempore, quo ex pulveribus ſcholaſticis eluctatus, ſacro per Dei gratiam initiatus fui miniſterio, ita ordinabam, ut quinq; vel ſex annorum materiam mihi ſubminiſtrarent, triplici diſpoſitionum genere comprehenſam; quorum primum fuit τριμερές, alterum διμερές, tertium μονομερὲς θεματικόν. Publici juris hunc meum laborem faciebam anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum vigeſimo quarto, ob cauſas in prima editione adſignatas. Deficientibus verò paucos poſt annos (abſit dicto arrogantia, καυχᾶσθαι γὰρ οὐ συμφέρει μοι 2. Corinth. 12,1.) exemplaribus, cœpi rogatus à Bibliopolis ſecundam editionem adornare, eamq; auctiorem anno 1633. certa lege certisq; conditionibus tradidi Lipſienſi cuidam tum temporis Bibliopolæ, cujus nomen huc nihil attinet adponere; verùm ille moras ex moris nectens, alium quoq; in locum ſuo quodam fato deportatus, manum operi nullus admovit, nec admovebit, quod reor, unquam. Factum intereà, ut (fama enim loquax de ſecunda editione ſpem fecerat hinc inde plurimis) deſideria diſpoſitionum recens edendarum paſſim augerentur; non inter eos ſolùm, qui miniſterio

2. Tim. 3,15.

jam essent consecrati; sed in Academiis maximè harum regionum, inter S.S. Theologiæ studiosos, & alios: producere etiam possem virorum Clarissimorum & Doctissimorum literas παρρησιαστικάς, (εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, 2. Corinth 11,30.) quibus eò tandem sum redactus, ut bono publico, Dei potissimùm gloriæ, me meumq; laborem subtrahere amplius haut possem; bellicis maximè rapinis accedentibus, quibus à milite barbaro, (quid enim aliud dicam?) meæ quantumvis religionis, uti videri voluit, non in bona saltem fortunæ caduca, quæ Dei manus mihi fuerat elargita, sed in meam etiam (eheu!) bibliothecam manus sunt furaces injectæ. Isto infortunio αὐτόγραφον etiam editionis secundæ, præter paucas pagellas, mihi abreptum periit, ut nec vola nec vestigium inde ullum adpareret uspiam: in officinis verò librariis exemplar integrum, pro duobus meis filiis (plures enim non habeo) expiscari non potui. Privatis igitur & publicis amicorum adhortationibus, veluti à Deo ipso (*vox enim amici, vox Dei*) excitatus, primam, cujus unicum mihi restabat ad proprium usum exemplar, editionem in chartam iterum conjicere, emendatiorem efficere, tabulis quoq; analyticis auctiorem reddere, in medio armorum strepitu, ex fuga quandoq; & exilio, Dei beneficio extractus, cœpi; nihil (testor καρδιογνώστην oculatissimū Jesum Christum, θεάνθρωπον, Salvatorem meum unicum!) quærens aliud, quàm ut

anno 1636. & 1637.

ut ad divini Nominis gloriam augendam, meum quoq; talentum adportare, & bono publico ad extremum usq; vitæ meæ halitum, velificari pergerem ac contenderem; auditurus aliquando cum Bono ac Propitio Deo gratissimum ex ore ἀρχιποιμένος fidelitatis meæ testimonium: *Euge serve bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* γένοιτο! γένοιτο, mi clementissime Domine Jesu! Matth. 25, 23

Eccui verò pro more laborem huncce meum sacrum esse jubeam? cui commendem? Animus profectò erat initiò, nemini planè libellum hunc innovatum & renovatum, tabulis quoq; synopticis auctum inscribere, ea tantùm de causa, ut vulgi criminationes defugerem, qui nescio quam auri donorumq; famem misellis nobis verbi divini ministris odiosè objectare consvevit. Sed

- - - *-stulta sapit vulgus*, cujus judicium vir cordatus non unius titivilitii æstimat. Nec mutâssem forsan aliis de causis consilium, nisi Theologus Ecclesiarum nostrarum Eminentissimus contrarium svasisset.

Sed neq; iis, quibus Theologorum sincerorumq; verbi ministrorum labores planè sordent, obtrudere volui. Nec procul abire, & ad ignotos excurrere libuit, cùm ejusmodi in vicinia nacti simus, singulari Dei beneficio Principem, qui majorum suorum insistens vestigiis, puram ac sinceram verbi

bi

bi divini doctrinam candidè amat, religiosè colit, & pro virili ad seram usq; posteritatem propagare contendit, Archiepiscopatûs Magdeburgensis Postulatum, Primatum Germaniæ Celsissimum, nomine & re AUGUSTUM.

Ad Te itaque Reverendissime atq; Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, jam accedo, tertiam hancce Dispositionum Evangelicarum editionem, R. T. C. humilimo studio exhibens, Eandemq; devotè orans atq; obsecrans, ut donum isthoc chartaceum, modestè & submissè oblatum, promta manu à tenuitate mea accipere, serena fronte contueri, in clientelam suam benignè suscipere, & contra quosvis adversantium morsûs, potenter defendere dignetur. Levidense est & exile, quod offero, fateor; at simul adportat Eum, de cujus nomine nomen trahimus omnes, quotquot sacri Baptismatis fonte abluti & irrigati sumus, Salvatorem mundi unicum, Dominum nostrum Jesum Christum; qui Evangelicis istis lectionibus involutus, in Archiepiscopali Vestra sede mansionem quærit ac latibulum ulterius.

Hospes est longè exoptatissimus, munificentissimus, qui pro terreno diversorio ac latibulo, quo Illustrissima ipsum domus Saxonica est dignata, hodieq; dignatur, cœlestis eidem domicilii Aulam adaperiet, & per angusta ad verè AUGUSTA deducet palatia.

Ani-

Animum mihi, ut R.T. Celſ. μετὰ παῤῥησίας munuſculô hoc ſacrô inſtructus accederem, addidit illud, quòd compertum habeam & exploratum, R.T.C. Theologorum præ reliquis amare ſcripta, iisq; legendis horas etiam ſubciſivas impendere. Macte rarâ virtute Princeps, macte, macte! Sic itur ad aſtra. Abeant hinc in malam rem & crucem Eſavvitici ſacrarum Scripturarum oſores peſſimi, qui manibus politicorum Magiſtratuum (laicis ipſi accenſent) Biblia & ſcripta ſacra excutere totis viribus adlaborant! Reddent aliquando illi hoc nomine rationem graviſſimam ei, qui *Scripturas* nos omnes *inveſtigare; à Pſeudoprophetis cavere; in lege Domini nocte dieque meditari; immò Regem Legis volumen ſecum habere, omnibusque diebus vitæ ſuæ legere voluit.* Rectiùs, meô quidem judiciô, Epiſcopus quondam, re & nomine Chryſoſtomus: *Neque domûs gubernationem, neque uxoris curam, neque filiorum diligentiam, neque aliud quiddam prætexamus, quod putemus ſatis eſſe, ad excuſandam noſtram negligentem deſidemque vitam. Neque frigida illa verba proferamus & dicamus: Mundanus ſum, & mulierem habeo, & puerorum curam gero, qui multis mos eſt, ut ita dicant, ſi quando eos rogamus, ut ad virtutum labores ingrediantur, vel ſtudium adhibeant in ſacris literis legendis. Non eſt hoc meum dicit. Numquid renunciavi ſeculo? numquid monachus ſum? Quid dicis homo? An hoc ad ſolos Monachos pertinet, ut benè Deo placeant? Omnes homi-*

Joh. 5, 39. Matth. 7, 15. Pſal. 1, 2. Deut. 17, 19.

» *nes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,*
» *nullamque veritatem negligere. Audi verò eum per Pro-*
» *phetam dicentem: Nolo mortem peccatoris, sed ut con-*
» *vertatur & vivat. Numquid, dic oro, justo huic (Noa-*
» *cho) uxoris consvetudo, vel puerorum fuit obstaculo? Oro*
» *igitur, ne nosmet ipsos fallamus, sed quantò magis hujus-*
» *cemodi curis implicamur; tantò magis remedia ex lectione*
» *divinarum Scripturarum suscipiamus.* Hactenus Chrysostomus; cui ex asse ὁμόψηφος est Angelomus, Luxoviensis Monachus, qui referente Dn. D. Hoëo, ante annos circiter 792. Lotharium Imperatorem non veritus est sic compellare, *ut sanctam Ecclesiam non tantùm armorum suffragio, in procinctu bellorum constitutus, sed etiam contra malignos spiritûs ancilibus Evangeliorum munitus, gladiô divinarum Scripturarum accinctus, spiculis sententiarum ornatus, defendere possit.*

Præf. in lib. 3. Apoc.

Hæc Evangeliorum ancilia cùm *Archiepiscope ac Princeps Illustrissime* τῶν ἀμφοῖν amplectaris; hos gladios & hæc spicula cùm ex sacrorum Bibliorum scriptorumq; Theologicorum lectione quotidiana Tibi comparare studeas, nonne dignus fores; qui scripti alicujus sacri Patronus eligaris? Jacta est à me alea, nec puto eventurum mihi oblatione hac humilimâ id, quod Philosopho quondam eximio accidit. *Cùm enim ille Antiocho Regi Asiæ librum de justitia obtulisset, repudiabatur scriptum illud à Rege, utpotè qui justitiæ osor esset acerrimus, quin præter jus, fas &*

æquum

æquum terras alienas per violentiam occupare totũ laboraret.

Suſcipe igitur, ut finem dicendi faciam, *Reverendiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime*, fronte ac vultu ſereniore chartaceum hoc munuſculum; & benevolentiæ in illud Clementiſſimæ radios dirige; nec non adverſus dentes malevolorum Theoninos adſere, tuere, defende: Auctorem quoq; ipſum ſub alis gratiæ Tuæ ſecurè deliteſcere concede. Quod ſi apud *Reverendiſſ. atque Illuſtriſſ. Tuam Celſitud.* obtinuero, à Tua quidem commendatiſſima & decantatiſſima pietate, virtute & Clementia nihil alienum, ſed Eidem potiùs maximè congruum & perquàm honorificum facies: Ego verò beneficium iſthoc, cùm aliâ ratione non liceat, calidiſſimis ad Deũ votis compenſare ſtudebo, ἀδιαλείπτως Eundem precatus, ut *Reverendiſſ. atque Illuſtriſſ. Tuam Celſitudinem, cum Sereniſſimo DNO Parente, Electore Saxoniæ Potentiſſimo, Domino ac Nutritio meo Clementiſſimo*, & cum Electorali ſimulq; univerſa familia Saxonica, quàm diutiſſimè ſalvam, florentem, valentem, vigentem ac ſoſpitem conſervet, regimen Eidem pacatum & felix concedat, ab omnibus corporis & animæ, honorum ac bonorum periculis, in conclamatis hiſce ultimorum temporum turbinibus potenter eam tueatur, & poſt ſeros vitæ in his terris feliciter per-

ctæ annos, ad nunquam desitura cœlorum gaudia deducat, per & propter Dominum nostrum Jesum Christum, μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν θαυμασιώτατον. Amen. Amen. Amen! Dabam Friburgi d. 7. Novembris, (quô annum ætatis ingrediebar 64.) anno 1643.

Reverendiss. & Illustriss.
T. Celsitud.

humilimè & subjectissimè
colens

M. Christophorus Dauderstadius
P. & Superintendens.

EPIGRAMMATA
In primam & tertiam Dispositionum Evangelicarum editionem.

I.

SIc *Dauderstadii* crescit crescentibus annis
Usq; labor, studiis sic meret usq; piis!
Tertia nunc plenam fert *Lucubratio* lucem,
Quâ Verbum Domini ritè secare docet.
Præmia quæ merito tanti exspectanda laboris
Esse putes? Mundi nulla, beata Dei.

Christianus Lange D. P P. &
ad D. Thomæ Pastor, Lipsiæ.

II.

Q*Vi benè distingvit, benè quosvis edocet ille,*
dicitur, & testes sunt tua scripta pares.
Postquam etenim textûs consvetos arte subactos
tractâsse, & *Soli* te exposuisse patet,
Tantum affecerunt lectorem, ut vendita quæq;
sint, unum exemplar nec superesse queat;
hinc noviter prælo ut subdas, quò lector & emtor
sistatur, nimiùm bibliopola petit.
Laudo igitur, Vicine, tuum adsensum, venerorq;
Numen, ut ex altis huic benedicat opi,

quâ ſimul emtores, lectoresq; auditoresq;
afficies, miris alliciesq; modis.
Ergò ut, Neſtoreos annos peragendo, libellos
conſimiles valeas edere, corde precor.

Johann. Greislavius D. P. &
Superint. Leucopetræus.

III.

In labores ſacros
Theologi Clariſſimi
DN. M. CHRISTOPHORI DAUDER-STADII &c. Parentis in Chriſto honoratiſſimi.

Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in Verbo & doctrina,
1. *Tim.* 5, 17.

CHriſtifer *Ore Manu* duplô condignus honore,
qui voce & ſcriptis commodus eſſe ſtudet.
En tibi *Chriſtophorum!* quid cenſes fama? recantas:
dignus honore ſoli, dignus honore poli.

f.
Johannes Olearius S.S.Theol.D.
Rev. & Illuſtr. Dn. ArchiEp.
Magd. Conc. aul.

IV.

IV.

HOc *Dauderstadii* cultumq; piumq; refulget
Cor scriptô. taxas invide? cede procul.
Fert animô Christum, fert ore, micanteq; vitâ,
Alloquium Christi, cùm feret, inde feret:
Euge veni, bone serve veni; majora dabuntur,
Et Domini capies gaudia certa tui.
Gaudia, quæ superent, mundo quod grande, nec auris
Percepit, cata nec pectora, non oculi:
Gaudia, quæ mixtos nunquam sensura dolores,
Gaudia, quæ nullô dissilitura modô.
Scilicet hæc vivi sermonis præmia mystas,
Servata fidei pro bonitate, manent!
Ut, postquam templis fulserunt lampades, olim
Sint stellas inter astra, locante Deo.
Felix, qui partes confecit muneris omnes:
Noster uti faceret, maxima cura fuit.
Tu, studiosa Dei gens, docta capesse reperta,
Ac memori laudes corde fatere Viri.
Vin' causam? Liber hic ea solus cuncta docebit,
Quæ multis quondam continuata notis.
Ominor, & Jesu Lector palatia dicet
Lumine, post umbras, jam radiare novô.
Indeq; versantis solertia robur habebit,
Ingenii crescant ut documenta sui.
Christe, Liber Vitæ, tersorum meta librorum
Princeps, in studiis omnibus esto liber.

Scri-

Scriptoriq; adsint, quamvis vel cætera desint,
Conscia mens recti, propitiusque Deus!

Observ. ergò

M. Georgius Langevoith P.
& Superatt. Hayn.

V.

In Dispositiones Evangeliorum Dominicalium innovatas, & publicatas â Viro plur.
Reverendo, Clariss°. & Excellentiss°.
DN. M. CHRISTOPHORO DAUDERSTADIO.

ZIzensis *olim* Gymnasii *probus*
Praeminebas Archididascalus,
DAUDERSTADI: Dei deinde
Te vocat aqua Saleka *mystam*.
Hinc Sceudicensi *praficeris gregi*
Ecclesiastes: cui quoq; te probum
Vitaq;, Doctrinaq;: dextrum,
Et paradigmaticum probâsti.
Inspectionem mox tibi plurium
Ecclesiarum tradidit Ensifer,
Unstruta *FRIBURGUM vetustum*
Quà penetrat, sinuosus amnis.
Inspectioni te sed huic probè
& præfuisse scimus, & optimè

huc

huc usq; semper profuisse:
publica Fama quod adseverat.
Auditor omnis, te duce, tramite
decurrit æquô, Mystaq; junior
Doctore te, textus secare
Ordine convenientiore;
& explicare scit melioribus
ubiq; normis. Testis hic est liber,
quem denuò (sed auctiorem)
luminis ire jubes in auras.
Hic ergò felix prodeat, & bonos
quibusq; fructus proferat! Interim
longævitas te prosequatur
innumerabilibus triumphis!

ita ex animo vovet Dn. Au-
toris Affinis
M. Josephus Clauderus Sen. P. C. & Eccles.
Altenburg. Symmysta.

VI.

Magister Christophorus Dauderstadius Naum.
Superintendens Freiburgicus.

Responsum Oraculi Anagrammatici; factâ diphthongô æ, alterôque h omißô.

Magnus Christi Præco diu superfit! sed absunt
digna? fruitur merens sudore.

ἔκθεσις.

Rex Superûm, Superintendens quò *Præco superstit*
Eja! *diu Christi magnus* in orbe, duit.
Absunt sed, regeris fortassis, præmia *digna?*
Conferet hæc gratô posthuma gens animô.
Posthuma quid? præsens præsenti Ecclesia jamdum
Decernit Patri de-bene-se merito;
De se sat merito scribendo, orando, docendo,
Testis Habermannus, testis & hicce labor.
Hinc *sudore merens fruitur*, dum nomina clara
Doctorum celebrat fama per ora virûm:
Et mage vel decies celebrabit, publica lucis
Psalmorum Decades fœnora si capient.

Cujus certissimus obses
M. Simon Erfurth/ *Ecclesiæ patr.*
VVeisenfels Archi-Diaconus.

VII.

[α] Lucan: lib: IX.

O *sacer & magnus vatum labor!* Ethnicus [α] ille exclamat, laudes dum crepat ipse suas.
O sacer & magnus vatum labor iste sacrorum!
inquam ego, qui Jhovæ dogmata ritè [β] secant.
(nam neq; Lucano dabit hanc Pharsalia laudem
oraclum excellens quam Danielis [γ] habet:
Qui docti multis monstrant discenda, docenda,
corde ut inoffensô tecta superna petant.)

[β] ὀρθοτομοῦντι II. Tim. 2, 15.
[γ] Daniel. XII, 3.

Quod

Quod *Dauderſtadius* facto cùm præſtet in ipſo,
atq; Evangelii dogmata ritè *ſecet*,
pluris erit mihi præ cunctis, vel mille, Poëtis,
quos *epos*, aut *ſoccus*, ſivè *cothurnus* agit.

ita Budiſſæ Luſatorum οὐ ποιῶν ἀλλ' ἀληθοδό-
μενος gratulabatur
pl. Reverendo Dno Adfini Fautori
ætatem colendo

Joh. Theill. M. P. L. C. Scholæ
Evangelicæ ibid. Rector.

IIX.

*Magiſter Chriſtophorus Dauderſtadius Eccleſiæ Fri-
burgenſis Paſtor, & vicinarum Superin-
tendens ſenior:*

per Anagramma,

*En! Climactericus annus hic ſtudia proſpera urget:
Oh ſine ferro ſuperetur gradibus ſenſim
additis Neſtoreis!*

Ἔκθεσις per Jambicos ſenarios

EN lector! *Urget hic* inauſpicatior
Climactericus annus ſtudia proſpera, mei,
Scilicet Evangelicas Dominicales, Patris,
Diſpoſitiones. Vegetiore, Vir entheeus,
Ætate commentatus eſt in Iſaidæ
Pſalterium; ſed ſæpè commentariis
Martis furor media rapit, ne prodeant,
Impendioſus venditor libri quis eſt?

Ever-

Evergeta Deus! *oh* fac ut feliciter
In pace Daudorstadio, *ferro sine*,
Superetur annus ominosus plurimis,
Sensim gradibus, ut Hiskiæ, super *additus*,
Quin imò *Nestoreus*. Vovet Socero Gener.

M. Johannes Heldt Pastor
Nembsdorffensis.

IX.

Ad Lectorem Theologiæ studiosum.

VOlve, revolve librum! Sermonum namq; sacrorum
Hîc mirâ methodum dexteritate vides.
In Charta monstrat Socer observandus id ipsum,
E cathedra sancta quale docere solet.
Autori grates, studiosa juventus, habebis,
Nam tibimet meritur, quod tibi nunc seritur.

M. Iohannes Pharetratus Pastor
in Burgwerben.

TABULÆ SYNOPTICÆ DISPOSITIONUM Evangelicarum partis primæ.

DOMINICA I. ADVENTUS, Evang. Matth. 21, à verſ. 1. ad 10.

DISPOSITIO I.

Evangelium de Regis Sionii ingreſſu, tres habet partes:

- *Chriſti ad ingreſſum regiū præparationē, quæ conſtat*
  - *Circumſtātiarū duarum annotatione:*
    - *locus, ad radices montis olivarum.*
    - *tempus, die Palmarū paucis ante paſſionē dieb. 9.*
  - *Diſcipulorum duorum ablegatione, ubi notetur*
    - *terminus ad quem; vicus Bethphage:*
    - *ſignum, quod addit, ut*
      - *animos diſcipulorum de rei certitudine confirmaret;*
      - *divinitatem demōſtraret ex*
        - *πανσοφία;*
        - *καρδιογνωσία;*
        - *παντοδυναμία;*
        - *ὀνομασία.*
    - *mandatum de*
      - *ſolvendo;*
      - *adducendo.*
    - *eventus inopinatus.*
  - *Facti ratio à cauſa finali, in vaticinio prophetico; obſervetur*
    - *teſtimonium divinum immediatum, Zach. 9, 9.*
    - *Regis demōſtratio*
      - *ex effectis, juſtus eſt*
        - *eſſentialiter;*
        - *habitualiter;*
        - *efficienter; juſtos facit*
          - *imputativè;*
          - *inchoativè;*
          - *cōſūmativè.*
      - *ab adjunctis*
        - *manſvetudinis:*
        - *paupertatis.*
- *Diſcipulorum in ingreſſu promovendo occupationem; ubi commendatur*
  - *humilis Apoſtolorum obſecundatio:*
  - *ſedula mandati exſecutio, declarata*
    - *confeſtim abeundo vel proficiſcendo;*
    - *quod juſſum erat faciundo;*
    - *aſinam cum pullo ſolvendo;*
    - *ſolutam adducendo;*
    - *veſtimenta jumentis imponendo.*
- *Populi gratulabundi adclamationem, ſecundum*
  - *adjuncta, h.e comites, turba vel populus*
    - *præcedens;*
    - *ſequens*
    - *ex Bethania ſimul gradiens;*
    - *ex Hieroſol. adveniens.*
  - *effecta, cujusmodi ſunt*
    - *πραχθέντα; ſubjectionē declarat populus*
      - *obviam Chriſto procedendo;*
      - *catervatim illum comitando;*
      - *veſtimēta ei ſubſternēdo;*
      - *ramos in viā ſpargendo, in*
        - *viæ ornamentum;*
        - *lætitiæ documētū;*
        - *honoris argumētū.*
    - *λεχθέντα; hymnꝰ tribus cōſtās verſiculis:*
      - *primus eſt, Hoſanna Filio David;*
      - *ſecundus; Benedictus &c Habet hic verſiculus tùm*
        - *gratulationem;*
        - *divinam vocationem.*
      - *tertius; Hoſanna in excelſis.*

a

Pericope prælecta oculis exponit:

- Regem ingredientem; notetur
  - Circūstantiarū quarundam consideratio:
    - Quis Rex? Jeſus Christus, qui Rex est { πατρόθεν: μητρόθεν: Est itaq; Rex } { præstantissimus; nobilissimus; sanctissimus & purissimus; humanissimus & mansuetissimus.
    - Quando ingressus contigerit? In ultima Christi profectione.
    - Ubi? Locus continet terminum { à quo; Bethphage & montem Olivarum. ad quem; Hierosolymam.
    - Quibus auxiliis? Utitur operâ discipulorum duorum, quos ablegat { mandando; prænunciando; informando.
    - Qualis Rex fuerit? { cōtemtus & despectus, paup. & abjectus, quod patet ex { vili comitatu; misero equitatu. Hinc liquet { regni conditio. nostra instructio.
  - Ingreßûs Dominici condecoratio, ratione, cujus simul fuit { gloriosus & majestate plenus; promicat enim hinc radius divinæ { sapientiæ; omniscientiæ; omnipotentiæ. } exoptatus & acceptus filiæ Sionis; h.e. Ecclesiæ tàm V. quàm N.T.
  - Facti cōprobatio, ex Zach. 9, 9. & cōtinet { propheticam compellationē; adventûs denunciationem; Regis advētātis delineationem; inducitur ut { Rex justissimus; Salvator benignissimus; Justificator māsuetissimus; Eques pauperrimus; Homo humilimus. } Hinc emergunt
    - Regis Messiæ beneficia, sc. { exultatio; filiatio; regni consociatio; justificatio; salvatio; locupletatio.
    - subditorū officia requirit ab eis { vestem substratam; januā apertā;(ratā. lingvā ad laudē pa-
    - piorum solatia, contra { peccatorū tentationē; Legis maledictionē; cōsciētiæ trepidationē; hostiū insultationem; mundi despectionem; paupertatis exprobrationem.
- Comitatū unà gradiētem: habet cœtum duplicem;
  - Discipulorū, in q. laudatur { prompta obedientia; magna in ingressu promovendo diligentia.
  - Populorum, quorū conspicitur
    - reverentia & observantia; viam sternunt:
    - beneficentia, quia { vestes subjiciunt; ramos cædunt.
    - lætitia abundantia, hymnum accinendo, quô
      - Jesum Messiam proclamant publicè;
      - regnū (adventum) ejus Deo commendant unicè;
      - fructum ejus ad se spectare gaudent mirificè.
      - Hinc adventus præstantia, cujus considera { personam sublimem; pompam vilē: venit aliter ad { consternatorū erectionem; incarnationē; passionem; salvationem; indicationem.

DISPOSITIO III.

De digna Regis Sionii sive Messiæ adventantis exceptione, in qua duo veniunt expendenda:

- *Regis descriptio, petita ab*
  - *adventûs pronitate; Psal. 40, 8. 9. Gen. 22, 2. seqq.*
  - *profunda ingreßûs humilitate;*
  - *personæ dignitate & majestate; est enim Dominus* κτ. τὸ συναμφότερον
  - *regni conditione & qualitate; spectat Judd. & gentes; asina & pullus:*
  - *præcipua authoritate, quam cernere est in ministris,*
    - *euntibus;*
    - *jussa absq; tergiversatione capessentibus;*
    - *jumenta adducentibus:*
  - *sapientiæ & omniscientiæ immensitate; absens videt & novit, ut præsens:*
  - *justitia & æquitate; justꝰ est* ὁσιωδῶς, [illegible], ἐνεργητικῶς:
  - *mansvetudine & lenitate;*
  - *beneficiorum ubertate.*
- *Ipsa Regis exceptio, instituenda per*
  - *spontaneam occursationem, sicut turba*
    - *in occursum Regis sui prodeunt;*
    - *reverenter eum excipiunt;*
    - *latô ipsi ore accinunt, triplicem habentes chorum,*
      - *puerorum;*
      - *discipulorum;*
      - *oppidanorum.*
  - *seriam vitæ emendationem;*
  - *veram humiliationem;*
  - *firmam Christi adhæsionem;*
  - *honorificam Regis introductionem;*
  - *devotam precationem;*
  - *promtam Regis promotionem, in liberalitatis exercitiis;*
  - *sedulam in personam, officium & beneficia Christi inquisitionem: Matth. 21, 10. Psal. 24, 8.*
  - *accuratam pietatis continuationem;*
  - *reciprocam ad Christum adventationem, quæ fit*
    - *ipsum rectè agnoscendo;*
    - *mandata ejus exsequendo;*
    - *asinam & pullum ipsi subjugando;*
    - *beneficia ejus per fidem adplicando;*
    - *gloriæ & regno illius ædificando.*

DOMINICA II. ADVENTUS,

Evang. Luc. 21. à vers. 25. ad 37.

DISPOSITIO I.

Dispescimus Evangelium in *

- I. ἀποδεικτικὴ καὶ προφητικὴ certã judicii novissimi demõstrationẽ habet, in qua audimus Christũ vaticinantẽ, rei certitudinem ac veritatem ostendens ex
  - signorũ prænũciatione & coacervatione, futurorũ
    - supra nos: in Sole, Luna & stellis:
    - circa nos, in terris
      - συνοχή, angustia, anxietas, cujus causa προκαταρκτική,
        - ira divinæ severitas;
        - diaboli tyrannis & crudelitas;
        - extrema hominum impietas;
        - multiplex calamitas.
      - ἀπορία consilii penuria, dubitatio, perplexitas, quam adferent
        - totius universi langvores;
        - creaturarum gemitus ac dolores;
        - adventus Christi præcursores;
        - cœli terræq; brevi ruituræ fragores;
        - creaturarum fremitus & rancores;
        - typorum adimpletorum splendores;
        - tyrannorum ac persecutorum furores;
        - Judicis adventantis præcones.
    - infra nos
      - maris sonitus,
      - fluctuum moles & impetus:
    - intra nos
      - ἀποψύχησις, λειποθυμία, animi deliquium;
      - φόβος;
      - προσδοκία, exspectatio malorum futurorum.
  - luculenta Salvatoris adseveratione, in qua occurrit
    - temporis significatio: Tunc, cùm signa prædicta evenerint.
    - Judicis nominatio; Filius hominis, & Frater & Advocatus noster. Joh. 3,18. Heb. 2,11. 1. Joh. 2,1.2.
    - Modi determinatio, quem illustrat
      - subjectio loci, in nubibus veniet (Act. 1,11.
        - ob eãdẽ abitus & reditus cõformitatẽ,
        - ad exprimendam Judicis majestatem;
        - ad contẽperandã adventus claritatem;
        - ob transfigurationis sublimitatem;
        - ob typorum qualitatem;
        - ob primi & secundi advẽtus adfinitatẽ.
      - adjunctio
        - visibilitatis; Act. 1,11. 2. Thess. 2,8. 1. Tim. 6,14. 2 Tim. 4,1
        - potentia, quam declarabit
          - in mortuorũ resuscitatiõe Ioh. 5,28
          - in resuscitatorũ ad tribunal coactione;
          - in judicãdorũ subjectione;
          - in latæ sententiæ exsecutione;
          - in totius universi destructione.
        - gloria, quã ostendet
          - in corporis claritate; Mat. 17,2
          - in tribunalis sublimitate;
          - in comitatu angelici gravitate;
          - in omniscientia majestate.

†

† *tres Enarratio* *

II. παραμυθητικὴ, terrori solatium opponit. Cõsolationis

Propositio: his fieri incipiẽtibus piĩ ǒ frangãtur animõ sed benè sperẽt.

Confirmatio: ab utili, facient capitis elevationem, i.e. latitiam & exultationẽ.

à fine vel eventu latissimo, liberabũtur piĩ: ab omni hostium oppugnatione; ab omni prava carnis & peccati suggestione; à corporis morte & corruptione. à satana insidiis ac tẽtatiõe (seductiõe; à mũdi scãdalis & à legis accusatiõe.

Illustratur: simili, quod notat in ficu: rei veritatem; diei propinquitatẽ; secuturam vita æt. amœnitatem; piorum conditionẽ & qualitatem.

adjunctõ temporis; fient hæc durante hac generatione:

comparatione minorum, per reductionem ad impossibile.

III. παραιδετικὴ, cõtinens præmonitionẽ vel præparationem, cujus habetur

ἀποτροπὴ, dehortatio, cujus est

propositio, quæ τὰ βλαπτικὰ cõtinẽs probibet: in genere omnia cor animumq́; prægravantia. in specie: luxuriam, in esculẽtis, κραιπάλην: intemperantiã, in poculẽtis, μέθην: avaritiam, in divitiis corradendis occupatam.

Ratio ἀποτροπῆς & κινδυνώδης, improviso judicii adventu

Amplificatio, facta ὁμοιώσει à laqueo, qua ostendit: hominum securitatem; τὸ ἀπροσδόκητον; periculositatem.

προτροπὴ exhortatio, proponens τὰ πρακτὰ; notetur

propositio, quâ hortatur Christus

ad vigilantiam, quæ complectitur

ad precum diligentiam.

perpetuam diei novissimi memoriam & exspectationem;

solicitam curam & adsiduam precationem;

temperantiam vitæq; sobriæ institutionem;

in vocatione diligentiam & sedulam exercitationem;

securitatis fugam ac peccatorum devitationem;

cautam prospectionem; 1. Cor. 16, 13. Eph. 6, 11. 1. Pet. 5, 9.

circumspectam corporis & animæ custoditionem. Luc. 12, 35-37. Rom. 13. 14.

Ratio à fine gemino, ut põssitis: devitare, mala impendentia; stare, coram Filio hominis.

DISPOSITIO II.

In hoc Evangelio occurrunt duo:

- *diei novissimi intimatio, quod futurus est dies iræ & furoris: terrorem incutient hominibus*
  - *signa diei novissimi antecedentia*
    - *cælestia, in Sole, Luna, stellis & reliquis corporibus cælestibus.*
    - *terrestria & aquatica*
      - *in homine*
        - συνοχή, *animorum angustia;*
        - ἀπορία, *consiliorum inopia.*
      - *in mari, ut maris sonitus, venti &c.*
    - *singularia intra cor hominis, & in ipso corpore*
      - ἀποψύχησις, *hominis examinatio;*
      - φόβος, *metus futurorum;*
      - προσδοκία, *exspectatio judicii.*
  - *Judicis adparentia: erit n. Judex*
    - *justissimus; districtissimus; potentissimus; oculatissimus; sapientissimus. In textu monstratur*
      - *quis Judex futurus; Filius hominis;*
      - *ubi adpariturus; in nube;*
      - *quomodo venturus:*
        - *visibiliter, quod fraternitatis;*
        - *sublimiter, quod majestatis;*
        - *regaliter, quod potestatis.*
      - *quando; prope esse diem illum probabiliter colligitur ex*
        - *veteri traditione de 6000 annis mundi:*
        - *prima creatione,* ἑξαήμερον *opus;*
        - *primi mundi cum ultimo collatione:*
        - *4 monarchiarum, non plurium constitutione;*
        - *Antichristi revelatione & internecione:*
        - *signorum observatione:*
        - *temporis antecessuri conditione.*
  - *Examinis vehementia; terrorem a. mitigat*
    - *signorum contemplatio, quæ futura sunt signa*
      - *verilogi;*
      - *dominii;*
      - *supplicii;*
      - *desiderii.*
    - *Judicis consideratio.*
    - *Calamitatum adventusque prænunciatio.*
- *Christi consultatio, cujus duo sunt capita:*
  - *Consolatio; hujus notetur*
    - *Propositio; jubet bono esse animo, & capita pios attollere, ut*
      - *mundana omnia despicientes;*
      - *mala præsentia & futura haut timentes;*
      - *Deo unicè confidentes.*
    - *Ratio, à*
      - *finali piorum liberatione;*
      - *rerum omnium restauratione;*
      - *regni Dei adpropinquatione;*
      - *sancta Christi adseveratione.*
      - *Solabitur itaque pios*
        - *Judicis qualitas.*
        - *diei extremi utilitas; feret n. ille*
          - *Christi visionem;*
          - *malorum omnium finitionem;*
          - *regni cælestis manifestationem;*
          - *corporum innovationem.*
        - *promissionis infallibilitas.*
  - *Admonitio, instituta*
    - κατ' ἄρσιν *negativè; vitia ejusmodi sunt*
      - *crapula & ebrietas:*
      - *curarum vanitas; vitanda ob*
        - *cordis gravitatem;*
        - *adventus Christi celeritatem.*
    - κατὰ θέσιν *adfirmativè, ad virtutes hortando duas, quarum*
      - *una vigilantia, continens*
        - *securitatis eliminationem;*
        - *vitæ emendationem.*
      - *altera precum fragrantia, ob*
        - *mali devitationem.*
        - *lætam coram Judice comparitionem. Orandum maximè pro*
          - *peccatorum remissione;*
          - *fidei adcretione;*
          - *auxilii impetratione;*
          - *Spiritus Sancti donatione;*
          - *patientia in mora elargitione.*
          - *piorum à generatione mala conservatione;*
          - *calamitatum mitigatione;*
          - *verbi conservatione;*
          - *beata emigratione;*
          - *diei novissimi acceleratione.*

DISPOSITIO III.

Agitur in hoc Evangelio de diei novissimi

- *Indiciis sive signis, consummationis universalis ante-ambulonibus: quædam eorum sunt*
  - *superna, in corporibus cœlestibus.*
  - *inferna, ut*
    - *maris sonitus;*
    - *terræ sterilitas;*
    - *aquarum*
      - *eluviones;*
      - *in sangvinem conversiones.*
    - *terræ motus;*
    - *ventorum mugitus & impetus.*
  - *interna, ut*
    - *cordium angustia;*
    - *consilii penuria;*
    - *hominũ extabescẽtia;*
    - *timoris adfluentia.*
    - *Mat. 24. ita ordinãtur*
      - *hominum anxietas;*
      - *intempestiva securitas;*
      - *Rom. Imp. imbecillitas;*
      - *bellorum atrocitas & diuturnitas;*
      - *Papatûs infirmitas;*
      - *hæreseωn pluralitas.*
- *Beneficiis, ad pios spectantibus, qualia sunt*
  - *exultatio; læti animi signum est capitis elevatio:*
  - *Redemtionis perfecta participatio:*
  - *Corporum renovatio:*
  - *In regnum cœleste introductio.*
  - *Ne quis dubitet, fidem confirmat suam Christus*
    - *jurejurando;*
    - *fidelium conservationem pollicitando;*
    - *de verbi infallibilitate certiores reddendo.*
- *Preparatoriis, de quibus 3 aphorismi observentur*
  - *A cordis prægravatione cavendum studiosissimè: Corgravant duo:*
    - *ebrietas, quæ fugienda, ob*
      - *Dei prohibentis majestatem:*
      - *ebrietatis deformitatem:*
      - *vitii noxam & damnositatem: nocet bonis*
        - *fortunæ;*
        - *corporis;*
        - *animæ.*
      - *pœnarum gravitatem:*
      - *adventûs Christi propinquitatem.*
    - *insatiabilis habendi cupiditas, quæ vitanda, ob*
      - *Dei interdicentis authoritatem:*
      - *promissionis divinæ largitatem:*
      - *vitæ fugacitatem & mortalitatem:*
      - *vitij fœditatem; est vitium*
        - *Ethnicum; Matth. 6, 32*
        - *stolidum; Luc. 12, 20.*
        - *præposterum.*
      - *damnositatem: 1. Tim. 6, 10.*
      - *pœnarum atrocitatem.*
  - *vigilandum diligentissimè.*
  - *orandum devotissimè.*

Matth. 11, 2. 11.

DISPOSITIO I.

In praesentis Evangelii pericope invenimus

- ζήτησιν, quaesitū, à Job. Bapt. per discipulos Christo propositū. Nota
  - personam mittentem:
  - mittentis sortem ac conditionem;
  - ipsam legationem, cujus expenditur
    - occasio, habemus causam moventem
      - προηγουμένην, error discipulorum.
      - προκαταρκτικὴν geminam
        - Johannis incarcerationem;
        - Operum ac miraculorum Christi celebrationem.
    - legatorū mētio: duo ex discipulis sinistra opinione imbutis
      - de Christo & de Johāne.
    - proposita à legatis quaestio de
      - promisso mulieris semine;
      - persona & officio Messiae.
- ἀπόκρισιν, responsum à Christo legatis datum, continetq;
  - ἀπόδειξιν personae suae demonstrationem, quae vel
    - generalis de re nunciando
      - visa;
      - audita.
    - specialis, demonstrans Messiam à posteriori, h. e. ab effectu ad causam; ita probatur Messias
      - ex miraculorum claritate;
      - ex doctrinae majestate.
  - παραίνεσιν de nonscandalizando: plurimùm officit scandalum
    - paucitatis;
    - vilitatis;
    - absurditatis;
    - improbitatis;
    - calamitatis.
- ἐπίκρισιν, sincerum de Job. judicium: ubi notetur,
  - Laudationis occasio, illustrata circumstantiâ
    - temporis; abeuntibus discipulis, ne videretur adulari.
    - objectorum, vel auditorum.
  - Ipsa commendatio, quâ laudatur Johannes ab adjunctis h.e. virtutibus, nim.
    - constantia per negationem contrarii:
    - temperantia:
    - vitae sanctimonia:
    - docendi παρρησία:
    - officii praestantia, per comparationem majorum.

In Evangelio deprehendimus duo:

- Luculentum de Messia incarnato testimonium; in quo observabis tria:
  - testimonii ferendi occasionem; hanc præbuit
    - Johannis captivitas seu incarceratio:
    - miraculorum Christi celebritas seu divulgatio:
    - quæstionis propositæ qualitas, sive legatorum instructio.
  - Christi de seipso testificationẽ: Messiæ veritas demonstratur
    - ex θαυματουργίᾳ; ea autem est miraculorum Christi natura, ut sint
      - gloriam Christi manifestantia: Joh. 2,12.
      - fidem confirmantia: Joh. 20,31.
      - beneficia Christi demonstrantia: peperit enim suo in mundum adventu
        - cæcis illuminationẽ;
        - claudis ãbulationẽ;
        - leprosis sanationem;
        - surdis auditûs restitutionem;
        - mortuis vitam & resurrectionem;
        - pauperibus Evangelii prædicationem.
    - ex δημηγορίᾳ, Evangelii prædicatione: probatur vero esse doctrina ex
      - satanæ ac mũdi odio & insectatione, Joh. 15,20.
      - miraculorum confirmatione:
      - efficacissima penetratione:
      - martyrum testificatione:
      - mirandæ ejusdem conservatione.
      - Esse a. Jesum Naz. verum Messiam, constat etiam ex
        - sceptri de Juda ablatiõe;
        - tẽpli secũdi desolatione;
        - vaticiniorum reliquorum completione;
        - Patris cœlestis attestatione;
        - miraculorum coacervatione;
        - Præcursoris præsentatione;
        - politiæ Jud. eversione.
  - Memorabilẽ Christi exclamationem.
- Egregium Baptistæ encomiũ, cujus notetur
  - ἀφορμή, hanc præbuit
    - discipulorum de vero Messia quæstio:
    - falsa populi de Johanne persvasio:
    - inde exorta in animis multorum dubitatio.
  - μορφή; cõmendatur Johannes
    - per remotionem contrarii ab integritate:
    - per ἀντίθεσιν à zeli gravitate: exornatur Meton. signi:
    - per veri positionẽ ab officii vel vocationis singularitate: tractatur autem
      - συγκριτικῶς, major Prophetis est, ut
        - primus N. T. doctor;
        - Messiæ præcursor;
        - præsentis monstrator;
        - primus Baptismi administrator.
      - αἰτιολογικῶς, ex testimonio Prophetico

Quæritur, quales deceat esse illos, qui adventu Christi spirituali gaudere, uti frui velint? nim. oportet illos esse

- *ministerium Johannis observantes, immo Christum ipsum audientes:*
- *crucem non reformidantes; Johannes in carcere:*
- *in Christi cognitione laborantes; huc spectat,*
  - *veri Messiæ signatum, ex vaticiniis Propheticis conspicua:*
  - *insignis Messiæ usura, manifesta in*
    - *mortis vicinitate;*
    - *infirmitate; Christus sanat;*
    - *paupertate.*
- *facto fidem declarantes; opera probant Messiam.*
- *in Christo non scandalizantes: offendit enim multos*
  - *personæ mirabilitas;*
  - *doctrinæ singularitas;*
  - *crucis gravitas.*
- *in verbi & fidei confessione constantes: non est Johannes arundo:*
- *à carnis voluptatibus abstinentes: 1.Pet.2,11. Gal.5,19.*
- *temperanter in victu & amictu viventes:*
- *pro Christi honore & gloria zelantes:*
- *vocationi legitimæ insistentes; ad exemplum Johannis:*
- *propheticè & angelicè b. e. piè vitam agentes:*
- *viam Domino parantes; via in sacris monstratur duplex;*
  - *misericordiæ & pænitentiæ: qui sapit, cavet viam*
    - *tortuosam; Sap.5,7.*
    - *montosam; Esa.40,4.*
    - *lapidosam;*
    - *lutosam;*
    - *spinosam.*

DOMINICA IV. ADVENTUS,

Joh. 1, 19. 28.

DISPOSITIO I.

Evangelium dispescitur in tres partes, quarum

- **I.** *splendida Judd. ad Joh legatio, in qua notetur*
  - *occasio aliunde petenda; hanc præbuit*
    - *alienum imperium;*
    - *amissum sceptrum;*
    - *hebdomades Danielis sive tempus elapsum;*
    - *Johannis Bapt. officium;*
    - *Messiæ propter jugum Rom desiderium;*
    - *ad Jordanem facta Θεοφάνεια.*
  - *causæ efficientis significatio: Judæi h. e. per synecd. partis, totum συνέδριον, cum universo clero & politicis.*
  - *causæ materialis vel legatorum notatio,*
    - *Sacerdotes;*
    - *Levitæ;*
    - *Pharisæi.*
  - *causæ finalis specificatio: inquisitione factâ scire volunt, quis sit Johannes; num forsan Messias?*
  - *Johannea responsio, illustrata adjuncto τ̃ παῤῥησίας: tria a. innuit*
    - *in respondendo ἀκρίβειαν ac diligentiam;*
    - *παῤῥησίαν;*
    - *constantiã. Responsio ista est duplex*
      - *ἀποφατική, per negationem triplicẽ*
        - *non sum Messias;*
        - *non sum Elias;*
        - *non sum Propheta.*
      - *καταφατική, de qua secũda parte.*
- **II.** *Johannis de seipso & proprio officio cõtestatio; ubi datur*
  - *occasio, petita ab indignabunda legatorũ quæstione, cujus ratio adsignatur gemina*
    - *à fine legationis;*
    - *à contrario superiorum quæsitorum.*
  - *adfirmativa responsio ἔγλογος, ex Es. 40, 4. ubi describitur Johan. ab*
    - *officii dignitate; Vox h. e. concionator:*
    - *suggestûs singularitate; in deserto:*
    - *doctrinæ qualitate; Doctoris n. veri est*
      - *Christo servire;*
      - *clamare;*
      - *viam parare,*
        - *montes dejiciendo;*
        - *valles exaltando;*
        - *indirecta complanando.*
- **III.** *sincera Johannis de Christo confessio, in qua occurrit,*
  - *legatorum quæstio turbulenta, quæ depulsoria, ab officio se.*
  - *Johannis responsio luculenta, quæ absolutè defensoria, continens*
    - *vocationis ostensionem, vindicationem:*
    - *legatorum ad Christum remissionem;*
    - *cujus personam describit ab*
      - *incarnati præsentia;*
      - *æternitatis vel divinitatis eminentia;*
      - *dignitatis superabundantia.*
  - *Evangelii conclusio, per τοπογραφίας.*

Evangelium præsens ob oculos nobis ponit

- *clerũ Hierosol. ad Job. mittentem; ubi observetur,*
  - *attestanda Judd. cæcitas, quam produnt,*
    - *Christum non agnoscendo:*
    - *honorem ejus alteri deferendo. Considera causas*
    - *χριστογνωσίας impediẽtes;*
      - *spontaneum errorem;*
      - *satanæ furorem;*
      - *mundi stuporem.*
  - *simplex Johannis candor & ingenuitas.*
  - *Actionis cum Joban. qualitas, ubi occurrit*
    - *circumstantiarum quarundam annotatio*
      - *quis mittens;*
      - *qui missi;*
      - *cur missi?*
    - *Egregia Johannis confessio, habens triplex*
      - *interrogatorium;*
      - *responsum.*
  - *Adventus Christi veritas, qui probatur h. l. tripliciter:*
    - *honorificâ legatione, in qua occurrit*
      - *causa impellens quintuplex*
        - *vaticiniorum complementum;*
        - *novum Baptism: Sacramentum;*
        - *concionum Johannearum documentum;*
        - *populi adcurrentis studium;*
        - *constans famæ præconium.*
      - *vitium legationi adhærens multiplex; impingunt n.*
        - *Christum missum faciendo:*
        - *Johãnẽ de ἀπογευσία solicitãdo:*
        - *examinare eundẽ præsumendo:*
        - *alios in pietate impediendo:*
        - *animam pertinaciter obturãdo.*
    - *manifestâ præcursoris præsentatione, cujus ex Esa. 40, 4. notetur*
      - *ingenua confessio;*
      - *legitima vocatio;*
      - *animosa clamatio, de qua in histor. Evangelica.*
    - *perspicuâ Johannis testificatione, de qua paulò pòst.*
- *Johãnem de seipso & Christo distincte differentem; ubi proponitur*
  - *testimonii Johannei occasio, subministrata quæstione legatorum importuniore.*
  - *testimonii depositio; respondet legatis,*
    - *vocationem suam adserendo, altiusq; repetendo ex Es. 40. 4.*
    - *suam personam à Christi persona distingvendo: baptizo aquâ:*
    - *Judæos ad Christum remittendo, qui describitur ratione*
      - *personæ, à*
        - *carnali nativitate;*
        - *divinitate;*
        - *dignitate & sanctitate.*
      - *officii: medius stat inter vos.*

*

- *loci connotatio; insinuans doctrinam de paranda Christo via, cujus consideretur*
  - *causa efficiens,*
    - *verbi doctores parent viam*
      - *Evangelium docendo;*
      - *Sacramenta administrando;*
      - *poenitentiam praedicando.*
    - *Auditores similiter faciunt*
      - *verbum praedicatum admittendo;*
      - *vitam professione dignam agendo.*
  - *modus; instituatur per*
    - *sui ipsius agnitionem: Tu quis es? Luc. 5, 8.*
    - *humilitatis imitationem:*
    - *Christi solius venerationem:*
    - *mutuam adclamationem: Ps. 24, 7.*
    - *ingenuam fidei professionem.*

DISPOSITIO III.

Evangelium monstrat modum ad festum Nativit. Christi sese praeparandi. Fiant praeparatoria

- *seriò resipiscendo: expende quis sis, ratione*
  - *natura,*
  - *vita:*
- *Christum desiderando, non carnaliter, ut Judaei.*
- *Contra Christum consilium non ineundo, quod faciunt Judaei, Sacerdotes, Levitae & Pharisaei.*
- *Honorem Christo debitum non detrahendo, vel aliò detorquendo, quod factitant Papistae.*
- *Apertè Christum confitendo.*
- *Sobriè more Johanneo vivendo.*
- *Voces clamantes audiendo.*
- *Scripturas sacras volvendo ac revolvendo.*
- *Incarnationem Christi meditando, quam Joh. insinuat inquiens: in medio vestri stat.*
- *Viam Christo parando:*
- *Humilitati studendo.*

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Luc. 2. vers. 1. 14.

DISPOSITIO I.

- *In Evangelio prælecto est*
  - *Nativitatis Christi commemoratio, secundum circumstantias, cujusmodi sunt,*
    - *temporis adnotatio; incidit in annum Augusti 42.*
    - *nativitatis in Bethlehem occasio, quam præbuit ἀπογρ. ἡ Cæsaris, amplificata*
      - *adjuncto subjecti, πᾶσαν ἡ οἰκουμένην;*
      - *adjuncto numeri, fuit prima;*
      - *causâ organicâ, Cyrenio;*
      - *causâ finali, professione nominis & facultatum;*
      - *adjuncto severitatis nemo eximitur.*
    - *Loci significatio. Observa hic*
      - *terminum à quo, Nazareth;*
      - *terminum ad quem, Bethlehem;*
      - *finem profectionis repetitum, ἀπογράψασθαι.*
    - *Rei gestæ designatio, à*
      - *tempore pariendi exacto:*
      - *expresso facto; peperit primogenitum:*
      - *modo nativitatis abjecto, qui exprimitur.*
        - *adjuncto miserabilis conditionis, quæ liquet ex*
          - *fasciarum æstimatione;*
          - *cunarum designatione.*
        - *αἰτιολογία, à negato commodiori loco.*
  - *Nativitatis manifestatio, continens*
    - *personarum descriptionem, quibus revelata primùm, ab*
      - *adjuncto officio pastorali;*
      - *loci circumstantia singulari;*
      - *adjuncto sedulitatis peculiari;*
      - *temporis circumstantia; noctu.*
    - b
  - a

a b

- *personæ revelantis, ut causæ organicæ notationem, cujus occurrit*
  - *descriptio, ab*
    - *adjunctis, quod*
      - *Angelus Domini;*
      - *improvisus adest;*
      - *claritas Domini lucet.*
    - *effectu, timuerunt*
      - *ex humana imbecillitate;*
      - *ex adparitionis raritate.*
  - *Oratio continens*
    - *Exordium; nolite timere.*
    - *Narrationem cum propositione; annuncio gaudiū, q̄ magnum ob*
      - *utilitatem;*
      - *perpetuitatem;*
      - *universalitatem;*
    - *Confirmationem ab effectu, illustratam circumstantiâ*
      - *temporis, hodie:*
      - *loci, in civitate David:*
      - *adjunctâ pueri majestate, ex nōimb9, dicitur*
        - *Salvator;*
        - *Christus;*
        - *Dominus.*
      - *objectō, vobis.*
    - *Conclusionem, habentem ἐξήγησιν στοχαστικὴν, per signa.*
- *Angelica jubilatio & congratulatio; ubi notetur*
  - *Angelorum copia:*
  - *Eorundem studia in*
    - *laudando,*
    - *congratulando.*
  - *Δοξολογία, quâ celebrant Angeli*
    - *Dei Patris ob Filii in carnem missionem benignitatem; extollentes gloriam*
      - *justitiæ;*
      - *gratiæ;*
      - *misericordiæ;*
      - *sapientiæ;*
      - *veritatis;*
      - *omnipotentiæ.*
    - *pacis inde resultantis nobilitatem; intellige pacem*
      - *non externam, sed*
      - *internam & æternam.*
    - *bonam voluntatem; nunc enim oblectant se homines*
      - *in Deo*
        - *amicè in adversis & prosperis amando:*
        - *ipsi se totos consecrando.*
      - *in Christo, illum*
        - *agnoscendo;*
        - *confitendo;*
        - *sequendo;*
        - *expetendo;*
        - *de eo loquendo & canendo.*
      - *in proximo, cū ipso*
        - *conversando humaniter;*
        - *vivendo concorditer.*

In Evangelio occurrunt duo:

- Salutifera Christi γενέθλια, in quibus describendis consideranda
  - temporis revolutio; notatur tempus illud tripliciter:
    - generaliter, in diebus illis;
    - specialiter sub Augusto;
    - specialissimè, tempore descriptionis universalis.
  - loci determinatio; natus est Bethlehemi:
  - prosapiæ notatio; ex familia Davidis regia.
  - Matris designatio. Virgine matre natus est, propter
    - Scripturæ impletionem;
    - distinctionem ab aliis sc. hominibus, in peccati carentia;
    - ortûs nostri purificationem;
    - typicam regenerationis & Ecclesiæ præfigurationem.
  - Nativitatis ratio ac conditio; nascitur pauper, ut
    - nos locupletaret;
    - paupertatem hominum sanctificaret;
    - regni conditionem demonstraret;
    - satanam ludificaret;
    - superbiam expiaret;
    - corda nostra sibi præpararet. Insinuat a. fidei confirmationem de Messiæ veritate, quæ liquet ex
      - temporis concinnitate;
      - Ecclesiæ pressæ calamitate;
      - patriæ conformitate;
      - familiæ dignitate;
      - matris puritate;
      - nativitatis qualitate.
- Inde oborta gaudia; hæc produnt Angeli
  - insigni concione, in qua observetur,
    - objecti vel auditorum vilitas; sũt pastores
      - vigilantes officium faciẽtes:
      - timẽtes timore magnõ, ex
        - subitanea Angeli adparitione.
        - claritatis Dominicæ circumfulsione.
    - concionantis dignitas; non homo sed Angelus Domini.
    - concionis gravitas, cujus
      - propositio; nolite timere.
      - Ratio, quia annũcio gaudium, quod magnum, ob
        - auctoris majestatem;
        - rei sublimitatem;
        - nuncii majestatem;
        - perpetuitatem;
        - utilitatem;
        - universalitatem.

a

b

a

- b
  - *Narratio, continens*
    - *infantis nati descriptionem, est*
      - *Salvator;*
      - *Christus;*
      - *Dominus.*
    - *temporis connotationem, hodie:*
    - *objecti designationem, vobis:*
    - *loci notificationem:*
    - *rei per signa confirmationem.*

- *suavi modulatione. Hymnus Angelicus est trium partium:*
  - *primâ continetur Dei glorificatio; elucet gloria Dei in*
    - *misericordiæ divinæ ostensione;*
    - *sapientiæ demonstratione;*
    - *justitiæ cum misericordia attempemtione;*
    - *omnipotentiæ exhibitione;*
    - *veritatis confirmatione.*
  - *secundâ habetur pacificatio; fructus nativitatis est pacis restauratio.*
  - *tertiâ comprehenditur εὐδοκίας significatio: Ex parte nostra declarabimus illam, imitatione pastorum & Angelorum*
    - *apud gregem Christi manendo: Heb. 10, 25*
    - *metum omnem relegando:*
    - *beneficia Christi ponderando; beneficium sc.*
      - *exsultationis;*
      - *salvationis;*
      - *unctionis;*
      - *dominationis.*
    - *illuminationem per verbum sustinendo;*
    - *contremiscendo, ob peccata:*
    - *consolationem admittendo:*
    - *Christum confitendo:*
    - *signa probè observando:*
    - *Jesulum rectè tractando:*
    - *Virtutes pastorum æmulando, puta*
      - *humilitatem;*
      - *hospitalitatem;*
      - *divitiarum contemtum;*
      - *dilectionem;*
      - *patientiam.*
    - *vinculis Jesum gratis ligando; oratio ligat omnipotentem;*
    - *Soli Deo gloriam tribuendo.*

c

Placet ex Evangelio prælecto considerare Jesuli donaria, ex nativitate ejus promanantia: largitus is est nobis

- *Magistratûs politici integritatem: Christus enim regnô suô non abolet politias.*
- *Gubernationis tranquillitatem qualis sub Augusto.*
- *Adoptionis felicitatem: Augustus adoptivus erat Julii Cæsaris.*
- *Consolationis ubertatem: egrediente naturâ ingreditur Deus.*
- *Nativitatis nostræ emundationem & puritatem.*
- *Angelorum societatem & familiaritatem.*
- *Cordis & corporis nostri (in futuro seculo) claritatem.*
- *Depulsam timiditatem.*
- *Conscientiæ tranquillitatem, quam turbat*
  - *ira Dei implacabilis;*
  - *legis maledictio intolerabilis;*
  - *mors inevitabilis;*
  - *separatio à facie Dei miserabilis.*
- *Veram hilaritatem, nunciatur enim gaudium*
  - *maximum;*
  - *piorum votis expetitum;*
  - *catholicum.*
- *Salutis firmitatem.*
- *Dei celebritatem.*
- *Pacis commoditatem.*
- *Dei erga nos caritatem.*
- *Musicæ Angelicæ suavitatem. Ergò in dulci jubilo &c.*

DOMINICA POST NATALEM CHRISTI,
Luc. 2, 33. 40.

DISPOSITIO I.

Lucas explicat in hoc Evangelio

- *Simeonis de Christo infantulo concionem; in qua notetur*
  - *concionis occasio, ex stupore & admiratione parentum;*
  - *Simeonis benedictio, facta precando & gratulando:*
  - *Simeonis praedictio; continens*
    - *Christi fortunam; erit aliis*
      - *πτῶσις;*
      - *ἀνάστασις.*
    - *Mariae matris miseriam;*
    - *Sortis istius efficaciam.*
- *Hanna de eodem puerulo testificationem; ubi attendatur*
  - *Persona commendatio, cujus exprimitur*
    - *nomen;*
    - *donum vel qualitas;*
    - *genus seu familia;*
    - *aetas provectior;*
    - *vitae genus, quòd fuerit*
      - *virgo castissima;*
      - *uxor honestissima;*
      - *vidua continentissima.*
    - *studia; pietatem exercuit*
      - *templum sedulò frequentando;*
      - *jejunando;*
      - *orando.*
  - *Hannae confessio, sive de Christo testificatio, facta*
    - *quando? Eadem horâ:*
    - *ubi? in templo:*
    - *quomodo? per ἀνθομολόγησιν.*
- *Brevissimam infantiae Christi descriptionem: in qua humanitas ejus demonstratur*
  - *ex parentum cura:*
  - *ex puerulí incremento, qui*
    - *corroborabatur Spiritu, h.e. donis spiritualibus ratione Hum. Naturae:*
    - *implebatur sapientiâ:*
    - *gratia Dei erat super illum.*

Propositio est διμερής: recensset enim Evangelista

- *Simeonis de Jesulo recens nato testimonium. Hic considera*
  - *parentum admirationem, quā ingreditur*
    - *admirationis ratio, petita ex*
      - *Angelica concione;*
      - *Pastorum relatione;*
      - *Simeonis cantione.*
    - *quaestionis decisio; cur Josephus dicitur pater? non naturâ, sed curâ.*
  - *propheticam Simeonis concionem; quae continet*
    - *benedictionē:*
    - *praedictionem, de*
      - *Messias, quod futurus*
        - *malis,*
          - *lapis offensionis;*
          - *signum contradictionis.*
        - *bonis, causa resurrectionis.*
      - *Maria, quòd gladium sensura tribulationis.*
  - *causa finalis adjectionem, quae insinuat conatum hostium; opponent se Christo*
    - *corde;*
    - *ore;*
    - *manu.*
- *Hāna suffragiū, cujus notetur*
  - *προσωπογραφία à*
    - *nomine; Hanna est gratiosa, gratiam adepta.*
    - *semine, i.e. prosapia.*
    - *prophetico lumine.*
    - *vitae examine: Vitam enim exegit*
      - *in virginitate castè. Virgines*
        - *Deum similiter timeant;*
        - *verbum attentè audiāt;*
        - *domi maneant;*
        - *operū aliquid faciant;*
        - *humilitati studeant;*
        - *precibus insistant;*
        - *consortia prava fugiant.*
      - *in conjugio honestè: Discant maritae*
        - *piè & castè cum suis maritis vivere.*
        - *Deum revereri;*
        - *templum diligere;*
        - *diligenter orare;*
        - *humiliter se gerere;*
        - *adsiduè de Christo disserere.*
      - *in viduitate modestè & devotè, idq;*
        - *in viduitatis custodia;*
        - *in singulari sanctimonia; viduas decet esse*
          - *pudicas;*
          - *solitarias;*
          - *spe firmas;*
          - *sobrias;*
          - *cultui sacro deditas.*
  - *παρρησία, quam commendationem efficit*
    - *temporis opportunitas;*
    - *loci sanctitas;*
    - *rei qualitas; testatur de Christo*
      - *gratias agendo;*
      - *apertè de ipso loquendo.*

Propositio μονομερής, de veris Jesuli cultoribus atq; amatoribus. Videndum

- *ad eorum fidem, quid ipsis credendum. Fides requirit*
  - *Ecclesiæ veritatem, cujus membra parentes,*
    - *dicta de Christo admirantes;*
    - *Sacramentum circumcisionis observãtes; hinc duplex Ecclesiæ nota*
      - *verbi prædicatio;*
      - *Sacramentorum administratio.*
  - *credendi simplicitatem, cujus proprium*
    - *mysteria divina contemplari attentè;*
    - *verbo adsentiri repetè.*
  - *unici fundamenti stabilitatem, quod Christus, positus in ruinam & resurrectionem.*
- *ad eorundem sortem, quid ipsis ferendum:*
  - *contradictio;*
  - *persecutio & adflictio; gladius penetrans animam.*
- *ad ipsorum vitam, quid interim faciendum:*
  - *verbum diligenter audiendum; Simeon auditor est:*
  - *verbo audito libenter obediendum; audire est obtemperare.*
  - *Ecclesiæ veræ constanter adhærendum:*
  - *templum Domini frequenter visitandum:*
  - *Deo precibus & jejuniis incessanter serviendum:*
  - *pro Filii missione ipsi ardenter confitendum:*
  - *fidei professio publicè facienda:*
  - *redemtio finalis subinde petenda & patienter exspectanda.*

IN FESTO CIRCUMCISIONIS CHRISTI,

Luc. 2, 21.

DISPOSITIO I.

Contemplabimur in Evangelio tria:

- *Sanctam Jesuli circumcisionem; ubi ostenditur*
  - *quando circumcisus fuerit?*
  - *quis circumcisus? Jesus.*
  - *quomodo? Secundum legem; non sui causa; sed in*
    - *circumcisionis pro V. T. institutæ ratificationem:*
    - *humanitatis suæ demonstrationem:*
    - *scandali declinationem:*
    - *ortûs sui ex Judæis declarationem:*
    - *legis tùm abrogationem, tùm impletionem:*
    - *humilitatis contestationem.*
- *Nominis præclari impositionem; docetur*
  - *quale nomen ipsi impositum? Jesus.*
  - *Ratio nominis, vel cur ita vocatus sit?*
  - *Temporis circumstantia; priusquam conciperetur.*
- *Strenæ divinæ distributionem: Donaria offert egregia;*
  - ἀκροβυστίας; αἱματηκχυσίας; ὀνοματοθεσίας; *continetur autem hoc nomine Jesu*
    - *peccatorum remissio;*
    - *conscientiæ pacificatio;*
    - *salutis reparatio;*
    - *filiatio;*
    - *certa precum exauditio.*

Duo in hoc Evangelio inculcantur:

- *Jesuli circumcisio; in qua expendatur*
  - *circumcisionis temporis observatio:*
  - *ipsa Domini Jesu circumcisio, monens de ejusdem*
    - *necessitate, instituta est*
      - *in gratiæ divinæ notificationem;*
      - *in terræ promissæ certificationem;*
      - *in cohabitationis & præsentiæ Dei testificationem.*
    - *utilitate; proderat Judæis ad*
      - *fidei confirmationem;*
      - *populi Isr. ab aliis segregationem;*
      - *promissionis de Messia venturo renovationem;*
      - *circumcisionis spiritualis præfigurationem;*
      - *nativitatis impuræ considerationem.*
    - *causarum gravitate, ob quas Christus circumcisus; nim. ut*
      - *humanitatis veritatem edoceret:*
      - *verum se Messiam demonstraret:*
      - *officium inde salvationis inchoaret:*
      - *legis impletionem consummaret:*
      - *Sacramentis auctoritatem conciliaret:*
      - *nos liberaret:*
      - *ad imitationem nos excitaret:*
      - *consolationem nobis vivam subministraret.*
- *solemnis nominis Jesu impositio: ubi observetur*
  - *temporis notatio:*
  - *auctoris designatio, qui*
    - *mediatus, parentes:*
    - *immediatus Deus per Angelum.*
  - *nominis significatio. Rectè autem illud usurpabimus,*
    - *cordi nostro inscribendo;*
    - *virtutem ejus per fidem adplicando.*
    - *omnia in nomine Jesu incipiendo;*
    - *preces in hoc nomine fundendo;*
    - *vitæ novitatem sectando;*
    - *in cruce & morte invocando: facit n. & solatur contra*
      - *peccati abundantiam;*
      - *satanæ truculentiam;*
      - *mortis & inferni inclementiam;*
      - *legis sententiam;*
      - *iræ divinæ vehementiam.*

Propositio μονομερὴς; Cum anno novo vita etiam novitati studendum. Moveat nos

- *fœderis cum Deo sanciti recordatio; olim in circumcisione; jam fit in Baptismo.*
- *sancta Domini Jesu circumcisio, quæ nobis esse debet*
  - *fidei firmamentum;*
  - *humilitatis documentum;*
  - *legis divinæ complementum;*
  - *adventûs Messiæ argumentum;*
  - *naturæ adsumtæ fundamentum;*
  - *λύτρου persoluti experimentum;*
  - *imitationis & pœnitentiæ incitamentum.*
  - *Corrigamus ergò vitam malitiosam*
    - *de admissis dolendo;*
    - *gratias agendo;*
    - *precando;*
    - *dona distribuendo;*
    - *congratulando;*
    - *laborando;*
    - *perdurando.*
- *Mortalitatis congenitæ consideratio.*
- *Pia nominis Jesu meditatio. Utere fruere hoc nomine in*
  - *quotidianâ invocatione;*
  - *impetranda peccatorum remissione:*
  - *cruce & adflictione:*
  - *constanti confessione:*
  - *satanæ incursione & tentatione:*
  - *tua vocatione:*
  - *mortis invasione:*
  - *proximi dilectione:*
  - *gratiarum actione, pro beneficiis annô superiori exhibitis; cujusmodi sunt*
    - *doctrinæ puritas;*
    - *Reip. tranquillitas;*
    - *aëris salubritas;*
    - *terræ fertilitas;*
    - *multa felicitas.*

DOMINICA POST CIRCUMCISIONEM CHRISTI,

Matth. 2, 13. ad fin. cap.

DISPOSITIO I.

Propositio præsens recitat enim Evangelista

- *triste recens nati Jesuli exilium, quod continet*
  - *Mandati sententiā. Indicat autem*
    - *temporis circumstantiam, ex textu manifestam:*
    - *Legati eminentiam; Angelus Gabriel:*
    - *summam mandati; jubet eum*
      - *surgere;*
      - *puerulum adsumere;*
      - *fugere.*
    - *fugæ locum, vel terminum*
      - *à quo;*
      - *ad quem.*
    - *moram exilij:*
    - *causam ab inutili vel damno.*
  - *Josephi obedientiam. Considera*
    - *personas peregrinantes;*
    - *tempus fugæ;*
    - *locum exilio destinatum;*
    - *finem*
      - *exilii,*
      - *consilii divini. Causæ*
      - *exilij suscepti fuerunt*
        - *humanitatis vera demonstratio;*
        - *nostra informatio.*
        - *regni adumbratio;*
        - *periculi declinatio.*
- *crudele Herodis infanticidium, cujus recitatur*
  - *τὸ ἡγούμενον, antecedens, facti continens causam*
    - *[illegible], Magorum illusionem;*
    - *[illegible], vehementem indignationem.*
  - *τὸ συνέχον; ipsum factum, cujus notatur*
    - *causa ὀργανική tanti facinoris administræ;*
    - *modus, ἀνεῖλε, q. per publica supplicia:*
    - *objecta.*
  - *τὸ ἑπόμενον, consequens; luctus matrum. Permisit autem Deus βρεφοκτονίαν sive lanienam infantum istam*
    - *ob Propheticum testimonium;*
    - *in Messiæ exhibiti testimonium;*
    - *in contemtûs & ingratitudinis supplicium;*
    - *in nativitatis Christi præconium;*
    - *in peccati mortisq; indicium;*
    - *in Ecclesiæ veræ τεκμήριον;*
    - *in vitæ alterius testimonium.*
- *dulce reditûs indicium; ubi adnotat*
  - *temporis circumstantiam; Herode defunctô:*
  - *causæ moventis (efficientis) excellentiam Amplif. adjunctô*
    - *τρόπου;*
    - *τόπου.*
  - *Angelicæ orationis formam, quâ jubet Josephum*
    - *surgere;*
    - *puerum cum matre accipere;*
    - *ab exilio redire. adjunctâ ratione ab utili.*
  - *Josephi obediētiā, quæ describitur à loco, q vel*
    - *cōmunis vel generalis, terra Israël:*
    - *proprius vel specialis, Galilæa:*
    - *specialior, Nazareth. Amplif. αἰ-τιολογίᾳ triplici:*
      - *Archelai successione;*
      - *divinâ admonitione;*
      - *Scripturæ impletione.*

Propositio διη-γής, bipartita: duo enim nobis ob oculos versantur: agitur:

- *de Christi in exilium ejectione; describiturq;*
  - *temporis notatione;*
  - *legati vel causæ impellentis significatione: fuit Angelus Domini; hinc Angelorũ æstimare licet diligentiã, quã probant Creatori suo*
    - *mandata ejus fideliter exsequendo;*
    - *Christi opera hominumq; salutem promovendo;*
    - *pios in periculis custodiendo.*
  - *mandati expositione. Observa*
    - *propositionem;*
    - *confirmationem à periculoso, innuitq;*
      - *à quo metuẽdũ periculum:*
      - *cui immineat:*
      - *quale ac quantum sit, cujus finis est ἀπολέσαι.*
  - *mandati divini exsecutione; Amplif. adjunctò*
    - *temporis & loci;*
    - *celeritatis in exsequendo;*
    - *durationis, usq; ad mortem Herodis.*
  - *typica vaticinii prophetici impletione. Vides miserum Ecclesiæ statum, cui opponitur solatium ex*
    - *causa bonitate;*
    - *Dei providentia;*
    - *Angelorum custodia;*
    - *Dei in hostibus evertendis sapientia:*
- *de Christi à fuga revocatione, ubi occurrit*
  - *reditûs denũciatio cõtinens*
    - *temporis definitionem;*
    - *Angeli adparitionem;*
    - *ejusdem ad Josephum concionem;*
    - *svasionis rationem, ex Herodis epitaphio. Deus enim suorum curã gerit*
      - *metam tyrannis destinando;*
      - *Angelos piis adsociando;*
      - *voluntatem suam revelando;*
      - *hospitium procurando;*
      - *infirmitati eorum se accommodando.*
  - *ipsa reversio; ubi notetur*
    - *verbo divino debitus honor:*
    - *certus de Archelao rumor:*
    - *magnus inde obortus timor:*
    - *Deus fortis in opportunitate adjutor: Evangelista enim subjungit*
      - *quô authore & modô ex metu sese explicaverint;*
      - *quò furoris declinandi causâ concesserint;*
      - *quô fine hæc omnia facta fuerint.*

Matth. 3,13. ad finem: de Christi Baptismo.

Circa hoc tempus praelectum Evangelium solet explicari, cujus duae sunt partes:

- *de Christi baptizatione: hanc ingreditur*
  - *temporis adnotatio; vide Luc. 3, 23.*
  - *loci determinatio; ratione termini*
    - *à quo,*
    - *ad quem.*
  - *facti commemoratio; Christus ad Joh. venit:*
  - *causae finalis adsignatio:*
  - *Johannis cum Christo collocutio; ubi*
    - *Johannis intentio recusatoria, qua ipse opus habeat*
      - *peccatorum per Messiam emundatione:*
      - *Spiritûs Sancti baptizatione:*
      - *gratiae ac salutis adplicatione:*
      - *spiritûs mentisq; innovatione:*
      - *in gratia perseveratione.*
    - *Christi depulsio, per*
      - *concessionem;*
      - *limitationem & distinctionem;*
      - *necessitatis demonstrationem;*
      - *omnis justitiae implenda, quod fecit Christus*
        - *legi se subjiciendo;*
        - *victimam se sistendo;*
        - *peccatum tollendo;*
        - *satisfaciendo;*
        - *media salutis sanctificando;*
        - *ministerium instituendo.*
- *de S.S. Trinitatis revelatione; ubi consideretur*
  - *subita Christi ex Jordane post Baptismum adscensio:*
  - *Caelorum apertio: factum est hoc, in*
    - *aditûs ad caelos reclusi argumentum;*
    - *doctrinae Christi documentum;*
    - *officii Christi ornamentum;*
    - *Baptismi Johannei firmamentum.*
  - *Illustris S. S. Trinitatis patefactio:*
  - *Publica Messiae proclamatio; in qua agitur*
    - *de persona baptizatae descriptione;*
    - *de Patris erga Filium dilectione;*
    - *de Patris in Filium & nos propensione.*
  - *Doctrinae de fructu Baptismi Christi insinuatio; nim.*
    - *Baptismi nostri sanctificatio;*
    - *peccatorum nostrorum ablutio;*
    - *Justitiae omnis impletio; intelligit justitiam*
      - *ordinationis seu vocationis;*
      - *manifestationis;*
      - *impletionis;*
      - *obsecutionis:*
      - *passionis;*
      - *reconciliationis;*
      - *dominationis;*
      - *confirmationis;*
      - *operationis.*

DISPOSITIO I.

Agitur in Evangelio de tribus:

- *1. de Magorum accessione lata: ubi est,*
  - *Magorum ex Persia profectio, habens*
    - *temporis finitionem;*
    - *loci designationem;*
    - *rei gestæ commemorationem; de Christo nato.*
    - *ipsam Magorum accessionē, ubi notetur*
      - *particula attentionis;*
      - *personæ peregrinantes;*
      - *terminus*
        - *à quo;*
        - *ad quem.*
  - *Regis recens nati inquisitio. Instituunt illam*
    - *quæstionem publicè proponendo; & continet*
      - *fidei in corde latentis patefactionem;*
      - *individualem certæ personæ designationem:*
      - *Regis* δεσπ[illegible]θλου *discriminationem.*
    - *causam adventus impellentem aperiendo:*
    - *causam itineris suscepti finalem exprimendo. Discamus & nos*
      - *gratâ mente vocationē Dei agnoscere;*
      - *Jesulum diligenter inquirere;*
      - *devotè eundem invocare.*
      - *virtutes Magorum imitari; quales sunt*
        - *dilectio;*
        - *humiliatio;*
        - *patiētiæ demonstratio;*
        - *templi visitatio;*
        - *sumtuum erogatio;*
        - *intrepida confessio.*
- *2. de Magorum exceptione & dimissione*
  - ἐκ[illegible]ντα *sunt duo:*
    - *Herodis trepidatio, qui veretur*
      - *Judæorum rebellionem;*
      - *Cæsaris offensionem;*
      - *sui degradationem;*
      - *regni amissionem.*
    - *Hierosolymæ consternatio, cujus causa est*
      - *falsa de Messia sententia;*
      - *immanis Herodis truculentia.*
  - b

a *sprem:*

a b

- πραχθέντα, qualia sunt
  - Consistorii Hierosol. coactio, ubi
    - Consultorum dignitas,
      - Principes Sacerdotum;
      - Scribæ populi.
    - quæstionis propositæ gravitas.
  - Cōsistorii decisio:
  - temporis inquisitio:
  - plenior Magorum (de quærendo recens-nato Rege) instructio.
- 3. de itineris consummatione fausta, quam ingreditur,
  - itineris interrupti continuatio, quam promovet plurimùm
    - nova stellæ adparitio;
    - miranda stellæ motio;
    - subitanea ejusdem statio.
  - pueruli quæsiti inventio. Amplif. effectis
    - Magorum exsultatione;
    - pueruli veneratione, per
      - humilem adorationem;
      - liberalē munerum oblationem.
  - Magorum in patriam reversio; cujus exprimitur
    - causa principaliter movens;
    - modus; κατ' ὄναρ.
    - finis;
    - effectus. Insinuatur doctrina, quales erga Jesulum Regem declarare nos conveniat? requiritur hic
      - sancti & honesti propositi continuatio;
      - in summa rerum perturbatione exsultatio;
      - gratitudinis declaratio; fiat
        - ad præsepe Christi proficiscendo;
        - in Christo non scandalizando;
        - orando & adorando;
        - thesauros aperiēdo;
        - vitam & viam immutando.

Continentur in Evangelio acta:

- **Hierosolymitana, in quorum censu est**
  - Magorum ad cunas Christi peregrinatio, descripta per
    - temporis notationem
      - spiritualem;
      - corporalem;
    - loci designationem, qui est vel
      - generationis;
      - profectionis.
    - peregrinantium descriptionem.
  - Diligens Messiae indagatio. Ampl. hoc studium causâ
    - πραγματικῇ;
    - τελικῇ
  - Herodis totiusq. urbis trepidatio, pertingens ad
    - Herodē
    - Hierosolymam
    - causa fuit
      - novorum motuum seu bellorum timor:
      - malesanus plerorumq. error.
  - Herodis cum Scribis consultatio: occurrit
    - Herodis ἐρώτησις sive proposita quaestio;
    - consultorum ἀπόκρισις, Regi data responsio.
  - Herodiana Magorum informatio: procedit
    - tectè Magos accersendo:
    - callidè tempus visae stellae inquirendo:
    - insidiosè praecipiēdo. Nostrum est sequi Magos
      - novam stellam observantes accuratè;
      - novum Regem inquirentes studiosè;
      - veritatem confitentes intrepidè;
      - orantes devotè pro
        - peccati remissione;
        - ejusdem devitatione;
        - stellae conservatione;
        - poenarum mitigatione;
        - beata emigratione.
      - sumtûs erogantes largè.
- **Bethlehemitica,**
  - secunda vel nova stellae adparitio;
  - puerili cum matre in stabulo inventio;
  - humilis inventi adoratio;
  - munerum oblatio, in quibus respexit providentia Dei ad
    - necessitatem;
    - regiam potestatem;
    - sacerdotalem dignitatem;
    - humanam mortalitatem.
  - Magorum in patriam reversio. Imitemur Magos
    - sanctum propositū gnaviter urgentes;
    - in periculis & calamitatibus gaudentes;
    - gratitudini studentes;
    - Herodem devitantes;
    - in patriam revertentes; patria nostra est Paradisus, quā
      - excidimus
        - superbiendo:
        - non obediendo:
        - visibilia sectādo;
        - cibum vetitum gustando.
      - revertimur ad illā
        - flendo;
        - humiliando;
        - obtemperando;
        - terrena condemnendo;
        - appetitum cohibendo.

- *Placet cōsiderare gentium γενέθλια. Tractatio potest institui per ἀντίθεσιν Judd. & Magorum:*
  - *Judæi celebrant γενέθλια Christi*
    - *trepidando;*
    - *hypocriticè venerando:*
    - *contemnendo; nemo unà graditur:*
    - *persequendo & insidias struendo:*
  - *Magi & gentiles rectius,*
    - *diligenter puerulum quærendo;*
    - *ad Christum properando: Magi sequuntur stellam, nos verbum, quod facem præfert ad*
      - *veram Christi agnitionem;*
      - *fidei confirmationem;*
      - *sinceram mentis exsultationem.*
    - *media ad Christum ducentia amplexando. Magi utuntur*
      - *adsidua Scripturarum lectione:*
      - *Judæorum conversatione:*
      - *stellæ novæ observatione.*
    - *in Christi humilitate & paupertate non scandalizando.*
    - *Christum venerando. Magi*
      - *procidunt, adorant, dona offerunt. Nostrum est Christum donis adficere, offerendo*
        - *spiritualiter*
          - *myrrham pœnitentiæ & contritionis:*
          - *aurum fidei;*
          - *thus precationis & novæ obedientiæ.*
        - *corporaliter, de tua substantia; ἀντίδωρον habebis*
          - *amorem, monendo;*
          - *favorem, Angelos mittendo;*
          - *honorem, in patriam cœlestem reducēdo.*
    - *Malorum consortia vitando:*
    - *viam immutando & in bono perseverando:*
    - *Hypocrisin Herodianam declinando.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIÆ,

Luc. 2, 41. 52.

DISPOSITIO I.

In hodierno Evangelio tria conspicimus:

- **Hierosolymitanam profectionem, quâ pietatem declarant effectu triplici:**
  - anniversariâ festorum observatione:
  - filioli ad pietatem institutione & adsuefactione:
  - legitimâ pietatis istius continuatione.
  - Insinuatur doctrina de officio
    - parentum quod consistit
      - non
        - in opum coacervatione;
        - in disciplinæ laxatione;
      - sed
        - in domestica secundum Legem educatione;
        - in publica informatione;
        - in moderata castigatione.
    - liberorum quos decet
      - sincera erga Deum devotio:
      - pravæ sodalitatis aversatio:
      - obediens sub parentibus **humiliatio.**
- **Puerili Jesu amissionem, inquisitionem & repertionem, ubi notetur**
  - Christi in templo remansio:
  - solicita amissi pueruli inquisitio:
  - pueri Jesu inventio, descripta ratione
    - tẽporis, & loci. Amittitur Christus
      - securitate & negligentiâ;
      - inscitiâ & ignorantiâ;
      - vita licentia;
      - impudentiâ.
  - Christi in templo studium & occupatio. Illustratur effectu geminô
    - auditorum & spectatorum obstupefactione:
    - parentum perculsione.
  - Blanda matris cum filio expostulatio: ea autem habet
    - significationem amoris;
    - expositionem doloris;
    - filioli purgationem, qua constat
      - parentum reprehensione;
      - adjunctâ ratione.
    - purgationis effectum in parentibus,
      - ignorantia;
      - dictorum observantia.
- **Jesuli reversionem & reliquam ætatis infantilis descriptionem, in qua commendatur,**
  - filialis Christi obedientia;
  - donorum in ipso eminẽtia; crevit enim
    - σοφίᾳ,
    - ἡλικίᾳ,
    - χάριτι.
  - Mariæ matris diligentia.

DISPOSITIO II.

In Evangelio habemus historiam

- *de pueruli Jesu amissione, ubi datur*
  - *religiosa Josephi & Mariæ erga Deum obedientia; declarant eam*
    - *quotannis Hierosolymam adscendendo:*
    - *puerum Jesum secum adducendo:*
    - *in cultu sacro perseverando, Amplif. quæstione, cur Judæos voluerit Deus cultûs gratiâ tantum iter conficere nim.*
      - *in beneficiorum Dei recordationem:*
      - *ob Israëlitarum in vera religione conservationem:*
      - *in fraterni amoris augmentationem:*
      - *in ceremoniarum Leviticarum propagationem:*
      - *in fidei & obedientiæ demonstrationem.*
  - *supina & ignominiosa eorundē negligētia, quâ pdunt*
    - *securè discedendo:*
    - *puerum post se relinquēdo:*
    - *amissum non rectè inquirendo*
      - ἐν συνοδίᾳ;
      - ἐν συγγενείᾳ;
      - ἐν φιλίᾳ.
- *de ejusdem repertione occurrit*
  - *læta pueruli Jesu repertio, cujus adnotatur*
    - *tempus; triduanum;*
    - *locus;*
    - *actus, inveniunt in templo*
      - *non*
        - *discurrentem;*
        - *ludicra tractantem;*
        - *confabulantem:*
      - *sed*
        - *inter Dd sedentem;*
        - *cum eis conferentem.*
  - *Matris cum filio reperto expostulatio, constans*
    - *parentum admiratione;*
    - *leni objurgatione;*
    - *pueri responsione factâ*
      - κατ᾽ ἀντέγκλημα;
      - κατ᾽ ἀντεισαγωγήν.
  - *Parentum cum Christo in Nazarethum reversio, qua habet*
    - *majestatis retractionem;*
    - *meriti & exempli exhibitionem;*
    - *dictorum observationem;*
    - *humanam incrementi dispensationem.*
    - *Generalis hinc exsurgit doctrina de recta liberorum educatione, ubi concurrit ordo triplex:*
      - *parentum ad quos spectat*
        - *domestica educatio;*
        - *publica institutio*
      - *præceptorū, quos ornat*
        - *vera in Deum pietas.*
        - *fidelitas & sedulitas;*
        - *comitas & adfabilitas.*
      - *juniorum, quos decet*
        - *sincera pietas:*
        - *proba societas:*
        - *industria & sedulitas:*
        - *obediens humilitas.*

Contemplabimur virtutes œconomicas
- parentum, Josephi & Mariæ.
  - θεοσέβεια, *sincera erga Deum pietas:*
  - ὁμόνοια ἢ φιλησυχία, *concordia & tranquillitas.*
  - παιδεία, *institutionis domesticæ bonitas & honestas, in qua requiritur,*
    - *nutricatio;* στοργὰς *Deo inseruit*
      - *in parvulorum emolumentum;*
      - *in amoris divini argumentum*
    - *institutio;*
    - *inspectio;*
    - *moderata castigatio.*
- *liberorum; inter illos emicat*
  - *parentum honor & observantia;*
  - *debita obedientia;*
  - *disciplinæ tolerantia.*

Thema aliud.

Quæritur, quâ ratione homo pius Christi vestigia imitari debeat, ut proficiat gratiâ apud Deum ac homines? R.
- *Deum ardenter colendo, & quidem*
  - *in festorum celebratione;*
  - *in templi visitatione;*
  - *in verbi auscultatione.*
- *In bono constanter persistendo: festum integrum septiduum durabat:*
- *Cum bonis libenter consuescendo.*
- *Ministerium reverenter habendo.* Die Welt verdienet die Hölle am Predigampt.
- *Crucem patienter ferendo:*
- *Vocationi tenaciter inhærendo:*
- *Superioribus obedienter se subjiciendo:*
- *Verbum in corde tenaciter retinendo:*
- *Benè ac feliciter proficiendo,*
  - *verâ Christi notitiâ;*
  - *vita innocentiâ;*
  - *sapientiâ;*
  - *patientiâ;*

Joh. 2, 1. 11.

DISPOSITIO I.

Agitur de tribus:

- *De nuptiarum Cananearũ festivitate; in quibus observetur,*
  - *tempus; locus; res ipsa; nuptiæ factæ sunt, unde perspicitur*
    - *miraculi majestas; ordinis cõjugalis dignitas, æstimanda ex*
      - *divina institutione: conjugii confirmatione: ejusdem in N. T. restauratione. conservatione: benedictione: finis consideratione; sit*
        - *sobolis procreandæ medium; scortationis remedium; adjutorii officium; spiritualis connubii mysterium.*
  - *personæ præsentes, vel convivæ nuptiales,*
    - *Maria mater Jesu:*
    - *Jesus Christus, q. venit ad nuptias,*
      - *in conjugii cohonestationem: favor ejus patet ex*
        - *accessione promtissima: Scripturæ attestatione abundantissima.*
      - *in spiritualis conjunctionis significationem. Celebrat enim Christus nuptias*
        - *personales.*
        - *spirituales.*
    - *Discipuli Christi. Insinuatur h. l. doctrina de Christi invitatione; invitabis eum*
      - *sanctimoniæ & castitati operã dando: consensum parentum requirendo & exspectando: bona animi respiciendo: nuptias non libidinis causâ ineundo: cum Deo omnia agendo: ardenter orando.*
- *De tristi τ̃ νεογάμων calamitate; ubi notetur*
  - *vini defectus:*
  - *Mariæ matris adfectus, quem sequitur*
    - *solicita matris pro νεογάμοις intercessio:*
    - *duriuscula Christi responsio, adjunctam habens rationẽ*
      - *curiositatis præposteræ: præsumtionis superciliosæ: importunitatis intempestivæ.*
    - *humilis objurgatiõis exceptio. Cruci est expositum cõjugiũ ob*
      - *protoplastorum prævaricationem; amoris divini manifestationem; fidei probationem; precũ exsuscitationẽ. carnis refrenationẽ. In cruce autem non desperandum, sed*
        - *adChristũ adcurrendũ: patienter exspectandũ: solatium in verbo quærendum: mandatis Christi insistendum.*

†

- De Christi erga ipsos bonitate, ubi occurrit
  - miraculi exhibitio, hic datur,
    - causæ instrum. h. e. hydriarum consideratio, à
      - causa materiali;
      - circumstantia numeri;
      - situ;
      - fine seu usu;
      - capacitate.
    - causa materialis significatio, mera aqua:
    - causarum administrarum expositio:
    - causæ formalis (vel effectus) designatio.
  - miraculi patefactio, per
    - ministros, aquam haurientes:
    - architriclinum, vinum gustantem.
  - Evangelii conclusio ostendens
    - miraculi conditionem; fuit initium signorum Jesu:
    - loci repetionem:
    - effectûs duplicis insinuationem
      - gloriæ manifestatio; gloriam dico
        - unionis;
        - personalis communicationis.
      - fidei confirmatio: didicerunt inde
        - personæ sublimitatem:
        - officii dignitatem;
        - doctrinæ veritatem.
  - τῶν νεογάμων consolatio, profluens ex
    - Christi erga conjugatos φιλανθρωπία:
    - Dei
      - παντογνωσία;
      - εὐδοκία;
    - Christi
      - παρουσία;
      - παντοκρατορία:
      - σοφία:
      - εὐεργεσία.
    - (Dei … Christi) interim levandi oneris ergò
      - strenuè laborandum:
      - devotè orandum:
      - calidè plorandum:
      - assiduè expectandum.

DISPOSITIO II.

Propositio bipartita; agitur enim

- *De nuptiarum Cana-naarum solemnitate: huc faciunt tria:*
  - *temporis lociq; circumstantia:*
  - *hospitiĩ invitatoriĩ eminẽtia,*
  - *Cur Christus accesserit, causas adsignant*
    - *alii*
      - *sanguinis propinquitatem;*
      - *bonitatem;*
      - *conversationis facilitatem;*
      - *civilitatem;*
      - *necessitatem;*
      - *posteritatem.*
    - *alii verò*
      - *auctoris demonstrationem:*
      - *sanctificationem:*
      - *fidei in discipulis confirmationem:*
      - *exempli contra μισογάμους propositionem:*
      - *mysticam significationem.*
  - *tractationis indigẽtia, h.e. vini carẽtia. Hec omnia præbent usum in*
    - *informatione, de Christi φιλογαμίᾳ, quæ probatur ex:*
      - *prima fundatione, in qua notetur*
        - *divina deliberatio:*
        - *decreti divini exsecutio, consistens in*
          - *mulieris formatione;*
          - *primorum conjugum copulatione;*
          - *legis matrimonialis promulgatione;*
          - *νεογάμων bẽedictiõe.*
        - *miraculosa Evæ creatiõe:*
      - *conjugiĩ confirmatione:*
      - *ordinis istius instauratione:*
      - *illius præmunitione:*
      - *assidua conservatione facta*
        - *benedicendo;*
        - *per Angelos custodiendo:*
      - *spirituali Christi cum Ecclesia copulatione:*
      - *honorifica Spiritûs Sancti prædicatione:*
      - *Christi cohonestatione; ornavit conjugium*
        - *ex desponsata prodeundo;*
        - *conjugatos amando secũq; ferẽdo;*
        - *conjugium muniendo;*
        - *nuptias accedendo;*
        - *Ecclesiam sibi desponsando.*
    - *cõsolatione; patet inde, esse ordinem*
      - *Deo gratissimum;*
      - *honoratissimum;*
      - *adflictissimum quidem, sed solatiô plenissimum.*
    - *exhortatione, pro junioribus quos decet*
      - *honesta de conjugio sententia:*
      - *Numinis divini reverentia:*
      - *ordinis observantia*
        - *ante contractum, ne sint sponsalia*
          - *jocularia;*
          - *angularia;*
          - *clancularia: sed pia & honesta;*
          - *æqualia.*
        - *in contractu*
          - *nube tempestivè;*
          - *festina lentè;*
          - *vive castè;*
          - *parentes quære;*
          - *mores respice;*
          - *sumtûs fiant parcè.*
      - *precum fragrantia.*

- De miraculi sublimitate, cujus notantur
  - antecedentia,
    - matris pro adflictis intercessio:
    - durior Christi responsio, ideo facta, ut
      - Deum se testaretur;
      - sine patronis rogaretur;
      - à matris invocatione dehortaretur;
      - limites obedientiæ ostenderentur.
    - ministrorum instructio.
  - concomitantia, quæ habent miraculi
    - causam efficientem;
    - causam materialem, ubi occurrit
      - subjectum recipiens:
      - mandatum ministros urgens:
      - effectum subsequens.
    - causam formalem, in conversione aquæ in vinum positam: Hinc fluit solatium, cruci conjugali opponendum, ex
      - conjugii excellentia & dignitate:
      - Christi præsentia & humanitate:
      - Christi providentia & caritate:
      - crucis clementia & brevitate:
      - auxilii beneficentia & ubertate.
  - consequentia, quæ nobis sistunt
    - Christum haurire jubentem:
    - Architriclinum de vini bonitate testificantem,
      - gustando;
      - commendando;
      - expostulando.
    - Evangelistam calculum adjicientem de
      - Christi θαυματοποιήσει repetendo miraculi
        - auctorẽ;
        - tempus;
        - locum.
      - gloria Christi φανερώσει:
      - fidei in discipulis στερεώσει.

Quid observandum, ut aqua calamitatis convertatur in vinum hilaritatis:

- *ante contractum matrimonium sciamus,*
  - *conjugium magni esse æstimandum, ob*
    - *Antiquitatem;*
    - *ordinis bonitatem;*
    - *necessitatem.*
  - *ordinem in omnibus observandum; incipiendum*
    - *piâ precatione;*
    - *parentum consultatione;*
    - *bonorum internorum attentione;*
    - *paris electione.*
  - *Christum præ ceteris esse invitandum:*
  - *Ecclesiæ adhærendum:*
  - *Ministerium venerandum.*
- *post contractum matrimoniũ, conjugió devincti sciant,*
  - *crucem esse ferendam*
    - *non murmurando, fugiendo, vociferando, stationem deserendo: sed*
    - *ad Christum adcurrendo:*
    - *auxilium ipsius præstolando:*
    - *correptionem æquô animô sustinendo;*
    - *mandatis Christi parendo.*
  - *Verbum Christi attendendum:*
  - *Bonitatem ejus esse prædicandam.*

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita: In Evangelio enim deprehendimus,

- *Leprosi sanationem, quam ingreditur*
  - *temporis notatio;*
  - *miraculi occasio* — *morbus abominabilis:* / *gestus humilis & commendabilis.*
  - *leprosi actio habens*
    - προσφώνησιν;
    - ὑπόθεσιν;
    - πεποίθησιν. *Orat* — *humiliter, sine elatione:* / *fideliter, sine hæsitatione:* / *sapienter, cum distinctione.*
  - *Christi responsio, conjuncta cum miraculo, cujus notetur*
    - *causa organica duplex: sanation.*
      - *manum extendendo;*
      - *tangendo, quod fit ob* — *hostium calumniam;* / *officii præstantiam;* / *carnis efficaciam.*
      - *loquendo verbum* — *misericordiæ;* / *potentiæ;* / *disciplinæ.*
    - *effectum seu forma miraculi.*
    - *consequẽs miraculi;*
      - *miraculi evulgandi prohibitio facta ut*
        - *fidem leprosi probaret:*
        - *obedientiam exploraret:*
        - *gloriam privatam declinaret:*
        - *invidiam evitaret:*
        - *commodiorem evulgandi rationem insinuaret.*
      - *leprosi ad sacerdotes ablegatio, ut*
        - *legem se impleturum ostenderet;*
        - *soli Deo transscribendum moneret;*
        - *Messiam sese demonstraret;*
        - *sanabiles sacerdotum converteret;*
        - *publicũ sanationis testimoniũ extorqueret.*
        - *sacerdotio nihil detraheret.*
- *Servi paralytici restitutionem: observetur*
  - *Centurionis pro servo intercessio, ubi occurrit*
    - *locus;*
    - *persona agens;*
    - *ipsa petitio, cujus indicatur* — *objectum;* / *persona patiens;* / *fortuna ejus adversa;* / *species morbi.*
  - *Benigna Christi responsio, promittens* — *præsentiam sive comparitionem:* / *sanitatem vel restitutionem.*
  - *Centurionis recusatio vel deprecatio, cujus*
    - *propositio: nolo te subire tectum meum.*
    - *confirmatio* — *ab indignitate;* / *ab infinita Christi virtute ac potestate.*
- *Post concionem h. e. fidei Centurionis cõmendationem; cujus*
  - *occasio, ex reliquis Evangelistis petenda.*
  - *Fidei in centurione commendatio, ubi*
    - *Christus fidem Centurionis admiratur;*
    - *publicè de ejusdem* ὑπεροχῇ *testatur;* — *agnitionis;* / *adplicationis.*
    - *major est ratione*
  - *Egregia de gentium vocatione concio.*
  - *Benigna Centurionis dimissio habens*
    - ὑπόσχεσιν, *promissionem fidei attemperatam:*
    - ἔκβασιν, *eventum vel effectum, sanationem.*

DISPOSITIO II.

Duplex hîc habetur miraculum,

- *Unum, leprosi sanati, in quo consideretur*
  - *temporis locique circumstantia.*
  - *Hominis leprosi miseria & indigentia:*
  - *Precationis elegantia & fragrantia, continens*
    - *fiducialem accessionem:*
    - *profundam humiliationem:*
    - *submissam compellationem:*
    - *calamitatis expositionem:*
    - *fidei professionem:*
    - *adnexam conditionem.*
  - *Medici in sanando leproso clementia: in cura notetur*
    - *factum,*
    - *dictum,*
    - *effectum,*
    - *mandatum*
      - *probitorium,* φευκτόν:
      - *informatorium,* πρακτόν:
      - *ad sacerdotem ablegat, in*
        - *sacerdotum confusionem;*
        - *fidei confirmationem;*
        - *ministerii conservationem;*
        - *Judæorum commonitionem.*
- *Alterum servi paralytici; attende personam*
  - *Centurionis, sanationem petentis, oratio*
    - *intercessoria, constans*
      - *temporis notatione; petitoris conditione; miles est, quem ornat*
        - *pietas;*
        - *lenitas & humanitas;*
        - *humilitas;*
        - *liberalitas;*
        - *fidei sinceritas.*
      - *mirâ ejusdem humiliatione, cujus indicium est,*
        - αὐτοπροσωπικὴ *ad Christum accessio;*
        - *Christi obsecratio.*
      - *ipsa Centurionis petitione, quæ constat*
        - προσφωνήσει φιλικῇ:
        - διηγήσει ἐκθετικῇ, *ostendit*
          - *quis patiens;*
          - *quid rerum agat;*
          - *ubi decumbat;*
          - *quô morbô laboret.*
    - *deprecatoria, cujus est*
      - ἀφορμὴ *sive occasio;*
      - μορφὴ *sive forma, recusat accessum Christi ob*
        - *sui indignitatem;*
        - *Christi majestatem & sublimitatem.*
  - *Christi sanationem præstantis actio, notabilis est*
    - *Centurionis ob fidem insignem commendatio:*
    - *de gentium vocatione prædictio, exornata* ἀντιθέσει:
    - *sanitatis promissio & collatio.*

- *Exemplô ægroti utriusq; monstrabimus artem rectè*
  - *orandi, in qua requiritur*
    - *objecti notabilitas: Christus.*
    - *vera animi humilitas:*
    - *spei ac fiduciæ firmitas:*
    - *rerum petendarum diversitas:*
    - *obediendi simplicitas.*
  - *crucem ferendi: totum negotium consistit in*
    - *Medici veri ac probati inquisitione:*
    - *benignitatis ac humanitatis Christi agnitione:*
    - *indignitatis nostræ deploratione:*
    - *omnipotentiæ divinæ æstimatione:*
    - *vera fidei declaratione, quam conspicuā reddit & efficit*
      - *dantis auctoritas:*
      - *summa necessitas:*
      - *elogiorum spectabilitas:*
      - *utilitas seu efficacitas; fidei enim adscribitur*
        - *justificatio;*
        - *nostra cum Deo copulatio;*
        - *confusionis coram Deo aversio;*
        - *conscientiæ tranquillatio;*
        - *animæ vivificatio;*
        - *cordis purificatio;*
        - *filialis adoptatio;*
        - *diaboli fugatio;*
        - *bonorum operum patratio;*
        - *Spiritûs Sancti donatio;*
        - *bonorum omnium impetratio;*
        - *ex periculis eluctatio ac liberatio;*
        - *victoria reportatio;*
        - *patientiæ excitatio;*
        - *publica confessio;*
        - *vitæ æt. participatio.*

Matth. 8, 23. 27.

DISPOSITIO I.

Propositio τριμερὴς: Habemus in Evangelio

- *Christi navigationē, vel tempestatis obortæ descriptionem; in qua occurrit*
  - *circumstātiarū adnotatio, ut*
    - *tempus*
    - *locus*
    - *finis*
    - *Doctrina de rei nauticæ adprobatione, quā firmat*
      - *Scripturæ auctoritas;*
      - *exēpli Christi spectabilitas;*
      - *navigationis utilitas.*
  - *comitatûs significatio.*
  - *tēpestatis subitaneæ cōcitatiōe; in cujus descriptiōe*
    - *ponitur particula attentionis:*
    - *additur forma tempestatis;*
    - *amplificatur*
      - *effectu eventu inopinatō, sōno. Dormivit in*
        - *humanitatis veræ demonstrationem;*
        - *mentis securæ manifestationem;*
        - *judicii & fidei discipulorum explorationem;*
        - *orationis ferventioris excitationem;*
        - *nostri informationem;*
        - *somni sanctificationem.*
        - *Dormire in periculis videtur Deus ut*
          - *miseriā nostram consideremus;*
          - *peccata deploremus;*
          - *preces reiteremus;*
          - *ad futura adspiremus;*
          - *fidem exploremus.*
- *Tempestatis cohibitionē; ponitur nobis ante oculos*
  - *discipulorum status, ubi occurrit*
    - *αἴτιον κινητικὸν, idq; subministrat*
      - *discipulorum ad Christum accessio;*
      - *ejusdem à somno exsuscitatio:*
      - *præsentis periculi explicatio.*
    - *τὸ πιθανὸν quadruplex,*
      - *facultatis; κύριος est:*
      - *necessitatis, quia διδάσκαλος & ἐπιστάτης:*
      - *voluntatis; σωτὴρ est:*
      - *imbecillitatis, perimus.*
  - *Christus excitatus: attende*
    - *αἴτιον κύριον:*
    - *αἴτιον ὀργανικὸν, verbum*
      - *ἐπιτιμητικὸν, objurgatorium;*
      - *προστακτικὸν, mandatoriū; notetur*
        - *agendi modus*
          - *objurgando*
            - *μικροψυχίαν;*
            - *ὀλιγοπιστίαν.*
          - *imperando.*
        - *verbi effectus, sive eventus.*
- *Effectus consecutio, qui triplex,*
  - *discipulorum timor:*
  - *hominum stupor:*
  - *gentus de Christo rumor, cujus opera & mirabilia in mari etiam conspiciuntur, qualia sunt*
    - *viæ in mari & per mare præparatio:*
    - *hominum in ligno exiguo conservatio:*
    - *ventorum vehementissimorū concitatio:*
    - *subita tempestatum immutatio:*
    - *certorum & aliorum animantium progeneratio.*

DISPOSITIO II.

Propositio διχοτομής. Agitur enim

- *De extrema discipulorum periclitatione. Notetur:*
  - *Christi in naviculam ingressus;*
  - *Christi comitatus;*
  - *Tempestatis inopinatæ exortus;*
  - *Christi somnus. Patet inde naviculam Christi multùm periclitari, quod æstimare licet ex*
    - *artificii fragilitate;*
    - *aëris intempestate; defensores devoratores;*
    - *navigantium dignitate;*
    - *inevitabili navigii necessitate;*
    - *locorum mutabilitate.*
- *De grata eorundem liberatione: hic consideretur*
  - *liberationis occasio, quam subministrat*
    - *discipulorum periclitatio;*
    - *eorundem trepidatio, quam produnt*
      - *factis,*
        - *Christum accedendo;*
        - *de somno ipsum excitando.*
      - *verbis μικροψυχίαν & ὀλιγοπιστίαν indicantibus.*
  - *ipsa liberatio, h. e. ventorum marisque sedatio, facta*
    - *increpando, discipulos;*
    - *mandando, vel silentium imponendo.*
  - *effectus commemoratio*
    - *in mari & ventis, dicto obtemperantibus;*
    - *in hominibus*
      - *admirantibus;*
      - *Christum prædicantibus.*

DISPOSITIO III.

Thema: de modo rectè in navicula Christi per mare mundi impetuosum navigandi: ubi accuratè attendenda,

- *nostri cum Deo conjunctio;*
- *Christi naucleri dormitatio;*
- *ardens oratio;*
- *fidei vacillantis confirmatio;*
- *rudentum excitatio;*
- *patientiæ recordatio;*
- *commeatûs procuratio;*
- *Christi naucleri glorificatio.*

Matth. 13, 24.30.

DISPOSITIO I.

Parabola Evangelica erudit nos de

- *concionis parabolicæ occasio sive opportunitas:*
- *seminis bonitate; ubi contemplatione digna*
  - *seminantis nobilitas; dicitur homo & filius hominis ad ostendendam*
    - *veram suã humanitatem;*
    - *unionis veritatem;*
    - *in opere redemtionis efficacitatem.*
  - *Agricolæ confertur ob*
    - *despicientiam:*
    - *diligentiam; hanc exerit*
      - *servos conducendo;*
      - *agrum stercorando;*
      - *per agrum incedendo.*
    - *prudentiam quã adhibet*
      - *agri naturam indagando;*
      - *bonum semen spargendo;*
      - *manè & vesperi opus faciendo.*
    - *providentiam, quã declarat*
      - *agrum muniendo.*
      - *irrigando.*
  - *subjecti qualitas: Ager h. e: mundus, in quo Ecclesia, quæ dicitur regnum cælorum, propter*
    - *regiam majestatem:*
    - *collectionis identitatem, per homines:*
    - *bonorum sublimitatem:*
    - *Angelorum societatem:*
    - *pulcritudinem & venustatem:*
    - *collaudationis assiduitatem:*
    - *civium proprietatem, cœlestia sapiunt.*
  - *seminis generositas: filij regni, h.e. fideles, qui*
    - *hic sunt in regno gratiæ, per fidem:*
    - *ibi heredes futuri in regno gloriæ.*
  - *Differi potest de agricultura, quæ vitæ genus est*
    - *pervetustum;*
    - *honestum;*
    - *tranquillum & pacatum;*
    - *maximè necessarium;*
    - *jucundum.*

Y

- *zizaniorū malitia & pravitate: Occurrit*
  - *hominum somnolentia; dormiunt*
    - *concionatores,*
      - *lupum non inclamantes, sed tacentes:*
      - *ad vitia conniventes:*
      - *lectioni non diligenter attendentes:*
      - *officium segniter & perfunctorie facientes.*
    - *auditores*
      - *non orantes;*
      - *nauseam verbi concipientes.*
  - *adversarii vigilantia; cujus notetur*
    - *odium;*
    - *studium;*
    - *materia, h. e. zizaniū Amplif*
      - *circumstantia loci:*
      - *adjuncto discessûs:*
      - *temporis notatione:*
      - *effectu consequente quod*
        - *crescit,*
        - *fert fructum.*
- *colloquii inter Dominum & servos suavitate; cujus partes duae; agitur enim*
  - *unâ, de lolii origine, vel causa efficiente; observanda*
    - *servorum circumspectio;*
    - *lolii detectio;*
    - *de origine ejusdem quaestio;*
    - *patrisfamiliâs responsio.*
  - *alterâ, de lolii eradicatione, vel causa destruente; notanda venit*
    - *secunda servorum quaestio, quâ produnt*
      - *propriam oscitantiam;*
      - *animi impotentiam;*
      - *volunt exstirpari lolium, διὰ τὸ*
        - δίκαιον;
        - συμφέρον;
        - ἀναγκαῖον;
        - ἐκβησόμενον.
    - *responsio dissuasoria habens*
      - *simplicem inficiationem;*
      - *negationis rationem;*
      - *decisionē, quae habet*
        - *permissionem; sinite crescere, in*
          - *gratiam bonorum:*
          - *utilitatem eorum:*
          - *correctionem malorum.*
        - *determinationem, usq; ad messem, cui reservatur*
          - *zizaniorum collectio;*
          - *utriusq; & lolii & tritici separatio;*
          - *lolii combustio:*
          - *tritici in horrea congregatio.*

Parabolice agitur de

- *tritici & zizaniorũ cõmixtione. Parabola notetur*
  - προέτασις, *parabolica concio, exhibens*
    - *seminatorem geminum:*
    - *agrum Dominicum:*
    - *semen purum:*
    - *interspersum lolium.*
  - ἔκθεσις *sive expositio; hanc ingreditur*
    - *coloni industria.*
    - *recta terminorum intelligentia; ubi*
      - *regnum cœlorum est Ecclesia militans:*
      - *seminator*
        - *bonus, Filius hominis:*
        - *malus, diabolus, hostis Dei & hominũ, ob*
          - *naturæ dignitatem, quâ excidit;*
          - *peccati firmitatem, in quo obriguit:*
          - *superbiæ tenacitatem, quâ Deo non cedit;*
          - *regni singularitatem:*
          - *sapientiæ subtilitatem;*
          - *malitiæ nobilitatem;*
          - *supioritatẽ, quã adfectat.*
      - *semen purum, pii homines:*
      - *ager mundus:*
      - *lolium, filij* τοῦ πονηροῦ, *qui sunt in triplici classe,*
        - τῶν ἑτεροδόξων;
        - τῶν ὑποκριτῶν;
        - τῶν ἀσεβῶν.
    - *hostis astutia, quam prodit ille in*
      - *occasionis observatione;*
      - *temporis animadversione;*
      - *mali seminis emissione.*
    - *Hinc doctrina de malorum in Ecclesia cũ bonis permistione, quã pbãt*
      - *Scripturarum testimonia:*
      - *exemplorum suffragia:*
      - *typorum præludia:*
      - *egregia similia:*
      - *causarum momenta:*
    - *permittitur ob*
      - *bonos*
        - *in fide & patientia exercendos:*
        - *humilitati adsuescendos;*
        - *tãdem glorificandos.*
      - *malos*
        - *corrigendos;*
        - ἀναπολογήτους *reddendos;*
        - *pœnarum prorogatione emolliendos.*
- *subsecuta consultatione, in qua occurrit*
  - *utriusq; & lolii & tritici adparentia:*
  - *servorum cum & diligẽtia: Observa*
    - *servorũ* ἀγανάκτησιν;
    - *veræ causæ* ἔνδειξιν;
    - βούλευσιν καὶ βούλησιν;
    - ἐπίκρισιν.
  - *finalis patrisfamiliâs de lolio sententia; cui inserviunt duo*
    - *propositio, de* ζιζανιοφορίᾳ: *hæretici ergo nõ tollendi, suadet hoc*
      - *Christi imitatio;*
      - *fallax hominum dijudicatio;*
      - *certa in futuro judicio separatio.*

Δ

- *confirmatio ab effectu vel fortuna utriusque, & describitur secundum causas: ostenditur enim*
  - *causa efficiens principalis;*
  - *causa instrumentalis:*
  - *causa materialis comprehendens*
    - *bonos, qui tritico cō feruntur, ratione*
      - *adcretionis;*
      - *dilectionis;*
      - *triturationis;*
      - *mundationis;*
      - *assimilationis;*
      - *conformationis;*
      - *repositionis.*
    - *malos, lolio similes, ob*
      - *floris amœnitatem;*
      - *damnositatem;*
      - *levitatem;*
      - *inutilitatem;*
      - *vilitatem.*
  - *causa formalis & finalis, ubi*
    - *lolio adjudicatur*
      - *resectio;*
      - *segregatio;*
      - *colligatio in fasciculos;*
      - *combustio.*
    - *tritico adsignatur*
      - *adservatio;*
      - *in horreum Domini comportatio.*

DISPOSITIO III.

- *Thema: Quid spectare debeat is, qui instar tritici in horreum Domini congregari exoptat? nimirùm*
  - *seminantis benignitatem;*
  - *agri bonitatem & fertilitatem;*
  - *seminis generositatem;*
  - *patiendi longanimitatem;*
  - *crescendi facilitatem;*
  - *ministrorum sedulitatem;*
  - *messis hilaritatem, in qua continetur doctrina*
    - *de cruciatu & supplicio impiorum æt. quod augebit*
      - *ignis inferni inexstingvibilis:*
      - *caligo horribilis;*
      - *cohabitatio dæmonum terribilis:*
      - *sitis indelebilis:*
      - *spes misericordiæ inanis & fallibilis:*
      - *inquietudo incessabilis.*
    - *de æt. piorum gaudio, quod horreo confertur, ratione*
      - *puritatis;*
      - *securitatis;*
      - *voluptatis & jucunditatis;*
      - *liberalitatis & satietatis.*

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ,

Matth. 20, 1.16.

DISPOSITIO I.

Habemus in hoc Evangelio tria:

- *Vineæ descriptionem: Huc spectat*
  - *πρότασις sive propositio, verſ.1.*
  - *ἐξήγησις, parabolæ expoſitio: ubi notandum, quòd*
    - *regnum cælorum ſit Eccleſia: paterfamiliâs Deus ipſe: vinea Eccleſia, cui confertur ob*
      - *Scripturæ evidentiam;*
      - *typorum elegantiam;*
      - *vinearum in Palæſtina frequentiam;*
      - *mutuam utriusq; convenientiam, in*
        - *nobilitatis æſtimatione;*
        - *firma cohæſione;*
        - *aliena fructificatione;*
        - *culturæ continuatione;*
        - *cautæ amputatione;*
        - *ſuſtentatione;*
        - *Solis colluſtratione.*
    - *vitis optima Jeſus Chriſtus.*
    - *vineæ cultum fiat à patrefamiliâs*
      - *excundo;*
      - *operarios conducendo;*
      - *in vineã illos mittẽdo;*
      - *mercedem promittendo.*
    - *beneficia in vineam collata ſunt*
      - *plantatio;*
      - *munitio;*
      - *torcularis effoſſio;*
      - *turris exædificatio;*
      - *vineæ*
        - *elocatio,*
        - *viſitatio.*
- *Operariorum in vineam ſive vocationẽ, ſive conductionẽ, per conductionem quintuplicem:* β
  - *primus egreſſus deſcribitur per*
    - *cauſam efficientem vel autorẽ, qui dicitur homo paterfamiliâs; & vocatur*
      - *homo propter*
        - *Dei φιλανθρωπίαν;*
        - *Filii ἐνσάρκωσιν;*
        - *hominis ad imaginem Dei ποίησιν;*
        - *noſtri παράκλησιν;*
      - *pater ob*
        - *dilectionem;*
        - *creationem;*
        - *ſuſtentationem, conſervationem,*
        - *gubernationem & beneficiorum collationem;*
        - *hereditatis æt. oblationem.*
    - *temporis circumſtantiam:*
    - *cauſam finalem ſeu conductionẽ: modus conducẽdi conſiſtit in*
      - *ſanctorum prædicatione;*
      - *beneficiorum elargitione;*
      - *interna inſpiratione;*
      - *peccatorum correctione.*
    - *cauſam formalem:*
    - *effectum.*

α

Mercedis perfolutionem, ubi notetur

secundus egressus describitur à temporis circumstantia; situ & loco; (simili; forma conductionis dis- effectu vel consequente.

tertius & 4tq itidē à temporis circūstantia: effectu.

quintus suā habet delineatiōē à tempore; (conditione; operariorum positu vel forma conductionis indeterminata.

Operarii sciant vocationi esse obtemperādum: laborandum: non superbiendum: Dei promissioni fidendum: de misero statu cogitandū, quod fiet superbiæ medicamentum: gratitudinis incitamentum: peccati avocamētū.

mercedis distributio, facta primorū operariorum conquestio: attende vesperi; mandatô Domini; per ἐπίτροπον; ordine inversô; effectu.

προότασιν ab effectu; κατασκευὴν à proportione. Doctrina de mercede corporali, quam dat salutē corporis subministrādo; adversam valetudinem sublevando; opes &c. conferendo; αὐτάρκειαν inspirando; favorem conciliando: Angelorum præsidiô muniēdo: vitam prolongando.

apologetica patrisfamiliâs responsio, habens πρότασιν ἢ ἀπόφασιν simplicem. confirmationem à pacto; adjuncta libera voluntate; bono; Amplif. ἀντικατηγορία.

spirituali, quæ est renovationis, sanctificationis, illuminationis in fide; confortationis; adplicationis; consolationis; retributionis.

epiphonematica cōclusio, de multis vocatis & paucis electis. Electionis sunt signa, vocatio, ut sis in vinea; fidei inflammatio: boni operatio. Secundum alios ita vocationis necessitas; operationis adsiduitas; vera humilitas.

impedimenta: gratiam perdunt murmurantes laboribus fidendo: patrifamiliâs sese opponendo: reliquis invidendo.

In Evangelio deprehenditur Operariorum in vineam missio; ubi quaedam sunt

- παραβολικά
  - persona contrahentes;
    - paterfamiliâs, quem commendat
      - œconomica vigilantia, quâ declarat
        - summò manè exeundo;
        - operarios inquirendo & conducendo.
      - justitia aequitatisq́; observantia.
    - operarii, quorum occurrit
      - misera conditio;
      - lacrymosa conquestio;
      - prompta vocationis susceptio.
  - contractus, consistit in
    - laboris impositione;
    - mercedis promissione.
- ἐξηγητικά, quae sic habent:
  - regnum cœlorum est Ecclesia;
  - occasionem praebuit Petrina de premiis quaestio;
  - paterfamiliâs est ipse Jehovah; ita dicitur ratione
    - amplae possessionis;
    - accuratae in domo dispositionis;
    - paternae adfectionis;
    - providae circumspectionis
    - largae domesticorum nutritionis;
    - debitae subjectionis & venerationis.
  - Vitis est Filius Dei, qui viti confertur, non infrugifera, sed
    - odorifera;
    - fructifera;
    - propter
      - fœcunditatem;
      - durationis longaevitatē;
      - fructûs suavitatem;
      - adcretionis sublimitatē;
      - vini salubritatem;
      - debilitatem;
      - loci caliditatem;
      - foliorum proprietatem.
  - Operarii sunt omnium ordinum Christiani, qui considerantur in statu
    - corruptionis;
    - vocationis;
    - operationis;
    - remunerationis.
  - Horae distinctae sunt continua Ecclesiae collectio.
  - Vocantur homines à Deo in vineam partim
    - ἀυτοπροσώπως καὶ ἀμέσως;
    - ὀργανικῶς καὶ ἐμμέσως.
  - Operarii sunt
    - primarii;
    - secundarii.
  - Paternam Deus erga homines adfectionē declarat
    - vineam plantando;
    - per verbum ad Ecclesiam nos vocando;
    - premium laboris constituendo.
  - Ecclesia cum vinea convenit in
    - nobilitate; pretiositate;
    - plantationis necessitate;
    - deformitate;
    - ligni inutilitate;
    - palmitum duplicitate;
    - laboris varietate & perpetuitate;
    - pressurae gravitate;
    - fructûs jucunditate;
    - palorum firmitate.

- Justa mercedis solutio. Attende
  - æquitatis & justitiæ observationem: in textu notetur,
    - temporis ratio;
    - personarum intimatio;
      - mandans;
      - dans vel distribuens;
      - accipiens.
    - ordinis præscriptio;
    - falsa imaginatio:
  - Operariorum primi ordinis ob murmurationem.
  - Murmuris reprehensionem, factiq; defensionem
    - à forma pacti;
    - à jure dominij;
    - à reprehensione vitij
      - injustitiæ;
      - immodestiæ;
      - invidiæ.
  - Concionis parabolicæ declamationem:
    - Curator est Christus:
    - Operarij sunt duplices
      - mercedem solam respicientes;
      - gratiæ vocantis & promittentis confidentes.
    - Denarius notat dona Dei gratuita, in hac vita collata.
    - Judæi gentibus invidebant gratiam Dei.
    - Γνωρίσματα hominis electi sunt
      - vocationis firmitas ex
        - Baptismi susceptione;
        - verbi auscultatione & meditatione;
        - fidei in Christo cohæsione.
      - laboris assiduitas, laborem dico
        - actionis virtuosæ;
        - pœnitentiæ;
        - patientiæ.
      - vera humilitas.
    - In numero electorum ut simus, operam demus,
      - vocationi obtemperando;
      - nihil quidquam procrastinando;
      - ante vesperam laborando;
      - pœnitentiam seriam agendo;
      - humilitati operam dando;
      - proximo non invidendo;
      - fideliter omnia curando;
      - in labore non superbiendo;
      - Dei promissioni fidendo;
      - in bono ad finem usq; perseverando.

De indefesso studio cumq; vigili in vinea Ecclesiasticaecultura, quam manifestat Deus

- *ad operarios quinquies exeundo: Fruimur hoc beneficiô*
  - *in misericordia divinae perceptione:*
  - *in Filii ad nos missione:*
  - *in verbi concione.*
- *Operarios in vineam vocando & conducendo. Vinea confertur Ecclesia propter*
  - *Domini certitudinem;*
  - *ejusdem solicitudinem;*
  - *laboris magnitudinem;*
  - *amplitudinem;*
  - *vitium tùm multitudinem, tùm dissimilitudinem;*
  - *amœnam pulcritudinem;*
  - *odoris & fructûs plenitudinem.*
- *Mercedem operariis destinando & distribuendo.*
- *Verum de Ecclesia doctrinam tradendo; de qua notetur*
  - *verae Ecclesiae vera definitio; quod regnum cœlorum;*
  - *recta fundatoris fundamentiq; cognitio;*
  - *antiquitatis praescriptio;*
  - *operariorum vocatio;*
  - *loci determinatio:*
  - *operariorum distinctio:*
  - *denarii distributio.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Luc. 8, 4. 15.

DISPOSITIO I.

Continentur in Evangelio tria:

- *protasis seu parabolica Christi concio, in qua est*
  - *concionis præsentis occasio, ubi causa concionandi ratio;*
    - *προκαταρκτικὴ concursus, additur* { *locus; modus.*
    - *προηγουμένη ex scopo patet.*
  - *parabolæ commemoratio, continens*
    - *causam efficientem; causam finalem; causam materialem; eventum dissimilem: semen cadit in terram*
      - *callosam, ubi* { *pedibus conculcatur; volucribus cæli devoratur.*
      - *lapidosam, ubi* { *evanescitur; exaruit.*
      - *spinosam, cujus* { *effectus consequens suffocatio; causa efficiens, spinæ.*
      - *bonam & fructuosam, cujus* { *effectus bonus; adjunctum, ubertas. Matt. 13, 8.*
  - *Epiphonematica parabolæ conclusio, προσοχῆ inserviens, & de officio concionatorum erudiens, quod consistit in* { *exeundo, sint vocati; simpliciter docendo; omnibus se accomodando.*
- *ζήτησις sive de sensu parabolæ quæstio, ubi*
  - *laudabile discipulorum studium;*
  - *memorabile Christi responsum, quod complectitur*
    - *egregiam discipulorum commendationem:*
    - *contrariam contemtorum redargutionem.*
    - *Amplif. ἀποδεικτικῶς, à testimonio Es. 6, 9. quod monet, ut audiamus verbum*
      - *attentè & diligenter; assiduè & frequenter; hoc requirit* { *Scripturæ majestas; intellectûs cæcitas.*
      - *devotè & ardenter;*
      - *submissè ac reverenter;*
      - *piè & obedienter.*
- *ἀπόδοσις, luculenda parabolæ expositio:*
  - *Seminator est Deus: illustratur causa* { *efficiente; finali.*
  - *ἄκαρπος, qui vel*
    - *ἀσύνετος, securorum & Epicuræorum:*
    - *πρόσκαιρος, apostatarum & ecebolorum.*
    - *φιλήδονος καὶ φιλάργυρος hypocritarum, filiorum hujus seculi.*
  - *πολύκαρπος verorum Christianorum; quorum est*
    - *ἀκούειν; συνιέναι; παραδέχεσθαι; κατέχειν καὶ φυλάττειν; καρποφορεῖν. Insinuatur doctrina de verbi auditu, quod*
      - *audiendum attentè; suscipiendum devotè; conservandum solicitè; demonstrandum fructuosè. Moveat pios* { *seminantis autoritas; seminis efficacitas; summa necessitas.*

Propositio διηγήσεως; agitur enim

- *de parabolae ἀφηγήσει seu commemoratione, quã ingreditur*
  - *turba multa adpropinquatio; aderant*
    - *novitatis studiosi;*
    - *otiosi;*
    - *vertiginosi;*
    - *malitiosi;*
    - *curiosi;*
    - *circa pietatem negotiosi.*
  - *Christi de variis auditorum generibus concio: ex loco similium, comparantur auditores agro*
    - *pervio & trito;*
    - *lapidibus obsito & referto;*
    - *spinis denso & operto;*
    - *fertili frugibusq; ferendis idoneo.*
  - *παθητικὴ καὶ παρεξωτικὴ exclamatio.*
  - *Effectûs consecutio in*
    - *populo;*
    - *discipulis.*
  - *Apostolorum de intellectu parabolae percontatio constans*
    - *ζητήσει ἢ αἰτήσει;*
    - *ἀποκρίσει. Monentur*
      - *concionatores, ut officium faciãt*
        - *diligenter;*
        - *simpliciter;*
        - *ferventer;*
        - *patienter.*
      - *auditores, ut ad cõciones veniant*
        - *propensanter;*
        - *concorditer;*
        - *ardenter;*
        - *utiliter;*
        - *constanter.*
- *de parabolae ἐξηγήσει vel interpretatione genuina, duobus membris inclusa:*
  - *prius spectat seminis nobilitatem: semen est verbum, ratione*
    - *vilioris aestimationis;*
    - *interioris virtutis & fructificationis;*
    - *exterioris seminationis;*
    - *superioris benedictionis.*
  - *posterius considerat agri multiplicitatẽ, in quo terra est*
    - *callosa sunt securi & incogitantes; his obstat*
      - *mundana securitas;*
      - *satanae perversitas. Impedit ille fructificationẽ*
        - *alienas cogitationes suggerendo;*
        - *memoriae imbecillitatem praetendendo;*
        - *somnum oculis injiciẽdo.*
      - *cordiũ levitas.*
    - *petrosa sunt duri & inconstantes, qui verbum*
      - *audiunt;*
      - *suscipiunt, sed*
      - *deficiunt.*
    - *spinosa sunt avari & voluptates carnis sectantes; conferuntur spinis, quae*
      - *latè se diffundunt;*
      - *semen impediunt;*
      - *vulnerant & sauciant;*
      - *flore superbiunt;*
      - *fructum amarum ferunt;*
      - *serpentes fovent;*
      - *adprehensa tenent;*
      - *solem avertunt;*
      - *in sepibus evanescunt.*
    - *fructuosa sunt boni & fructificãtes, q. verae Ecclesiae membra, & verbum*
      - *audiunt;*
      - *intelligunt;*
      - *suscipiunt;*
      - *custodiunt;*
      - *fructum ferunt.*

Propositio μονομερὴς, *qui hominum verbum habentes & audientes non salventur & qui salventur:*

- *non salvantur,*
  - ἀσύνετοι, *imprudentes: huc pertinent*
    - *odiosi verbi contemtores;*
    - *desidiosi auditores;*
    - *obliviosi observatores;*
    - *otiosi factores.*
  - πρόσκαιροι, *temporarii, duri, incorrigibiles & inconstantes.*
  - φιλήδονοι καὶ φιλάργυροι, *voluptarii & intemperantes: ponderentur causae, ad rectam audiendi rationem impellentes; nim.*
    - *majorum alacritas.*
    - *seminantis authoritas; spargit semen.*
      - *immediatè;*
      - *mediatè.*
    - *seminis pretiositas; est enim*
      - *purum;*
      - *vivum;*
      - *aeternum.*
    - *nostra necessitas, quae est*
      - *tentationis;*
      - *tribulationis;*
      - *infirmitatis.*
- *salvantur, qui habent*
  - *aures patulas ad audiendum, animo*
    - *non calumniandi;*
    - *non illudendi;*
    - *sed discendi.*
  - *linguam paratam ad interrogandum:*
  - *cor bonum ad fructificandum, requiritur cor*
    - *alacre ad suscipiendum;*
    - *firmum ad retinendum;*
    - *fertile ad fructum producendum;*
    - *forte ad perdurandum.*

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ,

Luc. 18, 1. 43.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita, pro ratione triplicium personarum: habemus enim in Evangelio

- *Christum de passione sua præmonentē: observetur*
  - *temporis notatio;*
  - *auditorū mentio;*
  - *ipsa concio παθολογική, observetur*
    - *attentionis particula, ecce!*
    - *circumstantiæ concionis;*
      - *ubi passurus;*
      - *quis passurus;*
      - *cur passurus;*
      - *quid passurus;*
      - *ubi duo actûs,*
        - *passionis*
          - *tradetur;*
          - *illudetur;*
          - *cōtumeliâ adficietur;*
          - *conspuetur;*
          - *flagellis cædetur;*
          - *occidetur.*
        - *resurrectionis.*
  - *seria ad meditationem passionis exhortatio; fiat ob*
    - *scripturæ veritatem & auctoritatem; loquitur de passione Christi*
      - *tectè;*
      - *apertè.*
    - *consolationis efficacitatem;*
      - *peccati agnitionem;*
      - *miserationis divinæ æstimationem; Joh. 3, 16.*
    - *intermissionis incommoditatem;*
      - *fructuosam passionis usurpationem;*
    - *exemplorum pluralitatem;*
    - *summam utilitatem: facit ad*
      - *meritorum Christi per fidem adplicationem;*
      - *sedulam imitationem;*
      - *vivificam consolationem;*
      - *sempiternam gratiarum actionem.*
- *Discipulos in rebus divinis cæcutientes; causam aliqui proferunt quadruplicem:*
  - *naturalem in divinis stupiditatem & occæcationem:*
  - *præconceptam opinionem:*
  - *humanam rationem:*
  - *falsam imaginationem.*
- *Cæcum beneficiò Christi visum recipiētem: hic occurrit*
  - *loci circumstantia:*
  - *personæ indigentia, descripta à*
    - *privantibus, fuit cæcus;*
    - *adjuncto paupertatis;*
    - *situ & loco;*
    - *bonis animi, fiducia firma, cujus notetur*
      - *causa organica, auditus*
        - *externus;*
        - *internus.*
      - *fidei effectus in invocatione.*
    - *effectu constantia vel perseverantiæ.*
  - *Medici clementia, describitur ab*
    - *adjūctis gestib & dictis Christi:*
      - *substitit Jesus;*
      - *jussit eum adduci;*
    - *miraculi forma; causa impulsiva fide;*
      - *fidē cæci exploravit, ubi consideretur*
        - *Christi q̃stio, p̄posita ut*
          - *omnē calumniā declinet:*
          - *fidem magis inflammet:*
          - *miseriā hõinis māifestet.*
        - *cæci responsio.*
    - *eventu consequente, in*
      - *cæco*
        - *visum recipiente;*
        - *Christum subsequente;*
        - *Deum glorificante.*
      - *populo, laudes Dei dicente.*

- **Evangeliũ considerandam proponit**
  - *Christi παθολογίαν, quam ingreditur*
    - *discipulorum adsumtio;*
      - *generalis, insinuat*
        - *patiendi promtitudinem;*
        - *Apostolorum turpitudinem;*
        - *concionis hujus necessitudinem, ut*
          - *discipulos præmuniret;*
          - *falsâ psuasione liberaret;*
          - *fidem confirmaret.*
    - *παθολογικὴ Christi concio;*
      - *specialis, per actus certos, quales*
        - *Filii hominis in manus gentium traditio:*
        - *contumeliosa illius illusio:*
        - *turpissima rejectio:*
        - *petulans consputio;*
        - *ignominiosa flagellatio:*
        - *violenta occisio:*
        - *gloriosa resurrectio. Concionis hujus repetitio crebra est*
          - *divinitatis argumentum:*
          - *Scripturæ complementū:*
          - *passionis voluntariæ documentum:*
          - *scandali impedimentum:*
          - *pietatis incitamentum.*
    - *Effectûs consecutio. Notetur doctrina de Christi passione, quòd sit passio*
      - *ponderosa & memorabilis;*
      - *officiosa vel voluntaria;*
      - *onerosa & miserabilis;*
      - *fructuosa & conducibilis;*
      - *gloriosa & honorabilis.*
      - *Causa passionis sunt,*
        - *peccatorum squalor;*
        - *iræ divinæ rigor;*
        - *Dei & Christi amor;*
        - *decreti divini vigor.*
        - *Patrē voluisse liquet ex*
          - *primi Evāgelii cōciōe;*
          - *Isaaci immolatione;*
          - *Agni paschalis immolatione;*
          - *sacrificiorū oblatione;*
          - *Prophetarum prænunciatione;*
          - *Christi adseveratione.*
  - *Christi θαυματουργίαν, in qua tres persona:*
    - *cæcus, in quo est*
      - *defectus corporis*
        - *cæcitas;*
        - *paupertas;*
        - *mēdicitas.*
      - *animæ profectus, manifestus ex*
        - *diligenti percontatione;*
        - *humili ac devota oratione; mōstrat illa*
          - *objectum descriptum ab*
            - *officii sublimitate;*
            - *personæ dignitate.*
          - *petitum, petit*
            - *nō eleemosynā, sed misericordiam, videndi copiam. Modus orandi est in*
              - *fidei sinceritate;*
              - *verborum brevitate;*
              - *repetitionis crebritate.*
        - *felici tentationum exsuperatione.*
    - *populus*
      - *cæcum præteriens;*
      - *cæcum objurgans;*
      - *tacere jubens.*

Θ

Christus Medicus opem ferens; ubi
- *statio;*
- *vocatio;*
- *interrogatio;*
- *curatio;*
- *operatio. Modus sonandi peccatores,*
  - *strepitum (verbi) attendendo;*
  - *occasionem monstratam amplexando;*
  - *Christum inclamando;*
  - *pallium (peccatorum) abjiciendo;*
  - *Christum glorificando.*

DISPOSITIO III.

Thema: De causis ab insano bacchantium festo avocantibus; harum verò est
- *Apostolorum adsumtio: separamur & nos per*
  - *Baptismum;*
  - *pœnitentiam;*
  - *electionis gratiam.*
- *Christi in Hierosol. adscensio; sursum corda:* τὐνὰ πρα κᾳλλω.
- *Passionis Dominicæ consideratio: patitur Christus*
  - *ab omnibus;*
  - *pro omnibus;*
  - *in omnibus.*
- *Resurrectionis Christi meditatio;*
- *Mendicitatis & cæcitatis nostræ recordatio;*
- *Paupertatis nostræ contemplatio;*
- *Precum exercitatio;*
- *Proximi commiseratio;*
- *Debita compensatio;*
- *Vera gratiarum actio.*

DOMINICA INVOCAVIT,

Matth. 4, 1. 11.

DISPOSITIO I.

Evangelium continet inter Christum & satanam tentationis conflictus tres:

- *τῆς μικροψυχίας, diffidentiæ, ubi occurrit tentationis*
  - *præparatio, indicatur*
    - *tempus;*
    - *impulsus;*
    - *locus;*
    - *finis, πειρασθῆναι;*
    - *status, in tentatione.*
  - *executio, quoad*
    - *occasionem:*
    - *ipsam tentationem, in qua est*
      - *causa efficiens, ὁ πειράζων.*
      - *forma, in qua*
        - *ἔνστασις, cujus*
          - *propositio;*
          - *ratio, à*
            - *proprio Dei attributo;*
            - *negatione effectûs.*
        - *ἀντίστασις habet*
          - *simplicem inficiationem:*
          - *distinctionem inter*
            - *velle & posse:*
            - *ordinarium & extraordinarium.*
          - *limitationem.*
- *τῆς μεγαλοψυχίας, confidentiæ, in qua*
  - *circumstantiarum consideratio, ceu sunt*
    - *tempus;*
    - *antecedens, subduxit eum;*
    - *locus.*
  - *ipsa tentatio, quæ habet*
    - *diaboli ἔνστασιν, illationem ab*
      - *utili,*
      - *facili vel tuto;*
      - *majori.*
    - *Christi ἀντίστασιν depulsionem ex alio Scripturæ loco, κατ' ἀντιπαραφοράν: tentatur enim Deus per*
      - *mediorum ordinariorum neglectionem;*
      - *incredulam petitionem;*
      - *vocationis transgressionem & desertionem;*
      - *fidei derogationem;*
      - *præsumtionem;*
      - *certi temporis determinationem;*
      - *dubitationem;*
      - *captiosam interrogationem.*
- *τῆς ἀποστασίας, πλεονεξίας καὶ εἰδωλολατρείας, ubi observetur*
  - *locus;*
  - *modus, in*
    - *omnium mundi regnorum ostensione:*
    - *iniquissima & impudentissima postulatione;*
    - *constantissima Christi depulsione, per*
      - *ἐπίπληξιν,*
      - *αἰτιολογίαν.*
  - *eventus, quia*
    - *diabolus eum omittit:*
    - *Angeli accedunt, &*
    - *ministrant ei.*

- *Propositio bipartita*:
  - *de Christi in desertum subductione, quam ingreditur*:
    - *temporis notatio;*
    - *loci denominatio;*
    - *tentatoris descriptio;*
    - *finis adsignatio;*
    - *misera Christi conditio, quâ*:
      - *in potestatem satanæ venit;*
      - *post 40 dierum jejuniū esuriit, in*:
        - *transgressionis expiationem:*
        - *doctrinæ confirmationem:*
        - *nostri institutionem, de vero jejunio, & consistit in*:
          - *peccatorum abstinentia;*
          - *victûs temperantia;*
          - *crucis tolerantia;*
          - *precum vigilantia;*
          - *seria pœnitentia.*
  - *de triplici ejusdem tentatione, quarum*:
    - *prima est pusillanimitatis & diffidentiæ, cujus notetur*:
      - *objectio diaboli:*
      - *ratio ab*:
        - *effectu;*
        - *Dei proprio negato;*
      - *Christi solutio, facta*:
        - *ἀρνήσει, negatione;*
        - *διακρίσει, distinctione;*
        - *ἀντιπαραθέσει.*
    - *secunda est temeritatis & confidentiæ; observetur autem*:
      - *diaboli objectio;*
      - *ratio, à promissione divina;*
      - *Christi responsio.*
      - *Tentari voluit Christus*:
        - *in veræ humanitatis argumentum;*
        - *in pœnæ debitæ expiamentum;*
        - *ad confundendum satanæ molimentū;*
        - *in praxeως Theologicæ experimentum;*
        - *in salutare regeneratorum documentū;*
        - *in tentatorum solatium & adjumentū.*
    - *tertia est cupiditatis, profanitatis, potētiæ & idololatriæ; consideretur*:
      - *impudens satanæ postulatum:*
      - *suasionis argumentum:*
      - *Christi responsum, factum*:
        - *durâ increpatiōe;*
        - *abigitur satan per verbi productione.*:
          - *vitam sanctā & sobriam:*
          - *Scripturam:*
          - *precum armaturam:*
          - *patientiam & vigilantiam:*
          - *despicientiam.*

Thema: de arte recte contra satanam pro βραβείῳ cœlesti pugnandi: in qua requiritur,

- *ordinaria & legitima vocatio.*
- *justa & recta præparatio. Christus adhibuit in præparatione*
  - *Baptismum; orationem; jejunium, non*
    - *Leviticum;*
    - *Pharisaico hypocriticum;*
    - *miraculosum: sed*
    - *necessarium;*
    - *voluntarium, crucis;*
    - *perpetuum.*
  - *verbum; præparatio itaq; constat*
    - *Baptismi recordatione;*
    - *piâ oratione;*
    - *jejunii observatione;*
    - *verbi adprehensione.*
- *telorum satanicorum confractio. Pugnat ille telô*
  - *nutritionis, quod avertitur per*
    - *firmam in Dei providentia fiduciam.*
    - *patientiam & αὐτάρκειαν.*
  - *religionis, hoc excutitur*
    - *constanti in viis vocationis statione;*
    - *Scripturæ oppositione.*
  - *dominationis.*

DOMINICA REMINISCERE,

Matth. 15, 21. 29.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita, secundum triplicem congressum:

- *Congressus primus, in quo est*
  - τοπογραφία *ostendens terminum*
    - *à quo;*
    - *ad quem.*
  - χρονογραφία, *temporis denotatio, post colloquium de traditionibus.*
  - προσωπογραφία, *personæ depictio, ubi notetur*
    - *particula* προσεκτική:
    - *sexus:*
    - *genus:*
    - *studium mulieris.*
  - ἀψιμαχία *sive velitatio prima, continens*
    - *mulieris adflictæ orationem, cujus est*
      - *Exordium,* παθητικόν:
      - *Propositio; miserere mei:*
      - *Narratio; filia* δαιμονίζεται.
      - *Confirmatio à*
        - *divina potentia; Dominus est;*
        - *officii eminentia; filius David;*
        - *crucis vehementia; filia est.*
    - *triplicem precationis effectum vel operationem; est enim*
      - *in Christo, simplex recusatio, adjuncto taciturnitatis significata:*
      - *in discipulis, diligens pro adflicta intercessio:*
      - *in Christo, dura ad intercessionem responsio.*
- *Congressus secundus, in quo habetur*
  - *mulieris* ἔνστασις, *instantia, constans*
    - *gestu, propius accedit:*
    - *rogatu.*
  - *Christi* ἀπόφασις ἢ ἀπόκρισις, *priori longe, uti videtur, durior, opponens mulieri electionem; cujus notentur*
    - *causæ*
      - *universalis gratiæ & misericordiæ promissio;*
      - *salutaris meriti Christi universalis adplicatio:*
      - *universalis mediorum oblatio.*
    - *signa*
      - *interna,*
        - *Spiritûs Sancti inhabitatio;*
        - *fidei inflammatio & testificatio;*
        - *veri Nominis divini invocatio;*
        - *sanctitatis studium & operatio.*
      - *externa,*
        - *verbi auditus;*
        - *Sacramentorum usus;*
        - *crucis insultus.*
- *Congressus tertius, in quo datur*
  - *mulieris replicatio, respondendo*
    - κατὰ συγχώρησιν;
    - κατὰ τὸ βίαιον: *Tentationem indignitatis superamus*
      - *culpam & indignitatem agnoscendo, h. e. pœnitentiam agendo;*
      - *humiliando;*
      - *gratiam Domini obvertendo;*
      - *fiduciam in Deum obfirmando.*
  - *Christi responsio, habens*
    - *insigne fidei encomium:*
    - *liberationis*
      - *modum &*
      - *effectum.*

Propositio est bipartita & complectitur

- *Mulierē Chananæā auxilium implorātē: Observetur*
  - *mulieris ad Christum accessio, quam ingreditur*
    - *temporis notatio;*
    - *loci determinatio;*
    - *personæ supplicantis descriptio; fuit*
      - *Chananæa;*
      - *Græca;*
      - *Syrophœnissa.*
  - *mulieris supplicatio, in qua auditur vox*
    - *miseriæ:*
      - *propositio:*
      - *narratio, insinuans*
        - *matris adfectum;*
        - *filiæ morbum.*
      - *confirmatio à*
        - *sua gnatæq; miseria:*
        - *divina Christi clementia & potentia:*
        - *satanæ malitia:*
        - *filiæ angustia.*
    - *fiduciæ, in qua*
      - *supplicationis operatio: Tacet. causæ probabiles fuerunt*
        - *ansæ calumniandi apud Judd. amputatio:*
        - *misericordiæ in Apostolis revelatio:*
        - *patientiæ, fidei &c. probatio:*
        - *desiderii majoris inflammatio:*
        - *beneficii conferendi commendatio:*
        - *mulieris ad gratiarum actionē provocatio:*
        - *gentium informatio.*
      - *mulieris hūiliatio:*
      - *brevior ejusdem oratio.*
    - *patientiæ & constantiæ, victoriam reportans. De modo exsuperandi fidei probationes, quod fit*
      - *tacendo;*
      - *orando & instando;*
      - *promissionibus universalibus innitendo;*
      - *indignitatem confitendo;*
      - *invertendo seu promissionem obvertendo.*
- *Christū distinctè respondentē. Est a. responsum triplex:*
  - *primum videtur durum & odiosum habens*
    - *missionis determinationem;*
    - *necessariam instructionem.*
  - *secundum mirum & contumeliosum. Comparatio de canibus sumitur in partem*
    - *malam, ob*
      - *contemtum & vilitatem;*
      - *impuritatem;*
      - *idololatriæ fœditatem;*
      - *indignitatem;*
      - *rabiem & crudelitatem;*
      - *instabilitatem.*
    - *bonam, propter*
      - *patientiam & humilitatem;*
      - *sagacitatem;*
      - *ingentem erga catulos caritatem;*
      - *doloris ob ademtos catulos acerbitatē;*
      - *dominorum erga canes benignitatē;*
      - *clementiam & lenitatem;*
      - *cibi aviditatem.*
  - *tertium gratum & victoriosum, continens*
    - *magnificam fidei prædicationem:*
    - *optatam filiæ liberationem.*

Thema de modo in schola fidei cum Deo vel Christo congrediendi. Observetur tria:

- *Ingressus: initium luctæ sistit personas dimicantes: ubi adest*
  - *Christus*
    - *secessionem faciens;*
    - *ad gentium fines deveniens.*
  - *Mulier adflictionem molem sentiens.*
- *Progressus, ipsam velitationem ob oculos ponens, in 4. actûs distinctã:*
  - *primô conflictu inter se dimicant,*
    - *supplicantis calamitas*
      - *corporalis:*
      - *spiritualis.*
    - *Christi taciturnitas.*
  - *secundô conflictu invicem pugnant*
    - *discipulorũ intercedentiũ caritas;*
    - *Christi austeritas.*
    - *Disce autem*
      - *proximo condolere;*
      - *sanctorum intercessionibus diffidere:*
      - *tentationẽ de particularitate vincere,*
        - *tacendo;*
        - *verbum adprehendẽdo;*
        - *ordinem observando.*
  - *tertiô cõflictu inter se prælia miscent,*
    - *supplicantis humilitas;*
    - *personæ indignitas. Nota*
    - *virtutes orationis vera; qualis*
      - *humiliatio.*
      - *ingenua confessio;*
      - *constãs exspectatio.*
  - *quartô conflictu concurrunt*
    - *fidei sinceritas; cujus est*
      - *indignitatis confessio;*
      - *argumenti inversio.*
    - *Domini benignitas, quâ precibus annuit.*
- *Egressus vel finis certaminis bonus. Christus dat manûs victas*
  - *fidem mulieris publicè commendando;*
  - *filiam miraculosè sanando.*

DOMINICA OCULI,
Luc. 11, 14. 28.
DISPOSITIO I.

Propositio τριμερής sive tripartita:

- *De obsessi hominis à satana liberatione, ubi fit mentio*
  - *diaboli, obsidentis hominem:*
  - *hominis obsessi;*
  - *Christi sanantis & satanam expellentis.*
  - *Speculum habes*
    - *humanæ miseriæ;*
    - *diabolicæ tùm malitiæ, tùm potentiæ;*
    - *consolationis efficacissimæ.*
- *De judiciorum variorum commemoratione: dantur classes 4:*
  - *Pharisæorum calumniantium;*
  - *turbæ, Christi potentiam agnoscentis;*
  - *aliorum, factum hoc extenuantium;*
  - *mulieris; cujus notetur tùm*
    - *ἐκφώνησις;*
    - *ἐπανόρθωσις, à Christo addita.*
- *De apologetica miraculi defensione; ubi habetur oratio*
  - *ἀπολογητική, ubi occurrit*
    - *depulsionis propositio;*
    - *confirmatio petita ab*
      - *absurdo, vers. 17. 18.*
      - *exemplo filiorum populi Israëlitici;*
      - *contrario, digito Dei ejicio;*
      - *effectu, regno Messiæ proprio;*
      - *simili, h.e. forti armato;*
      - *pugnantibus, studiis sc. & operibus.*
  - *παραινετική ἢ ἀποτρεπτική, quâ depingit satanam à*
    - *proprio epitheto; immundus est spiritus;*
    - *effectu & studio indefesso, quod consistit in*
      - *perambulando;*
      - *indagando;*
      - *revertendo;*
      - *occupando.*
    - *eventu periculoso.*

Propositio tripartita:

- *Miraculosa obsessi liberatio: ubi considerentur*
  - *diversi duces,*
    - *satanas, reddens hominem* τυφλὸν, κωφὸν, ἄλαλον, ἄφρονα;
    - *Christus, hostem suum satanam ejiciens.*
  - *diversi judices: adsunt enim*
    - *maledicentes & calumniantes;*
    - *cum dubitatione admirantes;*
    - *tentantes, & signum de cœlo postulantes.*
    - *securitati indulgentes. Occurrit doctrina de summa diaboli malitia, quæ conspicitur ex*
      - *misera hominis obsessi tractatione;*
      - *spirituali obsessione.*
      - *nominum invisorum adsignatione. Dicitur enim*
        - *satanas, adversarius;*
        - *Beelzebub, ob*
          - *habitationis sublimitatem;*
          - *impudentiæ protervitatem;*
          - *impuritatem;*
          - *instabilitatem;*
          - *subtilitatem;*
          - *depulsionis facilitatẽ;*
          - *imbecillitatem.*
        - *diabolus;*
        - *dæmonium;*
        - *fortis armatus;*
        - *immundus spiritus.*
      - *malitiosa operatione.*
- *Gratiosa Christi concio, quæ habet*
  - *calumniæ refutationem, desumtam à*
    - *natura contrariorum;*
    - *testimonio Judæorum;*
    - *veræ causæ positione;*
    - *contrariorum collatione;*
    - *pugnantibus.*
  - *auditorum informationem, qua agit de*
    - *summa malorum infelicitate;*
    - *quorum falsam persuasionem refellit à*
      - *proprio diaboli adjuncto;*
      - *periculoso.*
    - *summa bonorũ felicitate, cui ansam præbet mulieris præconium, quod corrigitur* θέσει *veræ beatitudinis, quæ consistit in verbi*
      - *auditione & custoditione.*

DISPOSITIO III.

Thema: de modo & mediis ejiciendi spiritualiter diabolum. Attende duo:

- *hostis præcognitionem; ubicunque est, ibi est*
  - *cæcus, mutus & surdus verbi divini contemtor;*
  - *impudens & blasphemus calumniator;*
  - *callidus illusor & fraudulentus præstigiator;*
  - *odiosus concordiæ simulator;*
  - *crudelis persecutor, est fortis armatus.*
- *hostis profligationem & expulsionem; huc facit*
  - *digiti Dei potentia; extenditur ad nos per*
    - *verbi prædicationem;*
    - *Sacramentorum administrationem.*
  - *fraterna concordia & amicitia;*
  - *perpetua in bono constantia; hic requiritur*
    - *ingenua oris confessio;*
    - *fidelis operum Dei admiratio;*
    - *accurata ingenii diabolici observatio; est spiritus*
      - *potens;*
      - *diligens;*
      - *impudens;*
      - *numero ingens.*
    - *verbi auditi custoditio.*

Joh. 16, 1. 15.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita: continentur in Evangelio

- *τὰ ἡγούμενα miraculi, ubi notanda tria:*
  - *circumstantiarum quarundam observatio, cujusmodi sunt*
    - *locus*
      - *communis, desertum;*
      - *proprius, mons deserti.*
    - *testes*
      - *turba;*
      - *discipuli.*
    - *tempus, quod insinuatur*
      - *ἀορίστως, μετὰ ταῦτα;*
      - *ὡρισμένως, pascha.*
  - *occasio, hanc præbuit Christo*
    - *populi concursus;*
    - *misericordiæ adfectus;*
    - *intempestivus Apostolorũ monitus.*
  - *justa ad miraculũ præparatio. Tractatur διαλογικῶς, ubi occurrit*
    - *Christi quæsitum, quod illustratur*
      - *παρενθέσει causa finalis;*
      - *ἐκθέσει τῶν λογισμῶν.*
    - *Discipulorum responsum in specie*
      - *Philippi &*
      - *Andreæ.*
- *τὰ πραχθέντα seu ipsum miraculum; cujus habetur*
  - *causa efficiens, Jesus Christus;*
  - *causa adjuvantes vel organica, discipuli;*
  - *locus subjectus, herbidus;*
  - *numerus convivarum.*
  - *forma miraculi, per ἔκθεσιν τρόπου;*
    - *sumsit vel accepit panes;*
    - *oculis in cœlum sublatis benedixit;*
    - *gratias egit;*
    - *fregit, & fragmenta dedit discipulis;*
    - *de pisciculis etiam dedit.*
- *τὰ ἑπόμενα, consequentia*
  - *effectus geminus,*
    - *populi exsaturatio;*
    - *fragmentorum collectio, illustrata*
      - *tempore;*
      - *objectô;*
      - *fine;*
      - *effectu, obediẽtia discipulorũ; declaratur*
        - *fragmentorum quantitate & copiâ;*
        - *materiâ, de panibus.*
  - *fructus*
    - *in populo saturato*
      - *Messiæ, ut Prophetæ missi agnitio;*
      - *vana de Christo coronando cogitatio.*
    - *in Christo*
      - *populum dimittente;*
      - *Apostolos in navim cogente;*
      - *in montem secedente.*

Propositio bipartita: Evangelium enim monstrat

- *Turbæ inopiam: consideretur*
  - *circumstantiarum adnotatio;*
    - *locus;*
    - *comitatus;*
    - *tempus.*
  - *inopiæ occasio, ex*
    - *loci dicti conditione;*
    - *populi adcursione;*
    - *longiori Christi concione;*
    - *mediorum necessariorum defectione.*
    - *Annonæ caritatem inducit*
      - *Christi longinquitas.*
      - *fortis Evangelicæ adversitas;*
      - *victûs tenuitas.*
      - *loci sterilitas;*
- *Turbæ alimoniam, ubi*
  - *Christi commiseratio, quæ est*
    - *providentiæ divinæ argumentum;*
    - *Ecclesiæ sublevamentum;*
    - *precationis incitamentum;*
    - *fiduciæ stabilimentum.*
  - *Miraculi preparatio, facta*
    - *admonendo;*
    - *præcipiendo;*
    - *consultando, ubi occurrit*
      - *Christi quæstio;*
      - *Philippi ratiocinatio;*
      - *de commeatu percontatio;*
      - *Andreæ supputatio.*
  - *Formalis miraculi descriptio: respice*
    - *populum in κλισίας distributum;*
    - *Christum*
      - *pani benedicentem;*
      - *pro victu gratias agentem;*
      - *panem frangentem;*
      - *distribuere jubentem.*
  - *Habetur hic*
    - *informatio*
      - *egenorũ, quibus dicitur,*
        - *in egestate Christum sectare;*
        - *miracula Christi contemplare;*
        - *verbũ Dei arditer amplexare;*
        - *oculis, corde, ore & manu Christi cor tuum consolare;*
        - *curas inanes detestare; necessarias moderare;*
        - *pauperes ne adspernare;*
        - *ordine operare;*
        - *opem patienter præstolare.*
      - *Christi convictorum, his dicitur,*
        - *omnia Christo accepta ferẽda;*
        - *præsentia boni consulenda;*
        - *statio non deserenda;*
        - *liberalitas exercenda;*
        - *Christus verus convivator agnoscendus;*
        - *regnum Dei ante omnia quærendum;*
        - *cum aliis libenter communicandũ.*
      - *divitum: ars ditescendi consistit in*
        - *Christum sequendo;*
        - *discumbendo;*
        - *patiendo;*
        - *precando;*
        - *reservando;*
        - *erogando.*
    - *consolatio ex*
      - *oculorum Christi adspectu;*
      - *cordis adfectu;*
      - *consilij salutaris conceptu;*
      - *manûs omnipotentis effectu.*

A

- Miraculi fructificatio
  - bona, Messiæ agnitio: Propheta est
    - docendo;
    - prædicendo;
    - voluntatē Patris revelando;
    - legem explicando;
    - miraculosè agendo;
    - corda inspiciendo.
  - mala, falsa persuasio.

DISPOSITIO III.

- Thema: De arte piè ac honestè parandi victum: Requiritur hic
  - studiosa ad Christum accessio;
  - diffidentiæ carnalis repressio: Excutitur illa
    - paternâ Christi providentiâ;
    - divinâ ejusdem omnipotentiâ:
    - crucis & tentationis præstantiâ.
  - ordinis observatio;
  - ardens precatio;
  - donorum Dei distributio;
  - αὐταρκείας recordatio;
  - reliquiarum collectio & reservatio;
  - gratitudinis declaratio.

DOMINICA JUDICA,
Joh. 8, 46.59.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita:

- *Christi cū Judæis cōcertatio, cujus notetur*
  - *occasio, quam præbuit*
    - *adulteræ cujusdam adductio & absolutio;*
    - *vana Judæorum gloriatio.*
  - *propositio: Vos Judæi non estis ex Deo, sed ex diabolo.*
  - *confirmatio*
    - *ab effectu; quia doctrinam divinam recipere recusatis.*
    - *à signo contrario: qui ex Deo est, verbum Dei audit.*
- *Judæorum tùm*
  - *criminatio; ἔγκλημα*
    - *primum; tu es Samaritanus;*
    - *secundum; habes dæmonium.*
  - *Christi depulsio, ratione posterioris ἐγκλήματος, à*
    - *causa finali doctrinæ suæ per ἀντίθεσιν;*
    - *adjuncto contrario, non quæro gloriā meam;*
    - *effectu doctrinæ per comparationem minorū.*
- *Doctrinæ & personæ Christi adsertio, ubi est*
  - *convitii posterioris repetitio, in qua est*
    - *Judæorum intentio, cujus ratio petita ab*
      - *experientia, per productionem exempli contrarii:*
      - *nota falsorum doctorum propria.*
    - *Christi depulsio, respondet ad objectū tripliciter:*
      - *arrogantiæ crimen abs se removendo;*
      - *mendacii accusationem repellendo;*
      - *instantiam inficiatione & distinctione refellendo.*
  - *disputationis sive concertationis conclusio, facta*
    - *λόγῳ per*
      - *intentionem;*
      - *depulsionem.*
    - *ἔργῳ, in*
      - *Judæis, lapidare volentibus;*
      - *Christo se abscondente.*

γνωρίσματα verorum Ecclesiæ mēbrorum sunt,

- *veram veræ Ecclesiæ doctrinam amplexari; vera autem doctrina*
  - *Dei gloriam propagat;*
  - *vitam communicat;*
  - *veritatem amat;*
  - *cum patrum doctrina concordat.*
- *verbo prædicato auscultare*
  - *diligenter;*
  - *obedienter;*
  - *patienter.*
- *Verbum Christi servare;*
- *Deum honorare*
  - *corde,*
    - *Christum suscipiendo;*
    - *gloriam propriam fastidiendo.*
  - *ore, prædicando Dei*
    - *bonitatem;*
    - *veritatem.*
  - *opere;*
    - *inculpatè vivendo;*
    - *operibus bonis studendo.*
- *crucem & mortem non reformidare.*

Considerabimus Christi cum Judæis disceptationem, quoad

- **Textum, qui agit de Christi**
  - *vita, in qua observetur*
    - *sancta Christi protestatio, producens*
      - *vitæ innocentiam;*
      - *justam in dicenda veritate* παῤῥησίαν.
    - *falsa Judd. criminatio, objiciens Christo*
      - *levitatem, Samaritanus;*
      - *impietatem, dæmoniacus es.*
    - *criminationis retorsio, facta* κατ'
      - ἀποσιώπησιν;
      - ἄρνησιν.
  - *Doctrina; ubi notetur*
    - *doctrinæ commendatio, desumta*
      - *ab adjuncta nativa proprietate;*
      - *ab effectus singularitate.*
    - *Judæorum contradictio, arguunt eum*
      - *mendacii;*
      - *arrogantiæ.*
  - *Persona, ubi occurrit*
    - *Christi adsertio quâ Deitatem probat testimonio*
      - *divino; Patris:*
      - *humano, Abrahami.*
    - *Blasphema Divinitatis Christi abnegatio facta*
      - *irrisione;*
      - *lapidatione, quæ avertitur corporis occultatione.*
- **Informatorius, de**
  - *discrimine verorum & falsorum Christianorum; Illi enim*
    - *sunt ex Deo;*
    - *audiunt verbum Dei;*
    - *servare illud contendunt.*
  - γνωρίσματα *Ecclesiæ tùm*
    - *veræ, quæ amat*
      - *verbi sinceritatem;*
      - *Sacramentorum integritatem;*
      - *obediendi facilitatem.*
    - *falsæ, quæ mendaciis & homicidiis gaudet.*
  - *veritatis cœlestis propugnatione intrepida:*
  - *divinitate Christi, quæ h. l. probatur à*
    - *filiatione* υἱοθεσία;
    - *verbi efficacia;*
    - *firma in Christum fiducia;*
    - *divina potentia;*
    - *æternitate.*
  - μακροθυμία *proximo declarando, quam suadeat*
    - *mandati divini auctoritas;*
    - *exempli divini claritas;*
    - *mansuetudinis dignitas;*
    - *tolerantiæ necessitas;*
    - *utilitas;*
    - *promissionis divinæ largitas;*
    - *comminationis severitas;*
    - *piorum proprietas;*
    - *præmiorum ubertas.*
  - *gloria soli Deo debita: conferturque ei*
    - *operibus bonis studendo;*
    - *gloriam Dei vindicando;*
    - *nos ipsos non laudando.*

- 3 *Usum, qui* — 9
  - *Consolatorius; solatium prabet*
    - *Christi innocentia;*
    - *ejusdem doctrina;*
    - *justa Dei vindicta;*
    - *mors non pertimescenda.*
  - *Monitorius; de*
    - *ambitione fugienda;*
    - *sorte verorum Christianorum;*
    - *crebris circa articulos fidei disceptationibus;*
    - *verbo Dei diligenter audiendo;*
    - *mendacio studiosè devitando.*
  - *Refutatorius*
    - *Calvinianorum, de causis damnationis in decreto Dei ab- (soluto.*
    - *Pontificiorum*
      - *laicos à judicio doctrina removentium;*
      - *fidem carbonariam obtrudentium.*

DISPOSITIO III.

- ***De Christi cum Judais συμπλέξει, ubi considerantur***
  - *Materia, quatuor discutit quastiones, quarum*
    - *1. de Christi veritate & sinceritate; ea probatur*
      - *ab hostium testimonio;*
      - *à doctrina sua principio; qua inserviunt*
        - *consolationi;*
        - *exhortationi;*
        - *refutationi.*
    - *2. de operum & miraculorum Christi majestate, qua deducitur à*
      - *contrario;*
      - *Patris testimonio;*
      - *Usus est*
        - διδακτικός, *de natura hostium.*
        - παιδευτικός, *de gloria Dei.*
    - *3. de verbi virtute & efficacitate.*
    - *4. de vera Christi Deitate, qua probatur à*
      - *Patris cælestis testificatione;*
      - *intima ipsius cognitione;*
      - *firma fidelium exspectatione;*
      - *aternitatis connotatione.*
  - ***Forma** in armorum contemplatione cõsistit; arma ex parte*
    - *Judaorum sunt*
      - *calumnia;*
      - *blasphemia;*
      - *violentia.*
    - *Christi, solum verbum.*

DISPOSITIO I.

Agitur in praesenti Evangelio

- *de mulierum ad sepulcrum Christi peregrinatione; in qua occurrit*
  - *temporis notatio*
    - *generaliter, cùm transisset sabbathum;*
    - *specialiter, valdè manè.*
  - *personarū peregrinantium consideratio. Verus autem peregrinandi modus ad sepulcrum Domini consistit in*
    - *religiosa sabbathi observatione;*
    - *studiosa ungventi praeparatione.*
    - *onerosa lapidis revolutione: lapis est vel*
      - *iniquitatis;*
      - *paupertatis;*
      - *infirmitatis;*
      - *calamitatis.*
  - *facti ipsius descriptio, quam ingreditur*
    - *aromatum emtio;*
    - *monumēti accessio;*
    - *pietatis declaratio;*
    - *anxia consultatio. Virtutes imitatione dignae sunt*
      - *caritas;*
      - *liberalitas;*
      - *religiositas;*
      - *magnanimitas;*
      - *sedulitas;*
      - *unanimitas.*
- *de Angeli in sepulcro adparitione & concione, ubi habet*
  - ἀγγελοφάνειαν, *angelicam adparitionem, descriptam à*
    - *forma venustate;*
    - *situs qualitate;*
    - *vestitus speciositate;*
    - *effectus singularitate.*
  - ὁμιλίαν *angelicam concionem, quae constat*
    - *exordiô vel occasione;*
    - *propositione* παραμυθητικῇ;
    - *confirmatione, quâ resurrectiōē Christi probat dupliciter:*
      - ἀτέχνως, *suū testimoniū producēdo;*
      - ἐντέχνως
        - *instituti vanitatem ostendendo;*
        - *ad* αὐτοψίαν *provocādo.*
    - *conclusione* ἐπιτακτικῇ; *mandatum Angeli est duplex: de*
      - *resurrectione discipulis nuncianda;*
      - *Domino in Galilaea quaerendo.*
  - ἐκβαίνετα, *tum*
    - *visionis;*
    - *cōcionis.*
    - *ceu sunt*
      - *mulierum trepidatio;*
      - *mandati exsecutio; illustrata*
        - τρόπῳ;
        - αἰτίῳ;
        - *effectu.*
- *de ipsa Domini Jesu resurrectione; cujus notetur*
  - *veritas, manifesta ex*
    - *Prophetarum praedictione;*
    - *temporis observatione;*
    - *miraculorum coacervatione;*
    - *testium* ἀξιοπίστων *relatione; testes sunt*
      - *Angeli sex;*
      - *discipuli duo;*
      - *mortui resurgentes;*
      - *mulieres peregrinantes;*
      - *milites custodes;*
      - *Angelorum conciones.*
    - *multiplici Christi adparitione.*
  - *

*

- *salubritas, utilitas seu fructus; veniunt hoc nomine gratiæ*
  - *privativæ,*
    - *peccatorum expiatio, obsignatio;*
    - *diaboli devictio;*
    - *inferni destructio;*
    - *mortis abolitio & in somnum conversio.*
  - *positivæ,*
    - *justitiæ acquisitio;*
    - *pacis restitutio;*
    - *vitæ emendatio;*
    - *corporum nostrorum glorificatio.*

DISPOSITIO II.

Propositio bipartita: agitur enim

- *de Christi resurrectione victoriosa; surrexit enim ille*
  - *satis maturè; verè, quod patet ex*
    - *Angelorum veriloquio;*
    - *hominum testimonio;*
    - *adparitionum variarum indicio;*
    - *signorum externorum suffragio.*
  - *miraculosè, idque probat*
    - *ipsa lapidis resolutio;*
    - *Angeli sessio;*
    - *corporis resuscitati clarificatio.*
  - *propheticè; locutus est Spiritus S. de Christi resurrectione*
    - ῥητῶς,
    - τυπικῶς.
- *de resurrectionis manifestatione gloriosa, facta per*
  - *mulieres, quæ describuntur à*
    - *summa erga Christum caritate;*
    - *liberalitate;*
    - *animi constantia & firmitate;*
    - *vera pietate;*
    - *mutua concordia & unanimitate.*
    - *ut optimo ornatu mulierum positum est in*
      - *devota sabbathi observantia;*
      - *vigilantia;*
      - *amoris erga Christum constantia;*
      - *promta erga ipsum beneficentia.*
      - *patientia.*
  - *Angelus, ubi notetur*
    - *occasio;*
    - *concio, quâ Angelus*
      - *timore perculsas erigit;*
      - *nuncium lætum proponit;*
      - *locum vacuum ostendit;*
      - *discipulis annunciari præcipit;*
      - *promissum Christi repetit.*
    - *concionis operatio, continens*
      - παραλειφθέντα;
      - ταραχθέντες, *terrentur idque produnt*
        - *è sepulcro celeri fuga sese abripiendo;*
        - *totô corpore contremiscendo;*
        - *planè obmutescendo.*
    - *festi Paschalis celebratio, quæ consistit in*
      - *devota resurrectionis contemplatione;*
      - *pia beneficiorum sepulcralium collaudatione; qualia sunt*
        - *peccati sepelitio, ablatio;*
        - *justitiæ reparatio;*
        - *filiatio;*
        - *sepulcri sanctificatio.*
      - *ardentissimâ Jesu dilectione.*

Thema: de triplici festi Paschalis usu qui praebet concionem

- διδασκαλικὴν: *docet enim praesens lectio*
  - *Sabbathum recte sanctificare: Consistit autem sanctificatio ista,*
    - *non in inani à laboribus cessatione;*
    - *non in turpis otii sectatione;*
    - *non in vestitûs pretiosi ostentatione; sed*
    - *in attenta verbi auscultatione;*
    - *in profunda vitiorum eradicatione;*
    - *in jucunda vocis exsultatione.*
  - *Ungventum spirituale praeparare: dico ungventum*
    - *sanctificationis;*
    - *commiserationis;*
    - *dilectionis; diligimus Christum*
      - *credendo;*
      - *sperando;*
      - *perseverãdo.*
    - *pacificae consensionis;*
    - *gratitudinis.*
  - *Saxum ab ostio monumenti revolvere.*
- παραμυθητικὴν: *solatium profluit ex*
  - *timoris õnis cessatione & finitione. Terruerat nos*
    - *peccatum quod obsignatum:*
    - *ira Dei, quae sedata:*
    - *maledictum, cui satisfactum:*
    - *mors, quae abolita:*
    - *infernus, qui destructus:*
    - *diabolus, qui contritus.*
  - *resurrectionis Dominicae demõstratione: credimus eam, ob*
    - *vaticiniorum antiquitatem;*
    - *typorum perspicuitatem;*
    - *praedictionum Christi veritatem;*
    - *testimonii angelici claritatem;*
    - *unionis person. vim ac potestatem;*
    - *regni aeternitatem;*
    - *patefactionem pluralitatem.*
  - *fructuum contemplatione: peperit nobis resurrectio Christi*
    - *caelum apertum:*
    - *vestimentum album vel novum:*
    - *promtum Angelorum ministerium:*
    - *hostium ludibrium;*
    - *Angelorum colloquium;*
    - *timoris repudium;*
    - *miserorum & peccatorum solatium;*
    - *Christi directorium, praecedet vos.*
  - *peccatorum resipiscentium in gratiam receptione.*
- μετανοητικὴν, *quâ ad resurrectionem spiritualem incitamur: consistit ea in*
  - *resurrectionis ante gloriam conditione;*
  - *mortis oppressione;*
  - *justitiae acquisitione;*
  - *satanae devictione;*
  - *lucis accensione;*
  - *cordis commotione;*
  - *angelica defensione;*
  - *vitae demonstratione.*

DISPOSITIO I.

Evangelium consideratur:

- *Christũ discipulis sese omnibus manifestãtẽ: ubi notetur*
  - *adparitionis descriptio; adsignatur*
    - *tempus, sub vesperum; facta est die resurrectiõis Dõinicæ.*
    - *objectum personarum:*
    - *locus:*
    - *modus, foribus clausis; ex improviso.*
  - *resurrectiõis demõstratio, ubi occurrũt* λεχθέντα, *pax vobis:* πραχθέντα, *ostendit (manũs;* ἑπόμενα.
  - *discipulorum instructio; habetur hic*
    - *missio; collatione similiũ declaratur:*
    - *collatio vel confirmatio:*
    - *claviũ traditio. Fructũs resurrectiõis*
      - *pacificatio:* *supra nos. intra nos. circa nos. infra nos.*
      - *gaudij participatio;*
      - *ministerii instauratio*
- *Thomã errãtem, ubi significatur,*
  - *quis fuerit Thomas:*
  - *quid fecerit. Incredulitatis refertur*
    - *causa efficiens*
      - *concionis paschalis contemtus:*
      - *Spiritũs Sancti defectus:*
      - *carnis adfectus.*
    - *forma p notas certas*
      - *audit res gestas;*
      - *mendacii arguit omnes;*
      - *singulare qd requirit: Ita peccatũ omnimode admisit*
        - *non credendo;*
        - *deficiendo;*
        - *mendacij Christũ insimulando;*
        - *in peccato perseverando;*
        - *media respuendo;*
        - *rationi indulgendo.*
- *Christũ in viam Thomã revocantem, novâ adparitione cujus observetur*
  - *descriptio, in qua exprimitur*
    - *tempus; post octiduum: differtur ob*
      - *negligentiæ Thomanæ redargutionem:*
      - *fidei reliquorum probationem:*
      - *desiderii exsuscitationem:*
      - *glorificationis præfigurationem.*
    - *locus;*
    - *modus;*
    - *finis.*
  - *adparentis oratio*
    - γενικὴ, *ad omnes Apostolos directa.*
    - εἰδικὴ, *ad Thomã: habetur hac oratione*
      - ἀπόδειξις, *probat resurrectionẽ*
        - στίγματα *ostẽdendo: jubet n.*
          - *inferre digitos; (pedes;*
          - *contemplari manũs &*
          - *immittere manum in (latus.*
        - *palpãdum se exhibendo:*
      - ἐπιτίμησις, *verba incredulitatis Thom. reponendo.*
  - *Thomæ conversio & confessio, faciens ad nostri cohortationem, ut servos frugi nos præstemus*
    - *Dominũ nostrum verè amando:*
    - *Domino obtemperando:*
    - *Ipsi adpropinquando:*
    - *Eum per angusta sequendo:*
    - *puritati studendo:*
    - *fideliter Domino serviendo.*
  - *Ulterior Thomæ instructio. consolationẽ; Christus bonũ sese Dominũ declaravit*
    - *curã nostri agendo; (sistẽdo;*
    - *in adversis præsentem se nobis*
    - *pacem largiendo*
      - *in vita;*
      - *in morte;*
      - *in extremo die.*

Propositio bipartita, secundum duplicem adparitionem, facta

- Thomâ absente: notetur
  - ipsa adparitio, in cujus descriptione utitur Evangelista
    - temporis notatione;
    - modi determinatione;
    - resurrectionis demonstratione; hanc probat
      - locutio;
      - pacem precatur, ob
        - meliorem manifestationem;
        - discipulorum exhilarationem & consolationem.
        - dignitatis sacerdotalis significationem;
        - fructûs declarationem: Innuit enim
          - Deum hominibus placatũ;
          - diabolum prostratum;
          - animum tranquillatum;
          - μεσότοιχον sublatum.
      - manuũ laterisq́; ostensio.
    - gaudii in animis Apostolorum oborti significatione.
  - iterata ministerii institutio, ubi adhibet
    - salutationis repetitionem:
    - legitimam missionem seu vocationem:
    - Spiritûs S. communicationem: inspiratione istâ innuitur
      - Spiritûs sancti processio;
      - essentia Spiritûs S. manifestatio;
      - ejusdem per Evangelium operatio;
      - hominis renovatio.
    - clavium traditionem:
    - eorundem fructificationem: faciunt enim
      - ad absolutionis certitudinem;
      - contra peccatorum multitudinem;
      - ad beneficiorum amplitudinem, cujusmodi sunt
        - pacis restitutio:
        - ministerii institutio:
        - adoptio:
        - Spiritûs S. effusio:
        - peccatorum remissio:
        - miserorum dignatio:
        - mutua in vita at. cognitio.
- Thomâ præsente, ubi cõsideretur Thomæ
  - ἁμάρτημα, malèfactũ, ἀπιστία, orta ex
    - negligentiæ vitio:
    - cæcæ rationis judicio:
  - κατόρθωμα rectè factum: præstat se Christus
    - solertem Medicum & Pastorẽ
      - ovem amissam quærendo;
      - eandem reducendo, per
        - repetitam pacis precationẽ:
        - postulati impletionem.
    - fidelem Magistrũ & Doctorem: media cõversionis sunt
      - Christi φιλανθρωπία, candor & bonitas:
      - Christi post resurrectionem gloria & majestas:
      - Fidei firmitas & integritas.

DISPOSITIO III.

Thema: de fructibus seu beneficiis paschalibus, cujusmodi sunt,

- *corporis nostri post resurrectionem glorificatio:*
- *timoris abdicatio:*
- *pacis amissæ restauratio: innuitur enim paschal salutatione*
  - *Patrem cælestem hominibus reconciliatum:*
  - *diabolum viribus exutum ac devictum:*
  - *conscientiam pacificatam:*
  - *parietem intergerinum sublatum esse.*
- *exoptata ab hostibus liberatio:*
- *gaudii exsuscitatio:*
- *ministerii ordinatio:*
- *sanctificatio:*
- *peccati ablatio h. e. absolutio:*
- *infirmorum in gratiam acceptatio:*
- *vulnerum Christi exosculatio & adplicatio:*
- *fidei inflammatio:*
- *beatitudinis seu vitæ æt. collatio.*

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI,

Johan. 10, 11. 16.

DISPOSITIO I.

Continet Evangelium

- *Boni pastoris commendationem, cujus notetur*
  - *Propositio, pastoris habens*
    - *personam;*
    - *officium;*
    - *προσδιορισμόν; bonq.*
  - *confirmatio, monstrat κριτήρια pastoris tria: à*
    - *boni pastoris fidelitate;*
    - *boni pastoris solicitudine sive ἐπιγνώσει, per collationem similium, quâ*
      - *Pater novit Filium*
        - *pro Filio suo naturali agnoscendo;*
        - *diligendo;*
        - *omnia ejus dicta & acta adprobando;*
        - *curam ejus habendo;*
      - *Filius novit Patrem*
        - *pro Patre eum habendo;*
        - *amando;*
        - *voluntatem ejus faciendo;*
        - *se ipsi carum statuendo.*
    - *boni pastoris diligentia & sedulitate, quâ cogitat de ampliatione. Bonum ergo Pastorem sese Christus declaravit*
      - *gregem sibi colligendo;*
      - *vitam pro ovibus ponendo;*
      - *oves ex ore lupi redimendo;*
      - *oves cognoscendo;*
      - *numerum earum augendo;*
      - *pascendo*
        - *corpore,*
        - *animâ;*
      - *defendendo;*
      - *sanando;*
      - *vigilando;*
      - *canes alendo;*
      - *amissas quaerendo;*
      - *in gratiam recipiendo.*
- *Mercenariorũ vituperationẽ; reprehenduntur ob*
  - *mali nominis impositionem;*
  - *vocationis destitutionem;*
  - *officii neglectionem;*
  - *fugae adprehensionem. Amplif.*
    - *effectu;*
    - *αἰτιολογία.*
- *Oviculorum Christi delineationem; ubi observetur*
  - *oviculorum distributio:*
  - *earundem descriptio, ab effectu unico:*
  - *effectûs consecutio: demus operam, ut simus oviculae, quae sunt*
    - *ad reversionem ex errore faciles;*
    - *in pastore dignoscendo subtiles;*
    - *in audiendo pastore solertes;*
    - *pastori obsequentes;*
    - *possessori utiles;*
    - *humiles;*
    - *simplices;*
    - *sordium expertes;*
    - *in victu continentes;*
    - *sociabiles;*
    - *unanimes;*
    - *patientes, non laedentes.*

Propositio bipartita: complectitur enim Evangelium

- *Pastoris nostri dignitatē: Bonus est ob*
  - *singularem personæ bonitatem, ratione*
    - *divinitatis;*
    - *humanitatis.*
  - *ineffabilem caritatem;*
  - *vocationis ordinariæ sublimitatem;*
  - *dominii auctoritatem: propriæ sunt oves jure*
    - *creationis;*
    - *redemtionis, quam edisserit*
      - *generaliter;*
      - *specialiter.*
    - *collectionis: colligit oves*
      - *gratis ad ovile suum nos vocando;*
      - *amissas requirendo;*
      - *errantes revocando.*
  - *officij curæq; pastoralis fidelitatem; quia oviculas*
    - *quærit anxiè;*
    - *redimit pretiosè;*
    - *pascit lautè*
      - *corporaliter;*
      - *spiritualiter.*
    - *deducit solicitè;*
    - *collocat securè:*
    - *novit accuratè,*
      - *benignè eas respiciendo;*
      - *promtè preces exaudiendo;*
      - *providè curando;*
      - *paternè castigando;*
      - *masculè defendendo.*
- *Ovicularum proprietatē, quæ posita est*
  - *in reciproca pastoris agnitione;*
  - *in attenta vocis pastoralis auscultatione, quod fit*
    - *templum frequentando;*
    - *verbum servando;*
    - *carnem refrenando;*
    - *patiendo*
      - *crucem;*
      - *correptionem.*
    - *concordiæ studendo.*
  - *in studiosa concordiæ conservatione, h. e. gentium vocatione; ubi notetur*
    - *personæ adducentis dignitas;*
    - *adpellationis suavitas; oves:*
    - *adductionis necessitas, ratione;*
      - *divini consilii;*
      - *prophetici vaticinii;*
      - *constituti ab æt. officii.*
    - *adductionis modus & qualitas;*
    - *gentium ad obsequendum pronitas;*
    - *ovilis & Pastoris unitas.*

DISPOSITIO III.

Thema: De summis Pastoris Jesu Christi beneficiis: habes h. l. beneficium

- *gratæ & gratuitæ pastionis.* *Pastor est & dicitur ob*
  - *humilitatem;*
  - *vilitatem;*
  - *fidelitatem;*
  - *liberalitatem;*
  - *utilitatem.*
- *plenariæ redemtionis:*
- *salvificæ agnitionis:* **novit oves**
  - *providendo;*
  - *prædestinando;*
  - *defendendo;*
  - *exaudiendo;*
  - *commiserando.*
- *gratiosæ intercessionis:*
- *solicitæ ductionis:*
- *securæ collocationis:*
- *copiosæ amplificationis.* **Amplif.** *ἀντιθέσει τῶν μισθωτῶν,* **quos arguit**
  - *gregem cōmissum non curantes;*
  - *lupum fugientes.*

DOMINICA JUBILATE,
Joh. 16, 16. 23.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita: continetur enim in Evangelio,

- *Passionis, mortis ac resurrectionis Christi praedictio, qua absolvitur*
  - *Christi προφητεία, quâ praedicit*
    - *futuram absconsionem vel passionem:*
    - *mox subsecuturam revisionem vel resurrectionē:*
    - *suam ad Patrem abitionem.*
  - *Discipulorum ἀπορία, ubi occurrit*
    - *τῶν ἀπορούντων indagatio:*
    - *ἀγνοίας καὶ ἀπορίας manifestatio:*
    - *rei non intellectae specificatio:*
    - *causarū designatio ἀσυνεσίαν istam facit*
      - *connata in rebus fidei hebetudo ac tarditas;*
      - *praeconceptae opinionis tenacitas;*
      - *tristitiae gravitas.*
  - *subsecutâ ἑρμηνεία, qua continet*
    - *ἀφορμὴν sive occasionem;*
    - *quaestionis praeoccupationem;*
    - *ἀπορίας repetitionem.*
- *Tristissima de Apostolorum cruce concio, in qua est*
  - *juratoria dictorum adseveratio:*
  - *ipsa crucis specificatio; κατὰ μερισμὸν,*
    - *κλαύσετε;*
    - *θρηνήσετε;*
    - *λυπηθήσεσθε.*
  - *crucis amplificatio, facta ἀντιθετικῶς; hinc maeroris causa multiplex:*
    - *Christi captivatio, passio, crucifixio;*
    - *Apostolorum fugatio ac dispersio;*
    - *spei, uti videbatur, frustratio;*
    - *hostium exsultatio;*
    - *prae metu exanimatio:*
    - *resurrectionis mora & dilatio.*
- *Cruci opposita consolatio & monstratur quadruplex:*
  - *modica duratio:*
    - *maeroris vicinitatem;*
    - *doloris acerbitatem;*
    - *mortis propinquitatem;*
    - *doloris brevitatem;*
    - *causae identitatem;*
    - *laetitiae ubertatem;*
    - *resurrectionis qualitatē.*
  - *tristitiae in gaudium commutatio: Amplif.*
    - *simili à muliere parturiente, cui confertur Apostolorū calamitas ob*
      - *causâ gaudij efficiente vel procreante:*
    - *causâ gaudii formali. Monet haec, dicta cumprimis similitudo, de crucis*
      - *necessitate;*
      - *origine & causalitate;*
      - *universalitate;*
      - *gravitate;*
      - *diversitate;*
      - *utilitate;*
  - *gaudii perennitas & continuatio:*
  - *perfecta rerum, quas tunc ignorabant, cognitio.*
    - *svavitate, orta ex*
      - *divina ordinatione;*
      - *auxilii promissione;*
      - *duratione;*
      - *gaudii insecutione.*

Propositio bipartita: Complectitur enim Evangelium

- *triste Christi vaticinium, cui inservit,*
  - *sortis propriæ prænunciatio;*
  - *discipulorum de sensu verborum disceptatio.*
  - *crucis ac calamitatis prædictio, facta*
    - *seriâ per juramentum attestatione;*
    - *emphaticâ mali futuri exaggeratione,*
      - *ab homine plorâte, cujus causa*
        - *certus Christi abitus;*
        - *calamitatum concursus;*
        - *pseudodoctorū accessus.*
      - *à mundo insultante:*
      - *à muliere, ex partu laborante.*
  - *concionis adplicatio in*
    - *informatione, de*
      - *communi Christianorum γενεθλιακῶ, qui producuntur, ut*
        - *turpiter ignorantes;*
        - *insigniter mœrentes;*
        - *miserabiliter ejulantes.*
      - *Christianis crucignis, quod liquet ex*
        - *Christi ipsius indicio:*
        - *infallibili Scripturarū testimonio:*
        - *communi experientiæ suffragio.*
    - *consolatione, de causis calamitatum, quæ eveniunt ad*
      - *fidei probationem;*
      - *peccati revelationem;*
      - *securitatis eradicationem;*
      - *regenerationis promotionem;*
      - *virtutum precumq; exsuscitationem;*
      - *imaginis Jesu conformationem;*
      - *carnis mortificationem;*
      - *impiorum commonitionem & emendationem;*
      - *vitæ æt. testificationem.*
- *dulce adflictorū solatium, desumtum à*
  - *crucis brevitate: pusillum est ratione vitæ*
    - *instantis;*
    - *durantis;*
    - *imminentis.*
  - *Christi propinquitate, vel præsentia.*
  - *crucis mutabilitate:*
  - *gaudii qualitate; hinc*
    - *doctrina de cruce, quæ consideratur ratione*
      - *sui;*
      - *oppositi;*
      - *Christi, qui novit dulcem efficere crucem, ex*
        - *Dei prænotione;*
        - *brevi duratione;*
        - *Patris reconciliatione;*
        - *Christi revisione;*
        - *luctûs in gaudium permutatione.*
    - *consolatio, profluēs ex simili, & consistit comparatio in*
      - *divina crucis immissione;*
      - *universali Christianorum conditione;*
      - *divina crucis æstimatione;*
      - *adflictorum ejulatione;*
      - *vicinorum insultatione;*
      - *dolorum per intervalla remissione;*
      - *crucis per preces revelatione;*
      - *subita dolorum immutatione;*
      - *grata post partum oblectatione.*

DISPOSITIO III.

Thema: de cruce fidelium Christi. Agitur enim h. l. de

- *crucis infallibilitate;*
- *crucis gravitate, ob*
  - *præsentiæ auxiliiq; divini occultationem;*
  - *Scripturæ verbiq; divini ignorationem;*
  - *insolentem mundi insultationem.*
- *crucis utilitate: eveniunt nobis adversa, ut*
  - *capiti nostro adsimilemur;*
  - *mortificemur;*
  - *à mundo servemur;*
  - *tantò ardentiùs precemur;*
  - *probemur;*
  - *de peccato admoneamur;*
  - *os Christi consulamus;*
  - *rebus secundis non efferamur;*
  - *in constantia & patientia exerceamur;*
  - *liberationem divinam admiremur;*
  - *vita ærumnosa pertæsi cœlestia desideremus.*
- *crucis suavitate, quam conciliant consolationum fontes, derivati ab*
  - *exacta Dei cognitione:*
  - *modica crucis duratione:*
  - *hominis regeneratione:*
  - *Dei destinatione:*
  - *Dei visione seu revelatione:*
  - *finali liberatione.*

DOMINICA CANTATE,

Johan. 16, 15. 15.

DISPOSITIO I.

Propositio est tripartita, ostendens

- *Christi de suo ad Patrem abitu concionē, cujus mēbra quatuor:*
  - *προτασις, vel concionis iterata propositio: de Christi abitu, qui continet*
    - *voluntariam Christi passionem;*
    - *regni Messiani conditionem;*
    - *redemtionis consummationem;*
    - *propinquam passionem;*
    - *personalem à Patre distinctionem;*
    - *glorificationem.*
  - *severa discipulorū increpatio;*
  - *cōcionis de abitu Christi optatio;*
  - *firma tristitiæ opposita cōsolatio, ab*
    - *utili seu fructuoso: expedit vobis ad*
      - *verum regni Christi cognitionem;*
      - *Spiritûs Sancti missionem;*
      - *beneficiorum adcumulationem;*
      - *salutis promotionem;*
      - *crucis sanctificationem;*
      - *beatam emigrationem.*
    - *causa adjuvante, Spiritûs S. missione.*
- *Spiritûs Sancti respectu impiorum administrationem; arguet mundum de*
  - *peccato;*
  - *justitia;*
  - *judicio.*
- *Spiritûs Sancti respectu piorum operationem; consistit hoc officium*
  - ἐν τῷ ὁδηγεῖν, *cujus adsignatur*
    - *necessitas, quā urget*
      - *discipulorum ruditas & infirmitas;*
      - *opinionis præconceptæ falsitas;*
      - *mœroris gravitas.*
    - *utilitas;*
    - *Spiritûs S. idoneitas.*
  - ἐν τῷ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγέλλειν;
  - ἐν τῷ δοξάζειν; *glorificavit Christum per*
    - *visibilem sui effusionem;*
    - *Apostolorum illuminationem;*
    - *Evangelii prædicationem;*
    - *miraculorum operationem;*
    - *multorum millium conversionem.*

Propositio bipartita: agitur enim

- *de Spiritûs S. per Christi abitum acquisitione, ubi in considerationē venit*
  - *molesta discipulis Christi abitio.*
  - *modesta discipulorum increpatio.*
  - *blanda Apostolorum informatio, ubi*
    - *docemur de morte piorum, quòd opus sit*
      - *determinatum;*
      - *sanctum & beatum;*
      - *improvisum;*
      - *tristificum.*
      - *utilissimum ad*
        - *peccati expiationem:*
        - *mortis destructionem:*
        - *Spiritûs S. missionem.*
    - *erigimur solatio destituti*
      - *meditatione passionis salutari;*
      - *mortis descriptione singulari;*
      - *præsentia Christi peculiari.*
- *de Spiritûs S. operatione, cujus officium triplex;*
  - παραμυθητικὸν, *consolatorium; solabitur enim pios in*
    - *divino judicio;*
    - *mundi & satanæ odio;*
    - *omni infortunio;*
    - *precum exercitio;*
    - *mortis confinio.*
  - ἐλεγκτικὸν, *increpatorium; ostenditur autē,*
    - *quid facturus?* ἐλέγχει;
    - *quem ita convicturus sit.*
    - *cur increpaturus sit mundum?*
      - *de peccato, quod dissimulat;*
      - *de justitia, quam non ordinat, dum sibi à Deo eam non dat;*
      - *de judicio, quod usurpat, temerè judicando de se & aliis.*
  - διδακτικὸν, *informatorium, respicit*
    - *Christi glorificationem;*
    - *futurorum prænunciationem.*

DISPOSITIO III.

Thema; de causis impellentibus, quæ nos in honorem Dei canticum novum cantare jubeant:

- *beneficiorum ubertas; talia sunt*
  - *Christi ad Patrem profectio;*
  - *diversorii in cœlestibus procuratio;*
  - *viæ rectæ monstratio;*
  - *Spiritûs Sancti donatio.*
- *cantici qualitas: arguet Spiritus Sanctus mundum de*
  - *peccati atrocitate;*
  - *justitiæ perversitate;*
  - *judicii severitate.*
- *cantici novi suavitas: doctrina N. T. congruit cum*
  - *veritate:*
  - *antiquitate:*
  - *oraculorum perspicuitate:*
  - *Christi claritate.*

DOMINICA ROGATIONUM.

Joh. 16, 23. 30.

DISPOSITIO I.

Continetur in Evangelio

- *Seria ad orandum cohortatio; cujus membra tria:*
  - *Splendida exauditionis promissio, in qua notari debet*
    - *persona loquens;*
    - *juramentum geminum;*
    - *subjectum, cui labor iste incumbat;*
    - *materia vel res petenda;*
    - *objectum precationis;*
    - *actus orationis, verbo petendi expressus, estq; character*
      - *necessitatis & indigentiæ:*
      - *devotionis & attentionis:*
      - *humilitatis:*
      - *fiduciæ filialis:*
      - *perseverantiæ.*
    - *forma vel modus precandi, in nomine Christi:*
    - *fructus vel effectus, exauditio, quam firmat,*
      - *cor Dei paternum;*
      - *os Dei verocissimum;*
      - *manus ejusdem omnipotens;*
      - *meritum Christi sufficientissimũ;*
      - *juramentum ejus sanctissimum;*
      - *sacerdotale officium;*
      - *Spiritûs S. inhabitatio ac domicilium;*
      - *Ejusdem operatio, interpellatio & testificatio.*
  - *Oscitantiæ & negligentiæ in precibus exprobratio.*
  - *Paterna ad preces fundendas exhortatio, cujus ratio duplex, à*
    - *mandato Christi jubentis;*
    - *fructu vel effectu utili orantis:*
      - *unus est certæ impetrationis;*
      - *alter perfectæ exultationis:*

A

- *Benigna de Spiritûs Sancti missione pollicitatio, & complectitur*
  - *ruditatis discipulorum correptionem:*
  - *tacitam Spiritûs S. promissionem:*
  - *de favore Patris cœlestis erga discipulos contestationem, cujus*
    - *ratio, ab adjuncta Patris benevolentia:*
    - *Amplificatio à causa impellente,*
      - *mutua dilectione;*
      - *veræ fidei testificatione.*
  - *digressionem, quâ*
    - *agit in genere*
      - *de vocatione & exinanitione sua:*
      - *de resurrectione & adscensione sua.*
    - *in specie tractat quatuor membra, de Christi*
      - *progressu; exivi à Patre:*
      - *ingressu; veni in mundum:*
      - *egressu per*
        - *adscensionem;*
        - *visibilis præsentiæ subtractionē;*
        - *formæ servilis depositionem;*
        - *legationis renunciationem.*
      - *regressu; & vado ad Patrem.*
- *Discipulorum declaratio sive respōsio, habens*
  - *perspicuitatis commendationem:*
  - *fidei conceptæ testificationem; scimus*
    - *te esse Deum omniscium:*
    - *te esse ipsissimum Dei Filium, quod colligimus ex*
      - *amplissima Christi pollicitatiōe;*
      - *dulcissima de favore Patris adsecuratione;*
      - *fidei & dilectionis cōmendatiōe;*
      - *amoris reciproci contestatione;*
      - *atq; ita profitentur*
        - σύνεσιν;
        - γνῶσιν;
        - πίστιν.

DISPOSITIO II.

Audiemus in hoc Evangelio

- *Christum ad orandū exhortantem, ubi monstrat*
  - *verum precationis objectum*
    - *personale;*
    - *reale.*
  - *legitimum orandi modum; petere in nomine Jesu Christi est*
    - *indignitatem suam fateri;*
    - *de peccatis admissis dolere;*
    - *ad Christi voluntatem sese accōmodare;*
    - *firmâ in Christum fiduciâ orare;*
    - *exauditionem sperare;*
    - *pro acceptis beneficiis gratias agere.*
  - *orationis fructum vel effectum, qui*
    - *largissima precum exauditio, quam stabilit*
      - *summenti sanctitas;*
      - *Patris cœlestis voluntas.*
    - *gaudiī perfectio.*
- *Christum cum discipulis colloquentem: colloquium constat*
  - *Christi προστάσει; obscuritatem compensat*
    - *Spiritûs S. pollicitatione;*
    - *futurâ ejusdem operatione;*
    - *suâ apud Patrem interpellatione;*
    - *favoris paterni significatione;*
    - *reconciliationis peragendæ mentione.*
  - *Discipulorum ἀποκρίσει, quâ contestantur*
    - *summam Magistri in docēdo σαφήνειαν:*
    - *divinam ejus παντογνωσίαν:*
    - *firmam fidei suæ πληροφορίαν.*

DISPOSITIO III.

Thema: de modo rectè orandi, cujus certæ præscribuntur regulæ; docet enim & jubet Salvator

- *solum verum Deum invocare:*
- *preces à gratiarum actione inchoare:*
- *in nomine Jesu Christi precari:*
- *peccata humiliter deprecari:*
- *de precum exauditione nihil quicquam dubitare;*
- *cum attentione & devotione cordis orare, quod fit*
  - *cogitationes vanas & alienas removendo;*
  - *sobrietati studendo;*
  - *præsentia & futura perpendendo.*
- *ore apertô vel expressè rogare:*
- *cum distinctione orare:*
- *patienter exspectare. Instiget nos ad serium isthoc precandi studiū*
  - *mandantis auctoritas;*
  - *promissionis*
    - *singularitas;*
    - *liberalitas;*
  - *orationis dignitas;*
  - *summa necessitas;*
  - *maxima utilitas;*
  - *fundamenti stabilitas; nim.*
    - *Spiritûs S. missio;*
    - *propria pro fidelibus intercessio:*
    - *Patris dilectio.*

DOMINICA EXAUDI,

Johan. 15,26.27. & 16,1.4.

DISPOSITIO I.

Propositio tripartita:

- *Spiritus S. discipulis facta promissio; ubi notetur*
  - *promissionis faciendæ occasio;*
  - *ipsa promissio, trib. circumstantiis illustrata;*
    - *quis promittens;*
    - *à quo mittendus;*
    - *quid missurus sit; Spiritum S. is describitur ab*
      - *effectu seu officio; est paracletus, h.e.*
        - *consolator, in*
          - *vitæ hujus calamitatibus & adflictionibus;*
          - *mundi persecutionibus;*
          - *peccati tentationibus;*
          - *mortis insultibus.*
        - *paracletus, in*
          - *legis, satanæ & conscientiæ accusatione;*
          - *nostra cum peccato contentione;*
          - *cœlestis hæreditatis acquisitione;*
          - *tutoria bonorum dispensatione;*
          - *verbi & Sacramentorum administratione:*
          - *sapientiæ subministratione;*
          - *telorum satanicorũ confractione.*
      - *proprio interno procedere;*
      - *glorioso adventu;*
      - *effectu vel officio alio, in*
        - *veri prolocutione;*
        - *testimonii perhibitione.*
- *calamitatum ac persecutionũ futurarum prædictio, in qua*
  - *προθεραπεία, præoccupatio, à causa finali:*
  - *προφητεία, prænunciatio*
    - *ignominiæ, excommunicatio;*
    - *supplicii, internecio.*
  - *αἰτιολογία, causam revelans,*
    - *bonæ causæ imaginationem:*
    - *veri Dei ignorantiam. Dilatatur προκαταλήψει, cujus*
      - *ἔνστασις, cur non præmonuisti?*
      - *λύσις, quia apud vos erã.*
- *consolationis efficacissima subministratio. Solatur discipulos*
  - *benignissimâ Spiritûs S. promissione:*
  - *omnis culpæ vacatione:*
  - *Domini præcognitione:*
  - *Dei improbatione:*
  - *mirandâ liberatione.*

DISPOSITIO II.

Audiamus Christum

- *Spiritum S. Apostolis promittentem, dupliciter*
  - *naturam illius describendo, quoad*
    - *essentiam;*
    - *personam, ubi proprietas S. S. characteristica*
      - *interna, ἐκπορεύεσθαι;*
      - *externa, πέμπεσθαι.*
  - *officium S. S. ostendendo, quod consistit*
    - *ἐν τῷ παρακαλεῖν, in solatio;*
    - *ἐν τῷ ἀληθεύειν, in veriloquio;*
    - *ἐν τῷ μαρτυρεῖν, in divino testimonio, cujus*
      - *objectum;*
      - *ὄργανον.*
- *de cruce ac persecutione futura praemonentem; ubi*
  - *concionis toties iteratae ratio,*
    - *ne offendantur;*
    - *ut reminiscantur.*
  - *crucis ipsius distinctio, in*
    - *spiritualem &*
    - *corporalem.*
  - *causarum tanti furoris adsignatio; faciunt hac ex*
    - *falsa persvasione;*
    - *veri Dei ac Messiae ignoratione.*
  - *subjuncta consolatio, ex*
    - *Spiritûs S. praesentia.*
    - *discipulorum innocentia;*
    - *Dei notitia;*
    - *verbi reminiscentia.*

DISPOSITIO III.

Considerabimus & παρασκευαστικὰ festi Pentecostalis: fiat praeparatio

- *doctrinam de S. S. accuratè discendo & meditando:*
- *nos ipsos probè examinando; an simus S. S. tabernacula, qui cognoscitur ex*
  - *efficaci consolatione;*
  - *veritatis praedicatione;*
  - *Christi testificatione.*
- *devotè orando:*
- *crucem non aversando;*
- *scandala vitando:*
- *dicta & facta Christi subinde repetendo.*

Finit prima pars.

Errata sic corrigantur.

Pag. 3. lin. 8. leg. בָּבֶל *p. 7. lin. 27. leg. hicce. l. 31. verba* [*Christus Rex est respectu triplici*] *hic tollantur, & referantur ad porism. 19. p. 8. ubi, l. 28. leg. impetrari p. 11. l. antepen. addatur* παρενθέσεως *signum prius: (partim &c. p. 18. l. 3 leg. vilitatis p. 19 l. 31. leg. cetera, p. 21. l. 17. leg. vestimentum, p. 26. l. 28. leg. eunte, p. 27. inter ultimam & penultimam syllabam inferatur in medio pagellæ signum numeri binarii majus II p. 29. l. 2. leg.* ἀνακύψατε: *& l. 24. leg.* ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *& l 20. graventur, & l 25. superveniet, p. 31. l. 20. leg. ad specialem singulorum considerationem, p 40. in margine leg. alterius, p. 44. l. 26. leg. & memorabilem, p. 46. l. 16. pro pro -- substitue -- in* בָּבֶל *p 57. l. ult. leg. cōjunctim Lutheromastix, p. 59. l 31. leg. inferna, adjectivè, p. 65. l 19. leg. uti, p. 66. l. 15. leg. alibi, p. 70. l. ult leg. nimis, p. 71. l. 19. leg. sanctimonia, p. 76. l 9. leg. illi, p. 87. l. 13. adde sed, p 105. l. 21. leg.* τῇ μεμνηστευμένῃ, *p. 118. l 34. leg. Maria, p. 134. l. pen. leg. distinctè in feras, p. 136. l. 24. leg. Habes. p. 151. l. 10. leg. famem, p. 157. l. 2. leg. Scheraus, & l. 12. leg. Salvatoris, & l. pen. leg. liberatis, p. 166 l. ult. leg.* κληθήσεται, *p 176. leg. Illa, p. 177. l. 20. leg. cognito p 181. l. 4. leg. in, p. 192. l. ult. leg. meg;, p. 193. l. 6. leg. Marc. 1, 11. p. 194. l. 13. leg. descendit ad ministerium, p. 196. l. 34. leg* ἐκ *Ἰησοῦ, & l. 36. Judææ, p. 204. l. 3. leg. sectari; quarum, p. 205. l. 1. leg. mundani, & l. 24. leg. cæde, p. 214. l. 36. leg. etenim, p. 217. l. 3. leg præfecti, fuerunt. p. 220. l. 1. leg. copias, p. 224. l. 33. leg. celaret, p. 228. l. 13. leg. repertionem, & l. 8. leg. visitandi p. 233. l. 14. leg. officii, p. 238. l. 34 leg. humana Natura, p. 239. l. 14 leg repertione, p. 240. l. 10. leg. fidei p. 242 leg. malitiâ, & l. 13, leg. nimiùm, p. 243. l. 11. leg defendimus, & l. 18. leg. Monachatum, p. 260. l. 30. leg. fidem, pag. 261. l. 26. leg. i. vocandam, & l. 37. leg. Beda, p. 264. l 22. leg. Famulis, p. 267 l. 1. in marg. leg. conjugat. p. 268 l. 28 leg. in officio p. 271. l. 6. leg. Sacramentorum, & l 28. leg. accurata, p. 272. l. 29. leg. divini, & l pen. leg.* εὐσχημόνως, *p. 273 l. 10. leg. facito, p. 274. l 17. leg. contumeliosis, p. 275. l 6. leg loquendi more, p. 281. l. 28 leg. ad marg. ordo, p. 283. l. 13. leg* ἐκαθαρίσθη, *& l. 18. leg* Μωσῆς, *& l 30. leg.* ὑπὸ, *p 284. l 5. leg.* λέγω. *p. 286. l. ult. leg. potentit, p 289 l. 4. leg. longè p. 290. l. 26. tolle particulam, eos, & l. 30. ad marg. leg. Christus Deus. p. 294. l. 12. leg. Hac, p. 298. l. 28. leg fide p. 310 l. 16. leg. 3. non simplici &c. p. 315. l. 16. leg.* ὀλιγόπιστοι, *& l. 20. leg.* ποταπός, *p. 319 leg. in marg. periclitatur, p. 324. l. 7. leg grani, & l. 17. leg. probatur. p. 327. l. 4. leg cetorum. & l. 19. leg. æstibus. p. 328 l. 7. recollectum, & l. 8. leg. trans, & l. 12. leg. sequuntur, & l. 14. leg. alias. & l. 32 leg. Pelarg. p. 329. l. 15. leg. Navis in mari, p. 383. l. 1. leg. novam. p. 335. l. 34. leg. obrutum, p. 337. l. 6. leg. errorem, p. 340. l. 21. leg. permixtos, & l. 33. leg. refert, p. 341. l. 1. leg. aliud, p. 343. l 33. in marg. leg. Ecclesia, p. 345. l 12. leg. 1. Odium, est* ἐχθρὸς, *hostis, & l. 35. leg transformare. p. 348. l. 20. leg. hoc, p. 349. l. 31. leg* ὑποτύπωσιν, *p. 350. l. 19. leg. impiorum, p. 354. l. 16. leg. Ecclesiæ militantis, & l 34. leg supplex, p. 355. l. 15. vel, & l. 28. leg.* εὐδοκίας, *pag 356. l. 14. leg. Lutherum & Philippum, p. 357. l. 28. leg. indignationem, p. 359. l. 32. leg. demessio, p. 363. l. 3. & 4. leg. 1. Cor. 3. 9. Gal. 6. 8. & l. 35. leg. Pharisaico, p. 366. l 10 leg.* καύσωνα. *& l. 32 leg positos, & l. pen. leg. siclum, p. 376. l. 10. leg. duplicem, & l. 13. & l. 13. leg. donarium, p 380. l.*

l. 21. leg. si. p. 381. l. 12. leg. nimium, & l. 16. leg. insolescant, p. 382 l. 1. leg. ab oblatione, p. 383 l. 16. leg. sangvine vinitoris conspersum protrudens, p. 384. l. 13. leg. inferuntur. p. 386. l. pen. leg. Sacramentorum, p. 388. l. 36. leg. 2 Scripturam, pag. 389. l. 22. leg. conqueruntur, & l. 23. leg. intra sese, & l. 25. leg. datus, p. 391. l. 17. leg. ut illa, p. 392 l. 16. leg. non habens. p. 393. l 7. leg. fatebimini, p. 394. l. 3. leg. pulcritudinem, l pen. leg plura, p. 395. l. 18 leg. certo, l pen. leg. Hoc p. 398. l. 13. leg. curioso. & l. 22. leg. in parabolis facere. p. 399. l. 15, leg. fotum, & l. 18. leg. adjunctum, p. 401. l. 15. leg. Servatore petentium, p. 402. l. 4 leg. Hoc. p. 403. l. 26. leg. vellet, p. 406. l. 33. leg. percipiunt, p. 411. l. 3. leg. frequenter. p. 412. l. 1. leg. experietur, p. 413. l. 2. leg. tentationum, p 415. l. 38. leg. Hi, p. 422. l. 20 leg. ἀνάςπως, p. 423. l. 12. leg. trita. & l. 19. leg ἀφίςυνται, & l. 26. leg. φιλήδονοι. p. 425. l. 12. leg similes; p. 426. l. 4. leg. Luc. 18, 3. l. 18. leg. κεχευμμένω, p. 430. l. 13. leg. fuerunt, p. 436. l. 20. in marg. leg. cæcitas, p. 439. l. 31. leg. προσγυμνάζει, p. 440. l. 17 leg. mendicitate p. 447. l. 15. leg. sciendo, pa. 450 l. 1. leg. concludente; & l. 34. leg. Codro, p. 454. l 7 leg. ἐπερώτησιςπίσεως, p. 455. l 2. leg. seorsim, & l. 13. leg. Salvatori; p. 456. l. 14. leg. non quos Deus fecit, & l. 29. leg. non quos Deus fecit, & l. 29 leg. te. p. 458 l. 6. leg. προσηλῦθον. p. 461. l. 13. leg. μικροψυχίαι p. 463 l. 7. leg. tentationi, p. 464. l 12. leg. præscribere p 469 l. 13. leg Angelis p. 471. l. 19. leg Tentatur, & l. 33. leg. impatientia p. 473. l. 9. leg. στιγμῆ. p. 483. l. 33. leg. nos, p. 490. l. 23. leg. ἀμεταμέλητον, & l. 27. leg. deprœliari p. 494. l. 10. leg. fœminas; p. 498. l. 22. leg. gravissimis. p. 504. l. 10 leg. Attendendum, p. 506. l. 35. leg. sive orationis multiplicatio, p. 509. l. 33. leg. adsumtaque, l 25. leg. indignitatisque, p. 514. l. 28. leg. afferenda, & l 35. leg. nescio cujus, cum sanna p. 515. l. antepen. deleatur vox, accipi, p. 522. l. 28. leg. Fidei, p. 523. l. 16. leg. ἐπερεῖς, & l. 26. leg. ἐκβάλλειν, p. 525. l. 2. leg. disputatur, p. 526. l. 22. leg. imprecentur; p. 530. l. 19. leg. Miraculis, p. 532. l. 3. leg. destruit, & l. 30. leg. ab exemplo. p. 542. l. 8. leg. auctori, p. 547. l. 23. leg. irrepat, p. 548. l. 19. leg αὐτῶ, p. 549. l. 28. leg. ἀρπάζειν, p. 550. l. 29. leg Adverbium, & l. ult. leg. viderint, p. 552. l. 29. leg. obolo p. 554. l. pen. leg. sustentanda. p. 562. l. 1. leg. Secunda. p. 564. l. 33. leg. concludunt, p. 572. l. 1. leg. sequebantur, & l. 3. leg. sectabantur p. 565. l. 23. in marg leg. εὐλογεῖν, p. 570. l. 14. leg. stultas, & l. 26. leg. χρεία, p. 571. l. 25. leg. Messiæ, p. 573 l. 13. leg. δαιμόνιον, p. 574. l. 21. leg. hoc, p 576. l. 12. pro 2. pone 3. & l. 26. leg. eos, p. 578. l. 19. leg. anathemate, & l 26. leg. redduntur, p. 579. l. 21. l. 21. leg. beneficium ostentat, p. 580. l. 35. leg. moriatur, l. 37. leg. credere, p. 582. l 34. leg. hoc, p. 584. l. 5. leg. Judæi, & l. 10. leg sycophantarum. p. 585. l. antep. leg. contradicentibus, p. 590 l. 24. leg. Samaritani. p. 598 l. 13. leg. ἡμῖν, & l. 74. leg. ἐσταυρωμένον, & l. 29. leg. eum. p. 607. l. 16. leg. duntaxat. p. 615. l. 11. leg. in verbo, p. 617. l. 23. leg. subministrata. p. 618. l. 17. leg. sequatur. p. 620. l. 33. leg Baptismi. p. 621. l. 11 leg. Oeconomin, & l. 17. leg. Eben-Ezer, p. 624. l. 8. leg. συνφύσασθε, p. 626. l. 37. leg. patuerunt, p. 63[illegible]. l. 2. leg. ad resurrectionis suæ confirmationem, p. 634. l. 1. lege : Christus non novas tulit leges, sed, & l. 26. leg. regimini minist. Eccl. p. 635. l. 11. leg. erraverunt, & l. 13 leg. ratione, p. 640. l. 9. leg. φιλανθρωπία. p. 641. l. 5. leg. meditatione, p. 643. l. 30. leg. demon-

monstruret, p.655.l.25. leg. γινώσκομαι, p.662 l pen. leg. omnes, pag.663.l 32. leg. dum, p.670.l.28. leg. vitam) pro. p. 671.l.12. leg. eas. p.672.l.29. leg preciosè. p.676.p.14. descriptionem p.678.l.11. leg exhibeat, p 681.l. 29. sed de hoc Pastore, p.685.l.28. leg. ad, p 687.l.35. leg. genuinum, & in marg. mentis. p.689.l 1. leg. manifestaturus, p.690.l.34. leg. pluralitatem, & l.38. leg. externa. p 693.l.20. leg. genuinorũ, p.699.l.26. leg. admittuntur, p.704. l. ult. leg. ἄνευ, p.705. l.3. leg. παθήματα. p.707.l.7. faceret. p.7.11.l.1. leg. in divina. p.713.l pen leg. ærumnosa. pag.716.l.21. leg. beatè. l. ult. leg. Synecd. p.717. l.14. leg. ut. p.718. l.8. leg. Servator, p 720. l.14. leg. hac, p.725. l 12. leg. invalidam, p.726.l.7. leg. Rom.3. & l.10. leg. significatione, p.727.l.17. leg. materiam. p.730.l.30. leg. monentur, p. 735. l.11. leg. Canaan. p.736.l.5. leg. sive. p.737 l.25. leg. dominũ. p.739.l.25. abundat, nos, & l.29. leg præterea, & l.36. veritatem, p.740. l.2. leg. inspirationem, p.741.l.35. leg. Christi, p.742. l.22. leg in posterum, p 745.l.5. leg. ocyùs, & l 29 leg. meditatione. p.74 .l.5. leg. convicturus, p.747.l.36. leg præsenti Evangelij, p 748.l.25. leg. ipsis, p 750. l.3. leg. πρωτοζει, & l.8 leg. vobis. p.751 l 1. leg generice, & l.19 leg. vetus. & l. 23 leg. gloria, p. 759.l.16. leg. proventu non ex. & l pen. leg. natura. p.763. l.7. leg. οἶμαι. p.772.l.9. leg. hanc, p.774. l.2 leg. cùm, pag.775. l 8. leg. Christus, & l.26 leg. orat, p 780.l.22. leg. vadit, p.782. l.8. leg. παρρησιῶν. p.784. l.9. leg. accepturus sit, & l.17. leg. expressè orare, & l.23. leg. socordia, p.785. l.26. leg. Πατρὸς, p.788. l.29. leg. legitima, p 789. l.5. leg. ἐκπόρευσις, p.797. l.22; leg persecutionum, p. 798. l.31. leg. aliquot: &, initium, pag.799. l.14. lep. flagellandos, p.807. l.23. leg. pertractatione, pag 808. l. 4. leg. spiritualis, pag.811. l.18. leg. discedunt, p. 813. l.37. leg. nobis.

Cetera æquus ac benevolus Lector pro candore suo facilè emendabit.

In Nomine Jesu Christi
Θεανθρώπου!

DOMINICA I. ADVENTUS
EVANGELIUM

Matth. 21, à verſ. 1. ad 10.

Καὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, τότε ὁ Ἰησοῦς ἀπέστειλε δύο μαθητάς.

2. Λέγων αὐτοῖς· πορεύθητε εἰς τὴν κώμην, τὴν ἀπέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς· λύσαντες ἀγάγετέ μοι.

3. Καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι, ἐρεῖτε, ὅτι ὁ Κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει, εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς.

4. Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ Προφήτου λέγοντος.

5. Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραΰς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου.

6. Πορευθέντες δὲ οἱ μαθηταί, καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς.

7. Ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν.

Et cùm adpropinquâſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem olivarum, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos; Marc. 11, 1. Luc. 19, 29.

2. Dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam colligatam, & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi.

3. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet: & confeſtim emittet eos.

4. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem:

5. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſvetus, & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Zach. 9, 9. Eſa. 62, 11. Joh. 12, 15.

6. Euntes autem diſcipuli, fecerunt, ſicut præceperat illis JESUS.

7. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum ſuper illa collocârunt.

8. Ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐν τῇ ὁδῷ· ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.

9. Οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον, λέγοντες· Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου, Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii verò cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

9. Porrò turba quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David! benedictus qui venit in nomine Domini! Hosanna in altissimis.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PErtinet hoc Evangelium ad genus causarum ἐπιδεικτικὸν sive demonstrativum: continet enim historicam narrationem de celebri & regia pompa, quâ Christus Rex Sionis, asinæ insidens, solemni populi adclamatione, urbem Hierosolymam ingressus est; eô potissimùm fine, ut verum sese Israëlis Regem, ac promissum Messiam ostenderet. Nos enarrationem ejus in tres partes distribuemus, dicturi,

I. De Christi ad ingressum regium præparatione;

II. De discipulorum in ingressu isthoc promovendo occupatione;

III. De læta populi gratulabundi adclamatione.

PARS I.

Primæ partis διέξοδον ingreditur,

I. Circumstantiarum duarum adnotatio, quarum considerat

1. *tempus*, quando ingressus iste contigerit: cùm nimirùm in conspectum urbis Jesus venisset, paucis ante passionem ac mortem suam diebus; postquam Lazarum intimè sibi carum à mortuis resuscitavisset. Qui ad vivum omnia resecârunt, quintò ante Pascha die historiam ingressûs hujus regii contigisse statuunt. Sextô enim die ante Pascha rediit Christus in Bethaniam; sequenti die Hierosolymam perrexit; unde patet, historiam hujus ingressûs incidere in diem quintum ante Pascha, qui fuit dies decimus primi mensis Nisan, ac prima Sabbathi; sive uti hodiè loquimur, dies Solis. Vide D. Gerhard. Harmon. Chemnitio Lyser. part. 1. pag. m. 184.

Joh. 12, 1. Ingressûs Christi in urbem Hierosol. tempus

2. Lo-

1. *Locum*; ubi præparatio isthæc ad ingressum subsecuturum facta fuerit; videl. non procul ab Hierosolymis: (locus hic est remotus vel communis;) prope vicum Bethphage, ad radices montis olivarum; (hic locus est proprius vel proximus;) atque ita mediò inter Bethaniam & Hierosolymam locô. Bethania enim erat ὁδοιπορίας hujus terminus à quo; Bethphage terminus per quem; Hierosolyma terminus ad quē. Est autem Bethphage villa, sic dicta ab Hebræo בֵּית beth, domus, & פַּג pag, vel פַּגָּג pagag ficus, q. d. domum ficuum. Erant enim eo in loco multæ arbores ficulneæ. Alii deducunt à פְּגִיעָה pega, occursus, concursus, ob viarum haud dubiè concursum. (ein Scheidetweg) Vide Itiner. Bünting. lib. 2. pag. 35. Porrò inter villam istam Bethphage & urbem Hierosolymam erat mons olearum, è cujus fastigio tota urbs conspici poterat. Non autem rectâ viâ ex Bethania ad urbem Salvator progreditur: sic enim per torrentem Cidron venisset ad arcem Sionis, à Davide exstructam; sed ipse hac viâ ingredi noluit, ne regnum videretur terrenum adfectare. A via itaque regia ad dextram deflectit, ut per portam ovium (quæ etiam templi porta dicebatur) ingredi Agnus ille Dei posset. Per Bethphage autem non intelligitur solus iste vicus Sacerdotibus destinatus; sed totus iste tractus, ad vicum pertinens.

Bethphage

II. *Discipulorum ablegatio.* Duos ablegat, non tàm ex consvetudine, quàm ex conditione actûs. Jubebantur enim asinam cum pullo adducere, quod sanè ministerium duobus aptius erat, quàm uni. Nomina discipulorum reticentur: probabilis autem videtur eorum sententia, qui Petrum & Johannem fuisse putant: hos enim præ cæteris caros habuit, eorundemque operâ paulò pòst in præparatione Agni paschalis usus est, Luc. 22, 8. Porrò in ablegationis hujus descriptione notandus venit,

1. *Terminus ad quem*, vicus, Græcis κώμη: significat propriè locum mœnibus non cinctum, sive pagum, sive castellum. Vicus autem iste describitur ab adjuncto situ: contra vos est, κατέναντι ὑμῶν, h. e. è regione vestri, ex opposito vel adverso positus. Videtur Christus δεικτικῶς Apostolis demonstrare locum, pagum aliquem vicinum, unde etiam eum non nominat. Sunt qui de Bethania exponunt: sed altera illa de Bethphage sententia plures habet adplausores. Fuit haut dubiè ibi prædium vel diversorium aliquod publicum, in quo habitavit hospes, asinas alens meritorias, quas pro pecunia commodato dedit illis, qui ex itinere lassi montem Oliveti

κώμη.

ti adſcenderent, iisque onera in civitatem Hieroſolymam importarent. Per ſynecdochen itaque generis intelligit ſpeciem, Bethphage. Vide D.Gerh. d.l. pag.195.196.

2. *Signum*, unde aſinam dignoſcerent: invenietis alligatam, & quidem cum pullo ſuo. Voluit autem hac prædictione ſuâ CHRISTUS

1. *animos diſcipulorum de rei certitudine confirmare;*
2. *omniſcientiæ ſuæ majeſtatem demonſtrare*, quâ res è conſpectu remotas, tanquam præſentes, coràm intuetur.

3. *Mandatum Domini:* 1. ſolvite aſinam cum pullo ſuo; 2. adducite mihi, & aſinam & pullum, ut iis tanquam inſtrumentis regii mei ingreſsûs utar.

4. *Eventus ἀπροσδόκητος ſeu inopinatus*, προκαταληπτικῶς propoſitus. Cogitare enim poterant diſcipuli: Quid ſi Dominus jumentorum abſit? quid ſi in noſtrum illa uſum concedere recuſet? Ergóne inſalutatô vel invitô Dominô abducemus? Reſpondet Dominus JESUS: Si ita fieri contingat, dicite modò: *Dominus* (Jehovah) *his opus habet:* & auditô argumentô à neceſſario, confeſtim, h.e. ſine ulteriori dubitatione vel tergiverſatione dimittet eos, aſinam ſc. & pullum: idque ita eveniſſe Marcus & Lucas ὁμοθυμαδὸν commemorant. Dominus autem Chriſtus hîc dicitur ſimpliciter, quia erat abſolutus Dominus, non jumentorum ſolùm, ſed ipſorum etiam dominorum, immò omnium hominum ac totius univerſi. Talis verò ac tantus quanquam eſſet; noluit tamen invitis jumenta eripi & abduci; ſed adductâ neceſſitatis ratione ipſos permoveri. D. Gerh. p. 195.198. 199. 200.

Chriſtus eſt Dominus abſolutè.

III. *Facti ratio*, deſumta à cauſa finali; vaticinii nimir. prophetici impletione; in quo vaticinio rectè enucleando obſervetur

1. *teſtimonium divinum mediatum:* intelligit ſynecdochicè Prophetam Zachariam, qui cap.9,9. cives Hieroſolymitanos, atq; adeò univerſum Dei populum (quem Propheta ἐξηγήσεως ἕνεκα filiam Sionis vocat) ad ſpirituale gaudium exſuſcitat, propter adventantem & ingreſſu ſuô regiô ſe manifeſtantem Dominum Meſſiam, his verbis: *Exulta valdè filia Sion; jubila filia Jeruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & Salvator, ipſe manſuetus*, (Hebr. pauper) *ſedens ſuper aſinam, & ſuper pullum, filium aſinæ.* Hujus autem, tanquam unius ex noviſſimis Prophetis, oraculum Evangeliſta adducere voluit, ne ob humilem Regis ſui ingreſſum Iſraëlitæ offenderen-

rentur. Ceterùm verba illa, dicite filiæ Sion, Esa.62,11. exstant, eaque instar proœmii Evangelista præmittere voluit. Vaticinium verò Matthæus non iisdem verbis adduxit, quibus Zach.9,9. leguntur, quia scopo ejus sufficiens erat, sensum duntaxat exprimere, & lectorem ad fontes propheticos remittere. Vide D. Gerh. part. 1. harm. p.209, ubi integram & suis numeris absolutam dicti prophetici enarrationem invenies.

Matthæus vaticinium Zach.9.9. cur paulò aliter recitet.

2. *Regis demonstratio*, desumta

1. *ex effectis:* Rex tuus venit tibi *justus*, non tantùm ratione suæ personæ, sed etiam respectu nostri, quatenus suâ justitiâ credentes in se justificat & salvat, Matth.1,21. Justus enim est Rex iste Sionis

Christus Rex justus & quomodo.

1. *essentialiter*, quatenus est ipsa justitia 1 Jerem. 23, 6. & 33, 16. 1. Corinth.1, 30.

2. *habitualiter* & inhæsivè, quatenus est ἀναμάρτητος Homo: Hebr.7,26. 2.Cor. 5,21. Esa.53,9. 1.Pet.2,22.

3. *efficienter* & activè, quatenus nos naturâ injustos, h.e. peccatores, justos efficit, idque

1. *imputativè*, per justitiæ suæ imputationem;

2. *inchoativè*, per Spiritûs Sancti donationem;

3. *consummativè*, per plenariam in vita æterna beatificationem.

2. *Ab adjunctis*, mansvetudinis sc. & paupertatis: utrumq; enim vox Hebræa עָנִי denotat: quæ paupertas declaratur ex humili ingressu & vilissimo adparatu; quia sedens super asinam & pullum, filium h.e. fœtum seu prolem (per metaphoram Hebraicam) asinæ subjugalis, Hierosolymam ingreditur.

Πορίσματα & Θεωρήματα Theologica primæ partis.

I. Temporis descriptio evincit, Christum spontè ad passionem suam accessisse; sed de hac doctrinâ alius erit dicendi locus.

Christus patitur voluntariè.

II. Jesum Nazarenum esse verum ac patribus promissum Messiam, patet tùm *ex vaticiniorum propheticorum impletione*, tùm *ex singulari ingressûs regii conditione*, Zach.9,9. Gen. 49,10. Esa.62,11 Mich.5,7. Hagg. 2, 8. Confer ἀπόδειξιν Messiæ seorsim antehac à me editam.

Jesus Nazarenus verus est Messias.

III. Christus Jesus est verus Deus, & verus Homo. Humanitas ejus cognoscitur ex visibili & corporali ingressu; Divinitas comprobatur quatuor argumentis:

Christus est θεάνθρωπος.

Divinitas Christi probatur.

I. Ex πανσοφία καὶ πανσοφία: absens enim videt asinam & pullum, in ipso villæ ingressu alligata, quidque eventurum sit, & scit & prædicit fore. Confer Joh.1,49. Marc.14,13. Luc.19,33. & 22,10.

2. Ex καρδιογνωσία, quâ animos hominum scrutatur, & ad obsequium suum flectit. Matth.4,19. & 9,9. Johann.1,44. & 6,15. Apoc.2,23.

3. Ex παντοδυναμία, hujus namque Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Psal. 24,1. Matth.28,18.

4. Ex κυριονομασία, vocat se Dominum, Jehovam, Deum. Esa.42,8. Psal. 45,7. Jer. 23, 5. 6. Mal.3,2. Rom.9,5. 1. Timoth.3,16. Tit. 2,13. 1.Johan.5, 20.21.

I. Voluit autem hac Divinitatis, omniscientiæ & omnipotentiæ suæ declaratione CHRISTUS

1. *discipulorum animos adversus crucis scandalum confirmare;*
2. *regni sui qualitatem demonstrare;*
3. *futuris suspicionibus remederi*, ne res ista ex composito acta; vel de industria conficta cuipiam videatur;
4. *efficacissimum consolationis fundamentum subministrare;*
5. *peccati* προφυλακτικὸν *nobis proponere.* D.Gerh.p.202.

Majestas divina Christo Homini verè communicata.

V. Testimonium quoque & experimentum infallibile Majestatis divinæ, CHRISTO Homini per unionem personalem verè ac realiter communicatæ, ex forma autem servili elucescentis, hoc locò habemus. Joh.1,48. & 2, 24. 25. & 11,14. Matth.9,24. Luc.22,10. Ephes. 4,10, Apoc.1,13.

Regnum Christi: habet judæos & gentes.

VI. Regnum CHRISTI non est de hoc mundo. Johan. 6,15. & 18, 36.

VII. In regno CHRISTI futuri sunt Judæi, per asinam, & gentes, per pullum adumbratæ. Act.13, 46. & 15,10. Matth.11, 25. Vide D. Gerh. harm. part.1. pag.282.

IIX. Paupertas CHRISTI nostræ divitiæ ac patrimonium nostrum. 2.Cor.8,7. Pf.22,25. Matth.8,20.

Consilium Dei mirabile & spretum.

IX. Mirabile est Dei consilium, & opera ejus coram mundo spreta & abjecta. Esa.28,29. & 55,8. Ps.104,24. & 111, 2. & 139,14. Eccl.7,14. Sir. 11,4. & 18,2.

Ingressûs abjecti causæ.

X. Expendendæ hôc locô veniunt causæ, quas propter Salvator noster Hierosolymam hôc & non aliô modô ingredi voluerit. Causæ istæ sunt partim principales, partim minus principales. *Principales* dico, 1. *regni CHRISTI designationem.* Joh.18,39.

2. *ad passionem præsentationem*, Es.9,6. Luc.24,26.

Mi-

Minus principales & secundariæ fuerunt.

1. *promtitudinis ad subeundam mortem declaratio*. Pſ.40,9.
2. *legis divinæ observatio*. Exod. 23,17. & 34,23. Deut.16,16.
3. *instabilitatis gloriæ humanæ demonstratio*. Copiosiùs his de causis disserit D. Gerh.pag. 260. & seq.

XI. Scriptura sacra non est litera muta sed loquens, idque evincit textus Evangelii vers. 4. ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem. Per literam ergò scriptam ad posteritatem loquuntur Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli. Vide Vindic. Meelführ. th. 63. — Scriptura non est litera mortua.

XII. CHRISTUS Salvator (non electis tantùm, sed) omnibus venit hominibus: venit enim filiæ Sion, h. e. non solùm omnibus Hierosolymorum inhabitatoribus, sed toti populo Judaico, etiam sese non recipienti. Joh. 1,11. Matth. 23,37. 1.Tim. 2,4.

XIII. Est autem non Judæorum tantùm, sed & gentium communis, atque ita catholicus Servator. Hagg.2,8. Gal. 3,33. Luc. 2,11. 31. 32. — Christus Salvator catholicus.

XIV. Fructus & utilitas adventûs CHRISTI in vaticinio Zachariæ habetur. Dona ipsius regalia sunt, — Adventus Christi fructus.

1. *justificatio*. 1. Cor. 1,30. Esa. 53,11. Jer. 23,6.
2. *salvatio*. Matth. 1,21. Esa. 42,2.3. Gen. 49,18. Pſ.68,21.
3. *locupletatio*. 2. Cor. 8,7. Psal.73,25.

XV. Humilis ac mansvetus ideò venit CHRISTUS, ut — Adventus Christi cur tàm humilis.

1. pro superbia primorum parentum satisfaceret;
2. nos non cogeremur conspectum ac præsentiam ejus fugere;
3. adventus hisce primus distingveretur ab ultimo, qui judicii aliquando est futurus;
3. pati ac mori posset;
5. humilitatis & mansvetudinis exemplum nobis præberet;

XVI. Quemadmodum indigentibus & pauperibus non convenit, ditioribus per vim auferre, quæ ipsorum sunt propria: Ita divitibus incumbit, in concedendo bonorum suorum usu faciles sese præbere. 1. Tim. 6,18. — Christus Rex est respectu tri-plici.

XVII. Plura fuerunt in V. T. de hoc Messiæ adventu Prophetarum vaticinia. Pſ.118,24.25.26. Esa. 40,9.10.11. & 44,1.2.3.4. & 62, 10. 11. Zach.2,9.10. Mal.3,1. Soph.3,14.15. 16. 17.

XIIX. De CHRISTO, Messia, Rege & officio ejus regio: 2. Sam.7,12. Pſ.2,6. & 24,7. & 72,11. & 89,28. Zach.9,9. Luc. 1,31. 32. Marc.15, 2. 1.Tim.6,15. Apoc.19,16.

XIX. Rex autem est & dicitur JESUS, respectu

1. *creationis*; ita cum Patre & Spiritu Sancto Rex est & Dominus omnium creaturarum, regens & gubernans omnia. Psal. 5, 3. & 74, 12. & 95, 3.

2. *redemtionis*; Ps. 2, 6. Act. 2, 36. Esa. 49, 24. Luc. 11, 21. 22.

3. *vocationis* ad Ecclesiam, per verbum. Ps. 45, 7. & 110, 2.

XX. Noster verò Rex vocatur, ratione

1. *donationis*; Ps. 2, 8.

2. *promissionis*. Deut. 18, 18. 2. Sam. 7, 12.

Adventus Christi quotuplex.

XXI. De Adventu CHRISTI, tanquam in propria sede, h. l. meritò agitur. Est autem adventus ejus geminus potissimùm;

1. *humilis sive humiliationis*; huc spectat adventus

1. *incarnationis*, quem Bernh dicit adventum ad homines. Gen. 49, 10. Ps. 40, 8. Es. 35, 4. Hagg. 2, 8. Matth. 11, 3.

2. *redemtionis*: Esa. 59, 20. & 63, 1. Matth. 5, 17. & 20, 28.

3. *sanctificationis*: Esa. 56, 1. Matth. 9, 13. & 18, 11. Joh. 14, 23.

2. *Sublimis sive glorificationis*, qui futurus est judicii, in die novissimo exspectandus. 2. Par. 16, 33. Psal. 96, 13. & 98, 9. Dan. 7, 13. Matth. 16, 27. & 24, 30. Apoc. 1, 7.

Regni Christi conditio

XXII. Per asinum, quô CHRISTUS vectus, regni ejus in hoc mundo denotatur conditio. Ps. 73, 22. Soph. 3, 12. Johann. 7, 48. 49. 1. Cor. 1, 26. Ps. 8, 3. Luc. 12, 32.

XXIII. CHRISTUS in hominum conversione & regni sui propagatione ministeriô discipulorum utitur. Ezech. 3, 17. & 33, 7. Luc. 10, 16. & 16, 29. Joh. 17, 20. 1. Cor. 3, 5. 2. Cor. 5, 20. Eph. 4, 11.

Proprietates dominiorum.

XXIV. Proprietates dominiorum non tollit, sed stabilit Christus, bona cum dominorum voluntate asinæ & pulli usum impetrare jubens. Pro. 16, 18. 1. Thess. 3, 12. Pro. 5, 16.

Subditorū bona non absolutè in potestate Magistratûs.

XXV. Bona subditorum non sunt absolutè in potestate Dominorum, Regum ac Principum. Esa. 1, 23. & 10, 1. 2. Soph. 3, 3. Mich. 3, 2. 3. Exod. 22, 25. Pro. 22, 16. 1. Reg. 21, 1. 2, & seqq.

Papæ superbia confunditur.

XXVI. CHRISTUS, humilitatis & mansvetudinis exemplum, confundit luxum & superbiam Romani Pontificis. Matth. 11, 29. Luc. 22, 26. 1. Pet. 5, 5. Phil. 2, 5.

Mansuetudinis Christi demonstratio.

XXVII. Mansuetudinem suam declaravit Dominus JESUS, hodieq; declarat,

1. *in veniæ oblatione*; Esa. 42, 1. 2. & 50. 2. Psal. 45, 3.

2. *in Evangelii prædicatione*; Matth. 11, 5.

3. *in fideli intercessione*; Luc. 23, 34.

4. *in lacrymarum profusione*. Luc. 19, 41.

Pars II.

PARS II.

In secundæ partis explicatione conspicitur discipulorum circa præsens negotium apparatus & studium, in quo observationem simul ac commendationem meretur;

1. Humilis eorundem obsecundatio; obedientia optima reverentia: Hinc verò sponte fluit

2. Sedula mandati exsecutio, quæ demonstratur ex effectis. Mandato enim Magistri satisfaciunt legati

1. confestim abeundo, sive proficiscendo: illi enim profecti abierunt.

2. faciundo, sicut præceperat JESUS, de successu & eventu interim planè ἀμέριμνοι. Tergiversari utique aut moras saltem nectere potuissent, si rationis suæ judicium sequi voluissent: illi autem nihil horum attendentes, rectà pergunt, quò illos abire Dominus jusserat.

3. asinam cum pullo inventam solvendo, etiam ante impetratam à possessore jumentorum potestatem. Non mandatum enim solum, sed & ordinem agendorum acceperant in mandato præscriptum, κατὰ πόδα itaque illud sequuntur, quod in mandatis habebant. Solvere jumenta, non compellare, non veniam rogare, non potestatem exorare jussi fuerant. Confer Marc. 11, 4.5. Luc. 19, 33. 34.

4. adducendo: ita fecerunt, sicut præceperat illis JESUS. Si profecti tantùm fuissent, & jumenta ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, quod Marcus habet, inventa solvissent, CHRISTO autem ea non adduxissent; nondum omnes legationis sibi decretæ partes explevissent.

5. vestimenta sua jumentis imponendo, ut eis pro ephippio CHRISTUS uteretur. Per τὰ ἱμάτια intelliguntur, D. Gerhardô interprete, pag. 269. summæ & exteriores vestes, quæ interioribus superinjiciuntur, quibus sine corporis denudatione carere quis potest. Vestimenta illa sua corporibus detrahunt propriis, iisque honoris CHRISTO exhibendi ergò animalia sternunt & ornant discipuli, ne nuda eorum terga incommodè ac parùm honorificè premere Salvator cogatur. Porrò super utrumque jumentum, per vices tamen, sedisse & inequitâsse CHRISTUM, aliquot in medium productis rationibus ostendit D. Gerhard. d. l. pag. 271. cui ὁμόψηφος est. Dn. Joh. Meelführer. in vindic. th. 32. 33. 34. Simile quid factum in unctione & coronatione Regis Jehu, 2. Reg. 9, 13. est legere.

ἱμάτια quid.

utroq; usus est jumentô Christus in ingressu.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Obedientia Deo debita

I. Mandata divina simplici fide, sine ulla vel exceptione, vel tergiversatione exsequamur, exemplô Abrahæ Gen. 12, 17. & 22. aliorúmque piorum. 1. Sam. 15, 23. Psal. 81, 14. Rom. 6, 19. & 16, 19. Phil. 2, 8. Joh. 2, 5.

II. Si enim veri ac genuini CHRISTI discipuli audire cupimus, credenda & facienda nobis noverimus esse ea, quæ in verbo suo ipse præcepit & præscripsit. Joh. 8, 31. & 15, 14. 1. Tim. 6, 3.

Rationi absurda, Christo possibilia.

III. Quæ rationi nostræ videntur absurda, stulta & impossibilia, CHRISTI sapientiâ & potentiâ sunt æstimanda. 1. Corint. 1, 24. & 2, 14. Esa. 55, 8. 9. 2. Cor. 10, 5.

IV. Homines opera sua splendidè & cum adparatu ordiuntur, sed in medio conatu plerunque deficiunt: Deus res suas coram mundi oculis pueriliter inchoat, sed laudabiliter & cum admiratione ad exitum præclarum perducit. Esa. 14, 27. & 28, 29.

Caro asinus

V. Caro nostra est piger & refractarius asellus, CHRISTO adducendus & refrenandus. Psal. 32, 9. Proverb. 26, 3. Roman. 8, 12. Galat. 5, 24.

VI. Mundus sæpè præter voluntatem animique sui institutum CHRISTI gloriæ inservire & velificari cogitur. Exempla habes Dan. 2. & 4. Luc. 2.

Christi potentia in exinanitionis statu.

VII. CHRISTUS in medio exinanitionis suæ statu divinam potentiam, in mutandis & regendis hominum cordibus, exserit. Psal. 33, 14. 15.

IIX. Non sufficit solvere pullum, h. e. novum hominem à vinculis traditionum humanarum liberare & absolvere, sed oportet, ut & asina & pullus, h. e. vetus & novus homo CHRISTO adducantur, & in obsequium ejus tradantur. Matth. 11, 28. 1. Corint. 7, 23. 2. Cor. 5, 15. 1. Pet. 2, 16. Vide D. Gerh. d. l. pag. 269.

Christus agit per media.

IX. In collectione Ecclesiæ ex Judæis & gentibus ministrorum operam adhibere CHRISTUS voluit; agit enim nobiscum per media Actor. 16, 17. 1. Cor. 3, 5. 9. & 4, 1.

Adventus Christi promovendus.

X. Adventum CHRISTI pro virili promovere quisque piorum studeat, ut ipsi ingressus spiritualis in corda hominum pateat. Psal. 24, 7. 9.

Ministri verbi pro Christi nomine omnia

XI. Exemplô discipulorum, vestimentis suis in honorem CHRISTI sese exuentium, monentur verbi cumprimis præcones, ut & ipsi pro CHRISTI nomine facultates & vitam quoque, si usus ita

fe-

ferat, deponere parati sint. Matth. 10, 32, 39. & 19, 29. Johan. 12, 25. Act. 21, 13.

deponere parati sint.

XII. Discipuli non seipsos, sed CHRISTUM asinæ imponunt: ita ministri non debent seipsos, aut sua somnia, sed CHRISTUM prædicare. 2. Cor. 4, 5. 1. Cor. 2, 2.

XIII. De conferendis eleemosynis ad cultûs divini, Ecclesiarum & Scholarum conservationem. Esa. 49, 23. Mich. 4, 3. Matth. 9, 16. Exod. 23, 14. 15. Deut. 12, 19. & 16, 17. Prov. 3, 9. 1. Cor. 9, 7. seqq. Gal. 6, 6. 7. 8. Matth. 10, 40.

Eleemosynæ erogãdæ

XIV. Unusquisque nostrûm alligatus est peccatorum vinculis; optemus igitur, ut & ad nos mittat discipulos suos JESUS, ut solvat vincula, quibus unusquisque nostrûm innodatur. Athanas.

XV. Demus operam sedulò, ut exemplum discipulorum imitati, dignè adventantem Regem Sionis tractemus & excipiamus,

Adveniens Christus dignè ut excipiendus.

1. *mandatis ejus promtè parendo:* Psal. 110, 3. Johann. 15, 14. 1. Sam. 15, 23.

2. *honorem ei debitum exhibendo:* Ps. 29, 1, 2. 1. Sam. 2, 30. spoliant honore CHRISTUM debitô ἀγιολάτραι; Esa. 42, 8. hypocritæ & peccatores promiscuè omnes. Rom. 2, 24. 1. Cor. 10, 31.

3. *asinam & pullum ei adducendo,* suum hac in parte officium sedulò facientibus Ecclesiarum Doctoribus, Reipub. gubernatoribus, & omnibus œconomiæ administratoribus:

4. *regnum CHRISTI καθ᾽ δύναμιν promovendo,* & vel vestes ingredienti substernendo: jam nudus CHRISTUS inequitat & inambulat; verendum ne è finibus nostris, contemtûs & ingratitudinis nostræ pertæsus, egrediatur iterum:

Quas quondam pietas nostrorum struxit avorum
Ædes, heredes devastant more luporum.

5. *nomen CHRISTI publicè confitendo.* Phil. 2, 11.

PARS III.

In populi gratulabundi occursu, comitatu & fausta adclamatione notanda veniunt duo:

I. *Adjuncta,* circumstantia & concomitantia, ceu sunt comites, sive turba præcedens & sequens, atque ita CHRISTUM, partim ex Bethania simul gradiens, partim ex urbe Hierosolyma in occursum ipsius adveniens,) tanquam verum omnium Mediatorem, in-

medio deducens: quemadmodum hujus quoque seculi Reges & Principes in solemniori aliquo ingressu nec primi, nec postremi, sed in medio agmine conspici solent.

II. Effecta, cujusmodi sunt

1. Πραχθέντα: populus enim universus, tàm præcedens, quàm sequens suum erga Regem Zijonis adventantem studium, suamque ei subjectionem declarat,

1. obviam ipsi procedendo, nihil veritus minas Pontificum;

2. catervatim illum comitando; utrumque est honoris & reverentiæ;

3. vestimenta ei substernendo, quod est liberalitatis & beneficentiæ: tanta erat vis exempli in discipulis; comendatione vel maximè dignum opus! Si fecerunt hoc viri honorati ac divites, tum vestes procul dubio fuerunt elegantiores, ac preciosiores; sin verò pauperes ac sortis inferioris homines, tum fuerunt illis hæ vestes tantò cariores; utroque modò CHRISTI gloriæ velificantur:

4. ramos ex arboribus cædendo & in viam spargendo, quod fuit & lætitiæ, & elegantiæ sive ornamenti singularis. Rami Græcis dicuntur κλάδοι, surculi, qui deputari solent, quales sunt anniculi, pullulantes ἐκ τῶν ὄζων, quæ crassior ramorum pars est, ex ipso stipite enascens. Innuitur itaque, magnam ramorum tenellorum copiam in viam fuisse sparsam, qui, utpote flexiles, ingressum non impedierunt, sed ornârunt. Porrò ramos istos cæsos fuisse adserit Evangelista ἐκ τῶν δένδρων, ex arboribus fructiferis, e. g. oleis, palmis, ficubus, quarum in monte oliveti magna erat copia. Virentes illos fuisse, extra omnem dubitationis aleam ponimus. Arbores enim in regionibus orientalibus citiùs, quàm in nostris virescunt. Mensis autem Nisan nostro respondet Martio. Ramos itaque turba spargebat

1. in via ornamentum;

2. in lætitiæ documentum;

3. in honoris CHRISTO exhibendi argumentum. Gerh. p. 288.

κλάδοι.

δένδρων.

2. Λεχθέντα; nam & accinendo & adclamando Regem Messiam exceperunt Judæi. Adclamatio ista amplificatur recitatione formali: *Hosanna Filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini! Hosanna in altissimis!* Quæ verba ex Psal. 118, 25. 26. desumta, vox sunt gratulantium, DEUMque pro salute novi Regis invocantium; cui felicia quævis suô quoque locô ex animo comprecantur.

Ce-

Ceterùm votiva hæc προσφώνησις, qualis à Matthæo descripta habetur, tribus constat versiculis.

I. Primus est; *Hosanna Filio David!* Hosanna vox est origine suâ Hebræa, quam retinuerunt Evangelistæ, non quòd vertere eam commodè nequiverint; sed quia familiaris erat Hebræis adclamatio, in festo præsertim τῆς σκηνοπηγίας sive tabernaculorum. Significat autem הוֹשִׁיעָה־נָּא salva obsecro, salutem quæso adfer. הוֹשִׁיעָה enim est imperativus in Hiphil, à R. יָשַׁע salvavit; נָּא autem factū est per ἀφαίρεσιν τῆ א, pro אָנָּא, estque interjectio obtestantis, efflagitantis, blandientis; obsecro, quæso: Augustino est interjectio lætantis. Vide plura in disposit. Psalt. decade 12.

Hosanna.

Quæritur hoc locô I. Cur apud Evangelistas legatur Hosanna, non Hoschianna? R. In Græca lingva εὐφωνίας ἕνεκα litera jod fuit elisa, quod in hoc ipso vocabulo usus lingvæ admittit. Ps. 86, 2. Jer. 31, 2. Pro ע verò & ה paragogico in Græca & Latina lingvis posita est vocalis a, retentô Nun geminô, ex נ dagessato: quæ denique voces in unam melioris pronunciationis gratiâ sunt contractæ. Vide D. Gerh. d. l. pag. 305.

Hosanna non Hoschianna cur legatur.

2. Quæritur, quid sibi velit casus Dativus, Filio David? R. Sententia est semiplena, ab auditoribus supplenda, uti in ejusmodi fieri consvevit adclamationibus; ut sit sensus: Hosanna h. e. salutem adfer quæso; vel salva quæso, ô Deus; Filio David, scil. hoc precamur. Est enim votum populi Judaici, Regi Messiæ fausta precantis, ac petentis à Deo, ut ipsi benedicat, felicem ac prosperum successum regno ejus largiendo, illudque conservando & crescere faciendo.

II. Secundus versiculus est: *Benedictus, qui venit in Nomine Domini!* Lucas cap. 19, 38. & Johannes cap. 12, 13. exprefsè addunt vocabulum Regis: talem enim fore Messiam ex vaticiniis Judæi propheticis didicerant. Duo autem hôc versiculô continentur:

1. *Gratulatio*, quâ benè precantur Regi Messiæ, salutem, prosperitatem, incrementum, ac conservationem regni ipsius optantes εὐλογημένος, sc. ἔστω, benè sit huic Regi! sit benedictus à Deo! Dei autem benedicere est benefacere.

Dei benedicere est benefacere.

2. *Vocatio:* dicitur enim venire in nomine Domini; h. e. non ingerere seipsum, sed à Deo mitti. Venire autem in nomine Domini, est ipsô mandante, vocante, mittente & regente venire, in Dei gloriam & hominum salutem.

Venire in nomine Domini quid.

III. Tertius versiculus est: *Hosanna in excelsis!* ἐν ὑψίστοις, sc. ὢν, vel ὁ ἐν ὑψίστοις, salva nos quæso, ô Deus, qui es in excelsis! Repetitio est signum adfectûs serii, & ardoris in populô maximi, quô testabatur, se ex animo Christum, ut Regem, recipere & honorare; neque enim semel atque iterum, sed crebrò & ad singulos q. passûs illud suum Hosanna decantârunt. D.Gerh. d. l. pag. 313.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Ecclesia cõstat ex simplicioribus. I. Facies Ecclesiæ ob oculos hic nobis constituitur, quòd constet illa ex simplicioribus. Soph.3,12. 1.Cor.1,26.27. Matth.11,25. Psal.33,18. & 113,6. Joh.7,48.49

Ministerii sustentatio. II. Meminerimus & nos vestes nostras exuere, & Christo libenter ac promtè subjicere, h. e. de facultatibus nostris ad ministerii sustentationem aliquid conferre. Esa.58, 7. Matth.25, 40. Psal.41,1.2.3.

Christi ingressus spiritualis. III. Christus hodieque ad nos ingreditur, *tùm* fidem accendendo, *tùm* in nobis habitando. Joh.14,23. Eph.3,17. Ps.24,7.

IV. Accinamus & nos Regi nostro, h. e. beneficia Adventu ejus nobis parta & parata gratâ mente recolamus. Matth.6,10. Luc. 8,8. Psal.118,25.26. 2.Thess.3,1. Apoc.8,12.

Christus arbor viridis. V. Christus est viridis illa arbor, quæ umbraculum nobis præbet contra iræ divinæ æstum. Luc.23,31, Zach.6,13. Apoc.2,7.

Christus benedictus. VI. Christus verè dicitur benedictus; in Ipso enim benedicendæ erant omnes gentes. Genes.12,3. & 18,18. & 22,18. & 26,4. Act.3,26. & 4,12.

Voce sonorâ in Ecclesia canendũ VII Non pigeat, nec pudeat nos sublatâ ac sonorâ voce beneficia Christi in publicis congressibus deprædicare. Psal.34,1.2.1.Cor. 14,15. Eph.5, 19.

Adveniens Christus dignè ut excipiendus. IIX. Demus operam, ut ad nos adventantem Christum dignè excipiamus; *1. portas*(cordis)*aperiendo*; Ps.24,7. Apoc.3,20.
2. de regno ipsi gratulando; Psal.68,29. & 84.10. Coloss.1,13. Apoc.12,11.
3. hospitium in corde præparando; Johan.14,23. Eph. 3,17.
4. constanter perseverando; Matth.10,22. Apoc.2,10.

Præster hanc nobis gratiam benedicta Trinitas, Amen.

DIS-

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

DEscribitur hâc περικοπῇ historia diei Palmarum, continens regium Christi (Messiæ) in urbem Hierosolymam ingressum. Nos hac vice contemplabimur, *I. Regem ingredientem;*
II. Comitatum unà gradientem & adplaudentem.

PARS I.

Pro meliori partis primæ intelligentia, tria potissimum sunt notanda:

I. *Circumstantiarum quarundam annotatio.* In ingressu enim Christi regio describendo Evangelista per circumstantias procedit, ostendens

1. Quis Rex? JESUS CHRISTUS, DEI & Mariæ Filius, Salvator noster θυμηρέστατος. Rex ille est & dicitur duplici respectu:

1. πατρόθεν; quia Pater ipsius est (ratione Divinitatis) Rex Regum & Dominus dominantium 1. Timoth. 6,15. Psal. 2,6.7. & 48,3. Dan. 2,47. Sir. 1,8. Apoc. 19,16.

2. μητρόθεν; mater enim ejus (ratione humanitatis) Maria ex regia Davidis stirpe fuit oriunda. 2. Sam. 7,12. Luc. 1,27. & 2,4.

2. Quando ingressus iste contigerit? In ultima Christi profectione, ipsô Palmarum die festô, cùm nuper in Bethania Lazarum ex morte in vitam revocâsset. Joh. 11,43. seqq.

3. Ubi? Locus unde ingressus initium facturus, (terminus à quo) est Bethphage & mons olivarum. De Bethphage villa diximus præcedente dispos. Mons olivarum itinere Sabbathi Hierosolymis distans, Act. 1,12. est & ipse in sacris satis celebris, tùm præsenti historiâ, tùm Christi passione & ad cœlos adscensione. Hinc enim Regem sese Judæis ac verum Messiam obtulit; hinc ad crucem processit; hinc ad gloriam Patris adscendit. Locus vel terminus ad quem tendit, est Hierosolyma, metropolis illa regni Judaici totô quondam oriente florentissima.

Mons olivarum.

4. Quibus auxiliis? Utitur in hoc quoq; ingressu suo, quemadmodum alibi, discipulorum suorum ministeriô: hi enim omniũ dictorum & factorum Christi testes erant ἀξιόπιστοι futuri. Non autem omnes, sed ex omni ipsorum numero duos saltem elegit Salvator, quorum operam ministerialem adhibere jam voluit. Matthæus

thæus dicit, Christum eos misisse in vicum ex opposito situm. Missio isthæc absolvitur

1. *mandando*; jubet enim asinam cum pullo alligatam dictô locô solvi, & sibi ad pompam ingreßûs regii adduci.

2. *prænunciando*; invenietis jumenta alligata.

3. *informando*; ut in casum, vel contradictionis, vel recusationis, qui evenire poterat, (& reliquis attestantibus Evangelistis verè evenit) scirent, quid respondere deberent: *dicite, Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.*

Posterius hoc comma duplicem admittit interpretationem. Vel enim hæc dicuntur respectu discipulorum, ut sit sensus: dominus jumentorum statim, meô auditô nomine, concedet vobis asellos: Vel dicuntur respectu ipsius Christi, hoc sensu: Dominus utetur jumentis, sed eadem illicò, ubi usus eis fuerit, huc remittet. Minutiora hæc sunt: Illud autem ponderis aliquid habet, quod quæritur: Utrum asinâ simul & pullô Salvator inequitaverit? Per vices hoc contigisse plerique Theologorum, nostratium etiam, statuunt. Sunt tamen & alii, qui pro pullo solùm concludunt. Etsi enim solus Matthæus utriusque, & asinæ & pulli, mentionem fecerit; & ubique de utroque locutus fuerit jumento; quin Zacharias quoq; Propheta eò inclinare videatur: illud tamen præponderare meritò debere censent, quòd reliqui tres Evangelistæ (Marc. 11, 2. 4. 7. Luc. 19, 33, 34. 35 Johan. 12, 15.) non nisi solius pulli, super quem sedisse Christus commemoratur, mentionem faciant. Neque enim potuisse simul Servatorem utrique insidere; nec esse verosimile, tàm brevi itinere ipsum jumenta mutâsse: aut præter decorum asinâ vehi voluisse. Illud autem in Zacharia esse ἐξηγητικόν. Utrumq; quidem adduxisse discipulos, non quòd utrique insidere voluisset Dominus; sed ut pullum asina sequeretur mysterii insinuandi ergò. Ita quidem ratiocinatur D. Calixtus, in Concord. 4. Evangelist. pag. 354. sed legantur quoque in contrarium rationes D. Gerhard. part. 1. Harm. pag. 271. & fiat judicium: res est quæstionis, non fidei. Nos ex dictis colligimus

Christus in ingressu suo utroq; jumentò us9; quod alii negant.

5. *qualis Rex fuerit?* Coram mundo nimirùm; illud verò & adparatus & ingressus docet; Incedit enim

Christus qualis Rex coram mundo.

1. *contemtus & despectus*;

2. *pauper & abjectus*; idque probatur, tùm ex vili *comitatu*; tùm ex misero *equitatu*. Talis est in oculis mundi: alius verò in oculis Dei, Angelorum & fidelium, atque hinc jam progredimur ad secundum in textûs Evangelici explicatione ἀξιομνημόνευτον, quod est,

II.

II. *Ingressûs Dominici condecoratio*, ratione cujus ingressus simul est *1. gloriosus & majestate plenus*, quippe in quo conspicitur radius coram Deo.

1. πανσοφίας, divinæ sapientiæ;
2. καρδιογνωσίας & omniscientiæ;
3. παντοκρατορίας, omnipotentiæ. Majestatis enim & divinæ erat potentiæ indicium, quòd domini jumentorum, ad solam voluntatis ejus significationem, usum illorum concesserint, & omnia, ut discipulis prædixerat, evenerint; unde ingressus & adventus ipsius adparet etiam

2. exoptatus & acceptus, Ecclesiæ nim. suæ, tàm V. quàm N. T. quæ filia Sionis communiter adpellatur.

III. *Facti ratio:* Huc facit propheticum à Matthæo ex Zach. 9,9. allegatum testimonium, quod continet,

1. propheticam compellationem; dicite filiæ Sion! Ubi per Sion intelligi non potest mons aliquis terrenus; sed regnum Messiæ notatur spirituale, quod usitatè vocatur Ecclesia. D. Finck. lib. 2. can. 99. Sion h. e. Ecclesia.

2. Adventûs denunciationem, tanquam exultationis & jubilationis causam. Ecce! est hoc locô δεικτικὸν καὶ προσεκτικόν.

3. Regis adventantis delineationem; introducitur hîc ut

1. *Rex justissimus*;
2. *Salvator benignissimus*;
3. *Justificator mansvetissimus*;
4. *Eques pauperrimus*;
5. *Homo humilimus*.

USUS I. Informatorius.

I. De vero patribusque V. T. diu multumque promisso & exspectato Messia, quòd iste sit Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Rex est, sed non terrenus, Johan. 18,36. verùm cœlestis, vili quantumvis specie incedens, Rex tamen est & manet Messias verus est Dominus Jesus

1. præstantissimus; Ps. 24,1.7.9. Dominus de cœlo; 1. Cor. 15,47 h. e. ipse DEUS: Esa. 39,4. Jer. 23,6.

2. nobilissimus, ratione Patris ac matris; Psal. 2,5. Mat. 22,42. Rom. 1.3. & 9,5.

3. purissimus & sanctissimus; Esa. 53, 10. Zach. 9,9. 2. Cor. 5,21.

4. humanissimus & mansvetissimus. Matth. 11,28: 29. Joh. 6,37. Esa. 42, 3.

Inspice huic Regi planè disparem Papam Romanum, fastu & splendore nimiô turgentem, imò Reges mundi alios longô post se in- Papa Christo absimilis.

tervallô relinquentem; habebis non Christi, sed satanæ vicarium. Externa apodicticè nihil probant.

Humilitatis in Christo causæ.

II. De causis tantæ & humilitatis & utilitatis; quarum est

1. regni qualitas & conditio; Dan.7,14. Matt.20,28. Joh.18,36.

2. nostra ad humilitatem instructio. Matth.11,29. Col.3,12. Phil. 2,5. Luc.18,14. 1.Pet.5,5. Joh.13,15. August. *Erubescat homo esse superbus, quia humilis est factus Deus.*

Messiæ beneficia.

III. De fructibus, privilegiis & beneficiis Messiæ, unicô Zachariæ dictô expressis: hujusmodi sunt.

1. exultatio; Rom. 14,18. Luc. 1,44. & 2, 10. Galat. 5, 22. Gaudium intellige non mundanum & externum, sed cœleste & internum, quod ab illo differt, ratione originis, materiæ, formæ & finis. Vide D. Finck. postill. h. l.

2. Filiatio; Ecclesia dicitur filia Sion: Joh.1,12. Rom.8,17.

3. Regni consociatio: Tibi venit Rex: Psal.103,4. 1.Pet.2,9. Col. 1,12. 13. Noster est ratione
- *1. incarnationis*; Esa.9,6. Joh.1,14.
- *2. redemtionis*; 1.Cor.6,20. 1.Pet.1,18.
- *3. instructionis*; Joh.13, 15.34.
- *4. glorificationis.* Rom.8,30. Joh.12,26 & 17,24.

4. Justificatio; justus enim est, non sibi tantùm, sed & nobis. Esa.53,11. Jer.23,6. 1. Cor. 1,30. 2.Cor.5, 21.

5. Salvatio. Matth.1,21. Gen.49,1. Psal.68,21. Luc.2, 11.30. Vide præced. dispos.

6. Locupletatio. 2. Cor. 8,9. Matth.8,20. Psal.73, 25. Ambros. *Etiam nihil habens omnia habeo, quia Jesum habeo.*

Subditorũ Christi Regis officia.

IV. De subditorum officiis; relatè enim se habent hæc duo, Rex & subditi, à quibus Rex Christus requirit

1. januam cordis apertam;

2. vestem substratam;

3. lingvam ad laudem & confessionem Regis paratam.

II. Consolatorius.

Consolatio contra peccatum.

1. *Contra peccatorum tentationem*; quatenus Christus Jesus, Rex & opitulator noster, justus & justificans, adventu suô nos liberavit ab omni peccato, morte, diabolo & inferno. Zach. 9, 9.10. Ose.13,14. Esa. 43, 1.25. & 44, 22. Apoc.7,17. Matt.20,28. 1.Pet.1,18.19.

2. *Contra Legis maledictionem*; Deut.27,26. Gal.3,10. Col.2,14. Rom.8,3.

3. Con-

3. *Contra conscientiæ trepidationem.* Rō.5,1. 1.Joh.1,8.Heb.9,14

4. *Contra hostium insultationem.* Psal.3, 2.seqq. & 20, 8. 9. 1. Sam.17,45.

5. *Contra mundi contemtum & despectionem.* Mat.5,11.& 10,24

Paupertati opponenda consolatio.

6. *Contra paupertatis exprobrationem.* Christus Regum omnium ditissimus, propter nos pauper factus, ut nos in cœlo locupletaret. Matth.5,3. & 8,20. Phil.2,6. 2.Cor.8,9. Psal.73,25.

III. Monitorius.

1. Ne scandalizemur exiguâ Regis hujus specie. 2.Cor.8, 7. Matth.11, 6.

2. Ne clam peccata committamus: Christus enim scrutator est cordium nostrorum. Sir.23,28. Psal.139,12. 1. Cor.4,5.

3. Ne quæramus in regno Christi terrena: Matth. 19, 23. Coloss. 3, 1. 2.

4. Ne crucem, contemtum & paupertatem ferre detrectemus.

5. Ut sceptro ejus sponte subjiciamur.

IV. Refutatorius.

Pontificum Romanorum, δὶς διὰ πασῶν ab humilitate Christi dissidentiū, quorum fastus & insolentia evidenter arguit, ipsos spurios esse Regis hujus vicarios. Specimen fastûs Antichristiani qui desiderat, is legat ingressum Clementis IIX. Ferrariensem, in Schol. proph. D. Crameri classe 4. pag.172. 173. 174.175. ubi descriptionem illius pompæ his verbis concludit: *Quis ergò hanc pompam Ferrariensem cum ingressu Jerosolymitano conferens neget, Pontificem Rom. esse Christi vicarium? qui moribus Christo tàm similis est, ut diabolus Angelo, tenebræ luci. Christus enim (inquit Chrysostomus) non sedet in curru aureo, pretiosâ purpurâ fulgens, nec ascendit super fervidum equum, discordiæ amatorem & litis; sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam. Non vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergò mansvetus, non ut propter potentiam timeatur; sed ut propter mansvetudinem amaretur.* Confer D. Gerh. Harm. pag.276.

PARS II.

Consideravimus Regem, contemplabimur etiam Regis comitatum, vel subditos. Habet autem ille in comitatu suo cœtum hominum duplicem:

I. *Discipulorum*, quorum animadvertitur ac meritò laudatur

1. promta obœdientia; quò spectat, quòd illos profectos Evangelista fecisse dicat, sicut præceperat eis Jesus. Nec caret res successu: eventus enim respondet prædictioni, & in omnibus verum Christi sermonem deprehendunt.

2. Magna in ingressu promovendo diligentia. Neque enim simpliciter adducunt asinam & pullum ad Christum, sed vestimentis insuper propriis superinjectis jumenta ornant, Christumq; Regem super-imponunt.

II. *Populorum*; meminit enim Evangelista noster πλεῖστυ ὄχλυ, vers. 8. & ὄχλων τῶν προαγόντων καὶ τῶν ἀκολουθούντων, vers. 9. Nullus Rex iste habet aulicos, sed homines de plebe gregarios, qui docentem multoties audiverant, & miracula ejus conspexerant. Emphasi non caret, quòd dicitur, non πολὺς, sed πλεῖστος ὄχλος; tota enim fermè urbs videtur effusa ad insolitum hunc Regis Messiæ ingressum. Declarant autem populi isti suam

1. erga Christum reverentiam & observantiam, viam sternendo: Regibus enim ac Principibus hic honor solebat deferri:

2. beneficentiam; 1. vestes proprias in via ipsi subjiciendo, quod deditionis & submissionis erat argumentum;

2. ramos de arboribus cædendo:

3. lætitiam; hymnum Christo εὐχαριστικὸν adcinendo. Turba enim in duos q. cœtus, antecedentium & consequentium, divisa, ipsi ex Ps. 118, 25. adclamat: Hosanna Filio David &c. hoc ipsô hymnô

1. Jesum Nazarenum verum Messiam, patribus, etiam Davidi & posteris ejus, promissum, proclamantes *publicè*;

2. adventum illius Deo commendantes *unicè*;

3. fructum ejus ad se quoque spectare significantes & lætantes *mirificè*. Vide δοξολογίας hujus uberiorem expositionem dispos. præced. cui subjungimus ea, quæ D. Calixtus habet, in Concord. Evang. pag. 356. Hosanna, i.e. salvifica quæso: sed durè cohæret, quod sequitur in dandi casu, τῷ υἱῷ Δαβίδ. Veruntamen observata

est

est in fonte Hebræo similis constructio ejusdem verbi, Psal. 86, 16. Deut. 22, 27. Judic. 7, 2. Absque hoc si esset, accipere possemus tanquam sententiam semiplenam: Hosanna Filio David; id scil. ut Deus eum salvet, Filio David precamur & optamus. In adclamationibus enim receptum, ut sententiæ semiplenæ proferantur. Ita apud Romanos: Victoriæ populi Rom. feliciter: fidei militum feliciter, sc. eveniat: Imperatori multos annos, sc. optamus: Christianos ad leones, sc. deposcimus, & quæ ibi sequuntur plura.

USUS I. Informatorius.

I. De debita subditorum erga Regem Christum reverentia, quam exhibere illi debent. *Subditorũ Christi reverentia.*

1. Christo soli adhærendo; quia ipse solus est Messias, quippe in quo solo omnia Prophetarum vaticinia sunt impleta, Joh. 14, 6.

2. Sponte ipsi occurrendo; Psal. 110, 3. Amos 4, 12.

3. Humilitati studendo; Phil 2, 6. 7. 8.

4. Viam Christo ingredienti parando: Quomodo; *Via Christo quomodo paranda.*

1. per seriam vitæ emendationem; vestimentorum vetus exue:

2. per devotam & continuam precationem: Adveniat regnum tuum:

3. per liberalitatis exercitationem. Vide præc. dispos.

4. per pietatis continuationem: qui jam adcinunt Hosanna, post paucos dies clamant, tolle, tolle, crucifige eum: reliqua pete ex dispos. 1.

II. De officii Christi excellentia. Est semen illud benedictum, & ideò venit in hunc mundum, ut benedictionem amissam restauraret. Gen. 22, 18. Gal. 3, 13.

III. De Adventus Christi eminentia; venit enim non in suo, sed in Domini nomine, quod constat, *Christus venit in nomine Domini.*

1 ex luculento Christi ipsius testimonio; Joh. 5, 43.

2. ex promto creaturarum ministerio; Luc. 2, 9. 13 Mat. 2, 2. 9. & 8, 27

3. ex summo super diabolum & mortem imperio; Matth. 9, 25. & 15, 28. Luc. 7, 15. & 11, 14. Joh. 3, 2. & 4, 50. & 11, 44.

4. ex salutifero morborum variorum remedio: Matt. 8, 3. 6. & 9, 6 Luc. 14, 4. & alibi passim.

IV. De Adventoris Christi præstantia: (Adventus HERRN) cujus contemplare, ò pie,

1 personam sublimem. Quis ille? Messias, tot patrum votis expetitus; confer quæ habentur Gen. 4. 5. 49. Psal. 14. Esa. 45. 64. Joh. 8

At qualis? Qui de Republicæ constitutione scripserunt, inter conditiones boni Regis tria hæc referunt; ut sit

1. Sapiens; Eccl. 10,16. En tibi Christi sapientiam; videt absens, quid rerum geratur in vico; novit cogitationes possessorũ.

2. Excellens sive generosus, εὐγενής, illustri genere natus, ne populo sit despectus: Christus Regis est Filius κατ' ἀμφότερα.

3. Potens; quis Christo θεανθρώπῳ potentior? Ps. 33, 5.

Adventus Christi distinctus.

2. Pompam vilem admodum & exilem. Variat illa, pro diversitate adventûs; aliter venit

1. ad consternatorum erectionem;

2. ad Incarnationem;

3. ad passionem;

4. per verbi prædicationem & Sacramentorum dispensationem;

5. ad mundi judicationem.

II. Consolatorius.

Solatio piorum inservit plurimùm, quod Rex noster adveniens Christus

1. corda hominum in manu sua habeat: Psal. 33,15. Prov. 21,1. Esa. 8, 1.

2. tanta in nos beneficia conferat, de quibus vide præcedentia: & quòd

3. gentibus etiam aditus ad gratiam pateat.

III. Monitorius.

Messias adveniens digné excipiendus.

1. Ut dignè Messiam & Regem adventantem excipiamus ac tractemus: *1. spontaneâ occursatione:* populus à nemine jussus obviam procedit, nihil veritus odia & comminationes hostium Pharisæorum: Joh. 12,15. Ps. 110,3. & 123, 2. Amos 4,12.

2. seriâ vitæ emendatione, quâ solâ unicè delectatur: Psal. 51,19. Esa. 66,1.2. & 57, 14. seq. Exuendæ ergò vestes peccatorum, per contritionem; palma (fidei symbolum) ipsi præferenda; palma ἀείφυλλος, semper viridis est: sic fides nunquam deficiat: Gal. 5,6. Esa. 28,16. Luc. 22,32. accinendum Christo per novam obedientiam; Esa. 40,3.

3. Regis introductione, ad imitationem turbæ: Apoc. 3,20.

4. devotâ precatione, pro regni incremento: Jer. 15,16.

5. regni (Ecclesiæ) promotione per liberalitatis exercitia.

6.

6. *diligenti in personam, officium & beneficia Christi inquisitione.* Matth.21,10. quis est hic? Ps 24,8. Fiant omnia

1. *hilariter & alacriter*; hilarem datorem diligit Deus, 2.Cor.9,7.
2. *frequenter*; Psal.27,4. & 73,28.
3. *reverenter*; vestes etiam substernendo;
4. *humiliter*; decet enim nos verbo acquiescere;
5. *constanter*; Apoc 2,10.

II. Ut Deo pro Messiæ adventu lætum pæana canamus. Es. 6,3. Apoc.4,8. 2.Thess.3,1.Col.3,16. Matth.6,10.

III. Ut Christo ad nos veniente, vicissim ad ipsum venire studeamus:

Adventus noster ad Christum reciprocus.

1. *Ipsum rectè agnoscendo*; vide locos & libellos methodicos; in loco de persona Christi.
2. *Mandata ipsius exsequendo*; καθὼς προσέταξεν:
3. *Asinam & pullum ipsi subjugando*;
4. *Beneficia ejus per fidem nobis adplicando*: Tuus est: Tibi venit:
5. *Gloriæ & regno ipsius velificando.*

IV. Ut ultimum Messiæ adventum seriò meditemur & exoptemus. Matth.23,39. & 25,34. Apoc.22,20.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, ex asinæ & pulli adductione, à Christo mandata, & à discipulis præstita, ansam arripientium, de discrimine V. & N. T. hoc in loco extra oleas & perperam multa effutiendi. Instar reliquorum omnium esto nobis Jesucida Schererus, qui integram concionē in recensendis legis & Evangelii, V. & N.T. discriminibus (hæc duo enim ille sophisticè & ἀπαιδεύτως cum gregalibus suis confundit, & pro uno ac eodem accipit:) insumit. Postill. part. 1. pag. 13. & seqq.

Primum discrimen desumit à latitudine, hoc modô blaterans: Jn dem A. Testament ist die wahre Erkäntnis Gottes / sampt dem wahren Gottesdienst vnd Kirchen Ceremonien fürnemlich in einem Land/vnd bey einem Volck zu finden gewesen/Ps.75,1.& 147,19.20 Deut.4,7. Jm Newen Testament aber hat es weit ein ander Meynung/da heisset es: Vom Auffgang der Sonnen/ biß zu ihrem Niedergang / ist mein Name gros vnter den Heiden. Mal.1. & quæ ibi prolixè sequuntur plura. Mutuatus est autem Tonsor Jesuiticus hanc

hanc differentiam ex tonstrina focienni sui Bellarmini, qui lib. 4. cap. 3. & 4. de Justific. ex professo ea de re agit, inquiens: Lex Mosis uni tantùm genti data fuit: lex Christi omnibus gentibus. Respondeo autem, non meis, sed Dn. D. Gerhardi verbis, pag. 516. Si per Legem intelligitur doctrina V. T. per Evangelium doctrina N. T. quô sensu hæc Bellarminus (Schererus) accipit, tolerabiliter ea dicuntur; nos autem quærimus hoc locô de discrimine inter Legem propriè acceptam, pro doctrina operum, & inter Evangelium itidem propriè acceptum, de doctrina fidei. Monendum etiam, legem Mosis datam quidem fuisse uni tantùm genti, ac plenitudinem gentium N. demum T. tempore intrâsse; nihilò tamen minùs fores Ecclesiæ omnibus etiam in V. T. apertas fuisse, quod innumera proselytorum exempla comprobant &c.

2. Secundum discrimen petitum à scriptionis subjecto sic habet: Das Gesetz ist eingeschrieben worden in die steinerne Tafel / das Evangelium aber in die fleischerne Hertzen der Menschen / durch die eingegossene Gnade vnd Lieb des H. Geistes / der da machet vnd wircket / daß wir in Gottes Geboten wandeln / vnd dieselbigen halten können. R. Verum quidem hoc est eatenus, quatenus V. T. ratione legis moralis, cujus solemnis promulgatio præcipua ejus pars fuit, dicitur in tabulis lapideis ἐντετυπωμένον, 2. Cor. 3, 7. Exod. 31, 18. Deut. 9, 10. N. verò T. per Spiritum Dei inscribitur in corda credentium; Jer. 31, 33. 2. Cor. 3, 3. Quòd verò addit de infusa gratia & amore Spiritûs Sancti, efficientis & operantis illud in nobis, ut in præceptis Domini ambulare eademque servare valeamus: illud de perfecta legis impletione est falsissimum. In hac enim vita accipimus tantùm primitias Spiritûs Sancti; Rom. 8, 23. operationes autem ejusdem fiunt in corpore peccati & mortis. Rom. 7, 24. Ergò pro ratione saltem instrumenti, & modulo infirmitatis nostræ perficiuntur; quæ etiam causa est, quòd renovatione de die in diem opus habeamus. 2. Cor. 3, 18. & 4, 16.

3. Tertium discrimen à claritate, sive prout Bellarminus habet, à perfectione doctrinæ derivatur: So weit Tag vnd Nacht / Liecht vnd Finsternis von einander seynd / so weit ist das Newe Testament von dem Alten / vnd die Zeit nach Messiæ Zukunfft / von der Zeit vor Messiæ Zukunfft gewesen vnterscheiden. R. Gerh. pag. 510. Perfectio doctrinæ æstimatur vel ex reipsa, vel ex docendi modo. Quod ad rem ipsam sive mysteria fidei attinet, doctrina V. T. nequaquam est imperfecta, siquidem eosdem fundamentales fidei articulos tradit, quos Christus & Apostoli in N. T. repetunt. Quod ad docendi modum

dum attinet, fatemur quædam fidei mysteria clariùs & dilucidiùs in Nov. Test. expressa esse, quàm in veteri; sed hoc perfectioni reali nihil quicquam derogat, cùm ad perspicuitatem potiùs pertineat, quàm ad perfectionem, ad modum cognitionis potiùs, quàm ad res ipsas cognoscendas &c.

4. Quartum discrimen est à promissionum diversitate, quòd Lex & Prophetæ pollliceantur expreßè bona temporalia, figuratè regnum cœlorum: Christus & Apostoli manifestè regnum cœlorum & vitam æternam &c. D.Gerh d. l. pag.510. Schererus pag.15. ita: Das alte Gesetz hat den Jüden irdische / weltliche vnd zeitliche Sachen verheissen; In dem N. T. aber die erste Predig/welche Christus gethan/ist von dem Himmelreich gewesen. R.1. Ambiguitas est in vocabulo regni cœlorum: vel enim intelligitur de vita æterna, cujus promissiones in V.T. exstare nullâ veritatis specie negari potest: vel de spirituali Christi regno, secundum veritatem & complementum in V. T. prænunciato ac præfigurato, in N. autem consummato & sine involucris figurarum exhibito. Fatemur in V.T. datas promissiones, de futuro Christi adventu, & spirituali ejusdem regno, easque promissionibus terrenis & corporalibus figuris ac umbris potissimùm involutas, figuratas & adumbratas esse, in N. T. promissionum illarum complementum annunciari, nim. de Christo exhibito, de regno cœlorum, quod adpropinquavit absque involucris & umbris; sed ex eo non debet inferri, in V.T. non fuisse datas promissiones de vita æterna. 2. Legem & Prophetas minari temporalia mala, Christum & Apostolos mortem sempiternam, nequaquam intelligendum est exclusivè, cùm in lege & Prophetis extent, non solùm promissiones vitæ, sed & comminationes mortis æternæ. Deut.30,15. Levit.18,5. Luc.10,26.28. Gal.3,12. Plura vide apud D. Gerh. pag.512. 513.

5. Quintum discrimen desumtum est à cœli reclusione & apertione. Fingit enim Suita, seu mentitur potiùs, nemini fidelium tempore V.T. ingressum in regnum cœlorum patuisse, omnes autem in suburbium illud inferni, quod limbum patrum dixêre, secundum animam migrâsse; ibique hæsitâsse, donec per & post mortem Christi inde liberati fuerint. Verba Suitæ pag.16. sic habent: Im A. T. ist der Himmel dermassen versperret vnd zugeschlossen gewesen/daß kein Mensch/er sey so from vnd gerecht gewesen/als er immer seyn köndte/hat nach dem Absterben damaln in das Himmelreich mögen eingehen/sondern alle Auserwehlten musten in der Vorhöll/so man auch die Schos Abrahams geheissen/warten auff den Messiam/

der mit seinem Creutz die Himmelspforten auffgestossen/vnd der Erste gewesen/ so gen Himmel gefahren/vnd mit sich die Altväter darein geführet ꝛc. R. Fabulæ sunt, atque commentum istis hominibus perplacet. Scriptura universa nullum hujus limbi, à cœlo separati, mentionem facit, in quem animæ Patriarcharum & Sanctorum V. T. fuerint conclusæ, donec debitum primi parentis per mortem Christi solveretur. Est ergò opinio ἄγραφος. Contrà verò Scriptura duo duntaxat animarum post hanc vitam receptacula, tàm in V. quam in N. T. enumerat, cœlum scil. & infernum. Vide plura apud D. Gerh. T. 8. L.C. pag. 292. & seqq. Reliqua discrimina, (à duratione ad accidentia utriusque; à facilitate & difficultate; ab effectu timore & amore; à vi justificandi) nihil habent difficultatis & discussa sunt à D. Gerhard. T. 3. L.C. pag. 517. & 518. eò Lectorem meum remitto, & progredior jam ad tertiam dispositionem.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

D*E digna Regis Messiæ, ad nos adventantis, exceptione.*

ἐξήγησις.

Duo in materiæ propositæ ἐξηγήσει expendenda veniunt:

I. *Rex Messias, ad nos adventans, veluti subjectum, & accurata ejusdem descriptio:*

II. *Digna Regis exceptio, tanquam prædicatum.*

Christus Rex & Messias describitur.

Rex Messias describitur in textûs Evangelici περικοπῇ.

I.

I. Ab adventûs pronitate: Ultrò enim sese sistit Patri: & licèt nôsset, quid in necem ipsius meditarentur ac machinarentur populi proceres: noluit tamen mortem adeò salutiferam subterfugere, ut satisfieret promissioni Psal. 40, 8. 9. & typus responderet antitypo. Intelligo typum in Isaaco, ad mactationem eunti; Gen. 22, 2. & seqq. Item, in Aarone præfiguratum, qui depositis vestibus sacerdotalibus moritur. Num. 20, 28. [*Nostrum quoq; est crucem non aversari;* sed spontè subire, moderatè ferre, & in ipsa etiam morte ad Dei nutum ac voluntatem nos componere. Psal. 116, 13.]

Crux moderatè ferenda.

Ingressus Christi humilis.

II. A profunda ingressûs humilitate. Est enim ille admodum vilis coram mundo, spretus, pauper, abjectus & contemtus. Asinâ utitur alienâ. Hinc Theophylactus: *Venit Christus mansvetus; non enim venit, ut judicet mundum in primo adventu, sed ut salvet. Et alii*

alii quidem Reges Judæorum fuerunt rapaces & injusti: Christus autem mansvetus. [Ita Christiani omnium sunt in mundo abjectissimi & contemtissimi, quam ob causam asinarii olim nuncupabantur.]

Christiani in mundo contemtissimi.

III. A persona majestate ac dignitate: Est enim Dominus: Gl. ordin. *Dominus simpliciter omnium rerum, cui servire debet omnis creatura:* est Rex filiæ Sionis: est Filius Davidis. Theophyl. in Marc. fol. 67. *Sæpè & aliàs venit in Hierusalem, sed nunquam cum tanta claritate, quantâ nunc. Prius quidem delitescebat, propter invidiam illorum: nunc autem quia passionis tempus aderat, quod ipse sibi præfiniverat, clarior venit, ut si velint, gloriam ejus intelligant, & ex prophetiis, quæ de ipso erant, agnoscant, quòd verus sit Deus: sin nolint, in condemnationem eorum majorem sit, quòd neq; tàm claris miraculis crediderint.*

IV. A regni conditione & qualitate, quod adeò angustis limitibus, ut alia mundi regna, haudquaquam concluditur, sed ad Judæos omnesque gentes extenditur. Figuram amplitudinis istius proponit in asina & pullo. Vide præced. disp.

Regnum Christi amplum satis.

V. *A præcipua auctoritate,* quam cernere est in ministris, ad mandatum ejus 1. euntibus;

2. absque contradictione & tergiversatione jussa capessentibus;

3. jumenta adducentibus.

VI. A sapientia & omniscientiæ immensitate. Novit enim & intuetur quid alibi fiat; sapientiæ ejus non est numerus. Ps. 147, 5.

VII. A potentiæ sublimitate. Corda enim hominum in manu illius; ea vero divinâ suâ omnipotentiâ movet ac regit, prout vult. Ps. 33, 10. 11. & 118, 6. Prov. 8, 14. & 21, 1. Esa. 8, 9.

IIX. A justitia & æquitate. Non per se solummodò justus est; sed homines etiam justificat & salvat. Est enim Dominus ad salvandum. Psal. 68, 21.

IX. A mansvetudine & lenitate; novit loqui cum miseris humaniter. Esa. 50, 4.

X. A beneficiorum ubertate, quorum copiæ cornu habetur in prophetico Zach. 9, 9. oraculo. En tibi Regem decorum & sublimem satis, speciosum formâ præ filiis hominum! Psal. 45, 3. Dignus utique, qui dignè à nobis excipiatur; dignus, qui liberaliter & benignè tractetur! Excipiamus itaque ipsum ritè, & tractemus regaliter atque magnificè,

Christus adveniens ut excipiẽdus.

I. *Spontaneâ occursatione.* Acceptus est & gratus hic Christi

adventus, non in oculis saltem Dei Patris sanctorumque Angelorum, sed piorum etiam hominum, qui

1. in occursum Regis sui *prodeunt*;
2. advenientem reverenter *excipiunt*;
3. lætô ipsi ore *accinunt*, triplicem constituentes chorum
   1. *puerorum* Hebræorum; Matth. 21,15.
   2. *discipulorum*;
   3. *oppidanorum* & aliorum comitum. Hæc omnia faciunt spontè, à nemine hominum jussi. Joh. 12,15. & 15,14. Ps. 110,3. & 123,2. Amos 4,12.

II. *Seriâ vitæ emendatione*, quâ unicè ille delectatur. Vide dispos. secundâ.

III. *Honorificâ Regis introductione*: ibid. Theophyl. *Juxta historiam multùm in se habet honoris, vestes stravisse, & ramos objectasse: nam ostendunt magnam gloriam.*

IV. *Devotâ precatione*. Vide d. l. plura. Jam concludo votô Ecclesiæ: *Excita quæsumus Domine potentiam tuam & veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis Te mereamur protegente eripi, & Te liberante salvari, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia secula seculorum, Amen.*

DOMINICA II. ADVENTUS
EVANGELIUM

Luc. 21. à vers. 25. ad 37.

Matt. 24,29 Marc. 13,24 Esa. 13,10. Ezech. 32,7

25. Καὶ ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ, καὶ ἄστροις· καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου·	25. *Erunt signa in Sole & Luna, & stellis; & in terris anxietas gentium per desperationem, resonante mari & fluctu:*
26. ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ· αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται.	26. *Extabescentibus hominibus, præ timore & exspectatione eorum, quæ supervenient orbi terrarum: nam virtutes cælorum movebuntur.*
27. Καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς.	27. *Et tunc videbunt Filium hominis, venientem in nube, cum potestate & gloria magna.*

28. Ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν· διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν.

29. Καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς· ἴδετε τὴν συκῆν, καὶ πάντα τὰ δένδρα·

30. Ὅταν προβάλωσι ἤδη, βλέποντες ἀφ᾽ ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν.

31. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

32. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται.

33. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

34. Προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ αἰφνίδιος ἐφ᾽ ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη.

35. Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας, τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς.

36. Ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι· ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

28. His autem fieri incipientibus, suspicite & attollite capita vestra: quoniam appropinquat redemtio vestra. Rom. 8, 23.

29. Et dixit illis similitudinem: videte ficum & omnes arbores:

30. Cùm protrudunt jam gemmas, cernentes ex vobis ipsis scitis, quòd jam instet æstas:

31. Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, scitote, quòd instet regnum DEI.

32. Amen dico vobis, non præteribit ætas hæc, antequam omnia facta fuerint.

33. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

34. Cavete autem vobis, ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ, subitusq́; vobis ingruat dies ille. Rom. 13, 13.

35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem totius terræ.

36. Vigilate itaq; omni tempore, deprecantes, ut liceat vobis effugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

NOn unius, sed duorum generũ est præsentis Evangelii pericope. Nam unâ sui parte (etsi, quatenus rem futuram spectat, generi causarum deliberativo subesse videatur; quatenus tamen narrationem rei, non quidem gestæ, sed gerendæ, continet, hoc sanè

respectu) generi causarum demonstrativo subStat: alterâ verò parte tota est generis deliberativi. Partes Evangelii constituimus tres, quarum

I. est ἀποδεικτικὴ καὶ προφητικὴ, comprehendens *certam judicii novissimi demonstrationem*:

II. παραμυθητικὴ, habens *terrori judicii oppositam consolationem*:

III. παιδευτικὴ ἢ προπαρασκευαστικὴ, complectens *salutarem Servatoris admonitionem, & ad judicium venturum praeparationem.*

PARS I.

Parte primâ Christum habemus vaticinantem, de judicii nim. extremi veritate, per signorum & Judicis designationem. Certò enim venturum & diem & judicium extremum, demonstratur

Signa diem novissimũ antegressũra.

I. *Signorum anteambulonum praenunciatione & coacervatione.* Agere autem Christum de signis, diem novissimum antegressuris, aliquot in medium productis argumentis probat Cl. Dn. D. Gerhardus, part. 2. Harm. Chemnitio Lyser. pag. 540.

1. *Ex Apostolorum quaestione;* conjunctim enim illi & de excidio Hierosolymitano, & de die novissimo Dominum interrogaverant: utrique quaestionis parti erat satisfaciendum.

2. *Ex ipsa cum praecedentibus connexione.* Particula initialis καὶ est hoc locô temporis nota.

3. *Ex vaticinii consideratione:* dicuntur signa in Sole, Luna & stellis; Ergò non in animis tantùm & adfectibus hominum quaerenda fuerint.

4. *Ex textus serie & dispositione:* Signa enim & adventus Christi ad judicium immediatè cohaerent, seque mutuò sequuntur. Loquitur autem Christus (quod propter Esauvitarum sophisticationes notandum) more Prophetis & Apostolis usitatô, qui tùm de judiciis particularibus, tùm de universali illo judicio, ita solent loqui, ac si esset in propinquo, etiamsi aliquot seculis ab ipsorum temporibus abfuerit. Deut. 32, 35. Esa. 5, 26. Soph. 1, 14. 15. 1. Corint. 10, 11. Phil. 4, 5. 1. Thess. 4, 15. Hebr. 10, 37. Jac. 5, 8. 9. 1. Pet. 4, 7. 1. Joh. 2, 18.

Signa diei novissimi quadruplicia. Σημεῖα.

Porrò signa ista, diei novissimi prodromi ac nuncii, amplificantur vel explicantur μερισμῷ sive distributione generis in species, ratione subjectorum suorum, in quibus evenient; hinc quadruplicia constituuntur signa. [Graecis σημεῖα dicta, usurpaturque vocabulum hoc tùm de naturalibus signis, tùm de prodigiis stupendis, praeter ordinarium naturae cursum factis.]

Pri-

Prima classis habet signa *supra nos* eventura;

1. in Sole;

2. in Luna;

3. in stellis, quæ omnia specialiùs Matth.24,5.seqq. exprimuntur, hoc tamen discrimine, quòd ibi agatur de signis communibus & remotis; hoc locô de propriis & proximis, in omnibus totius universi partibus conspiciundis. Ita enim totum universum stilô Spiritus Sancti describitur, ut complectatur cœlum, terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Exod.20,11. Psal.135,6. Utrum verò signa isthæc immediatè consummationem seculi sint antecessura, adeoque ipsô adventûs Dominici momentô eventura? An verò signa, si non omnia, aliqua tamen paulò ante consummationem seculi, paucis sc. annis vel diebus antè, adparitura? An insuper exponenda sint μεταφορικῶς ἢ ἀλληγορικῶς? an verò ῥητῶς ϰ κυρίως, in sensu literali & proprio? An de signis loquatur Christus hyperphysicis & antiphysicis? An causas habitura sint naturales? Has & similes quæstiones studiosissimè cum rationibus undique probabilibus enodavit Cl. Dn. D. Gerhardus d. l. à pag. 547. usque ad 558 eò Lectorem cupidum remissum velim; cum quibus conjunge Tom. 9. L.C. pag. 220. & seqq. nos ad specialem singulorum accessum faciemus.

Signa quadruplicia.

Signa sunt communia & propria, remota & proxima.

Signa ergò in Sole & Luna notant luminarium istorum obscurationem, eclipses sive defectûs. Variant interpretes: quidam enim de præternaturalibus & prodigiosis eclipsibus accipiunt, quorum rationes vide apud D. Gerhard. d.l. pag. 559. quidam de naturalibus Solis & Lunæ defectibus exponunt, rationes vide ibid. pag. 560. ubi suam his verbis statim subjungit ἐπίκρισιν: *Quicquid sit, sive de naturalibus, sive de miraculosis eclipsibus hoc accipiatur, tenebræ illæ rectè dicuntur signa iræ divinæ, prænuncia finalis excidii, & æternarum illarum tenebrarum, in quas impii, in die judicii, erunt præcipitandi.* Nonnullis mysticus & allegoricus placet intellectus, de luce doctrinæ, in Ecclesia per corruptelas obscuratæ. Christus enim Sol est justitiæ, lætitiæ & vitæ, à quo Ecclesia Lunæ comparata, Cant. 6,9. splendorem ac lucem accipit.

Signa in Sole & Luna.

Signa in stellis, (ἄστρον propriè est sidus) reliqui Evangelistæ, ut Matth.24,29. & Marc. 13,25. exponunt, περὶ τῶν ἀστέρων πτώσεως ἢ ἐκπτώσεως, stellas de cœlo casuras adfirmantes. Variant autem & hic interpretes. Alii enim ἔκπτωσιν illam stellarum propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν, sensu literali accipiunt, quòd stellæ omnes, tàm fixæ, quàm erraticæ, ab orbibus suis sint revellendæ, & Christo Judici quodam-

Signa in stellis.

modò

modò cessuræ. Esa. 34,4. Apoc. 6,13. Alii de virtutis, sive influentiarum inclinatione, splendorisque imminutione intelligunt; ita ut ἔκπλωσις ista non ratione substantiæ, sed ratione lucis sit futura. Joël. 3,15. Alii hyperbolicam statuunt locutionem. Alii ad dæmonas, quibus aër est refertus, referunt. Alii de doctorum Ecclesiæ insigniorem, aliorumque Christianorum ἀποστασία interpretantur. Apoc. 8,10.12. & 12,4. Alii ad Cometas & alia meteora reducunt. Quicquid sit, cadent stellæ, non secundum existentiæ veritatem, sed adparentiam quandam, h. e. videbuntur cadere. D. Gerhard. pag. 564.

Secunda classis habet signa *circa nos*, in terris, qualia sunt.

Συνοχή. 1. Συνοχὴ, angustia, pressura, coarctatio, anxietas gentium, h. e. per synecdochen speciei, hominum. Nomen est ἀπὸ τοῦ συνέχεσθαι, quod est, coarctari, constringi, coangustari, & usurpatur

1. de adflictione corporis per morbos;
2. de coangustatione urbis, per obsidionem;
3. de captivorum custodia;
4. de angustia & perplexitate animi, quando quis ignorat, quid agere, aut quò se vertere debeat; ut sit sensus, interprete D. Gerhardo d. l. pag. 574. talem fore hominum anxietatem, qualis est eorum, qui vel calore febrili æstuantes in lecto se hinc inde provolvunt; vel arctâ obsidione premuntur; vel in carcere conclusi à custodibus diligenter observantur, ut elabi nullô modô possint. Ab hac συνοχῇ ne pios quidem fore immunes B. Lutherus statuit. Erit enim anxietas gentium h. e. omnium hominum ac populorum.

Piorum anxietas.

Ἀπορία. 2. Ἀπορία, consilii penuria, perplexitas, dubitatio, & inde subsequens quædam q. desperatio. Ein anders ist/zagen/ein anders verzagen. Sensus itaque est: ex συνοχῇ illa orituram esse ἀπορίαν, consilii inopiam, quâ ad ejusmodi redigantur homines difficultates, ut quò se vertant, aut quomodo extricare sese valeant, ignorent. Confer D. Gerh. d. l. pag 576.

Tertia classis est signorum *infra nos*, in mari & creaturis elementaribus, ubi occurrit

ἦχος. 1. maris sonitus: ἦχος, propriè est sonus repercussus, unde ἠχέειν, resonare, sonitum edere; dicitur etiam de maris & aquarum sonitu. Psal. 46,4. Esa. 51,15. D. Gerhard. p. 582.

σάλος. 2. Fluctuum moles, seu salum maris. σάλος (D. Gerh. ait d. l.) non solùm significat maris oram, in qua stant naves ad anchoram; sed etiam commotionem undarum in tempestate & ventorum procel-

cellis. Latinis ſalum eſt mare lutoſum & turbidum, aquâ & terrâ confuſâ, ex perpetuo motu. Intelliguntur ergò horrendi illi maris ſtrepitûs, mugitûs atque ululatûs, qui ex vehementi procellarum agitatione oriuntur. Huc pertinet cauſa iſtius ſtrepitûs proxima, ventorum turbines, grandes in mari tempeſtates excitantes. Non errare videntur ii, qui ſonitum hîc maris præternaturalem & inſolitum, adeoque longè graviorem, quàm qui ex cauſis oritur naturalibus, intelligunt.

Quarta claſſis complectitur ſigna *intra nos*, quæ ſunt quaſi effectûs ſuperiorum, in hominibus ipſis ſeſe exerentes; nimirùm

1. ἀποψύχησις ἢ ἀπόψυξις, exanimatio hominum: ἀποψύχειν enim eſt exanimare, de poteſtate exire, propriè refrigerari, erſtarren. Nonnulli exponunt per λειποθυμίαν, ut ſignificetur, tantam fore in terris rerum omnium perturbationem, tantosque terrores, ut homines præ animi q. deliquio pereant. [Animi deliquiũ eſt, angor cum vitæ periculo conjunctus, quem ſequitur, ſi ſæpiùs contingat, ariditas, maceratio & tabes, non tantùm animi, ſed & corporis.] Aliqui putant, Chriſtum illud innuere voluiſſe, quòd multi mortem præ animi anguſtia ſibi ipſis ſint illaturi.

ἀποψύχειν

Deliquium animi quid

2. Φόβος, timor, vel formido hominum, quem gignet

3. προσδοκία, exſpectatio futurorum malorum. Hæc poſtrema duo, ſunt q. cauſa efficiens extabeſcentiæ, pios conſpectu terribilium ſignorum, impios malâ intùs conſcientiâ, & formidabili Judicis adventu terrente. Videntur quidem duo iſta duas exprimere συνοχῆς cauſas, ſed ſi velimus ἀκριβολογεῖν, reverâ eſt una, videlicet ſolicita & plena timoris exſpectatio malorum venturorum. Ita eſſet ἓν διὰ δυο, q.d. exanimabuntur homines, præ timida exſpectatione malorum, orbi terrarum ſuperventurorum.

Adnectitur ratio ex præcedentibus deſumta, cœlorum nimirùm concuſſio: virtutes cœlorum h.e. ipſi cœli & eorum robur, σαλευθήσονται, h.e. inſtar fluctuantis in mari navis vacillabunt, & veluti liber complicabuntur. Apoc.6,14. σαλεύεσθαι enim eſt fluctuare, agitari, conquaſſari, ſtabilitatem ſuam relinquere, concutiendo periclitari; confer D. Gerhard.d.l. pag.564. ubi ſimul varias interpretum expoſitiones commemorat, quid per commotionem iſtam virtutum cœleſtium intelligi velit Salvator:

Virtutes cœlorum quid.

σαλεύεσθαι

Commotio virtutum cœli.

1. fundamenta ac cardines q. cœli ita commoveri debere, ut cœli ipſi nutare ac ruinam minitari videantur; firmamentum enim cœli in die noviſſimo ex cardinibus ſuis revellendum, tranſiturum. 2. Pet.3,10. Apoc.6,13.

2. Virtutes cœlorum esse Angelos, qui ad judicium sese sint præparaturi; illos enim vocari in V. T. exercitùs cœlorum. 1. Reg. 22,19. Neh. 9,6. in N.T. δυνάμεις. 1.Pet.3,22.

3. Virtutes cœlorum esse cœlos æthereos; existimant enim nonnulli, machinam cœlestem hodiè aliquot milliaribus esse inferiorem, quàm fuerit temporibus Ptolemæi; quanquam Scaliger flagris dignos putet eos, qui talia scribunt.

4. Influentias cœli, ut notabile aliquod cœlorum decrementum, non fore adeò efficaces; stellas de cœlo casuras; elementa ex quibus cœli constant, in ipso Domini adventu solutum iri.

5. Tempestates fore horribiles, ut cœlum quasi corruere velle videri queat.

6. Virtutes notare regionem æthercam, ut significetur insignis aliqua in cœlo æthereo mutatio, per chasmata, cometas, ignes & alia φαινόμενα. Sed quid obstat, quò minùs conjunctim omnia intelligamus commovenda? Confer experientiam, haut multùm errabis. Vide D. Gerh. de hac virtutum cœlestium commotione p.565.566.567.568. Hactenus unum demonstrationis medium, quô probatur, certò venturum & diem & judicium extremum: sequitur alterum, petitum

II. *Ex luculenta Salvatoris adseveratione: Tunc videbunt Filium-Hominis venientem in nube, cum potestate & gloria magna.* Hæc verba continent adventùs Christi ultimi, qui ad judicium futurus est, tùm intimationem, tùm descriptionem, ubi notetur,

1. *temporis significatio*; & tunc, cùm sc. signa illa prædicta evenerint; vel in ipso judicii die.

JudexFilius hominis, & adpellationis ratio.

2. *Judicis nominatio*; is verò dicitur Filius-hominis, cui Pater dedit omne judicium, Joh 5,22. Sic autem seipsum Christus vocat, in hac potissimùm actûs judiciarii delineatione, *tùm* quia ex Maria Virgine verus Homo natus est; *tùm* quia in humana visibili forma venturus est judicare vivos & mortuos; Act. 1,11. Zach.12,10. Apoc. 7. per totum fermè caput: *tùm* ut occurrat scandalo passionis & crucis; *tùm* denique ut contra judicii terrorem fideles suos animet ac soletur. Confer D.Gerh. part.2. Harm. pag 941.

3. *Modi determinatio*, quem exprimit & illustrat.

Nubes sedes Judicis Christi.

1. *Subjectô loci*, in nubibus cœli. Lucas habet h. l. singulare, ἐν νεφέλῃ: Matthæus & Marcus plurale ἐν νεφέλαις: Christus enim nubi cuidam, veluti throno regali insidebit; nubes verò illa aliis cingetur nubibus, quibus sancti, qui cum Christo ad judicium venient, insidebunt. Qualis illa futura sit nubes, exactè sciri nequit: nos

nos probamus τὸ ῥητὸν, reliqua Deo committentes. Vide D. Gerh. pag. 590. 591. 592. ubi simul causas, propter quas in nube venturus sit Christus, reperies.

2. *Adjunctô visibilitatis*: videbunt Filium-Hominis venientem: qualis enim abitus, talis reditus. Act. 1, 11. 2. Thess. 2, 8. 1. Tim. 6, 14. 2. Tim. 4, 1. Tit. 2, 13. Col. 3, 4. 1. Pet. 5, 4. 1. Joh. 2, 28.

3. *Adjunctô potentiæ*: per δύναμιν intelligunt nonnulli B. Angelos; Eph. 1, 21. 1. Pet. 3, 22. Matth. 25, 31. sed rectiùs alii divinam & infinitam potentiam, Filio-Hominis, per unionem personalem & exaltationem ad ipsam Dei dextram, collatam. Dan. 7, 14. Mar 5, 30 Luc. 4, 36. Act. 10, 38. Apoc. 5, 12. D. Gerh. p. 593.

δύναμις Christi.

4. *Adjunctô gloriæ*: Veniet enim non humili & servili formâ, sed ut in potestate multa; ità in gloria etiam magna. Per δόξαν autem itidem significatur divina majestas & gloria, Christo secundum humanam naturam collata. Matth. 16, 27. & 25, 31. Johann. 17, 5. 2. Pet. 1, 17. Apoc. 5, 13. Veniet ergò Judex Christus Jesus

δόξα Christi Judicis.

1. *visibiliter*, quod est fraternitatis;
2. *sublimiter*; quod majestatis;
3. *regaliter*, quod potestatis est indicium.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Extremum judicium certò est futurum, Christô signis & verbis hoc ipsum prænunciante; juramentô etiam promissionem factam confirmante. Rom. 2, 5. & 14, 10. Matth. 25, 3. Act. 1, 11. & 10, 42 & 17, 31 2. Cor. 5, 10. vide locos.

Judicii extremi certitudo.

II. Temporis itaque descriptione monemur, pios semper debere ad extremum diem esse paratos, ac singulis diebus cogitare, hunc diem fore mundi, vel vitæ suæ ultimum. Matt. 24, 44, 47.

III. Signis tantùm non omnibus impletis, dies novissimus est præ foribus. Rom. 8, 19-22 2. Pet. 3, 7. 10. 1. Thess. 5, 15. 16.

Dies novissimus instat

IV. Omnes fermè creaturæ concionantur de fine mundi, & instante judicio extremo. Signa enim novissimum diem prædecessura sunt,

Diei novissimi prodromi.

1. *totius universi* (moribundi) *langvores*;
2. *creaturarum*, à vanitate liberari desiderantium, gemitus ac *dolores*; Rom. 8, 19. 20. 21.
3. *adventûs Christi πρόδρομοι & præcursores*; Hagg. 2, 8. Hebr. 12, 26.
4. *cæli terræq; brevi ruituræ fragores*;

5. *creaturarum adversus impios fremitûs & rancores*; Sap.5,18.23.

6. *typorum adimpletorum splendores*; Gen.15,7.

7. *tyrannorum ac persecutorum Ecclesiæ furores*;

8. *judicis adventuri præcones*. D.Gerh.p.583. seqq.

V. Inundationes aquarum insolitæ, & perversa tempestatis ratio, hominum item anxietas, signa sunt extremi diei.

Anxietas hominum unde.

VI. Notentur causæ anxietatis hominum in terris προκαταρκτικαὶ: 1. *Iræ divinæ severitas*; Rom.1,18.

2. *Diaboli tyrannis & crudelitas*; Apoc.12,12.

3. *extrema hominum impietas*; Matt.24,12. 2.Pet.3,4.

4. *pœnarum congeries & multiplex calamitas*, per omnes vitæ humanæ statûs ac ordines vagatura. D. Gerh. p.575.

Christi divinitas.

VII. Prædictio signorum infallibile est Divinitatis Christi testimonium. Esa.41,21. & 45,21.

Christi φιλανθρωπία.

IIX. φιλανθρωπίας quoque intimæ in Christo est indicium manifestissimum, quòd de futuris malis præmonere nos voluerit.

IX. Nihil tamen fit casu, sed ad Dei providentiam, vel generalem, vel specialem omnia sunt referenda.

Papistarum signa diei extremi.

X. Gratis dicunt Pontificii, quicquid illi de nothis ac spuriis diei novissimi signis, omnimoda Romani Imperii desolatione, terræ sanctæ recuperatione, Enochi & Eliæ reversione ac prædicatione, AntiChristi cujusdam phantastici præsentatione, & aliis deblaterant. Omnia hæc more suô ἀπεγραφῆς. D.Gerh.586.

Diei novissimi nomina.

XI. De singularibus quibusdam diei extremi adpellationibus: dicitur enim ille

1. Dies Domini; Joël.2,1. Soph.1,7. Act.2,20. 1.Thessalon.5,2. 2.Thess.3,10. Ita verò dicitur ratione

1. *divinæ constitutionis*; Esa.14,27. & 46,10. Act.17,31.

2. *cognitionis vel occultationis*; soli enim Deo patet; Matth. 24,36. Marc.13,32. Act.1,7. *Latet, ut ignorantes timeremus.* Ambros.

3. *exsecutionis*: Psal.50,1. 1.Thess.4,16.

2. Dies magnus: Joël. 2,11. Soph.1,14. Act.2,20. sic autem vocatur propter 1. *judicis majestatem*; 1.Tim.6,15. Apoc.19,16. Matt.25,31

2. *comitatûs gravitatem*; Matth.25,31.

3. *judicandorum pluralitatem*; Matth.25,32. 2.Cor.5,10.

4. *gaudij immensitatem*. Vide Pollion.post.h.l.pag.28

3. Dies restitutionis & regenerationis: Act.3, 21. Matth. 19, 28 Restituet nobis perfectam sapientiam; plenariam justitiam; veram patriam; ἀφθαρσίαν; Dei adparentiam & pacis abundantiam.

XII. Monemur 1. ut carnali securitate excussâ, maturè per pœnitentiam & serium pietatis studium, ad diem illum novissimum nos præparemus: 2. Petr. 3, 11.

2. Ut supernam illam civitatem anxiè desideremus. Heb. 12,28. Phil.3,20

3. Ut nostram in diei novissimi momento inquirendo curiositatem refrenemus. Act. 1,7. Matth.24,36. Marc.13,32.

XIII. Christus est futurus Judex, qui & Frater & Advocatus noster est: Hebr.2,11. 1.Joh.2,1. non ergò damnationis metu angantur fideles. Joh.3,18. — *Christus Judex & frater.*

XIV. Christus visibili formâ in statu exaltationis, potest se conspiciendum exhibere, ubi & quando vult, sicut faciet in extremo quoque judicio. Act. 22,17. & 23,11. & 27,23. Zach.12,10.

XV. Filius-Hominis evectus est in thronum Majestatis divinæ, quæ hoc locò dicitur potentia & gloria magna.

XVI. Potentiam suam Judex Jesus Christus declarabit, — *Potentia Judicis Christi.*

1. in mortuorum resuscitatione; Joh.5,28.

2. in resuscitatorum ad tribunal suum congregatione; Matt.25,31.

3. in judicandorum subjectione; Esa. 45,23. Rom.14, 11.

4. in sententiæ judiciariæ promulgatione & executione;

5. in totius universi destructione. D. Gerh. pag. 593.

XVII. Gloriam etiam suam Christus Judex conspiciendam dabit, *1. in corporis claritate*; Matth.17,2. — *Gloria Judicis Christi.*

2. in tribunalis judiciarii sublimitate; Dan.7,13. Matt.26,64.

3. in comitatûs angelici gravitate; Matth. 25,31.

4. in omniscientiæ majestate. 1. Cor.4,5. ibid. p. 594.

XIIX. Divinitatis & hoc est testimonium, venire cum majestate, potentia & gloria. Psal.50,3. & 104.2.

XIX. In nubibus venturus est Judex Christus, — *Judicis in nubibus adventus, & cur.*

1. propter eandem adscensionis & reditûs conformitatem; Act. 1,11.

2. ad significandam divinam Judicis majestatem; Psal. 104,3. Esa.19,1.

3. ad contemperandam adventûs claritatem;

4. ob transfigurationis antegressæ sublimitatem; Mat.17,5

5. *propter typorum qualitatem*; Exod. 16,10. & 19.9. & 40, 38. Num. 12,5. 2.Par. 5,13.

6. *ob primi & secundi adventûs affinitatem*. Esa.19,1. & 45,8. Vide D.Gerh. p.591.592.

XX. Caveamus, ne Judicem vivorum & mortuorum peccatis nostris offendamus; ipsi enim reddenda ratio. 2.Cor.5,10. Rom. 14,10. Matth.12,36.

Papistæ adfingunt Lutheranis abnegationem ultimi judicii.

XXI. Calumnia est, flammis vindicanda infernalibus, quando Pontificii impudentissimè fingunt, Lutheranos doctrinam ultimi judicii abnegare: contrarium testantur ex hoc Evangelio, aliisque Scripturarum locis, institutæ & habitæ in nostris Ecclesiis de hac materia conciones & correptiones. Vide Vindic. Meelführ. th. 18. seqq.

Calviniani negantes præsentiam Filii hominis.

XXII. ψευδοχρήσμα est, Calvinianô tripode perquàm dignum: Filius hominis redibit è cœlis in novissimo die: Ergò non adest nobiscum in terris, ut Homo, sed tantùm in cœlis: nodum solvunt Angeli Act.1,11.

XXIII. Cui non multùm absimile est illud Costeri aliorumque Pontificiorum, ex angustia hominum scepticam suam dubitationem stabilire præsumentium. Rom. 5,1.5. & 8,15. 1.Joh.4,17.18. Jac.1,6. Eph.3,12. Heb.6,19.

XXIV. Christus secundum utramque naturam, divinam & humanam judicium extremum administrabit. Vide D. Gerh. Tom. 9. L. C. pag. 76. & seqq.

XXV. Nubium conspectus debet nobis esse quotidianum memoriale novissimi diei, quò redibit Jesus in nubibus cœli.

Adventus Christi ultimus probatur.

XXVI. Confirmatur h. l. articulus fidei de Christi ad judicium reditu. Multi sunt in mundo ἐμπαῖκται, 2. Pet.3,3. crebrâ itaq; articuli hujus repetitione opus est, ut homines efficiantur αἰαπολόγητοι. Probari potest ex libro naturæ, qua de re videatur D.Finckius in postill. h. l. sed sufficit nobis liber Scripturæ; ibi fundamentorum habemus abundè, à Dei veritate; bonitate, immutabilitate, proprietate; à conscientiæ timiditate; à Magistratus perversitate & iniquitate &c. quorum omnium consideratio facit, tùm ad vitandam securitatem; tùm ad reprimendam hominum malignitatem; tùm ad abjiciendam vindictæ cupiditatem; tùm ad retundendam Pontificiorum, (de qua porism.21. & D. Finck. p.66.) & aliorum vanitatem, qui nescio quod nobis aureum seculum cum Chiliastis pollicentur. Confer D.Gerhard. Tom.9. L. C. pag. 14. & seqq.

PARS

PARS II.

Audivimus prophetantem; audiamus etiam consolantem Jesum Christum. Consolationis, terrori oppositæ, *propositio* est: Pii signis istis tàm terribilibus non frangantur animô, sed benè adhuc dum sperent: Verbis: *His autem fieri incipientibus*, (quid τέτων & πάντων nomine veniat, explicat D. Gerh. part. 2. Harm. p. 605. 606) *suspicite & attollite capita vestra*.

Ratio 1. ab utili istorum signorum desumitur: facient enim piis ad gaudium & exsultationem singularem. Exprimitur ea per metonymiam signi vel effectûs. Nam suspicere & caput attollere signa sunt ex animo lætantium. Prout enim quisque est vel hilaris, vel tristis animi; ita caput vel attollit, vel dejicit. ἀνακύπτειν propriè est se erigere, & sursum respicere. Aristoteles (referente D. Gerhardô p. 607.) lib. 9. de animal. utitur hoc vocabulô de aviculis, quæ bibentes, vel cibum capientes solent identidem suspicere, ne sc. reti vel aliis modis capiantur. Metaphoricè significat spe erigi & animô recreari. Vult itaque Christus

Caput attollere. ἀνακύπτειν

1. fideles suos conspectu signorum istorum non tantoperè terreri, sed bonô ac hilari esse animô:
2. non despondere eos animum, sed spem meliorationis indubiam concipere:
3. terrenis negotiis cor nequaquam adponere, sed ad cœlos oculos animumq; elevare, & adventum Christi è cœlo cupidissimè exspectare:
4. cum timore ac tremore salutem suam operari: Phil. 2, 12.
5. bonam militiam militare, retinendo fidem & bonam conscientiam: 1. Tim. 1, 18. 19.
6. piis ac seriis precibus Deum invocare, & omnia bona à Deo tùm petere, tùm exspectare. Sunt enim verba hæc non tantùm præcipientis, sed etiam promittentis. D. Gerh. p. 608.

2. A fine vel eventu lætissimo: quia ἀπολύτρωσις vestra adpropinquat. Ἀπολύτρωσις significat h. l. plenam & perfectam liberationem, quam præpositio ἀπὸ insinuare videtur, liberationem nimirùm corporis & animæ. Liberabuntur enim pii, docente D. Gerhardô p. 609.

ἀπολύτρωσις liberatio perfecta.

1. ab omni hostium oppugnatione;
2. ab omni peccati labe, malaq; carnis suggestione; Rom. 7, 24.
3. à corporis morte & corruptione; Rom. 8, 23.
4. à satanæ insidiis ac tentatione;

5. à mundi scandalis ac seductione; Joh. 17, 11. 16.
6. à legis accusatione. Rom. 8, 1.

Illustratur hæc secunda ratio

1. simili; in græco dicitur παραβολή, quæ variè sumitur:

παραβολή variè sumitur.

1. γενικῶς, *generaliter*, pro quavis similitudine & comparatione;
2. pro re qualibet, obscuriùs & figuratè prolata;
3. pro typo V. T. rem N. T. præfigurante;
4. pro adagio sive proverbio;
5. εἰδικῶς καὶ κυρίως, *specificè & propriè*, pro artificiosa rei quasi gestæ ad aliud significandum narratione: hoc locô prima significatio obtinet. Sumitur autem simile ab arborum, ficûs potissimùm, revirescentia, & habetur in textu integrum, κατὰ πρότασιν καὶ ἀπόδοσιν. Πρότασις est: quemadmodum ficûs & arbores aliæ, protrudentes gemmas, imminere jam æstatem arguunt: Ἀπόδοσις: Ita signa prædicta ostendunt, æstatem diei novissimi jam jam subsecuturam. Græcum γινώσκετε potest verti in Indicativo scitis, & in Imperativo scitote; sed prior versio textui & scopo magis congruit; cognoscitis scil. tùm ex ratione naturali, tùm vel maximè ex consveto naturæ cursu, & observationibus præcedentibus, & quidem ex vobis ipsis, licèt nemo edoceat vel admoneat. Eadem est ratio verbi ἴδετε, videtis vel videte, ficum & omnes arbores, h. e. quamcunq; arborem aliam: neque enim de singulis generum, sed de generibus singulorum est accipiendum. Προβάλλειν est projicere, prorumpere, progerminare; q. d. cùm vere ineunte revirescere cœperint arbores, protrudendo frondes, βλέποντες, si illud videatur, h. e. diligenter observetur, æstatem instare inde colligitur: Ita & vos cùm videtis ταῦτα, hæc, quæ inter signa novissimi mei adventûs recensui, fieri, scitote, quòd prope sit regnum Dei. Ita quod superiùs dixerat ἀπολύτρωσιν, jam dicit βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, quia plena & perfecta liberatio tum demum continget piis, quando introducentur in regnum Dei, h. e. in regnum gloriæ.

προβάλλειν.

Liberatio plena est ulterius vitæ.

Regnum dicit Dei, non Christi; quia interdum per regnum Christi intelligitur regnum gratiæ in hac vita; per regnum Dei autem regnum gloriæ in futura vita. Alii distingvunt inter regnum Christi essentiale & œconomicum: illud cum Patre & Spiritu Sancto habet commune in omnem æternitatem; hoc verò in die novissimo tradet Patri. 1. Cor. 15, 24. Ecclesia enim non ampliùs opus habebit præsidiô & auxiliô adversus hostes suos.

Regnum Dei & regnum Christi ut differant.

2. Ad-

2. *Adjuncto temporis*; eventura nim. esse signa, dum generatio ista (intelligere videtur Judæos) duret, per orbem terrarum dispersa: q. d. exsistentibus adhuc Judæis, & ante oculos hominum oberrantibus, hæc evenient; quamvis etiam non incommodè per γενεὰν seculum, h. e. mundus possit intelligi. D. Gerhardus d. l. pag. 619. varias commemorat Interpretum sententias, de vero horum verborum intellectu, non præteribit ἡ γενεὰ αὕτη, inter se discrepantes. Alii enim accipiunt vocabulum γενεᾶς de generatione omnium hominum: alii de cœlo & terra, quòd mundus non priùs sit interiturus, quàm omnia ista evenerint: alii de generatione fidelium: alii de tempore illo, quod inter primum & ultimum Christi adventum interjacet: alii de ætate Apostolorum: alii de gente Judaica: alii de spatio vitæ humanæ, quod Hebræis דוֹר dor, Latinis ætas dicitur: postremam hanc sententiam vocat simplicissimam, & textui, quin & scopo Christi maximè conformem. Hac ratione nomen πάντα non absolutam, sed certi generis universalitatem denotaret; omnia nim. ea, quæ ad gentem Judaicam, adeoque ad signa, excidium Hierosolymæ præcessura, spectant. Voluisse enim Christum de die novissimo sic loqui, ac si esset in propinquo, consentaneum est. Liberum esto suum cuique judicium.

γενεὰ quid notet.

3. *Comparatione minorum*, seu sententiâ minùs probabili. Minùs enim verisimile videtur, cœlum & terram transitura. At fiet, tandem, teste αὐτοαληθεία: Ergò & hoc, quod de fine mundi judicioque extremo, atque adeò de signis anteambulonibus prædixi, non cadet irritum. Ratio consequentiæ ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili petita; quia verba mea transire, aut irrita in terram cadere haut possunt. Nonnulli faciunt h. l. collationem imparium, ut sit sensus: p[illegible] futurum, ut cœlum & terra pereant, quæ tamen sunt maximè [illegible]abilia, adeò ut in rebus creatis nihil illis videatur firmius, nihil solidius, Job. 37, 18. Eccl. 1, 4. Psal. 24, 2. & 104, 5. Aliis placet oppositio, quòd Christus opponat præteritioni cœli & terræ immotam verborum stabilitatem ac firmitatem. In græco est verbum παρελεύσονται, ἀπὸ τοῦ παρελθεῖν, quod usurpatur plerumque de illis, quæ ita abeunt, ut nullum eorum reliquum maneat vestigium; quæque cùm semel præterierint, nunquam posteà revertuntur. Idque notandum propter controversiam, de forma consummationis mundi, utrum ille interiturus sit ἀλλοιώσει κατὰ ποιότητα, an φθορᾷ κατ' οὐσίαν? Verba autem Christi non præteribunt, h. e. non mutabuntur, non frustrabuntur eventu, non erunt inania ac fallacia, sed quicquid in illis vel promissum, vel prædictum, illud in-

παρελθεῖν

Mundus quomodo interiturus.

fallibiliter subsequetur. Atque ita diffidentiæ & timoris scrupulum omnem Christus fidelibus suis eripere conatus fuit. Unde verò fit, quòd verba Christi cœlô & terrâ dicantur firmiora, explicat D. Gerh. d. l. p. 628.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Dies novissimus ἀπολυτρώσις.

I. Dies novissimus futurus est dies ἀπολυτρώσεως plenariæ. Esa. 35, 10. Rom. 7, 23. 24. 1. Corint. 1, 30. Esa. 25, 8. Apoc. 7, 17. & 21, 4. Act. 3, 20.

II. Pii consolationem hanc animis suis probè infigant, ut adversus tremendum Christi adventum erigere se valeant. Erit enim piis solatio; Act. 3, 21. Sap. 5, 16. Esa. 35, 10. impiis verò terrori maximo. Nah. 1, 6. Rom. 2, 5. 2. Thess. 1, 8.

Adventus Christi ultimus desiderabilis.

III. Summô itaq; desideriô adventum Christi, ob finalem à malis omnibus liberationem, exspectare piorum est omnium. Rom. 8, 19. seq. Apoc. 6, 10. & 22, 20. 2. Tim. 4, 8. D. Gerh. p. 615.

IV. Verbi ministri exemplô Christi sciant, ad captum auditorum in concionibus suis sese accommodare. Matth. 13, 52. 1. Corinth. 9, 19.

Dies novissimus quibus ἄφοβος.

V. Qui habet conscientiam sangvine Christi conspersam, & peccata contra eandem devitat, non habet quòd timeat diem novissimum. Psal. 46, 1. Hebr. 9, 14. 1. Joh. 1, 28.

VI. Dies novissimus erit dies ἀπολυτρώσεως, liberationis perfectæ & plenariæ.

Redemtio perfecta vel consummativa alterius vitæ.

VII. Christus quidem beneficium redemtionis, passione ac morte suâ acquisitæ, in hac quoque vita per fidem nobis confert; interim hic fit tantùm inchoative in spe; sed in extremo die fiet consummative in re: tunc enim anima nostra perfectè liberabitur à peccato, corpus à morte, anima & corpus ab omnibus peccati effectis, omnis generis malis & periculis. Esa. 35, 10. Roman. 7, 23. 24. 1. Cor. 1, 30. D. Gerh. p. 614.

Ficus similitudo quid moneat. Diei novissimi propinquitas probatur.

IIX. Similitudo à ficu petita innuit

1. novissimi adventûs Christi certitudinem ac veritatem;

2. diei extremi propinquitatem; ea verò docetur & probatur

1. ex signorum complemento; intuere cœlum, terram, hominem, mare commotum;

2. ex temporis argumento. Quale illud? Inspice ordines sacros. *In Ecclesia* est

1. Pr-

1. Evangelij prædicatio; Matth.24,14. Pſ.19,1. 2.
2. AntiChriſti revelatio; Mat.24,24. 2.Theſſ. 2,3.
3. Eccleſiæ coanguſtatio & devaſtatio. Apoc. 12,1.ſeqq.

In Politia 1. regnorum & imperiorum everſio; Dan.2. & 7.
2. bellorum continuatio;
3. ſubditorum oppreſſio. Deut. 28. Dan. 2. Exod. 1. 2. & ſeq.

In Oeconomia eſt *1. anguſtia, συνοχὴ*, gemitus; Pſ. 12,6.
2. injuſtitia; Jer.9, 4.5.6. Hab. 1, 2.3. 4.
3. ἀστοργία. Mich.7,6. Matt.10,36.

3. ex conjecturarum documento, de quibus vide diſpoſ. ſubſeq. 2.

3. ſecuturam vitæ æternæ amœnitatem. Cant.2, 11. 12. 13. Eſa. 66, 14. Matth.13,30. Pſ.16, 11. & 126,6.

4. Piorum conditionem & qualitatem. D. Gerh. p. 616.617.

IX. Colligunt Theologorum nonnulli ex hac ſimilitudine probabiliter, vernô tempore Chriſtum ad judicium rediturum: ſed nolumus altiora nobis quærere. Prov.25,26. **Tempus diei noviſſimi.**

X. In Judæis ſpeculum iræ divinæ ob oculos nobis ponitur, quòd γενεὰ αὕτη ſervetur in aliorum præmonitionem & territationem. Pſ. 59,12. **Judæi ſpeculum iræ.**

XI. Prædictio Chriſti argumentum eſt omniſcientiæ divinæ, per Unionem perſonalem & ſubſecutam communionem Chriſto ſecundum humanam Naturam communicatæ. Matth.9,4. & 22,18 Joh.2,23. 24. & 21, 17. 1. Cor.4,5. Col.2,3.9. **Omniſcientia Chriſti.**

XII. Teſtimonium habemus φιλανθρωπίας Chriſti: ideò enim præmonet, ut deſiderium ſalutis humanæ ſuum declaret. Matth.11,29. Tit.3, 4. **φιλανθρωπία Chriſti.**

XIII. Cœlum & terra ut certô tempore cœperunt: ita certô etiam tempore deſinent & interibunt. Pſ.102,26.27. Eſ.51,6. 2. Pet,2,13 & 3, 6.7.10. Apoc.21,1. Rom.8, 19.20.

XIV. Chriſtus verus inde probatur Deus, quòd futura certô & infallibiliter ex propria ſcientia prædicere, verbaque æternæ veritatis proferre novit. Eſa.40, 8. **Divinitas Chriſti.**

XV. Meditatio conſummationis & interitûs mundi revocet homines *1. ab inordinata mundi dilectione*; 1.Cor.7,29. 1.Joh.2,15. **Finis mundi cur ſæpè cogitandus.**
2. ab avara & injuſta divitiarum acquiſitione; Matt.6,19. & 16, 26. Jac.5, 1.
3. à pœnitentiæ dilatione. Sir.7,40. & 18,22.

XVI. Eadem interitûs mundi conſideratio excitet in hominibus,

1. verum Dei timorem;
2. cœlestium desiderium & amorem;
3. beneficentiæ studium & fervorem; Gal. 6, 9.10.
4. beatæ emigrationis ardorem. D.Gerh.p.629.

Mundi interitus κατ' οὐσίαν.

XVII. Mundus non secundum qualitates, sed secundum substantiam interibit, attestante Christo. Vide Dn. D. Hunnium art. de provid. pag. m.12. D.Gerh. harm. Chemnitio Lyser. part. 2. p. 626. seqq. Tom. 9. L. C. pag. 381. seqq. Vindic. Dn. Meelführ. th. 62. seqq.

XIIX. Verbum Christi est verbum ipsius Dei, quia in æternum manebit. Esa. 40, 8. 1Pet. 1, 23. 25. Ps. 145, 13.

XIX. Verba & promissiones divinæ sunt immotæ veritatis. Ps. 33, 4. Rom. 11, 29. 2. Cor. 1, 20.

XX. Promissionibus Christi fides plenaria & indubia est adhibenda.

XXI. Scripturis sacris non est infrequens, eandem rem & ad consolationem, & ad terrorem proponere: habes exemplum in hac de adventu Christi doctrina: eadem est ratio doctrinæ de lege, de peccato, de passione ac morte Christi. 2. Thess. 1, 7. 8. Rom. 2, 9. Esa. 66, 24. Joh. 17, 24. Esa. 35, 10. Sap. 5, 17. Apoc. 21, 4. D. Finck. cent. 1. can. 31.

PARS III.

Restat ut tertiâ quoque Evangelii parte audiamus Christum præmonentem. Seria maximè res agitur: gravissimam itaque Salvator, salutis hominum quippè cupidissimus, Colophonis locô subjungit memorabilem sive ἐπίπληξιν, sive παραίνεσιν. Summa παραινέσεως totius in eo consistit, quòd Christus Apostolos, immò omnes fideles informare voluerit, quomodo ad novissimum suum adventum præparare sese debeant. Membra ejus sunt duo:

Præparatoria diei novissimi.

1. ἀποτροπὴ, *dehortatio*, *τὰ φευκτὰ fugienda*; &
2. προτροπὴ, *exhortatio*, *τὰ πρακτὰ facienda* continens.

I. *Dehortatio* proponit fugienda.

1. in genere omnia, quæ cor animumque prægravant, peccata nim. omnia, & maximè quæ contra conscientiam admissa.

2. in specie fugienda sunt tria vitia, dignæ ad diem judicii præparationi è diametro adversantia, & ob id studiosè devitanda ab omnibus iis, qui seriâ salutis suæ curâ tanguntur. In græco est verbum προσέχειν, subintelligitur τὸν νοῦν, vel τὴν γνώμην, attendere, animum adhibere, & innuitur diligens atque attentum aliquod stu-

προσέχειν

ſtudium, ut fideles hanc concionem attentè audiant, imis ſenſibus reponant, & ſummô ſtudiô vitia prohibita devitent.

1. Primum φῶλκτὸν eſt *luxuria in eſculentis*, Græcis dicitur κραιπάλη, crapula, quô vocabulô omnia intelliguntur mala, quæ ex nimia repletione orta homines divexant. Derivatur à nomine κάρα caput, & verbum πάλλω, vibro, concutio: propriè quidem & ſpecificè ſignificat aliàs τὴν ἐξ οἴνου βλάβην τῆς κεφαλῆς, gravedinem vel læſionem capitis, ex nimia vini ingurgitatione obortam, quâ caput q. vibratu quodam concutitur: item caliginem illam, quâ mens & ſenſus ex nimio vini uſu obfuſcantur. Sed quia κραιπάλη à μέθη expreſsè diſtingvitur, ideoque per κραιπάλην ſynecdochicè ſignificatur ſuperflua cibi ingeſtio, quando homo non ad neceſſitatem, ſed voluptatem & nimiam ſaturitatem, cibô corpus ſuum ſuffarcinat; natura enim aliàs paucis eſt contenta: & huc reſpexit in verſione ſua B. Lutherus.

κραιπάλη

2. Secundum φῶλκτὸν ſive vitium eſt *intemperantia in poculentis*, græcis μέθη, vinolentia dicta, nimia potûs ingurgitatio, à nomine μέθυ, vinum, ex græco μεθίημι, negligo, remitto; quia vinum immoderatè ſumtum hominem efficit μεθήμονα, negligentem ac remiſſum; Latinis ebrietas. Vitium eſt totâ Scripturâ infame, hominem ad pietatis exercitia planè efficiens inhabilem. Placet nonnullis ἓν διὰ δύο, hoc ſenſu: cavete, ne corda veſtra graventur crapulâ ex ebrietate ortâ; vel ebrietate, quæ ex ſe crapulam gignit.

μέθη, vinolentia.

Ebrietas vitium in Scriptura infame.

3. Tertium φῶλκτὸν ſive vitium eſt *avaritia*, in curandis & corradendis divitiis occupata. Græcè dicuntur μέριμναι βιωτικαὶ, & ſunt illæ curæ, quæ de rebus, ad hanc vitam pertinentibus, ſuſcipiuntur, uti exponit D. Gerhardus p. 661. & ſubdit paulò poſt hanc limitationem: *Neq; verò Chriſtus abſolutè & ſimpliciter prohibet de victu & amictu, ac rebus ad hujus vitæ ſuſtentationem neceſſariis cogitationes aliquas ſuſcipere: ſed de ejuſmodi curis loquitur, quibus cor gravetur, negotiis ſecularibus ita immerſum, ut ad cœleſtium cogitationem ſeſe elevare non poſſit.* Ex quibus patet, Chriſtum non vetare ipſum rerum neceſſariarum uſum, ſed abuſum & exceſſum, qui plerunque curas iſtas comitari ſolet. Sub curis autem βιωτικαῖς complectitur & prohibet ſimul omnes artes πλεονεκτικάς. Additur ἀποτροπῆς ſive dehortationis hujus *1. ratio;*

2. amplificatio.

μέριμναι βιωτικαί.

Ratio petita eſt ἀπὸ τοῦ κινδυνώδους, à periculoſo; *ne ſubitus* (vel ſubitò adverbialiter) *vobis ingruat dies ille:* intelligit diem advenF 3 tûs

tûs & judicii novissimi, quem ex improviso hominibus superventurum verbum ἐπιστῇ subinnuit.

Amplificatio facta est ὁμοιώσεῖ similitudine, à laqueo desumtâ, quô & aucupes & venatores utuntur. Παγὶς enim significat tùm laqueum, qui in terram, ad capiendas feras, defigitur; tùm avium decipulam. Metaphora itaque ducta est, vel à ferarum, vel ab avicularum captura. Quemadmodum enim feræ vel aviculæ imprudentes, dum securè pascuntur, reti vel laqueo implicantur: Ita dies atque adventus Christi novissimus ἀπροσδοκήτως ac subitò, præter opinionem & exspectationem hominum, ipsis securè agentibus, crapulæ, ebrietati & negotiis secularibus deditis ingruet, vel superveniet (uti verba Christi habent) in omnes, qui sedent super faciem terræ. Sedere autem h.l. idem est quod habitare, more Hebræis usitató, quibus verbum יָשַׁב & sedere & habitare significat. Facies autem terræ, per eundem Hebraismum, idem est quod terra ipsa. Hebræis enim dicitur פְּנֵי הָאָרֶץ, facies terræ, pro quo Græci dicunt, πρόσωπον τῆς γῆς, Latini terram, Esa. 24,17. Apoc. 14,6 Fuit ἀποτροπὴ, dehortatio, sequitur

παγίς.

Sedere pro habitare.

Facies terræ

II. Προτροπὴ sive *cohortatio*, continens τὰ πρακτὰ, facienda. Notetur

1. *propositio*, quâ hortatur Dominus Jesus discipulos ac fideles suos,

1. *ad vigilantiam*. In Græco est ἀγρυπνεῖν, & propriè de corporis vigilia accipitur. Dicitur enim ἄγρυπνος, quasi ἄυπνος, insomnis, metaphoricè ad animi vigilantiam & providentiam accommodatur. Et statuunt nonnulli, agi hîc de vigiliis tàm corporis, quam animi: sed rectiùs sentire videntur ii, qui de animi potissimùm vigiliis Christum loqui existimant: somnô enim naturali carere hominum potest nemo: & præterea corporalis vigilia absque spirituali parùm prodest; neque illa huic, vel hæc illi contradictoriè opponitur, sed ὑπαλλήλως subordinatur. Potest enim homo Christianus etiam in somno paratus esse ad adventum Domini. Cant. 5,2. Esa. 26,9.

ἀγρυπνεῖν

Dormientes etiam possunt esse parati ad adventum Domini.

2. *ad precum diligentiam*. Hîc notetur discrimen inter προσευχὴν καὶ δέησιν, (illâ Marcus, hâc Lucas usus est) quòd προσευχὴ sit votum ad Deum directum, quô aliquid optamus; δέησις oratio, quâ petimus ὧν δεῖ, quibus nobis opus est. Secundum alios προσευχὴ est petitio bonorum, δέησις deprecatio malorum: sed hoc discrimen non est perpetuum. Vide B. Aret. in probl. Theol. locô 72. pag. 215.

προσευχὴ

δέησις.

προσδιορισμὸς sive determinatio, ἐν παντὶ καιρῷ, utrique & vi-

vigilantiæ, & precibus accommodari potest. Quemadmodum enim omni tempore vigilandum; ita omni quoque tempore orandum: sinceræ itaque devotionis & instantiæ continuatio requiritur.

2 *Ratio* propositionis, à fine gemino petita, est, ut possitis 1. effugere mala impendentia; in Græco ἵνα καταξιωθῆτε, ut digni reddamini vel efficiamini:
2. stare ante Filium-Hominis, ne Judex vobis rigidus, sed Salvator ac Redemtor exoptatus adpareat.

Verbum καταξιῶσθαι non patrocinatur Pontificiæ meritorum dignitati, sed illud saltem ostendit, in hac vita oportere nos dignos reddi per veram in Christum fidem, si velimus (1) effugere τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, sc. non tantùm ea, quæ antecedunt diem novissimum, sed & illa, quæ in ipso judicii die impios ac malè-paratos oppriment: (2) σταθῆναι, alacriter & intrepidè consistere in conspectu Judicis Jesu Christi; quibus verbis æterna intelligitur beatitudo, quæ in salvifica Dei ac Christi visione consistit.

καταξιῶσθαι.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Securitas cum crapula & ebrietate nobis devitanda studiosè. 1. Thess. 5,3. Eph. 5,18. 1. Cor. 6,10. Esa. 3,9. & 5,11.

II. Crapulâ, ebrietate & avaritiâ cor hominis ita adgravatur, ut vel nullus, vel exiguus relinquatur cordi humano locus de rebus cœlestibus, ac salutem animæ concernentibus, cogitandi. Matth. 6,24.

III. Vitia hæc præ ceteris suæ Christus παραινέσει inseruit, quia

1. præparationi ad judicium novissimum extremè adversantur. Ose. 4,11. Prov. 23, 24.25. Esa. 5,11. 1. Timot. 6,9. Prov. 20,1.
2. aliorum vitiorum sunt origo & causa procreans: Prov. 23, 23.30. 1. Tim. 6,10. Matth. 13.22.
3. circa finem maximè mundi invalescent: Matth. 24,37.
4. majorem reliquis homini noxam inferunt: 1. Thess. 5,3. Judic. 16,25. Dan. 5, 1.30.

Avaritiam & ebrietatem cur Christus præ ceteris vitare jusserit.

IV. Ebrietas spiritualem quandam ἀναισθησίαν inducit, ac πά-

Ebrietatis natura.

πώρωσιν quandam mentis ſecum adfert, vigilantiæ ſpirituali directè oppoſitam. Eſa.5,11.12.

V. Crapula & ebrietas preces devotas impediunt. 1.Pet.4,7.

VI. Curæ quoque hujus ſeculi orationi piæ plurimùm incommodant. Matth.6,19.20.

VII. Noſtrum eſt, in his & aliis τῷ κόσμῳ τούτῳ μὴ συσχηματίζεσθαι. Rom.12,2. Matth.7,13.

IIX. Aliter mundus, aliter Chriſtus crapulam, ebrietatem & avaritiam definire ſolet. D. Gerh. p. 667.

IX. Maximum periculum, non tàm corporis, quàm animæ, quotidiè imminet iis, qui vitiis hiſce ſunt immerſi.

X. Semper ſimus ad adventum Chriſti parati. Luc.12, 36. 2.Pet.3,11. 1.Theſſ.5,3.2.1.Cor.7,29.

Cordis habenda ratio.

XI. Cordis maxima & potiſſima eſt habenda ratio; eſt enim ſedes virtutum ac vitiorum, & ex quo tàm bona quàm mala procedunt. Matt.12,34. & 15,19. 1.Sam.16,7.

Pietas non eſt ἀδιάφορον.

XII. Preces, ſobrietas, vigilantia & pietas non ſunt ἀδιάφορα, ſed ab omnibus, ſalutem ſitientibus ſempiternam, cruciatûs contrà infernales effugere ſatagentibus, requiruntur.

Vigilantia quid complectatur.

XIII. Vigilantia Chriſtiana ambitu ſuô complectitur

1. *quotidianam diei noviſſimi memoriam, & perpetuam adventûs ultimi exſpectationem*: Luc.12,35.
2. *ſolicitam curam & adſiduam ad diem judicij præparationem*: Phil.2,12.
3. *temperantiam & vitæ ſobriæ inſtitutionem*: 1.Theſſalon.5,7.8. 1.Pet.5,8.
4. *in operibus vocationis diligentiam & ſedulam exercitationem*: Jer.48,10. 2.Tim.4,5. 1.Theſſ.4,11.
5. *ſecuritatis fugam & peccatorum devitationem*: 1.Theſſ.5,8. Rom.13,12. Eph.5,8. Apoc.16,15.
6. *in vitandis ſatanæ ac mundi inſidiis accuratam cautionem*. Eph.6,11 1.Cor.16,13. 1.Pet.5,9. Apoc.4,6.
7. *circumſpectam corporis & animæ obſervationem & cuſtoditionem*. Luc.12,37. Rom.13,14.

Laquei ſimilitudo.

XIV. Similitudo laquei oſtendit,

1. ſecuritatem & carnalium voluptatum ſtudium fore circa finem mundi maximè frequens & familiare: Luc.17,26. ſeq.
2. diem noviſſimum ἀπροσδοκήτως adfore;
3. eundem extremam ſecuris perniciem adlaturum. 1.Theſſ. 5,

5,3. Psal. 11,6. Eccl. 9,12. Esa. 24,17. Conf. D. Gerh. p. 670

XV. Nihil quicquam patrocinatur Christus εὐχήταις, Audianis & Messalianis; non enim tàm exterior oris oratio, quàm interior mentis devotio & continuatio requiritur, quòd debeamus orare πάντοτε, in omnibus, tàm prosperis, quàm adversis rebus in templis & domibus Luc. 18, 1. 1. Thess. 5, 16. Act. 2, 42. & 10, 14. Rom. 12, 12. Col. 4, 2. Eph. 3, 13. & 6, 18. Confer D. Gerh. p. 706.

Euchetæ.

XVI. Qui diligenter & ardenter, in Spiritu & veritate orant, illi digni redduntur, ut effugiant mala eventura, & coram Filio hominis consistant.

XVII. In cordibus verè piorum vigilantia cum precibus semper est conjuncta. Matth. 26, 41. Marc. 14, 38. Col. 4, 2. Jon. 16.

Preces cum vigilantia conjunctæ.

XIIX. Filiorum Dei hæc est πεποίθησις κ. παῤῥησία, (& nota) intrepidè coram Judice Jesu Christo comparere. Rom. 8, 33.

XIX. Omnium adhortationum in Scriptura sacra finis ac scopus est, ut peccati vitetur enormitas. Genes. 4, 8. Esa. 27, 9. 1. Johan. 2, 1.

Adhortationum finis.

XX. In specie autem vitanda modis omnibus ebrietas, propter

Ebrietas vitanda & cur

1. *Dei prohibentis majestatem:* Prov. 23, 19. Sir. 18, 32. & 31, 12. 19. & 37, 32. Rom. 13, 13. Eph. 5, 18. 1. Thess. 5, 6. 1. Pet. 1, 13. & 4, 8.
2. *ebrietatis deformitatem.* Esa. 19, 14. & 78, 7. Jerem. 23, 9. Job. 12, 25. Hab. 3, 16. Pro. 26, 11. 2. Pet. 2, 22. Sir. 26, 11.
3. *ebrietatis noxam & damnositatem;* damnum enim infert bonis fortunæ; corpori & animæ: Prov. 21, 17. & 23, 19. Sir. 18, 32. 33. & 19, 1. Prov. 23, 27. 28. Sir. 31, 22. 24. & 37, 33. 34. Eph. 5, 18. Ose. 4, 11. & 7, 5. Es. 5, 11. 12. & 28, 7. 8
4. *pœnarum gravitatem;* punitur à Deo hoc tàm grande peccatum, modò paupertate; modò sterilitate; in V. T. puniebatur lapidatione; Deut. 21, 18. in N. T. etiam excommunicatione; 1. Cor. 5, 11. sequetur tandem, nisi actâ pœnitentiâ remittatur, æterna damnatio. Esa. 5, 11. 14. 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 19. 21.
5. *adventûs Christi proprinquitatem.* Vide de his & aliis plura apud D. Gerh. in Schol. piet. lib. 4. fol. 401. & seqq.

XXI. Avaritia quoque cum cognatis vitiis studiosè vitanda ob

Avaritia vitanda & cur.

1. *Dei mandantis auctoritatem:* Prov. 23, 4. 5. Luc. 12, 15. Ephes. 5, 3. Col. 3, 5. Heb. 13, 5.
2. *promissionis divinæ largitatem,* de victu sc. & amictu: Matt. 6, 31. 32. 33. Esa. 30, 10. & 33, 15. 16. 17. Ps. 34, 11.

3. *vitæ nostræ fugacitatem & mortalitatem:* Psal.39,7. & 49, 17. & 90,10. Gen.47,9. Sir. 11,18.19. 20. Jer.17, 11. 1.Tim.6,7.
4. *Avaritiæ fœditatem:* est vitium Ethnicum; Matt.6,32.Sap.14,15. Rom.1,29. stolidum; Luc. 12,20. præposterum; omnia invertens: Matth.6,3.
5. *damnositatem.* 1.Tim.6,10. Prov.28,20. Sir.31, 5. Est mater infelix, gignens ex se filias non minùs infelices, aversionem à Deo, contemtum verbi & ministerii; inhumanitatem, rapacitatem, injustitiam; habet etiam pedissequas suas, inquietudinem, maledictionem, diffidentiam, fiduciam in divitiis, πλεονεξίαν ἢ φιλαργυρίαν &c.
6. *pœnarum atrocitatem*, de quibus omnibus & reliquis inde dependentibus, vide D.Gerh. Schol. piet. lib. 5. cap.11, fol.131. & seqq.

Peccata Christus aliter ac mundus æstimat.

XXII. Christus longè aliter æstimat hæc & alia hominum peccata, atque filii hujus seculi, quibus

virtus pro vitio nomina sæpè tulit,

& contrà. Ebrietas jam nemini vitio vertitur; sed Scripturâ teste, viam sternit ad orcum. Esa. 5,11. 14. 1. Cor. 6,10. Gal.5,21. Avaritia, fraudes, rapinæ, artes pleonecticæ reliquæ, à filiis hujus seculi, virtutum instar, studiosè coluntur, amantur, excusantur: atqui à Christo ad infernum usque damnantur. μέριμναι βιωτικαὶ sunt laqueus, quô incauti homines capiuntur. Tu si sapis, si salutis curâ aliquâ tangeris, fuge avaritiam & πλεονεξίαν; Luc. 12,15. Heb. 13, 5. tùm *ob divinam prohibitionem*, factam in septimo, nono & decimo Decalogi præceptis; tùm *ob animæ periclitationem*; Matth. 19, 23. 1.Tim.6, 9.10. tùm demum *ob æternam Dei vindicationem.* Mich. 6,10. Prov. 10,3. & 15,27.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

DUo potissimum ex hodierno Evangelio in considerationem venient: *I. diei novissimi intimatio;*
II Christi consultatio.

PARS I.

Dies novissimus terribilis & unde.

Dies novissimus erit dies iræ ac furoris; dies ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ. Rom. 2,5. terrorem itaque hominibus incutiet. Pavidum enim aliàs cor hominis: Jer.17,9. Terrorem istum augebunt

I.Si-

I. *Signa diei noviſſimi antecedentia*: ſigna iſta futura ſunt triplicia:

1. Cœleſtia, in cœlo & aëre; (nam & aër in Scripturis cœlum dicitur, Matth. 6, 26.) nim. in Sole, Luna, ſtellis & reliquis corporibus cœleſtibus, nec non in aëre adparitura, quæ Phyſici μετέωρα vocant, horrendos multoties adſpectûs hominibus præbentia. Specialiter (inquit D. Pelarg. quæſt. In Matth. fol. 255. b.) Dominus obſervare monet Eclipſin Solis, obſcurationem Lunæ, ſtellarum caſûs, firmamenti commotionem. Nam & δυνάμεις, virtutes cœlorum, h. e. ipſi cœli & robur ipſorum, movebuntur. Juvencus ita:

Sol rutilus furvis radios abſcondet in umbris:
Amittet curſum lunaris gratia lucis;
Ignicomæq́ ruent ſtellæ, cœlumq́ relinquent:
Omnis item virtus cœli commota ſuperni
Signa dabit.

2. Terreſtria & aquatica;

1. in homine; 1. συνοχὴ, quâ innuitur animorum angor; Hertzens Angſt vnd Bedrengnis.

2. ἀπορία, conſiliorum inopia, unde deſperatio.

2. in mari, ut maris ſonitus, & ſalum h. e. fluctus ejusdem: ſignificatur maris tumor, & omnia ea, quæ portentoſa in eodem viſuntur. Huc non immeritò referuntur inuſitati illi & vehementes ventorum flatûs, terræ motûs, aquarum eluviones & inundationes, quales noſtrô tempore annô 1612. & 1613. contigerunt. Nam

mortales quoniam nolunt ſua crimina flere,
pro nobis cœlum ſolvitur in lacrymas.

His connumeramus horrendum illud ſeveriſſimæ erga peccata noſtra iræ Dei teſtimonium, (uti à Sleidani continuatore feliciſſimo M. Arthuſio Tom. 7. Mercur. Gallobelg. p. 1140. nominatur) ſubverſio nim. ſubitanea ac momentanea Pluers, oppidi in Griſonibus elegantiſſimi, quæ contigit annô 1618. d. 25. Auguſti: quam ego ruinam ideam vel typum paulò pôſt ſubſecuturæ univerſalis ruinæ interpretor, quâ cœli procellæ in morem tranſibunt, elementa verò æſtuantia ſolventur, terraque & quæ in ea ſunt opera exurentur. 2. Pet. 3, 10.

Pluers oppidum in Griſonibus ſubvertitur.

3. Singularia, intra cor hominis, & in ipſo etiam corpore humano, ceu ſunt 1. ἀποψύχησις, exanimatio hominis, da der Menſch immer hinzeucht/vnd ſtirbet: de corporum etiam langvore, variiſque ægritudinibus, antehac planè incognitis, illam exponere nihil prohibet.

2. φόβος, metus futurorum:

3. προσδοκία, exspectatio formidabilis judicii, quæ impios inprimis terrebit: plangent enim, uti apud Matthæum c.24,30 Dominus dicit, omnes tribûs terræ. Vide de hoc p. anctu D. Gerh. part. 2. harm. p. 578. 579. 580. Ut paucis multa dicam, tota rerum natura commovebitur, & undique trepidationem atque terrorem hominibus incutiet. Solent quidem aliàs (quæ verba sunt D. Calixti p. 399. Concord. Evang.) describi per obscurationem Solis & Lunæ, quin etiam casum stellarum, magnæ calamitates: Esa. 13,10. & 34,4. Jer. 15,9. Ezech. 32,7.8. Joël. 2,10. Amos 8,9. sed præstat h. l. sine figuris in simplici sensu accipere, nempè hæc reapse sub finem mundi eventura, jam jam imminente posteriore Domini adventu

II. *Judicis adparentia*, quæ & ipsa non parùm augebit terrorem: erit enim Judex *1. justissimus;*
2. districtissimus;
3. potentissimus;
4. oculatissimus;
5. sapientissimus. In textu monstratur,

1. Quis Judex futurus? Filius-Hominis, cui Pater dedit omne judicium. Joh. 5,22.

2. Ubi adpariturus? In nube, singulare per enallagen ponitur pro plurali, vel potius peculiari.

3. Quomodo venturus? *1. visibiliter;*
2. sublimiter;
3. regaliter, veniet nube ignicolori,

Majestate potens hominis per sidera natus. Juvencus.

III. *Examinis vehementia*, de quo vide Domin. 25. Trinit.

USUS I. Informatorius.

Dies novissimus certò veniet. I. Quòd dies novissimus contra spem, votum & ludibria ἐμπαικτῶν 2. Pet. 3,4 certissimè sit venturus. Ps. 96,14. Esa. 2,12. & 13,6 & seqq. & 26,21. & 66,5. Dan. 7,9. Soph. 1,14. Mal. 4,1. Matth. 12,36. & 13,41. & 16,27. & 25,31. & 26,64. Act. 1,11. & 3,10. & 17,30.31. Rom. 2,5.16. 1. Corint. 4,5. 2 Cor. 5,10. 1. Thess. 4,16. & 5,2.3. 2. Thess. 1,9. 2. Pet. 3,10. Apoc. 1,7. & 20,11. Consule locos.

Diei novissimi propinqui ar probatur. II. Quòd in propinquo sit adventus consummationis, & Christus quotidiè exspectandus; idque probabiliter colligitur,

1. ex veteri de sex mille annis mundi traditione;

2. ex prima creatione: sex diebus creavit Deus cœlum & terram, postmodùm quievit, & Sabbathum egit;

3. ex

3. *ex primi mundi cum ultimo comparatione;*
4. *ex quatuor Monarchiarum (non plurium) constitutione;*
5. *ex Antichristi revelatione & internecione;* quæ in propinquo.
6. *ex signorum prædictorum observatione;*
7. *ex temporis proximè antecessuri conditione.* In statu enim Ecclesiastico Evangelium per totum terrarum orbem est revelatum; doctrina Ecclesiæ à fermento Antichristi repurgata; maxima passim dominatur, cum securitate extrema conjuncta impietas; Gog & Magog adscendit in montes Israëliticos; Ezech. 38, 8. doctrina de Christo passim obscuratur, & Ecclesia persecutionibus miserabiliter fatigatur & exagitatur. In statu politico ruinæ conspiciuntur imperiorum; totus mundus ardet bellis, Matth. 24, 6. 7. jugô ferreô gravantur subditi. In statu œconomico magna est annonæ caritas, συνοχὴ & angustia gentium; exsulat justitia, crescunt rapinæ & fraudes, dilectio planè refriguit &c. Signum & res signata simul sunt:

Verba docent, & signa probant & facta loquuntur;
Ni vitam in melius subitò convertimus, actum est.

III. Quòd adventus Christi differatur propter homines, ut spatium illi pœnitentiæ habeant, & impii reddantur ἀναπολόγητοι. Rom. 2, 1. 4. 5. 2. Pet. 3, 9.

Dies novissimus cur differatur.

II. Consolatorius.

Signa solantur pios.

1. *Ex signorum contemplatione;* futura enim illa sunt signa divini 1. *veriloquii;* Joël. 2, 30. Psal. 33, 4. Luc. 21, 33. Num. 23, 18. Mal. 3, 6. Joh. 17, 18. In omnibus invenimus Deum fidelem, in primo non fefellit, in ultimo non deficiet.
2. *Dominii:* Psal. 24, 1. & 110, 1.
3. *supplicii;* cui reservantur impii, piorum in hac vita oppressores: Deut. 4, 24. Hebr. 10, 31.
4. *amoris & desiderii.* 1. Tim. 2, 4.

2. *Ex Judicis consideratione,* qui futurus Filius-Hominis, frater noster, fraternè itaque nobiscum aget. Matth. 12, 49. Joh. 3, 16. Ephes. 5, 30.

3. *Ex calamitatum adventusq; prænunciatione.* Joh. 16, 1. 4. Ps. 46, 1. 2. 3. 4. & 73, 25.

III. Refutatorius.

1. Calvinianorum, humanam naturam Christi à potestate & officio judiciario separantium. Joh. 5, 27. Matth. 28, 18.

1. *verum Dei timorem;*
2. *cælestium desiderium & amorem;*
3. *beneficentiæ studium & fervorem;* Gal. 6, 9.10.
4. *beatæ emigrationis ardorem.* D.Gerh.p.629.

Mundi interitus κατ' οὐσίαν.

XVII. Mundus non secundum qualitates, sed secundum substantiam interibit, attestante Christo. Vide Dn. D. Hunnium art. de provid. pag. m.12. D.Gerh. harm. Chemnitio Lyser. part. 2. p.626. seqq. Tom.9. L. C. pag. 381. seqq. Vindic. Dn. Meelführ. th. 62. seqq.

XIIX. Verbum Christi est verbum ipsius Dei, quia in æternum manebit. Esa.40,8. 1Pet.1,23.25. Ps.145,13.

XIX. Verba & promissiones divinæ sunt immotæ veritatis. Ps.33,4. Rom. 11,29. 2.Cor.1,20.

XX. Promissionibus Christi fides plenaria & indubia est adhibenda.

XXI. Scripturis sacris non est infrequens, eandem rem & ad consolationem, & ad terrorem proponere: habes exemplum in hac de adventu Christi doctrina: eadem est ratio doctrinæ de lege, de peccato, de passione ac morte Christi. 2. Thess.1,7.8. Rom. 2,9. Esa. 66,24. Joh.17,24. Esa. 35,10. Sap.5,17. Apoc. 21, 4. D.Finck. cent. 1. can. 31.

PARS III.

Restat ut tertiâ quoque Evangelii parte audiamus Christum præmonentem. Seria maximè res agitur: gravissimam itaque Salvator, salutis hominum quippè cupidissimus, Colophonis locô subjungit memorabilem sive ἐπίπληξιν, sive παραίνεσιν. Summa παραινέσεως totius in eo consistit, quòd Christus Apostolos, immò omnes fideles informare voluerit, quomodo ad novissimum suum adventum præparare sese debeant. Membra ejus sunt duo:

Præparatoria diei novissimi.

1. ἀποτροπὴ, *dehortatio*, τὰ φευκτὰ *fugienda*; &
2. προτροπὴ, *exhortatio*, τὰ πρακτὰ *facienda* continens.

I. *Dehortatio* proponit fugienda.

1. *in genere* omnia, quæ cor animumque prægravant, peccata nim. omnia, & maximè quæ contra conscientiam admissa.

2. *in specie* fugienda sunt tria vitia, dignæ ad diem judicii præparationi è diametro adversantia, & ob id studiosè devitanda ab omnibus iis, qui seriâ salutis suæ curâ tanguntur. In græco est verbum προσέχειν, subintelligitur τὸν νοῦν, vel τὴν γνώμην, attendere, animum adhibere, & innuitur diligens atque attentum aliquod

προσέχειν

stu-

ſtudium, ut fideles hanc concionem attentè audiant, imis ſenſibus reponant, & ſummô ſtudiô vitia prohibita devitent.

1. Primum φευκτὸν eſt *luxuria in eſculentis*, Græcis dicitur κραιπάλη, crapula, quô vocabulô omnia intelliguntur mala, quæ ex nimia repletione orta homines divexant. Derivatur à nomine κάρα caput, & verbum πάλλω, vibro, concutio: propriè quidem & ſpecificè ſignificat aliàs τὴν ἐξ οἴνου βλάβην τῆς κεφαλῆς, gravedinem vel læſionem capitis, ex nimia vini ingurgitatione obortam, quâ caput q. vibratu quodam concutitur: item caliginem illam, quâ mens & ſenſus ex nimio vini uſu obfuſcantur. Sed quia κραιπάλη à μέθη expreſſè diſtingvitur, ideòque per κραιπάλην ſynecdochicè ſignificatur ſuperflua cibi ingeſtio, quando homo non ad neceſſitatem, ſed voluptatem & nimiam ſaturitatem, cibô corpus ſuum ſuffarcinat; natura enim aliàs paucis eſt contenta: & huc reſpexit in verſione ſua B. Lutherus.

κραιπάλη

2. Secundum φευκτὸν ſive vitium eſt *intemperantia in poculentis*, græcis μέθη, vinolentia dicta, nimia potûs ingurgitatio, à nomine μέθυ, vinum, ex græco μεθίημι, negligo, remitto; quia vinum immoderatè ſumtum hominem efficit μεθήμονα, negligentem ac remiſſum; Latinis ebrietas. Vitium eſt totâ Scripturâ infame, hominem ad pietatis exercitia planè efficiens inhabilem. Placet nonnullis ἐνδιαδύο, hoc ſenſu: cavete, ne corda veſtra graventur crapulâ ex ebrietate ortâ; vel ebrietate, quæ ex ſe crapulam gignit.

μέθη, vinolentia.

Ebrietas vitium in Scriptura infame.

3. Tertium φευκτὸν ſive vitium eſt *avaritia*, in curandis & corradendis divitiis occupata. Græcè dicuntur μέριμναι βιωτικαὶ, & ſunt illæ curæ, quæ de rebus, ad hanc vitam pertinentibus, ſuſcipiuntur, uti exponit D. Gerhardus p. 661. & ſubdit paulò poſt hanc limitationem: *Neq; verò Chriſtus abſolutè & ſimpliciter prohibet de victu & amictu, ac rebus ad hujus vitæ ſuſtentationem neceſſariis cogitationes aliquas ſuſcipere: ſed de ejuſmodi curis loquitur, quibus cor gravetur, negotiis ſecularibus ita immerſum, ut ad cæleſtium cogitationem ſeſe elevare non poſſit.* Ex quibus patet, Chriſtum non vetare ipſum rerum neceſſariarum uſum, ſed abuſum & exceſſum, qui plerunque curas iſtas comitari ſolet. Sub curis autem βιωτικαῖς complectitur & prohibet ſimul omnes artes πλεονεκτικάς. Additur ἀποτροπῆς ſive dehortationis hujus *1. ratio;*
2. amplificatio.

μέριμναι βιωτικαί.

Ratio petita eſt ἀπὸ τοῦ κινδυνώδους, à periculoſo; *ne ſubitus* (vel ſubitò adverbialiter) *vobis ingruat dies ille;* intelligit diem adven-

tûs & judicii novissimi, quem ex improviso hominibus superventurum verbum ἐπιστῇ subinnuit.

Amplificatio facta est ὁμοιώσει similitudine, à laqueo desumtâ, quô & aucupes & venatores utuntur. Παγὶς enim significat tùm laqueum, qui in terram, ad capiendas feras, defigitur; tùm avium decipulam. Metaphora itaque ducta est, vel à ferarum, vel ab avicularum captura. Quemadmodum enim feræ vel aviculæ imprudentes, dum securè pascuntur, reti vel laqueo implicantur: Ita dies atque adventus Christi novissimus ἀπροσδοκήτως ac subitò, præter opinionem & exspectationem hominum, ipsis securè agentibus, crapulæ, ebrietati & negotiis secularibus deditis ingruet, vel superveniet (uti verba Christi habent) in omnes, qui sedent super faciem terræ. Sedere autem h.l. idem est quod habitare, more Hebræis usitatô, quibus verbum יָשַׁב & sedere & habitare significat. Facies autem terræ, per eundem Hebraismum, idem est quod terra ipsa. Hebræis enim dicitur פְּנֵי הָאָרֶץ, facies terræ, pro quo Græci dicunt, πρόσωπον τῆς γῆς, Latini terram. Esa. 24,17. Apoc. 14,6

παγίς.

Sedere pro habitare.

Facies terræ.

Fuit ἀποτροπή, dehortatio, sequitur

II. Προτροπὴ sive *cohortatio*, continens τὰ πρακτὰ, facienda. Notetur

1. *propositio*, quâ hortatur Dominus Jesus discipulos ac fideles suos,

1. *advigilantiam*. In Græco est ἀγρυπνεῖν, & propriè de corporis vigilia accipitur. Dicitur enim ἄγρυπνος, quasi ἄυπνος, insomnis, metaphoricè ad animi vigilantiam & providentiam accommodatur. Et statuunt nonnulli, agi hîc de vigiliis tàm corporis, quam animi: sed rectiùs sentire videntur ii, qui de animi potissimùm vigiliis Christum loqui existimant: somnô enim naturali carere hominum potest nemo: & prætereà corporalis vigilia absque spirituali parùm prodest; neque illa huic, vel hæc illi contradictoriè opponitur, sed ὑπαλλήλως subordinatur. Potest enim homo Christianus etiam in somno paratus esse ad adventum Domini. Cant. 5,2. Esa. 26,9.

ἀγρυπνεῖν

Dormientes etiam possunt esse parati ad adventum Domini.

2. *ad precum diligentiam*. Hîc notetur discrimen inter προσευχὴν καὶ δέησιν, (illâ Marcus, hâc Lucas usus est) quòd προσευχὴ sit votum ad Deum directum, quô aliquid optamus; δέησις oratio, quâ petimus ὧν δεῖ, quibus nobis opus est. Secundum alios προσευχὴ est petitio bonorum, δέησις deprecatio malorum: sed hoc discrimen non est perpetuum. Vide B. Aret. in probl. Theol. locô 72. pag. 215.

προσευχὴ

δέησις.

προσδιορισμὸς sive determinatio, ἐν παντὶ καιρῷ, utrique & vi-

vigilantiæ, & precibus accommodari potest. Quemadmodum enim omni tempore vigilandum; ita omni quoque tempore orandum: sinceræ itaque devotionis & instantiæ continuatio requiritur.

2 *Ratio* propositionis, à fine gemino petita, est, ut possitis 1. effugere mala impendentia; in Græco ἵνα καταξιωθῆτε, ut digni reddamini vel efficiamini:

2. stare ante Filium-Hominis, ne Judex vobis rigidus, sed Salvator ac Redemtor exoptatus adpareat.

Verbum καταξιοῦσθαι non patrocinatur Pontificiæ meritorum dignitati, sed illud saltem ostendit, in hac vita oportere nos dignos reddi per veram in Christum fidem, si velimus (1) effugere τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, sc. non tantùm ea, quæ antecedunt diem novissimum, sed & illa, quæ in ipso judicii die impios ac malè-paratos opprimunt: (2) σταθῆναι, alacriter & intrepidè consistere in conspectu Judicis Jesu Christi; quibus verbis æterna intelligitur beatitudo, quæ in salvifica Dei ac Christi visione consistit.

καταξιοῦσθαι.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Securitas cum crapula & ebrietate nobis devitanda studiosè. 1. Thess. 5,3. Eph. 5,18. 1. Cor. 6,10. Esa. 3,9. & 5,11.

II. Crapulâ, ebrietate & avaritiâ cor hominis ita adgravatur, ut vel nullus, vel exiguus relinquatur cordi humano locus de rebus cœlestibus, ac salutem animæ concernentibus, cogitandi. Matth. 6,24.

III. Vitia hæc præ ceteris suæ Christus προσεχεῖν inseruit, quia

Avaritiam & ebrietatem cur Christus præ ceteris vitare jusserit.

1. præparationi ad judicium novissimum extremè adversantur: Ose. 4,11. Prov. 23, 24. 25. Esa. 5,11. 1. Timot. 6,9. Prov. 20,1.

2. aliorum vitiorum sunt origo & causa procreans: Prov. 23, 23. 30. 1. Tim. 6,10. Matth. 13. 22.

3. circa finem maximè mundi invalescent: Matth. 24,37.

4. majorem reliquis homini noxam inferunt: 1. Thess. 5,3. Judic. 16,25. Dan. 5, 1. 30.

IV. Ebrietas spiritualem quandam ἀναισθησίαν inducit, ac πώ-

Ebrietatis natura.

πώρωσιν quandam mentis secum adfert, vigilantiæ spirituali directè oppositam. Esa.5,11.12.

V. Crapula & ebrietas preces devotas impediunt. 1.Pet.4,7.

VI. Curæ quoque hujus seculi orationi piæ plurimùm incommodant. Matth.6,19.20.

VII. Nostrum est, in his & aliis τῷ κόσμῳ τούτῳ μὴ συσχηματίζεσθαι. Rom.12,2. Matth.7,13.

IIX. Aliter mundus, aliter Christus crapulam, ebrietatem & avaritiam definire solet. D. Gerh. p. 667.

IX. Maximum periculum, non tàm corporis, quàm animæ, quotidiè imminet iis, qui vitiis hisce sunt immersi.

X. Semper simus ad adventum Christi parati. Luc.12, 36. 2.Pet.3,11. 1.Thess.5,3.2.1. Cor.7,29.

Cordis habenda ratio.

XI. Cordis maxima & potissima est habenda ratio; est enim sedes virtutum ac vitiorum, & ex quo tàm bona quàm mala procedunt. Matt.12,34. & 15, 19. 1. Sam..16,7.

Pietas non est ἀδιάφορον.

XII. Preces, sobrietas, vigilantia & pietas non sunt ἀδιάφορα, sed ab omnibus, salutem sitientibus sempiternam, cruciatûs contrà infernales effugere satagentibus, requiruntur.

Vigilantia quid complectatur.

XIII. Vigilantia Christiana ambitu suô complectitur

1. *quotidianam diei novissimi memoriam, & perpetuam adventûs ultimi exspectationem:* Luc.12,35.
2. *solicitam curam & adsiduam ad diem judicij præparationem:* Phil.2,12.
3. *temperantiam & vitæ sobriæ institutionem:* 1. Thessalon.5,7.8. 1.Pet.5, 8.
4. *in operibus vocationis diligentiam & sedulam exercitationem:* Jer.48,10. 2.Tim.4,5. 1.Thess. 4,11.
5. *securitatis fugam & peccatorum devitationem:* 1.Thess.5,8. Rom. 13,12. Eph.5,8. Apoc. 16,15.
6. *in vitandis satanæ ac mundi insidiis accuratam cautionem.* Eph.6,11 1.Cor.16,13. 1. Pet. 5,9. Apoc.4,6.
7. *circumspectam corporis & animæ observationem & custoditionem.* Luc.12,37. Rom. 13,14.

Laquei similitudo.

XIV. Similitudo laquei ostendit,

1. securitatem & carnalium voluptatum studium fore circa finem mundi maximè frequens & familiare: Luc.17, 26. seq.
2. diem novissimum ἀπροσδοκήτως adfore;
3. eundem extremam securis perniciem adlaturum. 1.Thess. 5,

5,3. Psal. 11,6. Eccl. 9,12. Esa. 24,17. Conf. D. Gerh. p. 670

XV. Nihil quicquam patrocinatur Christus εὐχήταις, Audianis & Messalianis; non enim tàm exterior oris oratio, quàm interior mentis devotio & continuatio requiritur, quòd debeamus orare πάντοτε, in omnibus, tàm prosperis, quàm adversis rebus in templis & domibus Luc. 18,1. 1. Thess. 5,16. Act. 2,42. & 10,14. Rom. 12,12. Col. 4,2. Eph. 3,13. & 6,18. Confer D. Gerh. p. 706. **Euchetæ.**

XVI. Qui diligenter & ardenter, in Spiritu & veritate orant, illi digni redduntur, ut effugiant mala eventura, & coram Filio hominis consistant.

XVII. In cordibus verè piorum vigilantia cum precibus semper est conjuncta. Matth. 26,41. Marc. 14,38. Col. 4,2. Jon. 16. **Preces cum vigilantia conjunctæ.**

XIIX. Filiorum Dei hæc est πεποίθησις κ. παῤῥησία, (& nota) intrepidè coram Judice Jesu Christo comparere. Rom. 8,33.

XIX. Omnium adhortationum in Scriptura sacra finis ac scopus est, ut peccati vitetur enormitas. Genes. 4,8. Esa. 27,9. 1. Johan. 2,1. **Adhortationum finis.**

XX. In specie autem vitanda modis omnibus ebrietas, propter **Ebrietas vitanda & cur**

1. *Dei prohibentis majestatem:* Prov. 23,19. Sir. 18,32. & 31,12. 19. & 37,32. Rom. 13,13. Eph. 5,18. 1. Thess. 5,6. 1. Pet. 1,13. & 4,8.
2. *ebrietatis deformitatem.* Esa. 19,14. & 78,7. Jerem. 23,9. Job. 12,25. Hab. 3,16. Pro. 26,11. 2. Pet. 2,22. Sir. 26,11.
3. *ebrietatis noxam & damnositatem;* damnum enim infert bonis fortunæ; corpori & animæ: Prov. 21,17. & 23,19. Sir. 18,32. 33. & 19,1. Prov. 23,27. 28. Sir. 31,22. 24. & 37,33. 34. Eph. 5,18. Ose. 4,11. & 7,5. Es. 5,11. 12. & 28,7. 8
4. *pœnarum gravitatem;* punitur à Deo hoc tàm grande peccatum, modò paupertate; modò sterilitate; in V.T. puniebatur lapidatione; Deut. 21,18. in N.T. etiam excommunicatione; 1. Cor. 5,11. sequetur tandem, nisi actâ pœnitentiâ remittatur, æterna damnatio. Esa. 5,11. 14. 1. Cor. 6,10. Gal. 5,19. 21.
5. *adventûs Christi proprinquitatem.* Vide de his & aliis plura apud D. Gerh. in Schol. piet. lib. 4. fol. 401. & seqq.

XXI. Avaritia quoque cum cognatis vitiis studiosè vitanda ob **Avaritia vitanda & cur.**

1. *Dei mandantis auctoritatem:* Prov. 23,4. 5. Luc. 12,15. Ephes. 5,3. Col. 3,5. Heb. 13,5.
2. *promissionis divinæ largitatem,* de victu sc. & amictu: Matt. 6,31. 32. 33. Esa. 30,20. & 33,15. 16. 17. Ps. 34,11.

3. *vitæ nostræ fugacitatem & mortalitatem:* Psal.39,7. & 49,17. & 90,10. Gen.47,9. Sir.11,18.19.20. Jer.17,11. 1.Tim.6,7.

4. *Avaritiæ fœditatem:* est vitium Ethnicum; Matt.6,32.Sap.14,15. Rom.1,29. stolidum; Luc.12,20. præposterum; omnia invertens: Matth.6,33.

5. *damnositatem.* 1.Tim.6,10. Prov.28,20. Sir.31,5. Est mater infelix, gignens ex se filias non minùs infelices, aversionem à Deo, contemtum verbi & ministerii; inhumanitatem, rapacitatem, injustitiam; habet etiam pedissequas suas, inquietudinem, maledictionem, diffidentiam, fiduciam in divitiis, πλεονεξίαν ἢ φιλαργυρίαν &c.

6. *pœnarum atrocitatem*, de quibus omnibus & reliquis inde dependentibus, vide D.Gerh. Schol. piet. lib.5. cap.11, fol.131. & seqq.

Peccata Christus aliter ac mundus æstimat.

XXII. Christus longè aliter æstimat hæc & alia hominum peccata, atque filii hujus seculi, quibus

virtus pro vitio nomina sæpè tulit,

& contrà. Ebrietas jam nemini vitio vertitur; sed Scripturâ teste, viam sternit ad orcum. Esa.5,11.14. 1.Cor.6,10. Gal.5,21. Avaritia, fraudes, rapinæ, artes pleonecticæ reliquæ, à filiis hujus seculi, virtutum instar, studiosè coluntur, amantur, excusantur: atqui à Christo ad infernum usque damnantur. μέριμναι βιωτικαὶ sunt laqueus, quò incauti homines capiuntur. Tu si sapis, si salutis curâ aliquâ tangeris, fuge avaritiam & πλεονεξίαν; Luc.12,15. Heb.13,5. tùm *ob divinam prohibitionem*, factam in septimo, nono & decimo Decalogi præceptis; tùm *ob animæ periclitationem*; Matth.19,23. 1.Tim.6,9.10. tùm demum *ob æternam Dei vindicationem.* Mich.6,10. Prov.10,3. & 15,27.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

DUo potissimum ex hodierno Evangelio in considerationem venient: *I. diei novissimi intimatio;*
II Christi consultatio.

PARS I.

Dies novissimus terribilis & unde.

Dies novissimus erit dies iræ ac furoris; dies ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ. Rom.2,5. terrorem itaque hominibus incutiet. Pavidum enim aliàs cor hominis: Jer.17,9. Terrorem istum augebunt

I.Si-

I. *Signa diei novissimi antecedentia:* signa ista futura sunt triplicia:

1. Cœlestia, in cœlo & aëre; (nam & aër in Scripturis cœlum dicitur, Matth. 6, 26.) nim. in Sole, Luna, stellis & reliquis corporibus cœlestibus, nec non in aëre adparitura, quæ Physici μετέωρα vocant, horrendos multoties adspectûs hominibus præbentia. Specialiter (inquit D. Pelarg. quæst. In Matth. fol. 255. b.) Dominus observare monet Eclipsin Solis, obscurationem Lunæ, stellarum casûs, firmamenti commotionem. Nam & δυνάμεις, virtutes cœlorum, h. e. ipsi cœli & robur ipsorum, movebuntur. Juvencus ita:

Sol rutilus furvis radios abscondet in umbris:
Amittet cursum lunaris gratia lucis;
Ignicomæq; ruent stellæ, cœlumq; relinquent:
Omnis item virtus cœli commota superni
Signa dabit.

2. Terrestria & aquatica;

1. in homine; 1. συνοχὴ, quâ innuitur animorum angor; Hertzens Angst und Bedrengnis.
2. ἀπορία, consiliorum inopia, unde desperatio.

2. in mari, ut maris sonitus, & salum h. e. fluctus ejusdem: significatur maris tumor, & omnia ea, quæ portentosa in eodem visuntur. Huc non immeritò referuntur inusitati illi & vehementes ventorum flatûs, terræ motûs, aquarum eluviones & inundationes, quales nostrô tempore annô 1612. & 1613. contigerunt. Nam

mortales quoniam nolunt sua crimina flere,
pro nobis cælum solvitur in lacrymas.

His connumeramus horrendum illud severissimæ erga peccata nostra iræ Dei testimonium, (uti à Sleidani continuatore felicissimo M. Arthusio Tom. 7. Mercur. Gallobelg. p. 1140. nominatur) subversio nim. subitanea ac momentanea Pluers, oppidi in Grisonibus elegantissimi, quæ contigit annô 1618. d. 25. Augusti: quam ego ruinam ideam vel typum paulò pôst subsecuturæ universalis ruinæ interpretor, quâ cœli procellæ in morem transibunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur. 2. Pet. 3, 10.

Pluers oppidum in Grisonibus subvertitur.

3. Singularia, intra cor hominis, & in ipso etiam corpore humano, ceu sunt 1. ἀποψύχησις, exanimatio hominis, da der Mensch immer hinzeucht/und stirbet: de corporum etiam langvore, variisque ægritudinibus, antehac planè incognitis, illam exponere nihil prohibet.

2. φόβος, metus futurorum:

3. προσδοκία, exspectatio formidabilis judicii, quæ impios inprimis terrebit: plangent enim, uti apud Matthæum c.24,30 Dominus dicit, omnes tribûs terræ. Vide de hoc p'anctu D. Gerh. part. 2. harm. p.578. 579. 580. Ut paucis multa dicam, tota rerum natura commovebitur, & undique trepidationem atque terrorem hominibus incutiet. Solent quidem aliàs (quæ verba sunt D. Calixti p.399. Concord. Evang.) describi per obscurationem Solis & Lunæ, quin etiam casum stellarum, magnæ calamitates: Esa. 13,10. & 34,4. Jer. 15,9. Ezech. 32,7.8. Joël.2,10. Amos 8,9. sed præstat h. l. sine figuris in simplici sensu accipere, nempè hæc reapse sub finem mundi eventura, jam jam imminente posteriore Domini adventu

II. *Judicis adparentia*, quæ & ipsa non parùm augebit terrorem: erit enim Judex *1. justissimus;*
2. districtissimus;
3. potentissimus;
4. oculatissimus;
5. sapientissimus. In textu monstratur,

1. Quis Judex futurus? Filius-Hominis, cui Pater dedit omne judicium. Joh. 5,22.

2. Ubi adpariturus? In nube, singulare per enallagen ponitur pro plurali, vel potius peculiari.

3. Quomodo venturus? *1. visibiliter;*
2. sublimiter;
3. regaliter, veniet nube ignicolori,

Majestate potens hominis per sidera natus. Juvencus.

III. *Examinis vehementia*, de quo vide Domin. 25. Trinit.

USUS I. Informatorius.

Dies novissimus certò veniet. I. Quòd dies novissimus contra spem, votum & ludibria ἐμπαικτῶν 2.Pet.3,4 certissimè sit venturus. Ps.96,14. Esa.2,12.& 13,6 & seqq. & 26,21. & 66,5. Dan.7,9. Soph.1,14. Mal.4,1. Matth.12,36. & 13,41. & 16,27. & 25,31. & 26,64. Act.1,11. & 3,10. & 17,30.31. Rom. 2,5.16. 1. Corint. 4,5. 2 Cor.5,10. 1. Thess. 4,16. & 5,2.3. 2. Thess.1,9. 2.Pet.3,10. Apoc. 1,7. & 20,11. Consule locos.

Diei novissimi propinqui ae probatur. II. Quòd in propinquo sit adventus consummationis, & Christus quotidiè exspectandus; idque probabiliter colligitur,

1. ex veteri de sex mille annis mundi traditione;

2. ex prima creatione: sex diebus creavit Deus cœlum & terram, postmodùm quievit, & Sabbathum egit;

3. ex

3. *ex primi mundi cum ultimo comparatione;*
4. *ex quatuor Monarchiarum (non plurium) constitutione;*
5. *ex Antichristi revelatione & internecione;* quæ in propinquo.
6. *ex signorum prædictorum observatione;*
7. *ex temporis proxime antecessuri conditione.* In statu enim Ecclesiastico Evangelium per totum terrarum orbem est revelatum; doctrina Ecclesiæ à fermento Antichristi repurgata; maxima passim dominatur, cum securitate extrema conjuncta impietas; Gog & Magog adscendit in montes Israëliticos; Ezech. 38, 8. doctrina de Christo passim obscuratur, & Ecclesia persecutionibus miserabiliter fatigatur & exagitatur. In statu politico ruinæ conspiciuntur imperiorum; totus mundus ardet bellis, Matth. 24, 6. 7. jugô ferreô gravantur subditi. In statu œconomico magna est annonæ caritas, συνοχὴ & angustia gentium; exsulat justitia, crescunt rapinæ & fraudes, dilectio planè refriguit &c. Signum & res signata simul sunt:

Verba docent, & signa probant & facta loquuntur;
Ni vitam in melius subitò convertimus, actum est.

III. Quòd adventus Christi differatur propter homines, ut spatium illi pœnitentiæ habeant, & impii reddantur ἀναπολόγητοι. Rom. 2, 1. 4. 5. 2. Pet. 3, 9.

Dies novissimus cur differatur.

II. Consolatorius.

1. *Ex signorum contemplatione;* futura enim illa sunt signa divini 1. *veriloquii;* Joël. 2, 30. Psal. 33, 4. Luc. 21, 33. Num. 23, 18. Mal. 3, 6. Joh. 17, 18. In omnibus invenimus Deum fidelem, in primo non fefellit, in ultimo non deficiet.

Signa solantur pios.

2. *Dominii:* Psal. 24, 1. & 110, 1.
3. *supplicii;* cui reservantur impii, piorum in hac vita oppressores: Deut. 4, 24. Hebr. 10, 31.
4. *amoris & desiderii.* 1. Tim. 2, 4.

2. *Ex Judicis consideratione,* qui futurus Filius-Hominis, frater noster, fraternè itaque nobiscum aget. Matth. 12, 49. Joh. 3, 16. Ephes. 5, 30.

3. *Ex calamitatum adventusq; prænunciatione.* Joh. 16, 1. 4. Ps. 46, 1. 2. 3. 4. & 73, 25.

III. Refutatorius.

1. Calvinianorum, humanam naturam Christi à potestate & officio judiciario separantium. Joh. 5, 27. Matth. 28, 18.

2. Epicuræorum, Stoicorum, Empæctarum, qui providentiam Dei tollentes. docent, casu hunc mundum regi, extremum judicium ita negantes. 2. Pet. 3, 4. seqq.

Rosen-Creutzer. 3. Fanaticorum quorundam, qui nescio quod nobis seculum aureum pollicentur. (die RosenCreutzer.) Calamitates temporis novissimi (Matth. 24. & alibi) lego, seculum aureum & felicitatem piorum in hac vita non lego.

PARS II.

Audivimus Christi vaticinium; sequitur prædictionis hujus usus, qui respectu objectorum, bonorum & malorum; est geminus, solari & hortari: Hinc duo emergunt partis secundæ κεφάλαια, consolatio & admonitio.

I.

Consolatio pios potissimùm spectat. Ne enim Christiani fideles intuitu signorum tàm horrendorum animis concidant; in spem illos meliorem erigit diu desideratæ liberationis. Notetur autem

I. *Consolationis propositio:* suspicite & attollite capita, h.e. per metonymiam signi, estote animô hilari; omittite tristitiam, & lætis animis adventum Domini vestri exspectate. Jubet autem capita ipsos attollere

Caput attollere.

1. ut mundana omnia despicientes; Col. 3, 1. 2. sursum corda:

2. ut mala præsentia & futura non timentes; Rom. 5, 3.

3. ut Deo unicè confidentes. Ps. 11, 1. & 121, 1. 2.

II. *Consolationis ratio* quadruplex, petita

ἀπολύτρωσις. *1. à finali piorum liberatione*, quam vocat ἀπολύτρωσιν; hæc propriè est redemtionis precium, pro captivis solvendum: pii enim in hoc mundi ergastulo veluti captivi detinentur.

2. A rerum omnium restauratione;

3. A regni Dei adpropinquatione. Exornatur autem dulcissima hæc consolatio eleganti similitudine ab arboribus, ficu potissimùm florescente, æstatis prænuncia. Quemadmodum enim hominibus gaudio est æstatis imminentia, cujus signum exhibent arbores frondescentes: Ita & adpropinquatio regni cœlorum ultimæque liberationis gaudio esse debebat fidelibus maximo, dum signa ista intuebuntur.

4. A sancta Christi adseveratione. Ne enim ullam haberent discipuli reliquique Christi fideles dubitandi causam, ideoq; suam ipse fidem, mediante juramentô, interponit, *tùm* de gentis Judaicæ usq;

ad

ad verborum complementum duratione; *tùm* de certissimo eorundem eventu. Non præteribit ἡ γενεὰ αὕτη, generatio ista, antequam omnia facta fuerint. Hæc verba, si referantur ad prædictionem de excidio Hierosolymitano, sensus esset: hæc præsens hominum ætas non præteribit, antequam ea, quæ de desolatione urbis audivistis, adimpleta fuerint omnia. Sin ad extremum diem reducantur, oportet eadem de Judæorum generatione exponere, quorum dispersio duratura sit, quamdiu hic mundus erit, ut maledicti isti homines omnium oculis obversentur, balantes & erronei usque ad finem seculi, in memoriam iræ & δικαιοκρισίας divinæ, juxta interpretationem Ps. 59,12. Alii aliter declarant. D. Calixtus p. 399. ita: Certò autem omnia, quæ prædixerat, eventura, denuò confirmat, & quidem priusquam præterierit ἡ γενεὰ αὕτη, h.e. vel ætas illa postrema mundi, inter ascensionem Christi & finem; vel generatio & gens Judaica, relicta usque ad diem extremum, in testimonium divinæ veritatis. Hucusque consolatio.

Judæi dispersi.

II.

Sequitur *præmonitio*, ut caveant homines, quæ obesse ipsis tempore adventûs Christi possunt. Instituitur autem hæc admonitio

1. κατ᾽ ἄρσιν, *negativè*, à vitiis, præparationi ad diem novissimum dignæ obstantibus, dehortando; cujusmodi vitia cardinalia sunt, 1. *crapula & ebrietas, sive luxuria*;

2. *curarum secularium vanitas, sive avaritia.* Addit rationem geminam, quarum 1. est *cordis gravitas*;

2. *adventus Christi celeritas:* subitus vobis ingruet dies ille. Illustratur simili à laqueo aucupis. Ut enim aviculæ securè hinc inde salientes, nihilque tale metuentes, tendiculis, ab aucupe positis, implicantur: Ita dies novissimus hominum plurimos, voluptatibus & curis vitæ hujus irretitos opprimet.

2. κατὰ θέσιν *affirmativè*, ad virtutes, præparationem dignam adjuvantes & constituentes, hortando; harum

1. est *vigilantia*, quæ complectitur

1. *securitatis eliminationem*; &

2. *vitæ emendationem:* Vigilate itaque omni tempore, h.e. veternum excutite, ne sint corda vestra in carnalem securitatem demersa.

2. *Precum fragrantia.* Hæc causa quodammodo est instrumentalis, in spe bona fideique firmitate ad finem usque persistendi.

Additur αἰτιολογία duplex, ab utili utriusque petita;

1. ma-

1. mali devitatione; &
2. latâ coram Christo comparitione.

USUS I. Informatorius.

Consolatio contra terrorem diei & Judicii novissimi.

1. Quòd ex signis, ultimi judicii anteambulonibus, perturbatissimoque temporum novissimorum statu, verè-pii plurimum tristitiæ capient. Dan. 12,16. 2.Pet.2,8.

2. Quòd Christiani usque adeò inde terreri non debeant, ut inde potiùs magnam animi alacritatem concipere possint. *Etsi enim peccatores sint; quia tamen pœnitentiam agunt, & in Christum credunt, peccata ipsis non imputantur: non igitur est, quòd damnationem metuant.* Psal.32, 1.2. Rom.5,1. & 8,1.

3. Quòd his, qui credunt in Christum, & piè vitam agunt, dies ultimus sit futurus dies

1. refrigerii & refocillationis; Act.3,19.20. Matth.11,28.
2. restitutionis, quâ præter alia perfectè restituetur in ipsis imago Dei, lapsu protoplastorum deperdita; Act.3,21. Eph.4,24.
3. revelationis, quâ Christi gloria manifestabitur. Tit.2, 13.

4. Quòd circa finem mundi luxuria, ebrietas & avaritia maximè sint per totum terrarum orbem regnatura. Luc.17, 26.27.

II. Consolatorius.

Consolatio opponenda terrori diei novissimi triplex.

Adversus diei novissimi terrorem solabitur pios

1. Judicis qualitas; Frater noster veniet: Ergò fraternè nobiscum aget: Matt.12,49. Joh.3,16. Eph.5,30. Joh.20,17. Heb. 2,11.12. In mundo fratrum quoque gratia rara est.

2. Diei extremi utilitas; feret enim ille

1. Christi visionem: Potest amplificari collatione minorum. Exod.33,13.14. Joh.8,56. 1.Tim.6,16. 1.Joh.3,2. 1.Cor.13,12. Psal.17,16.
2. Malorum omnium finitionem: Rom.7,24. & 8,19.20. Esa. 35,10. Apoc.21,4.
3. Regni cœlestis manifestationem: Sap.5,16. Rom.14,15.
4. Corporum nostrorum innovationem: Act.3,21. 1.Cor.15,42 & seqq. 2.Cor.5,17.

3. Promissionis infallibilitas. Psal. 33,4. Esa. 45, 23. Nostrum est non terreri, sed ardentissimô Sponsi nostri desideriô teneri. Apocal. 22, 17.

III. Mo-

III. Monitorius.

1. Ut singulis horis verâ pœnitentiâ ad diem Domini nos præparemus. Matth.24,32. 42.43. 1.Pet.4,7. Luc.12,35.36. 1.Thess.5,4 Phil.3,20. 1.Tim.6,14. Tit. 2,13. 2.Pet.3,12.14. Apoc.16,15.

Diei novissimi præparatoria.

2. Ut sobriè, honestè & sorte nostrâ contenti vivamus, luxum ex adverso, ebrietatem & avaritiam fugiamus. 1.Cor.6,10. Gal. 5,21. Eph.5,3.18. Col.3,5. 1.Tim.6,10. Esa.5,11. Prov.23,28. Matth.13,5. Luc. 12,15. Non enim parati sunt ad diem Domini, qui crapulæ, ebrietati & voluptatibus dediti sunt, & in hujus mundi curas ita sese immergunt, ut de vera resipiscentia parùm sint soliciti.

3. Ut verbo Christi verâ fide adhæreamus: verax enim ille est tàm in promissionibus, quàm in comminationibus. Num. 23,19. Psal.33,4. Esa. 40,8. 1.Pet.1,25. Rom.3,4. Joh.5,39. & 8,26. Deut.4,24 Ps.7,12. Esa.30,30. 2.Reg.9,36. Es.14,24. & 28,14. Ezech.12,24.

Verbo Christi credendum.

4. Ut diem novissimum rectis oculis intueamur: est enim dies τῆς ἀπολυτρώσεως.

5. Ut precibus indefessis ad adventum Domini nos præparemus, orantes indesinenter

Præparatio ad diem novissimű.

1. pro peccatorum remissione; Psal.51,2.4. & 32,6. & 143,2. Matth. 6,12. Luc. 15,12.

2. pro fidei adcretione; Marc.9,24. Luc.17,5.

3. pro auxilii divini impetratione; Ps.27,9. Matth.8,25

4. pro Spiritus Sancti donatione; Ps.51,12. & 143,11

5. pro patientia in mora elargitione; Rom.15,5. Luc.21, 19.

6. pro piorum à generatione prava conservatione; Ps.12,8

7. pro calamitatum mitigatione; Psal.34,19. Esa.41,10. 1.Corinth.10, 13.

8. pro verbi divini inter nos conservatione; Jer.15,16.

9. pro felici ex hac miseriarum valle emigratione; Ps.31,6

10. pro diei novissimi acceleratione. Ps.94,1.2. Apoc. 22,20.

6. Ut die noctéque vigilemus, adventum Christi anxiè desiderantes. 1. Thess.5,2.3. Matth.24,37. & 26,29. Marc.13,33.

IV. Refutatorius.

Esauvitarum, qui eam ob causam B. Lutherum Pseudoprophetam apud suæ farinæ homines proclamant, doctrinæque illius fidem derogandam vociferantur, quòd prædixerit olim, diem novissimum imminere, vel in propinquo esse, qui tamen nondum advenerit. Luthero mastix certè Schererus virum se præstare conatur,

Lutherus utrum Pseudopropheta.

in exagitando hoc nomine pro more B. Luthero, postill. part. 1. pag. 39. & 40. ubi tandem ita concludit: Also machet Gott der Allmächtige zu schanden die falschen Propheten/vnd gleich wie Lutherus, vnd sein discipul (loquitur de Stiffelio & aliis fanaticis, qui certum novissimi diei ac judicii annum, mensem, diem ac horam propemodum adsignare, ausu plùs quàm impiô ac temerariô præsumserunt, & ob id ab ipso Luthero, aliisque viris cordatis reprehensi graviter, & refutati fuerunt sufficienter:) schändlich gelogen haben mit Verkündigung des jüngsten Tages: Also haben sie auch in dem gelogen/ daß sie solten das hell vnd klare Wort Gottes vnd Evangelium an Tag gebracht/vnd den rechten AntiChrist geoffenbaret haben. Dann diese drey Stück/ Predig des Evangelii in der gantzen Welt/ Offenbarung des Antichrists/ vnd jüngster Tag stossen auff einander.

Resp. (1) ἀδολεσχεῖ Esauvita, & turpiter petit principium. Lutherum enim uspiam & unquam certum aliquem diem adventui Christi novissimo præfinivisse, à Jesucida gratis dicitur; quia non probatur. (2.) Et longè est aliud, ex signis antecedentibus aliquid augurari, & propinquitatem diei extremi adfirmare; atque certum annum vel diem adventûs ultimi determinare. Illud Christus, illud Apostoli fecerunt; hoc neque Lutherus, neque quispiam Doctorum nostrorum adseverare conatus est. Distingvendum autem inter præsagia sive omina, & inter vaticinia: Lutheri prædictiones ad primam, non secundam classem referuntur. Jam si ob id Pseudopropheta B. Lutherus, quòd præ foribus esse diem novissimum vel dixit, vel scripsit; eôdem crimine condemnabitur Christus, Paulus, Johannes & alii. (3.) Fanaticorum παραπτώματα καὶ ἁμαρτήματα neque probamus, neque nos feriunt: *delicta enim personam non egrediuntur.* (4.) Vaticinium de diei novissimi vicinitate non pertinet ad capita religionis, ex immoto Dei verbo demonstranda; sed ad probabiles conjecturas, ex signis antegressis petitas, ut ad pœnitentiam & pietatem excitentur homines. (5.) Dilatio diei novissimi, ex mera Dei μακροθυμίᾳ profluens, 2. Petr. 3, 9. prædictionibus de diei istius propinquitate nihil quicquam derogat. (6.) Non omnis, qui pœnas denunciat, quæ postmodùm ob causas alias non sequuntur, illicò pro Pseudopropheta est habendus: eadem enim dica scribenda foret Jeremiæ, cap. 18, 7. & Jonæ cumprimis, cap. 3, 5. Empæctam manifestum Tonsor Jebusiticus agere deprehenditur. (7.) Malè concludit Sophista à prædictionibus diei ultimi probabilibus, ad ipsam doctrinæ Evangelicæ veritatem abnegandam; nulla prorsus militat consequentiæ ratio.

Et

Et quæ de Antichristi sui phantastici immediata cum die novissimo cohærentia deblaterat, crassâ principii petitione laborant. (8.) Denique hypocritam Jesucida agit & ἀϱχοφόϱγν pessimum. Si enim cognoscere cupit mendaces ejusmodi Pseudoprophetarum Papisticorum prædictiones, age legat & excutiat, quæ D. Gerhardus Tom. 9. L. C. ex Aventino & aliis scriptoribus recensuit, p. 182. & seqq. ita de trabe ex oculo suo nequam evellendo priùs laborabit, quàm B. Lutherum immeritò & indebitè castiget. (9) Liber colloquiorum mensalium, unde narrator malus pleraque desumsit, in nostris Ecclesiis pro authentico non habetur. Extremum judicium imminere cum B. Luthero omnes pii censent, diem certum adsignare Christi mandatô Act. 1, 7. prohibemur.

Ante oculos errant extremi signa diei;
Quem non signa movent, hunc sua pœna manet.

Nos hîc pedem figimus, & ad tertiam dispositionem progredimur.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομεϱής.

VErborum aliquid hac Dominica faciemus, de diei novissimi *indiciis, beneficiis & præparatoriis.*

Ἐξήγησις.

I. *Indicia diei novissimi* nominamus signa illa, quæ Dominus noster Jesus Christus, ceu consummationis universalis πϱοδϱόμυς, anteambulones sive præcursores aperuit. Signa ista in triplici ponuntur ordine: quædam enim futura sunt

Diei novissimi indicia.

1. *superna*, in corporibus cœlestibus, Sole, Luna, stellis, aëre & virtutibus cœli reliquis. *Cùm enim creatura alteratur, meritò elementa novum morem habent*, ait Theophylactus. Dupliciter hæc signa esse completa, & corporaliter & spiritualiter, monstrat D. Schleupn. pag. 17.

2. Quædam *interna*, ut sunt sonitus maris, terræ sterilitas, insolitæ ac frequentiores aquarum eluviones, & in sanguineum colorem conversiones, quibus σεισμοὶ, terræ motûs, ventorumque mugitus, vim & impetum connumeramus. *Mare enim* (Theophylactô auctore) *maximis sonis resonabit, & erit commotio ac turbatio, ita ut homines extabescant à solo timore & exspectatione eorum, quæ venient super orbem.* Quem in sensum glossa ordinaria etiam adnotat: *Adpropinquante*, inquiens, *extremô judiciô, sonitus maris*

& fluctuum confunditur; terrarumq́ orbis prementibus undiq́ colonis inficitur: maxima cæli luminaria novò horrore percussis radiis turbatam faciem velant, quòd adpropinquante terminô suô elementa quasi paventia nutant & tremunt.

3. Quædam *interna*, ut cordium angustia; consilii, ex rerum omnium perturbatione orta, penuria; hominum extabescentia, timoris adfluentia, ex futurorum malorum imminentia proventura. Nonnulli ex Matth. 24. collatione ita collocant signa hujus generis: *1. Hominum anxietas;*

2. intempestiva securitas;

3. Romani Imperii imbecillitas;

4. bellorum atrocitas & diuturnitas;

5. papatûs infirmitas;

6. hæresium pluralitas Vide D. Schleupn. pag. 18.

Vides, inquit Theophylactus, *hic manifestè de consummatione loquentem; suprà enim dicebat, Hierusalem ab exercitibus & gentibus cingendam: hic autem toti orbi superventura dicit mala: & ita nunc de consummatione seculi loquitur. (Ideoq́ addit:) Et tunc videbunt Filium Hominis. Qui? Omnes, credentes & non credentes, venientem in nube cum gloria & potestate magna.*

Signa diei novissimi ficta. Hæc nobis Salvator θυμηρέςατος extremi diei indicia reliquit. De ceteris, quæ ex Hieronymo recenset, quindecim Paratus, serm. 8. de temp. cùm fabulas Judaicas meras resipiant, nihil omninò sumus soliciti. Inculcantur hæc signa meritò,

Signa diei novissimi cur inculcanda.

1. ad præcavendam securitatem;

2. ad reprimendam hominum iniquitatem;

3. ad abjiciendam vindictæ cupiditatem; Rom. 2, 8. & 12, 19

4. ad retundendam Pontificiorum de signis fictis vanitatem, vide præced. dispos.

5. ad fidei de hoc articulo corroborandæ firmitatem. Certô enim certiùs rediturum ad judicium Christum, arguit

Adventûs ultimi certitudo.

1. Dei veritas: Ps. 9, 9. & 50, 3. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10. Ps. 33, 4. 2. Corint. 1, 20. Esa. 34, 16.

2. Dei bonitas, quæ in compensatione boni conspicietur: Matth. 10, 42. 1. Tim. 4, 8. Ps. 61, 6.

3. Dei immutabilitas; Esa. 45, 23. Mal. 3, 6.

4. Conscientiæ timiditas;

5. Magistratûs in malefactis puniendis perversitas.

Diei novissimi beneficia. II. *Beneficia* diei novissimi pios solummodò spectant; his enim promittitur

1. ex-

1. exultatio; læti animi indicium est, caput elevare. His fieri incipientibus attollere jubet Salvator capita h. e. corda exhilarare. Vita enim æterna merum erit in Deo gaudium. Prov.10,28. Es.35,10 & 66,18. Psal. 126, 5. Joh.16,20. 2.Cor.4,17.18. Rom.8,18. Esa.64,4. 1.Cor.2,9. 1 Pet.1,8.

Vita æterna est gaudiũ.

2. Redemtionis perfectæ participatio; adpropinquat enim, Christus ait, redemtio vestra, h.e. (interprete Theophylacto) *consummatio utriusq; libertatis, animæ & corporis. Præposito enim ἀπὸ insinuare videtur perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet gratiâ Domini, extremum inimicum abolentis, mortem.* Gl. ordin. ita: *Exhilarate corda vestra; quòd dum finitur mundus, cui amici non estis, prope est redemtio, quam quæsistis.*

3. Corporum renovatio, omniumque rerum (veluti amissarum) restitutio. Huc spectat simile ex prædictis notum. 1. Corint. 15,53. & seqq. Phil. 3,21. Job.19,25.

4. In regnum cœleste introductio. Sap.5,16. Apoc 21, 4. & 22,5. Rom. 14,17. Dan.7, 18. 22.27. Matth.25,34. Luc 14,15. & 22, 29. 30. Col. 1,13. Gl. ordin. *Regnum Dei æstati comparat, quia tunc mœroris nostri nubila transibunt; & æterni dies vitæ sub claritate Solis fulgebunt. Sicut enim ex fructu arborum vicina æstas cognoscitur: Ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Ex his verbis ostenditur, quòd fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat; ad hoc germinat, ut quæcunq; germinaverit, cladibus consumat.*

Ne verò quis dubitet de reali beneficiorum istorum exhibitione, fidem nostram Christus Salvator confirmat

1. jurejurando;

2. fidelium conservationem pollicitando; non præteribit generatio hæc. Generationem vocat, non eos, qui tunc aderant, sed omnium fidelium generationem. Solet enim Scriptura generationem hoc nominare modô: ut hæc est generatio quærentium Dominum, Ps.24,6. q.d. *non præteribit hæc Christianorum generatio*, uti exponit Theophylactus.

Generatio quid.

3. De verbi infallibilitate certiores nos reddendo. Cœlum quidem, Theoph. ait, & terra immutabuntur, sermones autem mei & Evangelium meum non peribunt, sed manebunt. Tametsi commoveantur omnia, fides tamen in me non deficiet. Adparet autem hoc locô, quòd Ecclesiam omni creaturæ præferat: Ecclesia enim ejus & verbum ac Evangelium nequaquàm peribunt. Consolationis efficacissimæ hæc plena sunt, quam augere potest, immò debet jucunda diei novissimi descriptio, quæ cara & accepta sit piis omnibus, ob

Diei novissimi descriptio piis grata.

1. *plenariam*, de qua diximus, *redemtionem*;
2. *serenitatis exhibitionem*; Cant. 2,11.12.
3. *Filij Altissimi visionem*;
4. *regni Dei manifestationem*.

Diei novissimi præparatoria.

III. *Præparatoria* diei novissimi tribus continentur aphorismis.

1. *A cordis prægravatione cavendum studiosissimè.* Duo autem præcipuè sunt, quæ animum gravant, & adventui Dominico imparatum efficiunt ac inhabilem:

1. *Ebrietas*, quam pii omnes cane pejus & angve fugere debent, ob rationes dispos. 1. part. 3. porism. 20. adsignatas:

2. *Insatiabilis habendi cupiditas*, ab hac fidelis quivis debet esse alienissimus; rationes vide d. l. porism. 21.

2. *Vigilandum diligentissimè.*

3. *Orandum devotissimè.* Vide præc. disp. plura. Sic stabimus coram tribunali Jesu Christi. *Angelica autem dignitas est, stare coram Filio Hominis & Deo nostro.* Theophyl. Et gl. ord. *Hæc est*, inquit, *summa beatitudinis, in præsentia Judicis sui securum consistere.* Nos jam concludimus hanc de indiciis, beneficiis & præparatoriis extremi diei dissertationem piô D. Bernhardi votô:

Cùm me jubes emigrare,
JESU care tunc appare!
O amator amplectende,
Temetipsum tunc ostende
In cruce salutifera!
Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse!
In tremenda mortis hora
Veni JESU absq; mora,
Tuere me & libera!

O HERR durch deine Güte
Führ vns auff rechter Bahn!
HERR Christ wolst vns behüten/
Daß wir nicht irre gahn:
Halt vns im Glauben feste/
In dieser bösen Zeit/
Hilff daß wir vns stets rüsten
Zur ewign Himmels Frewd/Amen.

DOMINICA III ADVENTUS
EVANGELIUM

Matth. 11. à verſ. 2. ad 11.

1. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ·	2. JOhannes autem cùm audiſſet in carcere facta Chriſti, miſſis duobus ex diſcipulis ſuis,	Luc. 7, 18. 1. Cor. 11, 7.
3. εἶπεν αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;	3. Dixit illi: Tu es ille, qui venturus eſt, an alterum exſpectemus?	
4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε, καὶ βλέπετε.	4. Et reſpondens JESUS dixit illis: Ite & renunciate Johanni ea, quæ auditis & videtis.	
5. Τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.	5. Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Evangelii nuncium.	
6. Καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.	6. Et beatus eſt, quiſquis non fuerit offenſus per me.	
7. Τούτων δὲ πορευομένων, ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ Ἰωάννου· τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;	7. Euntibus autem illis, cœpit Jeſus dicere turbis de Johanne: Quid exiſtis in deſertum, ut videretis? num arundinem, quæ agitatur à vento?	
8. Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδού, οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.	8. Age quid exiſtis, ut videretis? num hominem mollibus veſtibus amictum? Ecce, qui mollia geſtant, in domibus regum ſunt.	
9. Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου.	9. At quid exiſtis videre? num Prophetam? Certè, dico vobis, & excellentiorem Prophetâ.	
10. Οὗτος γάρ ἐστι περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.	10. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto nuncium meum, ante faciem tuam, qui præparaturus eſt viam tuam ante te.	Mal. 3, 1.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PErtinet præsentis Evangelii περικοπὴ ad duplex causarum genus, secundum duplicem, quæ hîc tractatur, quæstionem. Nam prior quæstio, quâ quæritur; utrum Jesus Nazarenus sit verus ille & patribus quondam promissus Messias? refertur ad genus Judiciale, ejusque statum Conjecturalem, ubi quæritur, an res sit? Et respondetur ex loco facultatis, à signis, h.e. miraculis, vaticiniis item & testimoniis Prophetarum, quod sic. Posterior quæstio, personam & laudem Johannis Baptistæ comprehendens, versatur in genere Demonstrativo, ubi laudationes personarum continentur. Partes constituimus tres, quarum

I. ζήτησιν, *quæsitum, à Johanne per discipulos suos propositum*;
II. ἀπόκρισιν, *responsum, à Christo legatis datum*;
III. ἐπίκρισιν, *sincerum Christi de Johanne judicium* proponet.

PARS I.

In primæ partis, quæ Johanneam complectitur legationem, διεξόδῳ considerabis,

1. Personam mittentem. Quæ illa? Johannes Baptista, de quo Psal. 132,17. Esa. 40,3. Joh. 1,6. & seqq Mal. 3,1. & 4,5. Matth. 11,11.

2. Mittentis sortem ac conditionem; detrusus ille est in carcerem.

3. Ipsam legationem; cujus expendi debet

1. Occasio, de qua variant Interpretes plurimùm. Alii enim censent; Johannem quidem, dum liberè doceret, firmiter credidisse, & intrepidè proclamâsse, Jesum Nazarenum esse verum, à Deo per Prophetas promissum Messiam; jam verò vinculis inclusum & carceris diuturnitate fractum, cœpisse dubitare; propterea quòd illud Messiæ beneficium, quod Esa. 61,1. de captivorum liberatione prædixerat, sibi non præstari videret. Sed huic sententiæ apertè obstant, quæ de encomio, persona & ministerio Johannis tertiâ Evangelii parte leguntur. Alii putant, de adventu quidem Messiæ Johannem non dubitâsse; quæsivisse autem illum per legatos, an Christus etiam viam omnis carnis esset ingressurus, & ad populum istum per mortem venturus, ad quem sanctos in V.T. collectos scriptura dicat? h.e. an Messias mortem esset oppetiturus? Verùm huic opinioni adversatur illud, quòd Joh. 1,29. Baptista ipse, Christum Agnum Dei vocans, ex similitudine ac typis sacrificiorum Leviticorum, haud ignoraverit Agni illius oblationem & mactationem.

Johannes è carcere ad Christum cur miserit.

Alii

Alii fingunt, Johannem quæsivisse, utrum ad inferos etiam Christus esset descensurus? Quâ de re, cùm manifesta extent scripturarum testimonia, ipsum quæsivisse verisimile non est. πρόδρομον autem ad infernum habere Christus neminem voluit. Quicquid sit, si textum penitiùs intueamur, deprehendemus facilè, duas potissimum habuisse Johannem quæsiti causas impellentes:

1. Unam προηγουμένην intrinsecùs moventem, quæ consistit in errore discipulorum Johanneorum, per Magistrum Christum eximendo. Illi enim nimiâ Præceptoris admiratione, & perversô quodam zelô fascinati, ægrè à Baptista divelli; externâ contrà Jesu Nazareni formâ, humilitate & simplicitate offensi, adduci non poterant, ut crederent, ea quæ ad Messiæ personam & officium, scripturâ duce, pertinent, huic subjecto competere. Magistrum itaque suum Johannem Christo præferentes, Messiam ipsum constituebant, sed falsò, quòd patebit ex subsecutura Christi responsione.

2. Alteram προκαταρκτικὴν, extrinsecùs ad agendum propellentem. Fuit autem illa gemina:

1. Johannis incarceratio, facta ob Herodis incestuosas nuptias, à Johanne culpatas, ubi habetur Matth.14,4. Marc.6,18. & seqq.

2. Operum ac miraculorum Christi celebratio: in carcerem enim usque facta Christi penetrabant. Præ ceteris autem inaudierat Baptista, Christum nuper in oppido Naim juvenem, viduæ cujusdam filium, ex morte in vitam revocâsse; atque ita miraculis verè divinis vocationem ac missionem suam confirmâsse. Occasione itaque isthâc arreptâ, errorem discipulorum præconceptum ex animis eorum evellere atque eradicare cogitabat Johannes.

2. Legatorum mentio. Refert enim Matthæus, quòd miserit duos ex omni discipulorum suorum numero. Atque huc facit, legationis Johanneæ finis, quem jam modò innuebamus, primarius.

Ἄρσις. Non ideò mittit, ac si de summa rei ipse quoque dubitaret. Qui enim dubitaret de Christo seu Messia misso is, qui

Johannes Bapt. de Christo non dubitat.

1. ipsum, adhuc in utero materno conclusus latitans, agnovit;
2. testimonium eidem ad Jordanem perspicuum perhibuit;
3. indice digito eum notavit;
4. Agnum Dei, tollentem peccata mundi, prædicavit;
5. delapsu demum Spiritus Sancti in notitiam ejus infallibilem devenit, indeque in fide sua mirificè fuerat confirmatus?

Θέσις. Mittit autem propter discipulos, qui sinistrâ quâdam

 opi-

opinione faſcinati, ſtudioſiores erant Magiſtri ſui Johannis, quàm par erat; adeò quidem, ut ejus ſtudiô ad veram Meſſiam, Jeſum Nazarenum nondum accederent. Etſi enim ſtupenda Chriſti miracula latere ipſos non poterant; ejusmodi tamen ſibi imaginabantur Meſſiæ opera, quæ in dignitatibus, dominationibus, opibus & aliis hujus ſeculi felicitatibus ſita eſſent ac poſita. Hoc enim ſchemate Judæorum plerique decepti verum à Deo miſſum Meſſiam repudiârunt.

ὁ ἐϱχόμενος.

3. *Propoſita à legatis quæſtio:* an Jeſus Nazarenus ſit ὁ ἐϱχόμενος, ille qui venturus eſt, an alius ſit expectandus? Participium habet vim proprii nominis, Individuum certum notans, & eſt interpretatio vocis Hebraicæ Gen. 49,10. שִׁילֹה quidam legunt, שִׁלוֹחַ qui mittendus eſt, vel venturus ille, quæ Meſſiæ eſt deſcriptio. Dn. D. Chemnitius vocat appellationem Antonomaſticam, ubi quoque uſurpatam, Joh. 3,31. & 11, 27. ſignificationem verò eſſe futuri, ac reſpici ad vaticinia Prophetarum, quibus prædictus & promiſſus erat Meſſias, venturus in carnem, ſive in hunc mundum. Alludi etiam ad locum Exod. 3,14. Hebræis autem verbum illud non ſimpliciter adventum ſignificare, ſed adminiſtrationem quoque functionis. Quæritur ergò

harm. Evang. p. 926.

1. de promiſſo mulieris ſemine; Gen. 3,15. de ſemine Abrahæ benedicto: Gen. 12,3. & 22,18.
2. de perſona & officio Meſſiæ; ideoque parte ſecundâ de officio ſuo potiſſimùm Chriſtum reſpondentem audiemus.

Πορίσματα ϑεολογικὰ primæ partis.

Miniſtrorū verbi conditio.

I. In Johanne captivo conſpicitur ſors ac conditio omnium fidelium Verbi miniſtrorum. 1. Reg. 22,27. Jer. 32,2. Act. 5,8. & 12, 4. & 16,24. & 26,30. Matth. 10,7. Eph. 3,13. Phil. 1,13. 1. Petr. 2,20. & 4,14 Matth. 5,12. Gen. 15,1. Sap. 5,16.

II. Admiratio vitæ, ſanctitatis & donorum nimia facit non rarò, ut quæ Chriſti ſunt, ſanctis attribuantur.

III. Homines non tàm ad doctrinam, quàm ad vitas ſanctorum ſolent reſpicere.

IV. Multi inter illos etiam, qui ab Evangelio alieni non ſunt, in Chriſto non tàm æterna & ſpiritualia bona, quàm externam ſpectant fortunam ac felicitatem. Joh. 6,26. Phil. 3,19. Matth. 19,22.

V. Fideles Eccleſiæ Doctores non debent ſibi diſcipulos, etiam volentes, adſtringere; hæc enim nota eſt Pſeudoprophetarum. Act. 20,30. Matth. 28,8. 2. Tim. 3,6. Matt. 7,15. VI.

VI. Veritatis ea vis est & natura, ut ipsos etiam carceres penetret. Ps.94,15. Sir.40,12. Heb.4,12. Veritatis vis.

VII. Erroneæ opiniones facilè imbibuntur, sed si radices egerint in animis hominum, difficulter eximuntur. Matth.20, 20. Luc.22,24. Act.1,6. Esa.8,20. Joh.21,23. Opinionum errонearum vis

IIX. Nimium tribuere Præceptoribus, parit interdum per accidens errores. Matth.23,10. Luc.14,26. Matth.3,17. & 17,5. Joh. 6,68. & 14,5. Esa.48,17.

IX. Nulla occasio erudiendi & lucrifaciendi auditores, fido Verbi ministro est negligenda. 1.Sam.2,30. 2.Tim.1,9.13. & 4,2.Eph. 4,1. Phil.1,17. Deut.6,7. Ps.78,4. Prov.31,1. & seqq. 1.Cor.9,22.

X. In duorum testimonio consistit omne verum. Num.35,30 Deut.17,6. Esa.8,2.1.Tim.5,19. Hebr.10,28.

XI. In arduis quæstionibus & controversiis religionis, non ex hominum judiciis statuendum, sed os Domini consulendum est, Deut.18,18. Matt.17,5. Esa 8,20.

XII. Fides non sit opinio anceps ac dubia, sed firma, constans ac stabilis persvasio. Hebr.11,1. Fides non opinio.

XIII. Quemadmodum temporibus Christi discipuli Johannis à suo Magistro citra omnem denominabantur impietatem: ita Lutheranos nos, aut Lutheri discipulos, audire, neque pudet, neque piget, neque pœnitet: quanquam ad Lutheri personam, auctoritatem ac doctrinam, tanquam propriam ac humanam, neminem adducamus. Lutheranorum nomen.

XIV. Errant Esauvitæ, judicem generalem, legitimum, ordinarium omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in in negotio religionis, solum Pontificem Rom. constituentes. Judex controversiarum non est Papa Ro.

XV. Ea est veræ fidei natura, ut homo conversus confirmet fratres suos, illosque ad Christum deducere omnibus viribus adnitatur. Johan. 4,53. Actor.20,27. 1.Cor.9,19. & seqq. Luc22,32. Gal. 6,1. Psal. 51, 11. Fidei natura.

PARS II.

Responsum Christi, ad quæstionem propositam accommodatum, duo præcipuè continet:

1. ἀπόδειξιν, vel *personæ suæ demonstrationem;*
2. παραίνεσιν, *subjunctam exhortationem.*

1. Ἀπόδειξις quæstioni inserviens, (obliquè enim & non directè respondet) est tùm generalis, tùm specialis.

Generalis demonstratio est; Ite & renunciate Johanni, quæ auditis & videtis. Audiebant autem eum docentem de regno Dei; videbant edentem miracula. Luc.7,21. Responsi itaque loco edit miracula,& prædicat Evangelium,& hæc jubet Baptistæ renunciari. Acta enim hæc sunt in magna populi frequentia.

Specialis demonstratio Messiam verum ab effectu ad causam (h. e. à miraculis & Evangelii prædicatione ad Messiam) demonstrat ita:

Jesus Naz. verus Messias.

Quicunq; ea præstat opera, quæ Messiæ sunt propria, & quibus depinxerunt eum Prophetæ, ille indubitatò est verus Messias.

Atqui ego Jesus Nazarenus ea præsto opera, quæ Messiæ sunt propria, & quibus depinxerunt eum Prophetæ:

Ergò indubitatò sum Messias ille verus, qui erat venturus.

Major suâ luce lucet, & nititur testimoniô divinô. Vult enim renunciari Johanni, quæ viderant miracula, & quam audierant Evangelii doctrinam, non suis, sed Prophetarum verbis, ex variis locis collectis, nimirùm, Esa.35,5. & 61,1. Ps.118,22. Esa.8,14.& 26,19 & 53,4. Ose.13,14. Ezech 36,25. Zach.13,1. idque facit Jesus eô fine, ut haberet Johannes occasionem & materiam, pleniùs discipulos suos erudiendi, & integros illos Prophetarum locos explicandi.

Minor patet ex Christi responso & factis: efficit enim ille, ut cœci videant, leprosi mundentur, surdi audiant, mortui excitentur, pauperibus Evangelium annuncietur. Verbum εὐαγγελίζεσθαι (adnotante D.Chemnitio) complectitur media seu involucra, Verbum & Sacramenta, per quæ nobiscum agit in Ecclesia. Per pauperes autem intelligit pauperes spiritu, qui spiritualem suam inopiam, egestatem, & extremam coram Deo mendicitatem agnoscunt; his annunciatur Evangelium, de gratuita peccatorum remissione concio. D. Chemnit. d. l. ita: Nomen עָנִי pauper, significat & humiliationem spiritus interiorē, & adflictiones externas. Et post pauca: meminit pauperum & miserorum;

εὐαγγελίζεσθαι. Harm. p. 920. Pauperes spiritu.

עָנִי pauper.

1. ne propter calamitates & miserias putemus nos indignos & exclusos esse à regno cœlorum;
2. ne principaliter quæramus externam felicitatem in Evangelio, nec deficiamus si crux subsecuta fuerit. Luc.8,13.
3. ut moneantur illi, qui fortunâ hujus seculi præstant, miserias suas agnoscere, si velint & ipsi ad beatitudinem regni Messiæ pervenire.

II. Ceterùm cùm animadverteret καρδιογνώστης Christus, quô fine Johannes Baptista discipulos ablegavisset; ideoq; demonstra-

strationi statim subnectit necessariam de cavendo scandalo παραίνεσιν, quâ monet, ne posthac abjectâ suâ formâ offensi, adsensum suspendant; sed prodigiis visis convicti, certò ipsum Messiam credant, hac subjunctâ ratione, quòd in ipso solo vera beatitudo consistat.

Πορίσματα θεολογικά secundæ partis.

I. Christus in quæstione omnium gravissima non suis verbis sententiam pronuncians, sed scripturæ verbis responsionem suam formans, scripturæ auctoritatem adserere, & Judicem controversiarum infallibilem constituere voluit. Johann. 5, 39. & 12, 48. Hebr. 4, 12.

Judex controversiarū legitimus.

II. Jesus Mariæ filius est promissus mundi Salvator, patribusque olim diu multumque expectatus Messias, idque probatur;

1. ex miraculorum claritate: Esa. 35, 5. & seq. Joh. 10, 37. 38.

2. ex doctrina majestate. Esa. 61, 1. & seq.

Jesus Naz. est Messias.

III. De officio, operibus & beneficiis Messiæ, consule locos & libellos methodicos.

IV. Johannis ministerium est, sententias Prophetarum explicare, & ad personam ac officium Christi accommodare.

V. Infirmi in fide Spiritu mansvetudinis sunt erigendi. Gal. 6, 1. 2, Tim. 2, 24. 25.

VI. Beneficiarii Messiæ sunt non divites, potentes, gloriâ hujus seculi præstantes, sed claudi, surdi, cœci, leprosi, pauperes. 1. Cor 1, 26. 27. 28.

Beneficiarii Messiæ.

VII. Externa & corporalia beneficia, qualia discipuli Johannis pro ratione hujus seculi cogitabant, nec in regno Messiæ, nec in Evangelio sunt quærenda.

IIX. Vera autem Messiæ beneficia sunt, liberare credentes ab istis malis, quæ per peccatum in hunc mundum ingressa sunt; h. e. à peccato, ab ira Dei, à diabolo, à morte & damnatione æterna. Esa. 35, 5. & 61. 1. & seqq.

Beneficia Christi vera.

IX. Doctrina de miraculis Christi hoc loco, tanquam in propria sede fundatur. Usus & finis eorum principalis est, declarare gloriam suam. Joh. 2, 12.

Miraculorum Christi finis.

X. Discrimen inter Christi miracula, propriâ virtute facta & ἐνεργητικὰ planè, aliorumque sanctorum miracula, συνεργοῦντος χειρὸς Marc. 16, 20. edita; diaboli item, divina isthæc imitari non valentis, habetur passim.

Miraculorum distinctio.

XI. Veteris & Novi Test. harmonia in Christo egregiè conspicitur, vetus in novo patet, novum in veteri latet.

Miraculorum Christi usus.

XII. Miracula Christi faciunt,
1. ad fidei confirmationem, Joh.20,31.
2. ad gloriæ suæ manifestationem, Joh.2,11.
3. ad officii indicationem. Luc. 9,56. Act.10,38.

Miracula à nobis iniquè exiguntur.

XIII. Iniqui sunt Esawitæ, miracula à nostris Ecclesiis clamore Stentoreô exigentes: nam nec Johannes miraculis clarus fuit; nec ad omnem vocationem divinam & extraordinariam miracula simpliciter sunt necessaria.

Lutherus miraculis opus non habuit.

XIV. Luthero etiam miraculis nihil opus fuit; nihil enim novi docuit, sed ea tantùm, quæ expreßè in scriptis Prophetarum & Apostolorum extabant, quorum doctrina miraculis sufficientissimè fuit confirmata.

XV. Miracula interim divinitatis Christi sunt τεκμήρια planè infallibilia. Joh.3,2. & 7,31. & 15, 24.

XVI. Evangelium pauperes spiritu, vel contritos corde attinet. Psal.51,19. & 34,19. & 146,8. Esa.42,7. & 57,15. & 61,1. & 66, 2.

Scandala pietatis.

XIIX. Varia objiciuntur scandala, quibus impediuntur & retrahuntur illi, qui beatitudinem in Messia propositam quærere volunt: scandalum nim. *1. paucitatis*; Luc.12,32.
2. vilitatis; Psl.8,3. Matt.11,25. Joh.7,48
3. absurditatis; Joh.6,60. 1. Cor.1,23.
4. improbitatis, cùm Christiani malè vivunt; Rom.2,24.
5. calamitatis. Luc.8,13. Act.14,22. 2. Tim.3,12 Matth.19,22.

PARS III.

In judicio & encomio Christi, quod quidem Johanni ille communicavit, observetur.

I *Laudationis vel commendationis occasio*, quam dedit legatio Johannea. Illustratur autem circumstantiâ

1. temporis; abeuntibus nim. discipulis Johannis contigit: noluit enim in præsentia eorum encomium Johannis instituere, ne videretur esse adulationis species. Et illi non indigebant hac commendatione; jam antè enim nimiùm addicti erant auctoritati Magistri sui, in excessu plurimùm peccantes.

2. objectorum vel auditorum. Abeuntibus enim discipulis vel legatis, cœpit Jesus de Johanne turbis concionari, minùs etiam

etiam magnificè de ipso sentientibus, immò falsa planè & aliena de Messia ejusque regno sibi persvadentibus. Turbas itaque & reliquos voluit docere, quo locô habere debeant & cetera, & hoc postremum Johannis testimonium.

II. *Ipsa commendatio*, ἐρωτηματικῶς proposita. Laudatur autem Johannes Baptista ab adjunctis vel virtutibus personâ suâ dignis, & quidem *1. à constantia*, quæ proponitur per negationem vitii contrarii, inconstantiæ, quam describit per similitudinem ab arundine, quæ in sacris levitatis & inconstantiæ nota est. Extat hæc similitudo 1.Reg.14,15. Arundo enim ad quemvis motum impetuosiorem, sive aquæ, sive venti se inclinat, non quidem ita, ut planè collapsa videatur; sed modò flectitur, modò rursus erigitur, modò iterum inclinatur, modò denuò consistere videtur. At Baptista in suo ministerio talis arundo non fuit, qui vel carnis affectibus abreptus, vel mundi odiis, calumniis & persecutionibus ita fuerit motus, ut doctrinam cœlestem liberè prædicare vereretur; sed instar columnæ in semel concepta sententia constans permansit.

Johannis Bapt. encomium. Constantia.

2. A temperantia, in victu & amictu, in vitæ sanctimonii & docendi παῤῥησίᾳ: ubi iterum negatio vitii contrarii, mollitiei vitæque delicatæ, per μετωνυμίαν adjuncti adhibetur. Johannes non est homo mollibus vestibus amictus, h. e. talis Doctor, qui aulas & culinas Principum sectetur, aut victu delicatô delectetur, aut doctrinam ad hominum voluntates inclinet; zelum ipsius expertus est Herodes, turba Pharisæorum & alii. Alludit itaque Christus ad habitum Baptistæ asperiorem, pro ratione loci, in quo versabatur. Non autem fidelitatem ministerii constituit in vestitu; sed illud saltem à Johanne alienum fuisse significat, quòd mollia non prædicârit, h. e. doctrinam ita attemperârit, ut neminem offenderet, quod Esaias vocat, placentia dicere. cap.30,10. Lucas nominat vestem ἔνδοξον, h. e. quô magnifici & illustres viri utuntur. Sensus itaque est: Johannem non captâsse gratiam mundi, non quæsivisse magnificentiam, opes, honores, delitias & voluptates hujus mundi. D. Pelargus, quæst. in Matth. f. 136. exponit de mellitiis (lenociniis) verborum, quòd verbis mollibus Baptista nemini adblanditus fuerit, nihilque hypocriticè quicquam dissimulârit.

Temperantia.

Johannis zelus.

3. Ab officii præstantia, per comparationem majorum & minorum; quòd Johannes major sit quovis Prophetâ, ratione nim. ejus, quô fungebatur officii. Prophetam autem Johannem esse concedit, h. e. personam immediatè à Deo vocatam, ad repur-

Johannes Bapt. major Prophetis.

purgandam doctrinam, & ad illustrandam cumprimis promissionem de Messia. Addit Johannem ratione ministerii majorem & περισσότερον, h.e. excellentiorem & præstantiorem esse Prophetis, quia

1. quem illi absentem vel venturum prædicabant, hic præsentem monstrat,
2. de Johanne alii Prophetæ sunt vaticinati, quod probatur ex Mal.3,1.
3. Angelus vel nuncius Domini;
4. Messiæ πρόδρομος, faciem ejus præcedens, per baptismi inchoationem & prædicationem pœnitentiæ viam illi in animis hominum parando. Luc.1,76. Hilarius nervosè: *ipsi soli licuit, & prophetare Christum, & videre.*

Περίσματα θεολογικά tertiæ partis.

I. Doctores Ecclesiæ, exempló Christi, omnem scrupulum ex animis auditorum evellere studeant. Gal.2,14.

II. Dona Dei in sanctis non contemnenda, dissimulanda, vel silentio involvenda, sed decenti ac debitô modô prædicanda.

III. Fideles verbi ministri ab ipso Filio Dei laudantur, quando à mundo vel deseruntur, vel conviciis proscihduntur. 1.Cor.4,5. & 2.Cor.10,18.

IV. In Johanne proponitur absolutum exemplar ejusmodi verbi ministri, qui Christo viam parare desiderat.

Arundo imago Ecebolorum.

V. In arundine picturam habemus Ecebolorum, qui rebus florentibus magnâ specie docent & confitentur Christum; obortâ tempestate persecutionis, doctrinam & confessionem suam ad motum venti inclinant & inflectunt.

VI. In religionis autem negotio non moveamur instar arundinis, sed constantiæ studeamus. Eph.4,14. Heb.13,9. 1 Joh.4,1 Sir.12,12.

Minister verbi sit constans &

VII. Minister Evangelii nec adversis frangi, nec prosperis attolli, nec gratiâ aut odiis hominum moveri; nec laudibus, insectationibus beneficiis aut maleficiis in transversum rapi, sed inter prospera & adversa officium suum fideliter facere debet.

παῤῥησιαστής.

IIX. Verbi ministri non sint molles, sed μετ πολλῆς παῤῥησίας καὶ πληροφορίας faciant τὰ δέοντα. Esa.56,11. & 58,1. Ezech. 10,18. & 13,5. 2.Tim.4,2. Gal.1,10.

IX.

IX. Piè, justè & temperanter, secundùm exemplum Johannis, vivamus. 1. Tim. 4, 12. Tit. 2, 12.

X. Magnifaciamus testimonium etiam Johannis de Christo; est enim persona à Deo ipso probata. Joh. 1, 6. Act. 10, 43.

XI. Luxus immodicus perstringitur meritò. Ezech. 28, 17. Esa. 3, 16. & seqq. Sir. 10, 9. 1. Tim. 6, 8.

XII. Doctores Ecclesiæ viam Domino in auditorum suorum animis parent. 2. Cor. 10, 4.

XIII. Pueriliter ineptiunt Papicolæ, ex populi ad Johannem in eremum profectione religiosorum venerationes, & peregrinationes ad sanctos & sanctas, divos & divas stabilire præsumentium. A baculo ad angulum.

Papistarum peregrinationes.

XIV. Ejusdem vanitatis & profanitatis est, quòd ex Johannis vita & exemplo, anachoreticam & monasticam suam extruere allaborant. Duo enim cùm idem faciunt, non est idem. Distingve etiam causas, finem, intentionem & modi diversitatem, fucus ultrò patebit.

Johannes Bapt. non patrocinatur monasticæ vitæ.

XV. Angelicam Johannem habuisse puritatem, tum demum Jesucidæ persvadebunt, cùm Johannem ἀναμάρτητον fuisse probabunt. Job. 14, 4. Joh. 3, 6. Rom. 3, 23. & 11, 32.

Joh. Bapt. non habuit puritatem Angelicam

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

EVangelium continet duo:

I. Luculentum de Messia incarnato testimonium:

II. Egregium Johannis Baptistæ encomium.

PARS I.

Quoad primam Evangelii partem observabis tria:

I. *Testimonii ferendi occasionem* triplicem, quarum

1. una fuit, *Johannis captivitas, sive incarceratio.* Cur illa facta? Falsam causam refert Josephus, lib. 18. antiquit. Jud. cap. 7. his verbis: Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, judicavit satiùs esse, priùs, quàm novi aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis, seram pœnitentiam agere. Itaque vinctum missum in Machæruntem illic occidi imperat. Hæc ille. Sed seditiosus Johannes non fuit. Veram proinde causam recitat Matthæus, cap. 14, 3. & seqq. Marc. 6, 17. & seqq. De-

Joh. Bapt. cur incarceratus.

trusus nim. erat Johannes in carcerem ob conſveram & officio ſuo dignam παῤῥησίαν.

2. Secunda, *miraculorum Chriſti celebritas ſive divulgatio.* Ex Luca enim liquet, diſcipulos Johannis Præceptori ſuo, in carcere detento, omnia Chriſti facinora, reſuſcitationem præcipuè juvenis Naimici, retuliſſe. Putabant illi, præpoſterô quodam zelô Magiſtri ſui gloriæ ſtudentes, aliquid auctoritati ipſius hac ratione detractum iri. Alium enim Johanne eſſe majorem adduci nullâ ratione poterant. Joh. 4, 26.

3. Tertia, *quæſtionis propoſitæ qualitas, ſive legatorum Johanneorum inſtructio.* Quærere juſſi ſunt à Johanne de Meſſia, utrum ille venerit? Et utrum Jeſus iſte Nazarenus ſit ille, patribus olim promiſſus Meſſias? Amplificari poteſt ἀπολογία κατ᾽ ἄρσιν καὶ θέσιν, cur nim. quæſtionem hanc proponi voluerit Johannes;

Túne piis animis requies, quam regia cœli
pollicita eſt terris, noſtro ſub tempore fulges?
An ſupereſt aliam poſthac ſperare ſalutem? Juvencus p. 361.

Vide plures opiniones in quæſt. D. Pelargi ſuper Matth. f. 135. & Vind. Meelführeri th. 2

Non certè, quod Papiſtarum eſt figmentum, hoc quærit, utrum Chriſtus etiam per mortem ipſe venturus ſit ad Patres in limbo detentos; ſicque Johannes ad illum quoque locum præcurſor eſſe debeat, quemadmodum adventus ejus in carnem præcurſor fuerat? Neque ideò quærit, ac ſi ipſe ullatenus ca de re dubitârit, quæ Tertulliani olim fuit opinio. Ejusmodi enim dubitationem in Baptiſtam cadere non potuiſſe, ex eo conſtat; quia

1. virtute Eliæ inſtructus venit, Chriſtique fuit πρόδρομος;
2. plenus Spiritu Sanctô;
3. Chriſtum ipſe baptizavit, auditâ deſuper Patris voce, conſpectâque Spiritu S. *alitis in formam collecto atq; ora columbæ;*
4. publicè de ipſo teſtatus fuerat, digitô eum Agnum Dei deſignans; Matth. 3, 16. Joh. 1, 29.

Joh. Bapt. de Chriſto cur quærat.

Quærit autem Johannes eam ob cauſam, ut diſcipuli errantes & vacillantes in viam revocentur, & in vera de Perſona Chriſti fide confirmentur. Porrò in ſe transfert ſermonem, ut ſine rubore queant diſcipuli Chriſtum adire, & rem ipſam audire. Participium ὁ ἐρχόμενος reſpicit promiſſiones de Meſſia. Vide præc. diſpoſ.

II. *Chriſti de ſeipſo teſtificationem.* Potuiſſet Chriſtus ſimpliciter, directè & categoricè reſpondere, ſe eſſe illum patribus promiſſum, & à Prophetis prædictum Meſſiam: ſed noluit magnificè de ſe loqui: dat itaque reſponſum indirectum, argumentis probatio-

tionis vestitum atque involutum; quo in medium producit γνωρίσματα certa ac infallibilia, ex quibus de persona & officio ejus rectissimè fieri possit judicium. Veritatem itaque Messiæ ὀφθαλμοφανερῶς demonstrat,

Jesus Naz. est Messias.

1. ex θαυματουργία, seu miraculorum operatione;
2. ex δημηγορία, Evangelii prædicatione, tanquam concione N. T. propriâ.

Jubet itaque dubitantes Johannis discipulos initiò oculis suis usurpare opera sua, quò alibi etiam provocaverat. Iohan. 10, 24, 25. & 14, 11. Singula enim Christi miracula, propriâ ab ipso virtute edita, singula erant testimonia, quod hæc persona esset Messias & Filius Dei. Lucas peculiariter testatur, eâ ipsâ horâ, quâ Johannis discipuli advenerant, multos Christum à morbis & plagis sanâsse. Ea igitur ipsa, quæ coràm viderant, ad Iohannem referri voluit, tanquam responsionem practicam ad id, cujus percontandi gratiâ missi fuerant discipuli. Deinde cum operibus conjungit suam quoque doctrinam, quâ & ipsâ judicium de Messia vult informari, inquiens: pauperibus annunciatur Evangelium; h. e. doctrina mea est concio gratiæ pro contritis & adflictis conscientiis, de gratuita peccatorum remissione, de salute æterna per fidem in me consequenda. Responsionem & testificationem hanc Juvencus ita effert:

Miracula probant Messiam.

Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis;
Debiliumq; vigent firmatô robore membra;
Lurida discutitur squamosô corpore lepra;
Aëria vocis penetrat surdas sonus aures;
Redditur amissâ lethi post funera vitâ
Ad corpus remeans animæ jam libera virtus,
Depositum repetens animæ substantia corpus:
Pauperibusq; suis non dedignata patescit
Fulgentis splendens adventus gloria terris.

III. *Memorabilem Christi exclamationem:* Beatus est, quisquis non offensus fuerit per me! Offendi autem per Christum est recedere ab ipso, Evangelium ejus repudiare, & pro Messia illum nolle agnoscere, atque hujus rei prætextum quærere ex humili Christi conditione, quæ apparebat in statu exinanitionis & scandalo crucis, quæ professionem Evangelii sequitur. Contrarium ejus est, Christum audire & sequi, illique fide firmâ adhærere, ita ut à contrario sensu rectè dicatur; beatus est, qui in me crediderit. Latet

Offendi vel scandalizari in Christo quid.

 hic

hîc quodammodo iterum probationis argumentum geminum, quòd hæc persona sit Messias:

1. quòd multi in ipso offenderentur, secundùm vaticinium. Esa.8,14.
2. quòd per fidem in ipsum salus & beatitudo æterna contingat, secundùm illud Ps.2,12. & 84,17.

USUS I. Informatorius.

Ministrorũ verbi præmia, quæ mundus dat.

I. De fidelium Ecclesiæ Doctorum præmiis, quæ ab ingrato mundo pro labore referre illis solent. Idem nim. eis accidit, quod Iohanni, Esaiæ, Ieremiæ, Amoso & innumeris aliis evenit. Sed manent illos vera in cœlis præmia. Genes. 15,1. Sap. 5,16. Dan. 12,3. Matth.5, 12.

Christi doctrina est vera.

II. De doctrinæ Christi veritate, quòd unica sit salutis adipiscendæ regula, norma ac methodus; idque probatur,

1. ex satanæ ac mundi odio & insectatione; Iohan. 15,20. Psal.44,23. Rom.8,36. 2.Cor.4,11.
2. ex miraculorum confirmatione; Luc.9,56. Hebr. 2,4. Act.10,38. Ioh.10,24.25. & 14,11.
3 ex efficacissimâ penetratione; hîc carceres penetrat; neque enim constringi sese patitur: 2.Tim.2,9. Luc.21,33. Es.48,14. Act.5,38
4. ex martyrum testificatione; quemadmodum Iohannes sangvine suo Christi doctrinam obsignat: Act.17,6.
5. ex miranda ejusdem conservatione. Esa.40,8. Luc.21,33.

Deus in promissis verax.

III. De Dei in promissis servandis fidelitate. Psal.33,4. Messiam enim promissum venisse, nec præter Iesum Nazarenum expectandum esse alium, liquidò constat,

Messias venit.

1. ex sceptri de tribu Juda ablatione; Gen.49,10.
2. ex templi secundi desolatione; Hagg.2,7.8.9.10.
3. ex reliquorum vaticiniorum de Christo omnium completione: tempus 70 hebdomadum est elapsum; Dan. 9, 24. Bethlehem in cineres est redactum; Mich.5,2. natus est de virgine; Esa.7,14. ingressus Hierosolymam die Palmarum; Zach.9,9. passus & mortuus, resurrexit, adscendit ad cœlos, secundum scripturas: 1.Cor.15,3. Esa.53,5.
4. ex solenni Patris cœlestis attestatione; Matt.3,17. & 17,5.
5. ex miraculorum coacervatione; Es.35,3. Ioh.3,2.
6. ex Evangelii prædicatione; Es.50,4. & 61,1.2.3.
7. ex præcursoris præsentatione; Psal.123,17. Esa.40,3. Mal.3,1. & 4,5.

8. ex

8. ex totali demum politiæ Judaicæ eversione. Matt.23,38.

IV. De miraculorum Christi natura, quòd sint

Miraculorum Christi conditio.

1. gloriam ejus manifestantia; Ioh.2,21.

2. fidem confirmantia; Ioh.20,31.

3. beneficia Christi demonstrantia. Suô enim adventu peperit Christus *1. Cæcis illuminationem:* Eph.4,18. Ioh.1,9. & 8,12. & 12,36. Es. 49,6. Illuminatio fit mediante verbô. Psal.19,9. & 119,105. Pro.5,23. 2.Pet.1,19.

2. Claudis ambulationem: Summa enim est hominis in spiritualibus ἀδυναμία. Esa.1,6. Psal.14,3. Rom.3,12. Prov.1,16. Ea autem Christi adventu sanata fuit. Exod.15,26. Psal.6,3. Ioh.15,5. Phil.2,3. Tit.2,14.

3. Leprosis curationem. Lepra spiritualis est peccatum, à Deo separans homines. Esa.59,2. sanatur per Christum: Ps.103,3. & 146,3. Esa.53,5. 1.Ioh.1,7.

4. Surdis auditûs restitutionem. Ps.58,5. Rom.10,17.

5. Mortuis vitam & resurrectionem. Eph.2,1. & 3,17. Galat.2,20.

6. Pauperibus Evangelii prædicationem. Matth.5,3. Psal.51,19. Es.66,2.

V. De Christi officio merè-salutari; quemadmodum & miracula ejus merè fuêre salutaria. Luc.9,56. & 19,10. Amplificetur comparatione hominum θαυματέργων. Exod.14. Num.16.2. Reg.1. Zach.9,9. Act.10,38.

Officium Christi merè salutare.

II. Consolatorius.

I. *Ex constanti veritatis duratione.* Opponendum hoc est conatibus diaboli & squamarum ipsius, qui Christianos & sinceram Verbi confessionem opprimere studiosè adlaborant, quòd ne carceribus quidem cohiberi potuerit. Confer Dan.3,6. Act.8. Premitur enim veritas, non opprimitur.

Veritas nô opprimitur.

II. *Ex Evangelii pro pauperibus prædicatione.* Quales pauperes? Vide Ioh.9,3. Ps.134,2. Dan.9,7. Luc.18,13. Rom.3,12. & 10,17. Evangelium habetur Matt.11,28. & 20,28. Ioh.1,29. & 3,16. & 6,40. 1.Tim.1,15. Rom.8,34.

III. *Ex benevola infirmorum susceptione ac tractatione.* Es.42,3. Ioh.6,37. Rom.14,1. Gal.6,1.

III. Monitorius.

1. Ut Ecclesiæ Doctores officium faciant fideliter, docentes sedulò, placidè, oportunè. Gal.6,1. Tit.1,7.8. Iac.5,19.20. Act.20,31.

1. Cor.9,19. 2.Tim.4,2. Tit.2,15. Auditorum est obsequi. Simile à viatore errante. Ier.8,4.

2. Ne pendeamus nimiùm ab hominum auctoritate. Mat.23,8 Luc.14,26. Esa.48,17. Deut.18,18.19. Matth.17,5.

IV. Refutatorius.

Iesuwidarum, qui 1. ex numero discipulorum emissorum ad Monachos argumentantur. Sic enim Schererus ineptit: Daher ist die Gewonheit kommen/ daß in Kirchen Processionen allwege zween vnd zween mit einander gehen. Item / daß in Klöstern bey den Ordensleuten iederzeit zween vnd zween auszugehen pflegen. Tenete risum! Quid autem si non bini, sed trini tibi occurrant Monachi, Suitici cumprimis? Hîc recordare dicterii:

postill. par. 1. f. 34.

Si fuerint trini, tertius est generis fœminini.

Mirum ineptiarum ipsos non pudere.

2. Miracula h.l. immane quantum urgent Jesucidæ; veri enim illa Messiæ esse ἐπισημονικὰ statuunt. Verùm à Christo ad Jesuwitas, â miraculis Christi ad miracula Pontificio-Jesuitica nulla planè militat consequentiæ ratio. Quid autem de modernis Esauwitarum miraculis sit statuendum; quidq; signa requirentibus responderi debeat, passim in disputationibus hac de materia editis habetur. Consulatur præ ceteris erudita & nervosa M. Hieronymi Kromayeri disputatio de miraculis, Lipsiæ habita. Breviter: distingvendum est,

Miraculorũ distinctio.

1. inter miracula vera & falsa, Christi & Anti-Christi.
2. inter corporalia & spiritualia; illa doctrinâ satis superq; confirmatâ, desierunt; his Ecclesia nostra non destituitur. Habemus miraculum, *1. revelationis Evangelii;*
   2. conservationis verbi;
   3. manifestati Anti-Christi;
   4. spiritualis sanationis. Joh.14,12.

Miracula Ecclesiarum nostrarum.

PARS II.

Fuit λόγ☉ ἀποδεικτικὸς; sequitur ἐγκωμιαστικὸς. Laudibus autem Johannis decantandis ἀφορμὴν præbuit Christo,

1. discipulorum de vero Messia quæstio;
2. falsa populi de Johanne persvasio; &
3. inde haud dubiè in animis multorum exorta dubitatio. Ministerium itaque Johannis Baptistæ commendatur

1. per remotionem contrarii (inconstantiæ & mutabilitatis) *ab integritate.* Exornatur 1.

1. ἐρωτήσ. αὐξητικῇ, quâ tacitè Judæis objicit rerum novarum curiositatem; cui opponitur laudabilis Johannis in doctrina constantia; ejus verò primarium caput erat, testificatio de Messia exhibito, & quòd is esset Dominus Jesus, à Johanne in Jordane baptizatus, & extentô digitô monstratus. Matth.3,16. Joh.1,15. 26. 29. 36. & 3,26. & seqq.

2. ὁμοιώσ. μεταφορικῇ ab arundine, ventis sese accommodante: Johannes non fuit mobilis & inconstans, qui aliud stans, aliud sedens docuerit.

2. Per ἀντιθέσεως ἢ ἀφαιρέσεως aliam, *à zeli gravitate*. Removetur nim. à Johanne assentationis studium; & commendatur ex adverso ille à παῤῥησίᾳ ac fervore Spiritus, quem demonstrabat, tùm animosè peccata omnium ordinum taxando; tùm austeritate victus & amictus delicias seculi hujus masculè contemnendo. Matth.3,4.7. 12. & 14,4.

Exornatur metonymiâ signi, & differentiâ loci: qui mollia (vestimenta) gestant, h. e. ad gratiam loquuntur & adulantur, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ versantur in aulis Regum ac Principum. Johannes verò non fuit in aulis educatus, sed in deserto, sub institutione & educatione paterna: ejusmodi itaque rebus non adsvetus.

3. Per *veri positionem, ab officii seu vocationis singularitate*, quòd sit Propheta, quorum honestissima semper fuit in populo Dei conditio, αὐξητικὸν est, quòd

1. συγκριτικῶς, ex loco comparatorum Johannes præfertur. Joh. Bapt. quomodo major Prophetis.

1. non legis tantùm, sed Evangelii maximè *primus in N.T. Doctor*:
2. *Messiæ præcursor*;
3. *præsentis monstrator*;
4. *Baptismi primus administrator*. Major itaque ceteris pronunciatur, propter
   1. *rei præsentis demonstrationem*;
   2. *Veteris Test. completionem*;
   3. *Propheticas prædictiones*;
   4. *viæ præparationem*.

2. αἰτιολογικῶς illa prærogativa Johannis per κατασκευὴν θετικὴν deducitur ex vaticinio prophetico, unde novum quodammodo oritur commendationis argumentum, continens ἐπιμαρτυρίαν Mal.3,1. Ibi enim Johannes expressè dicitur Angelus Domini, h.e. præco vel nuncius divinitùs missus, qui coram facie Messiæ viam paret. Joh. Bapt. dicitur Angelus.

1. de ipso testificando;
2. populum ad pœnitentiam & Messiæ receptionem excitando.

USUS I. Informatorius.

Officium concionatoris.

I. De boni Concionatoris officio, quod consistit
1. in constantia: Eph.4,14. Esa.5, 20. Mat.24,13. Apoc.2,10.
2. in παῤῥησίᾳ: Es.58,1. Ezech.13,3. Phil.3,19. 2.Tim.4,2.
3. in prophetica diligentia & vigilantia: 1.Cor.14,32. Rom.12,6. Act.4,12. 1.Cor.3,11.

Ministri verbi speculum.

Habent itaque ministri Evangelii egregium, quod intueantur, in Johanne speculum, quodque, ut præscriptam formam, in tota ministerii sui administratione sequantur, ut sint
1. in officio fideles;
2. in doctrina & confessione constantes;
3. in vita inculpati;
4. in taxandis vitiis vigilantes;
5. nemini adulantes;
6. luxum in victu & amictu fugientes;
7. suæ vocationis in omnibus rationem habentes;
8. Christo per ignominiam & carceres, ipsam etiam mortem, absque omni tergiversatione, adhærentes.

Laus vera & falsa quæ.

II. De vera laude. Amplificari potest ἀντιθέσει falsæ & veræ laudis. Falsa laus est ista, quæ describitur Prov.28,4. Sir.27,26. Prov. 27,6. 2.Cor.10,12.18.

Est etiam vera laus, de qua Phil.4,8. 2.Cor.12,11. Prov.27,21. Varia laudantur, Prov.12,8. & 31,28. Eccl.4,1. & 8,15. Rom.13,3. Sir.9,24. & 31,9. & 32,78. 1.Cor.11,2.

Pietas laude digna.

Pietas inter τὰ ἐπαινετὰ primas meritò obtinet. Ps.111, 10. Sap. 4,1. Sir.1,11. & seqq. & 44,12. Rom.2,29. Novem laudabilia habentur, Sir.25,2. decimum, pietas, præfertur omnibus. 1.Cor.4,5.

Ministrorum verbi proprietates.

III. De veris sincerorum verbi ministrorum proprietatibus ac notis. Docetur hoc,
1. negatè; nicht Rohrprediger/noch weiche Sammetprediger.
2. affirmatè; sint 1. viri prophetici;
2. vocati;
3. legati vel Angeli, missi ad viarum præparationem.
4. Zelotæ.

Christiani veri qui.

IV. De veris & genuinis Christianis, qui

1. fa-

1. factis professionem suam ornare student;
2. ministris verbi obedientiam præstant;
3. dicta & facta Christi attendunt;
4. scandala devitant.

V. De ratione adipiscendi laudem veram à Christo Salvatore & Domino uno omnium laudatissimo:

Laudem à Christo acquirendi ratio.

1. *Christi notitiam acquirendo*; Joh.17,3. Esa.53,11. Eph.3,19.
2. *in religionis ac fidei negotio non nutando*; Sir.2,14. & 4,28.29.30. Heb.10,35.39. Deut.32,5. Sir.27,27. Matth.10,22.
3. *superbiam vitando:* nemo unquam à Spiritu S. ob vestes preciosas laudatus fuit: Pro.16,18. Sir.3,20. & 10,7.16.
4. *crucem non reformidando*; Act.14,22. Matth.10,38. Luc.9,23.
5. *delicias & voluptates hujus mundi spernendo*; 1.Joh.2,16.
6. *more Johanneo* (propheticè & angelicè h.e. piè) *vivendo*; Tit. 2,12. Rom.13,12.
7. *viam per pœnitentiam Domino parando.* Matth.18,3. Luc.13,5.

II. Monitorius.

I. Ut sectemur constantiam. Eph.4,14. Hebr.13,9.

II. Ut pii auditores gratiæ præcones à Deo missos reverenter habeant & magnifaciant. 1.Cor.4,1. Heb.13,17. 1. Thess.5,13.

III. Consolatorius.

Quòd fidelium ministrorum memoria sancta & honorifica in cœlis apud Deum sit futura. Ps. 112, 6.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, spiritualem paupertatem agnoscere nolentium.

II. Calvinianorum, nomina confessionalia rigidè nimis improbantium. Nihil hoc novi. Ipsis est conscientiæ cauteriatæ testimonium. Vide præc. disp. Vindic. Dn. Meelführeri dec. 1. disp. 3. thes. 8. & seqq.

Confessionalia nomina.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

PRoponitur hoc anni tempore in Ecclesia doctrina de salutari Jesu Christi Adventu, qui nonnullis constituitur quadruplex: Adventus 1. *Incarnationis, ad homines*;
2. *humiliationis, pro hominibus*;

Adventus Christi quadruplex

3. sanctificationis, intra homines;

4. glorificationis, contra homines, sc. malos. De primo dicetur in festo τῆ συνηγκώσεως jam jam imminente; de secundo primâ adventus Dominicâ, de quarto secundâ, actum fuit; de tertio hac Dominicâ dicendum restat. Ex prælecta itaque περικοπῆ illud solummodò hac vice considerabimus; *quales deceat esse illos, qui spirituali Christi adventu* (quem sanctificationis diximus) *gaudere, uti frui voluerint.*

Ad adventum Christi spiritualem accommodatio.

Ἐξήγησις.

Quicunque Christi cupiunt ad sanctificationem fieri participes, Heb.3,14. illos oportet esse

I. *Ministerium Johannis observantes, immò Christum ipsum audientes.* Johannes in carcere audit facta Christi: de illis igitur cognoscendis solicitum ipsum fuisse consentaneum est. Deus hodieque in nobis operatur salutem, at non nisi mediante ministeriô. Loquimur de ordinario; extraordinarii alia est ratio. Esa.8,20. & 30,21. Joh.5,39. & 8,47. Luc.10,16. & 16,29. Act. 16,17. Rom. 10,14. 1. Tim.4,16.

Ministeriū ordinarium non negligendum.

II. *Crucem non recusantes.* Johannes homo sanctus & pius vinculis includitur, capite paulò post plectendus. Ubicunque enim Ecclesia vera, ibi crux & martyrium. De Andrea Apostolo illud circumfertur: *Si crucem reformidarem, crucifixum non prædicarem.* Psal.116,13. Esa.49,7. & 51,17. Ierem.49,12. Ezech.9,6. Esa.54,11. 1.Cor.1,26.27. Psal.34,20. & 42,8. & 73,14. Ioh.16,20. Esa.26,17. & 37,3 1.Thess.3,4. Matth.10,38.

Crux ferenda.

III. *De Christi cognitione studiosè laborantes.* Huc spectat Johannea ad Christum ablegatio & interrogatio. *Non autem* (Theophylactus ait) *interrogat Johannes, quasi ignorans Christum. Nam quô pactô ignoraret, cùm testatus sit; Ecce Agnus Dei? Verùm quia discipuli ejus invidebant Christo, ut pluribus argumentis certiores eos redderet: propter hoc mittit eos, ut vel visis miraculis credant, Christum Johanne majorem esse, & idcirco fingit se rogare: tu es, qui venturus es? h.e. qui expectatur in scripturis in carne venturus.* Et post pauca: *Non sicut ignorans rogatus, sed sicut volens copiosis testimoniis discipulos suos docere de Christo ob miraculorum operationem.* Johann.17,3. Esa.53,11. Eph.3,19.

Christi agnitioni opera dāda.

Ad istam verò χριστογνωσίαν salvificam spectat

1. Veri Messiæ signatura, ex Prophetarum vaticiniis conspicua. Eò enim reducit Salvator Johannis discipulos, inquiens: ite & renun-

Agnitionis Christi pertinentia.

nunciate Johanni &c. Theophylactus: *Non dixit, annunciate Johanni: Ego sum, qui venturus sum: sed ut sciens, quòd Johannes hac de causa discipulos misisset, ut videant miracula, inquit: quæ videtis, annunciate Johanni. Et omninò ille acceptâ occasione hac, ampliùs de me vobis testimonium perhibebit.*

2. *Insignis & multiplex Messiæ usura;*

1. *in mortis vicinitate.* Johannes enim ante obitum hac de Christo doctrinâ se oblectabat & erigebat. Luc.2,29.30.

2. *in infirmitate:* Christus enim omnes nostras infirmitates, quâ animam, quâ corpus, sanat. Psal.103,3. & 146,8. Esa.53,4.5.

3. *in paupertate:* Matth.5,3. Esa.61,1.2.3. Theophylactus: *Pauperes, qui evangelizantur, intellige vel Apostolos, Evangelium prædicantes; pauperes enim erant & piscatores, & ut privati contemtibiles: vel auditores Evangelii, de cœlestibus bonis audientes.* Glossa ordin. *Pauperes spiritu vel opibus intùs illuminantur, ut in prædicatione nulla distantia sit, inter pauperes & divites.*

IV. *Factô fidem declarantes.* Ideò enim ad opera sua provocat Salvator, ut à θεωρία quoque ad πρᾶξιν nos deducat. *Cessent verba, loquantur opera,* addit gl.ord. Gal.5,6. Matth.3,8. & 5,16. Eph.2,10 Tit.2,13. & 3,8. 1.Pet.2,12. Jac.2,17.18. Joh.15,16.

Fides opere declaranda

V. *In Christo non scandalizantes.* Christus enim est lapis offensionis. Esa.8,14. Offendunt autem homines, & à Christo retrahunt, 1. *personæ mirabilitas;*
2. *doctrinæ singularitas;*
3. *crucis gravitas,* vide præced. disp.

In Christo non scandalizandū.

VI. *In verbi & fidei professione constantes.* Non est Johannes arundo, h.e. inconstans & varius, inquit Theophyl. *Nam si talis esset, quare exivistis ad eum in desertum? Non enim ad arundinem, h e. facilè mutabilem hominem exivissetis: verùm sicut ad magnum & constantem hominem exivistis. Proinde talis manet, qualem eum esse judicâstis.* Matt. 10,22.32. Luc.9,26. & 11,28. Matth.24,14. 1.Tim.5,12. 2.Pet.2,21. Sir. 4,33. Heb.10,23. Apoc.2,10. & 3,11.

Constantia in verbi & fidei professione.

VII. *Carnis voluptatibus abstinentes;* militant enim adversus animam. Roman.8,12. Galat.5,19.24. & 6,8. Johan.2,16. 1.Pet.2,11. Rom.13,13.

Voluptates fugiendæ.

IIX. *Temperanter in victu & amictu viventes.* Johannes non erat homo in mollibus vestibus: delicata enim vita, luxus & intemperantia Christianos non decent. Theophyl. *Vestis,* inquit, *ejus ex pilis erat, & ostendebat à deliciis alienum. Si enim mollia gestâsset, in regum domibus versatus esset, & non in carcere, si delicias fuisset sectatus.*

Temperantiæ studendum.

Disce igitur, quòd non oportet probum Christianum mollia gestare. Sir. 29,28. & 31,22. 1.Pet 1,13. 1.Cor.6,13. Rom.13,13.14. Col.2,23. Eccl.10,16 Matth.26,41. Proverb.23, 30. Luc. 21,34. Ephes.5,18. Ose. 4,11. & 7,5. Prov.20,1.

Zelus pro Christo.

IX. *Pro Christi honore & gloria zelantes.* Gal.4,17.18. Exod. 32,19. Num. 16,15. & 25,11. 1.Reg.19,10.14. 2.Corint.11,2. 2.Reg.10,16 Ps.69,11. & 119,159. Matth.3,7. Joh.2,15. Act 22,3. Gal.1,14.

Vocationi inhærendū.

X. *Vocationi legitimæ insistentes.* Johannes Propheta erat, vocationem suam ex Prophetarum oraculis deducens. Sir.3,22. 22. 23. 24. & 10,31. 32. & 11,20.23. Rom.12,7. 1.Cor.7,17.20. Hebr.6,4.

Piè vivendum.

XI. *Propheticè & angelicè h e piè vitam agentes. Johannes*, uti Theophylactus habet, *Angelus vocatus est, & propter angelicam vitam, ac fermè materiæ expertem, & quia nunciavit prædicavitq; Christum.* Tit.2,12. 1.Tim.2,2. & 4,7.8. & 6,3. 2.Pet.3,11.

XII. *Viam Domino parantes.* Vide præc. disp. & Domin.4. Adventus. Via in sacris monstratur duplex;

Via duplex in sacris.

1. *misericordiæ*, quâ Deus ad nos deducitur;
2. *pœnitentiæ*, quâ itur ad Deum. Tu,

si sapis, cave viam, 1. *tortuosam*; Sap.5,7. Esa.30,21.
2. *montosam*; Esa. 40,4.
3. *lapidosam*;
4. *lutosam*;
5. *spinosam.* Luc.8,14. Ps.45,4. & 119,9. & 143,10

Excita Domine corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus serviamus, qui vivis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IV ADVENTUS

EVANGELIUM

Joh. 1. à v. 19. ad 29.

19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου, ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ λευΐτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, σὺ τίς εἶ;

19. *Et hoc est testimonium Johannis, quando miserunt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, tu quis es?*

20. καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο· καὶ ὡμολόγησεν, ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός.

20. *Et confessus est, & non negavit: & confessus est (inquiens,) non sum ego Christus.*

21.

21. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν· τί οὖν; Ηλίας εἶ σύ; καὶ λέγει, οὐκ εἰμί· ὁ προφήτης εἶ σύ; καὶ ἀπεκρίθη, οὔ.

22. εἶπον οὖν αὐτῷ· τίς εἶ, ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πέμψασιν ἡμᾶς; τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ;

23. ἔφη· ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, εὐθύνατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, καθὼς εἶπεν Ησαΐας ὁ προφήτης.

24. καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων.

25. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ. τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστὸς, οὔτε Ηλίας, οὔτε ὁ προφήτης;

26. Απεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ιωάννης λέγων· ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

27. Αυτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃ ἔμπροσθέν μου γέγονεν, οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.

28. ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾶ ἐγένετο πέραν τοῦ Ιορδάνου, ὅπου ἦν Ιωάννης βαπτίζων.

21. Et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu? Et dicit: non sum. Es tu Propheta ille? Et respondit; non.

22. Dixerunt ergò ei: quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso.

23. Att ego vox clamantis in deserto; dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. Esa.40,3. Matth.3,3. Luc.3,4.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei: quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neq; Propheta ille.

26. Respondit eis Johannes dicens: Ego baptizo aquâ: sed in medio vestrum stat, quem vos nescitis. Matth.3,11.

27. Ipse est, qui cùm me sequeretur, antecessit me: cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti. Marc.1,8. Luc.3,16. Act 1,5. & 11,16. & 19,4.

28. Hæc in Bethabara facta sunt trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

DUplex iterum in hoc Evangelio dominatur causarum genus; demonstrativum nimirùm, quatenus agitur de persona & officio Johannis; & Judiciale, quatenus in statu jurediciali absoluto quæstio illa disputatur & agitatur: utrum Johannes rectè faciat baptizando, cùm neque Messias, neque Elias sit, neque Propheta? Partes Evangelii principales constituimus tres; quarum

I. Judæorum ad Johannem Baptistam splendidam legationem;

II. Johannis de proprio officio contestationem;

III. ejusdem de Christo sinceram confessionem, exponet.

PARS I.

Johannis testimoniũ.

Non incongruè præsens Evangelium vocaverimus testimonium Johannis; testatur enim ille tùm de se, tùm de Christo; patebit id ex sequẽtibus dilucidiùs. Causa testimonii impulsiva fuit Iudæorũ ad ipsum missa legatio. Notetur a. in prima hac enarrationis parte I. *Occasio*, aliunde petenda. Movit enim eos præsens temporis ac rerum status. Erant

1. alieno subjecti imperio;

2. amiserant sceptrum, secundùm vaticinium Jacobi Gen. 49, 10;

3. hebdomades Danielis erant fermè elapsæ; unde facilè colligere poterant, vel adesse, vel in procinctu stare promissum Messiam, cùm præsertim viderent,

4. Johannem Baptistam, virum vitæ sanctimoniâ insignem, novum Baptismi ritum auspicari, & factâ à templo & Synagogis Judaicis secessione, aliâ quàm quæ vulgò tunc recepta erat, uti doctrinæ formâ, qui & ipse docuerat, adventum Messiæ instare, & se illi, mox subsecuturo, viam parare. Pharisæi itaque, etsi consilium Dei spernerent, Luc. 7, 30; nec Baptismum Johannis magni æstimarent, in principio tamen, propter magnum populi confluxum & adplausum, non ausi fuerant doctrinæ & ministerio Baptistæ sese opponere. Accedebat,

5. singulare Messiæ, propter jugum Romanorum desiderium, cui se favere Pharisæi ad populum astutè simulabant.

6. Innotuerant etiam ea, quæ in Baptismo Christi ad Jordanem, per illustrem illam θεοφάνειαν, contigerant, quam & Johannes baptizans, cum multa populi multitudine, viderat; & ipse concionibus suis divulgaverat, sonorâ voce proclamans, Messiam venisse & manifestatum esse.

II. *Causæ efficientis significatio*, vel auctores legationis. Judæi nimirùm, & illi quidem, qui erant Hierosolymis, in provinciæ metropoli; non privati utique, sed qui graviorum causarum cognitioni ac dijudicationi præerant; primores & presbyteri in summo Synedrio vel Consistorio (uti nunc loquimur) constituti, legatos mittebant. Judæi autem vocari primùm cœperunt tum, quando regnum Israël in captivitatem Assyriacam abducebatur. 2. Reg. 16, 6. Anteà dicebantur domus Juda, 2. Reg. 2, 4. & 3, 10. Postmodum verò generaliter hoc nomine dicti sunt omnes, ab Abrahami prosapia descendentes, quibus Græci in N. T. opponuntur. Non autem simpliciter Evangelista dicit Judæos legationem misisse, sed cum

Judæi qui dicti.

πρεσβείας μετα Judæos ex Hierosolymis, ut declaret, quid velit; nim. 70. Judices, ex domo Davidis constitutos ad id, ut de caussis arduis decernerent. Ad ipsos enim pertinebat inspectio, ne in forma doctrinæ & cultûs, præter aut contra legem, aliquid privatâ cujusquam auctoritate mutaretur. Dicebantur *Sanhedrin*, summum συνέδριον. Et hos vocari Judæos ab Hierosolymis, cum Lyra censet Dn.D. Chemnit Harm. Evang. p.288. Patet inde, totum coactum fuisse συνέδριον, & rem istam in concilio universali fuisse prius deliberatam.

Sanhedrin.

III. *Materialis causa, vel personarum missarum notatio*; quæ describuntur ab adjuncta officiorum dignitate, κατ' μερισμὸν; non mittuntur fungi & stipites, nec gregarii nonnulli ministri, ut Ioh. 7,32. Matth.22,16.

1. *Sacerdotes*, religionis interpretes, sacrorumq; præsides:
2. *Levitæ*, sacrificiorum antistites; quippe quos plus gratiæ apud contribulem Johannem habituros confidebant.
3. *Pharisæi*, quorum ordo gravissimus, & præ reliquis purissimus habitus, ad splendorem legationis plurimùm & ipse momenti adferre posse sperabatur. Errat Origenes, duplicem h.l. statuens legationem, unam Levitarum, alteram Pharisæorum: nihil enim obstabat secta, quò minùs Levitæ & Sacerdotes esse possent.

IV. *Causa finalis mentio*. Instituta fuit hæc tàm splendida legatio eô fine, ut fieret inquisitio in Johannem Baptistam, quisnam esset; nim. ratione personæ & vocationis sive officii; h. e. unde potestatem haberet discedendi à templo & Synagoga Iudaica, ubi reliqui Doctores ordinarii docebant; potestatem item novum administrandi Sacramentum, quàm à Synedrio impetrari oportuisse, ex Matth. 21,23. Act.9,2. colligere promtum est. Quærunt itaque: tu quis es? h. e. num es patribus ille promissus Messias? Hanc enim legationis propositionem sequens arguit membrum:

V. *Johannea responsio*, illustrata ab adjuncta Iohannis in edenda confessione παῤῥησίᾳ: confessus est, & non negavit, & confessus est. Qui pleonasmus Hebraicus non est ociosa verborum ταυτολογία, sed ingenuitatis & candoris in confessore Baptista diligens commendatio. Alii ita exponunt: Confessus est, scil. quid non esset, & non negavit, quis esset. Alii ita: confessus est, quis esset, sed ita, ut suâ confessione non negaret Christum, sed multò magis confiteretur. D. Chemnitius tria repetitione istâ innui significat;

1. Jo-

esse Prophetam; nulla tamen inde oritur ἀντιλογία. Nam Johannes non est Propheta, magnus scil. ille in Deut. descriptus ac promissus; is enim est Christus: nec est Propheta, res absentes & futuras denuncians; quia de nato, præsente & exhibito Messia concionabatur: Est tamen etiam Propheta 1. latè sumtô vocabulô; 2. quia ceterorum Prophetarum vaticinia in ipso finem sunt sortita, uti superiori Dominicâ didicimus. Augustinus, referente D. Chemnitiô, putat; Johannem negâsse se Prophetam esse, talem scilic. quales alii Prophetæ fuerant, qui de futuris vaticinati Christum à longè venturum prædixerant.

Joh. Bapt. est Propheta, & quomodo. Harm. pag. 290.

Πορίσματα θεολογικὰ primæ partis.

I. De conciliis, Synedriis & inspectione Ecclesiastica commodè h. l. dici potest. Vide D. Gesner. de conciliis, & D. Finck. h. l. p. 129.

II. Judæi sunt αὐτοκατάκριτοι; nôrunt tempus Messiæ prædefinitum jam pridem esse completum, nec tamen veritati cedere volunt, unde inexcusabiles redduntur. Act. 5, 36.

Judæi αὐτοκατάκριτοι.

III. Illi etiam, qui in ordinaria successione & legitimis officiis sunt in Ecclesia, ut Pontifices cum conciliis, possunt errare, propter *1. verbi divini neglectionem;*
2. traditionum humanarum admirationem;
3. scripturæ abolitionem. Matth. 26, 27. Actor. 4, 5. & 22, 23. Luc. 16, 29. Joh. 7, 32.

Papa potest errare.

IV. Multi verbis præ se ferunt singulare cognitionis Christi ac salutis studium, in verbo autem oblatum Christum recipere nolunt.

V. Constantiæ exemplum singulare, in fidei confessione categoricè, absque omni dolo & fuco, facienda, præbet Johannes. Confessio enim

1. edenda est necessariò, si postuletur, sive ab amicis, sive ab inimicis:
2. nec spe, nec metu inflectenda;
3. non ludendum æquivocationibus & ambiguitatibus. 1. Petr. 3, 14. 15. Matth. 10, 30. Act. 2, 10. Matth. 7, 23. Rom. 10, 10.

Confessionis edendæ exemplum in Joh.

VI. Officium vel honorem alteri debitum ne adpetamus; inanis enim illa sive κενοδοξία, sive φιλαυτία à Christiano cordato debet esse alienissima. 1. Cor. 4, 6. 7. 18. Sir. 3, 19. & seqq. & 7, 4. Gal. 5, 26. Hebr. 5, 4.

Papa pro Messia se venditat.

VII. Sic honor Christo debitus non est rapiendus; & pro Messia aut Vicario Messiæ nemo se venditet, quod Papam Rom. dudum fecisse novimus. Act.4,12.&10,43.Joh.14,6. Luc.17,10

IIX. Judæi Johannem Christo præferentes docent, qualis erga ipsum mundus sit adfectus. Esa.53,3. Psal.118,22. Matth,11,6. Es. 8,14. Joh.1,11.

IX. Non sufficit corde credere,nisi ore etiam fiat confessio. Matth.10,30. Rom.10,9.10.Ps.116,10.

Quæstiones de religione ad solos sacerdotes non pertinent.

X. Errant Jesuwidæ, perperam ex hac Judæorum legatione colligentes,quæstiones de religione tantùm ad Sacerdotes,ceu judices ordinarios pertinere; contra peccare Evangelicos, præter scripturam judicem alium non agnoscentes. Judæi enim ad Johannem non miserunt, ut illum pro ordinario quodam Iudice vel eligerent, vel recognoscerent; & is decidebat quæstiones de religione propositas ex scriptura. Esa.8,20 Luc.16,29. 2.Pet 1,19.Joh,12,48.

Elias ante AntiChristi adventum non rediturus.

XI. Iudaizant Papicolæ,Eliæ Thesbitæ ante AntiChristi sui adventum exspectantes reditum,cùm vaticinium Malachiæ in Iohanne completum esse testis αὐτόπτης omnique exceptione major sit ipse Salvator, Dominus noster Iesus Christus. Matth. 11,14. & 17, 13.

XII. Simulationes & dissimulationes in religionis negotio locum inveniunt planè nullum. Ioh.3,21. 1.Pet.3, 15.Matth.5,37. Apoc.3,15.16.

XIII. A falsa doctrina, licèt nondum per Concilia damnata, exemplo Iohannis discedere licet.

PARS II.

Tribus vicibus negativè Iohanne respondente, non sum, non sum,non sum,tandem animosiores quodammodò redditi Domini legati quartò locô, quanquam non sine rancore & indignatione quærunt, ecquid tandem de seipso dicat?

Additur ratio quæstionis importunioris;

1. à fine legationis;

2. à contrario superiorum quæsitorum: q. d. hactenus ex aliorum, & quidem vulgi,opinionibus de te quæsivimus, mandatô nimir. eorum,qui nos huc ablegârunt; nunc quia illos falli & fallere intelligimus,veritatem ex te scire cupimus,quem te ipse profitearis esse,ut responsum referre categoricum queamus Dominis nostris. Atque ita terrere ipsum conantur auctoritate eorum,à quibus missi legati fuerant. At-

Atque hîc demum sequitur responsio Iohannis κατα φατική, facta ἐγκεκ φως, expresſis ſcripturæ verbis, idque factum ideò (refero verba D. Chemnitii)

Harm. p. 290.

1. ne id quod erat, vel humanâ, vel privatâ auctoritate ſibi arrogare videretur,
2. ut ſuam vocationem ita probaret;
3. ut oſtenderet officium ſuum eſſe, non ſacrificare, non politica tractare, ſed Meſſiæ præſenti viam parare;
4. ut ſimul ex ſcriptura demonſtraret præſentiam Meſſiæ. Quis ergò ſit, ex Eſa. 40,3. disertè pronunciat, inquiens: Ego ſum vox clamantis in deſerto &c. Quæ verba continent deſcriptionem Iohannis,

1. ab officij dignitate, quòd ſit Vox, h.e. concionator; ſed cum adjectione, clamans, vel clamantis in deſertò: q. d. non erit mutus canis; ſed voce elevatâ clamabit. Vel, ut alii exponunt, erit Vox, ſive miniſter Dei, clamantis & liberè per ipſum prædicantis.

Joh. Bapt. vox clamans.

2. A ſuggeſtûs ſingularitate; clamabit in deſerto; non in templo, nec in Synagogis Iudaicis, ſed in deſerto, quemadmodum habet diſtinctio Evangeliſtæ: quanquam Propheta in Hebræo hunc προσδιορισμὸν ad ſequentia referat. Sed perinde eſt: Ubicunque enim Iohannes prædicabat, ibi viam Domino rectificabat.

Quæritur: cur Iohannes in deſerto, non in templo prædicârit? Reſp. Ut exſtaret illuſtre diſcrimen inter Angelum, parantem viam in deſerto; & inter Dominatorem ipſum, qui ad templum venturus, & ibi doctrinâ & miraculis ſuam gloriam manifeſtaturus erat. Mal. 3,1. Hagg. 2,8.

Joh. Bapt. in deſerto cur prædicârit. D Chemn. harm. p. 329.

3. A doctrinæ qualitate, quæ conſiſtet in parando viam Domino, h.e. Meſſiæ; ſumtâ ſimilitudine à ſubditis, adventanti Principi viã complanantibus. Sum̃a itaque & argumentum concionum Iohannis omnium in prædicatione pœnitentiæ conſiſtet.

Arguit autem tacitè Iudæorum, Phariſæorum cumprimis & Sacerdotum inſcitiam, eoſque remittit ad ſcripturas, unde plura ea de re cognoſcere queant.

Πορίσματα θεολογικὰ ſecundæ partis.

I. Iohannes typus eſt Doctorum Eccleſiæ, à quibus requiritur, ut exemplo Iohannis

Officium Doctoris Eccleſiæ.

1. Chriſto ſerviant: 1. Cor. 4,1.
2. voce elatâ clament, non ſint canes muti, Eſ. 56,10. & 58,1. Mat. 3,4
3. viam Domino parent;

1. montes dejiciendo;
2. valles exaltando;
3. indirecta vel curva complanando.

II. Ministri Ecclesiæ ad hominum conversionem minimum faciunt, Christus maximum, immò totum opus ipse conficit. Johannes baptizat & clamat: Christus igne vel Spiritu S. operatur. Esa. 55, 11. Psal. 68, 35. Joh. 15, 5.

Verbum & Sacramenta cohærent.

III. Verbum & Sacramenta necessariò cohærent; separanda itaq; non sunt; quod fieri solet ab illis, qui ad verbi quidem auscultationem interdum veniunt, sacræ autem συνάξεως usurpationem vel negligunt, vel saluti suæ non multùm officere putant.

IV. Johannes veritatem docendo parùm proficit apud Sacerdotes Hierosolymitanos & alios; ita hodieque, proh dolor, multô maxima auditorum pars frustrà clamores evangelizantium audit. Esa. 53, 1. Rom. 10, 16. Matth. 11, 17.

Via Domino paranda.

V. Paranda via Domino, h. e. pœnitentia vera maturanda, ut ingrediatur Rex gloriæ. Ps. 24, 8. Matth. 3, 4. Act. 17, 30. Fiat digressio per partes pœnitentiæ.

Lutherus immeritò arrogantiæ insimulatur

VI. Immeritò flagellatur à Jebusitis B. Lutherus, ac si arroganter nimis ille de se senserit scripseritque, cùm Iohannes humiliter diffiteatur, quod jactare jure potuisset. Verum B. Lutherus
1. eò descendit, adversariorum suorum calumniis adactus;
2. fecit hoc exemplo & imitatione Pauli; 1. Cor. 11. & 12.
3. debitæ aliàs humilitatis nunquam immemor.

Liberi arbitrii vires nullæ in sacris.

VII. Inepti sunt iidem Esawitæ, ex eo, quod Iohannes dicit: dirigite viam Domini; cooperationem virium liberi arbitrii, in rebus salutem concernentibus fingentes: à præcepto enim ad posse non valet consequentia. Ioh. 15, 5. Eph. 2, 1. Phil. 2, 13. Rom. 7, 23 & 8, 7. & 14, 23. 2. Cor. 3, 5.

Messias venit.

IIX. Messiam venisse patet *1. ex Judæorum legatione;*
2. ex Johannis testificatione. Vide Domin. 3. Adv.

PARS III.

Quoniam Iohannes negativè, quis non sit, & affirmativè, quis sit, respondit, & verò spe suâ frustrarentur legati; honorem enim haud obscurè oblatum respuebat: proinde jam indignabundi vocationem illius oppugnaturi, quæstionem status ipsi movent, ubi quæritur de qualitate facti. Notetur autem

I. *Legatorum quæstio*, sive intentio, vel oppositio talis:

Si

Si neq; Christus es, neq; Elias, neq; Propheta, utiq; baptizare tibi non licet.

Verum prius: Ergò & posterius.

Ratio connexionis in copulato est: quia cares vocatione ad baptizandum speciali: homini enim privato non licet auctoritate propriâ mutationem aliquam in Ecclesiam invehere. Et prætereà baptizare, h.e. effundere aquas mundantes ad tempus & officium Messiæ pertinet. Zach.13,1. Sequitur autem illicò

II. *Johannis responsio*, sive depulsio absolutè defensoria, quæ duo potissimùm continet:

1. *Vocationis ostensionem & vindicationem*, quâ, quisnam ipse sit, apertè significat; nempe minister & præcursor Messiæ, cujus manifestandi gratiâ ipse à Deo missus sit. Joh.1,6.7. Ego, inquit, baptizo aquâ. In quibus verbis latet ἀντίθεσις, cujus tamen una pars h.l. tacetur, supplenda ex Matt.3,11. ubi distingvit Iohannes, inter *externum suum ministerium, & internam Spiritus S. gratiam* & efficaciam; simulque ostendit, novam doctrinam novô Sacramentô fuisse confirmandam.

2. *Legatorum à se ad Christum remissionem vel ablegationem*, à quo ad munus illud vocatus & præmissus fuerit. Significat enim legatis ingenuè, quisnam sit Messias, & ubi quærendus, in ipso nimirùm eorum medio, in quo jam præsens stet, licèt ipsis adhuc ignotus, nec ampliùs tanquam venturus exspectandus. Describit itaque personam Christi, ne forsan aberrent:

1. *ab incarnati præsentia*, quòd stet in medio ipsorum; h.e. humanam naturam ex gente Judaica adsumserit, & jam modò in publico versetur, quem tamen illi, quæ sit ipsorum tùm supina oscitantia, tùm stupenda ignorantia ac malitia, neque agnoscant, neque de eo agnoscendo magnoperè laborent. Legati enim nihil ampliùs interrogant, quis manifestatus ille Messias, ubi sit, quomodo in medium prodierit, & unde Johannes ipsum agnoverit esse Messiam. Unde colligitur, de Messiæ cognitione ipsos non usque adeò fuisse solicitos. Nonnulli illud, medius vestrum stat, interpretantur: conversatur inter vos, tanquam unus ex vobis, habitu inventus ut homo. Phil.2,6.

2. *Ab æternitatis vel Divinitatis excellentia*; quòd se Johanne prior fuerit, ratione nim. divinæ Naturæ; licèt ratione Incarnationis & ministerii se fuerit posterior, quoad humanitatem.

Christus Johanne prior.

3. *A dignitatis vel sanctimoniæ superabundantiâ*, id quod proverbiali σχηματισμῷ, per comparationem imparium, Christi & Jo-

hannis effert; quippe qui indignus sit, in universa sanctitate sua, ut vilissimi ministerii operam ei præstet. Quâ comparatione partim Iudæorum arrogantiam vult deprimere; partim docere, illos brevi ex malè-usurpato Ecclesiæ dominio ejectum iri.

III. *Evangelii hujus conclusio*, per τοπογραφίαν seu circumstantiam loci: facta nim. hæc esse, in Bethabara trans Jordanem, ubi Johannes baptizabat. Bethabara autem sonat, domum transitus, à בית domus, & עֲבַר transiit; vel ob transitum Israëlitarum ex Ægypto in terram Canaan; vel ob publicum hominum, ex Syria in Palæstinam euntium, trajectum. Habes in hac τοπογραφίᾳ tria; 1. nomen loci proprium;

2. situm;

3. adjunctum vel accidens memorabile.

Bethabara.

Πορίσματα θεολογικά tertiæ partis.

I. Ingenium hypocritarum observetur, qui concionem verbi fastidiunt, si palato ipsorum non arrideat. Es.30,9. Mich. 2, 11.

II. Quando auditores hærent in persona ministrorum, opponenda est descriptio ministri, (ego sum vox clamantis: ego baptizo aqua:) efficacia verò soli Christo transferibenda. 1.Cor.3,7.

III. Pontificii, in morem Sacerdotum & Scribarum, vocationem eorum annihilare student, qui ab ipsis rasi & uncti non sunt.

Pontificii vocationē ministerii nostri annihilant.

IV. Minister Verbi auditores non in sui admirationem rapere, sed ad Christum deducere studeat.

V. Qui verbum Dei docet, ac ab Ecclesia legitimè est vocatus, is ordinariam habet vocationem, & verus Dei est minister, si vel maximè docendi potestatem ab impiis verbi divini hostibus non acceperit.

Minister Ecclesiæ vocatus.

VI. Exemplo Johannis licuit, hodieque licet nobis, à Romanis Pontificibus eorumque corruptelis, superstitionibus, abusibus, idololatriâ & humanis adinventionibus secessionem facere. Matth.7,15. Gal.1,8.1,Joh.5,21.

A Papa licet secedere

VII. Distingvendum est ministerium Johannis externum, ab interna Christi in Baptismo virtute. 1. Cor.3, 6.7.

IIX. Messias noster jamdudum venit, stetit in medio nostri, estque θεάνθρωπος, Deus & Homo.

Messias venit.

IX. Recurrit doctrina de persona Christi, Apoc.1,11. Heb.1,3 Johan.1,16. sed de hac materia consulantur loci & libelli methodici.

X.

X. Baptiſmus Johannis, Chriſti & Apoſtolorum eſt unus, ratione cauſæ efficientis, materiæ & finis: differunt formulâ & perſonis.

Baptiſmus Joh. & Chriſti, unus.

XI. Ἀπεξεσδιόνωσιν eſt, quòd Calviniani ex quæſtione legatorum, cur baptizas? γυναικοβαπτισμὸν, in caſu neceſſitatis adhiberi ſolitum, impugnatum eunt. Matth. 28, 19. Iohan. 3, 5. Exod. 4, 25. 26.

γυναικοβαπτισμὸς à Calvin. improbatur.

XII. Blaſphemi etiam ſunt modò-dicti Calviniani, omnem Baptiſmo ſalvandi vim h. l. adimentes, diſtingvendo inter Baptiſmum externum & internum. Johannes enim tantùm diſtingvit inter ſe ſervum, Sacramentum Baptiſmi organicè adminiſtrantem; & inter Baptiſtam principalem ſive cœleſtem, quæ duo ſibi mutuò non adverſantur, ſed ad unum eundemque producendum effectum ſubordinantur, conjunguntur; ad enervandam verò miniſterii ordinarii efficaciam nihil quicquam faciunt. Ioh. 3, 5. Tit. 3, 5. 1. Petr. 3, 21. Marc 16, 16.

Calvin. vim ſalvandi Baptiſmo adimunt.

XIII. Sophiſtas agunt Eſawitæ, ex eo, Chriſtus ſtat in medio veſtri, Eccleſiam inviſibilem negare, immò evertere præſumentes; cùm Baptiſta verbis iſtis principaliter, non præſentiam Chriſti ſpiritualem, ſed perſonalem notet.

Eccleſia inviſibilis à Jeſuitis negatur.

XIV. Singulare Divinitatis Chriſti teſtimonium habetur in verbis Iohannis, ante me fuit, qui poſt me venit, Arianis & Photinianis tùm veteribus, tum recentioribus opponendum.

Divinitatis Chriſti teſtimonium.

XV. Sancti omnes ad pedes Chriſti humilitate verâ ſe abjiciunt. Pſal. 115, 1. Dan. 9, 7. Eſa. 64, 6. Philip. 3, 7. & ſeqq. Galat. 6, 14. Phil. 2, 3.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

OPtimô ordine præſens περικοπὴ excipit illam, qua de Dominicâ proximâ audivimus. Quæ enim ibi in Iohanne Salvator noſter publicè commendaverat, ea h. l. manifeſtò ſeſe exerunt. Conſtantiam quippe ſuam Iohannes declarat, oblatum Meſſiæ honorem maſculè reſpuendo; παῤῥησίαν ac zelum oſtendit, vocem ſeſe clamantem profitendo, ac pœnitentiam prædicando; Prophetam agit, de Chriſto honorificè conteſtando; unde Evangelium nomen teſtimonii Iohannei accepit. Nos duo proponimus, contemplaturi

I. Clerum Hieroſolymitanum ad Johannem Baptiſtam mittentem;
II. Johannem de ſeipſo & Chriſto diſtinctè diſſerentem.

PARS

PARS I.

In primæ partis enarratione textuali observationem meretur,

1. detestanda Judæorum cæcitas, quam produnt illi

Judæorum cæcitas.

1. Christum non agnoscendo, Joh.1,11. Es.6,9.

2. Messiæ honorem alteri deferendo.

2. Simplex Johannis candor & ingenuitas, quam in tota hac actione conspicuum ille omnibus reddidit.

3. Actionis cum Johanne qualitas; ubi occurrit,

1. circumstantiarum quarundam annotatio; nim.

1. quis mittens? Clerus Hierosolymitanus; vel uti verba Iohannis habent, Iudæi de Jerusalem, h.e. totius gentis Judaicæ primarii, ex ipsa metropoli.

2. Quis missi? Non fungi aut rudes homines, sed viri doctrinâ, auctoritate & externa vitæ sanctitate insignes; nimirùm

1. Sacerdotes, h. e. religionis præsides & verbi interpretes;

2. Levitæ, h.e. sacrificiorum periti; hi enim ordines erant distincti, quanquam ut genus & species subordinati. Omnis enim Sacerdos erat Levita, h.e. è tribu Levi; at non omnis Levita Sacerdos. Et quia Iohannes sacerdotali quoque & ipse ordine prognatus, plùs gratiæ legatos apud ipsum habituros confidebant.

3. Pharisæi, inter sectas Judaicas purissimi & gravissimi habiti.

3. Cur missi? Ut interrogarent eum, tu quis es? Veniunt nim. legati exploratum, an velit admittere titulum Messiæ: de hoc enim illos quæsivisse, ex ipso jam Johannis responso mox patebit, qui tùm opinione vulgi Messias habebatur, tùm odiô Jesu à primoribus etiam populi postulabatur.

2. Egregia Johannis confessio. Severiter enim repudiâsse Johannem obliquè & insidiosè sibi oblatum honorem, ex verbis Evangelistæ emphaticis ultrò liquet: confessus est, & non negavit, & confessus est. Confessio verò ista duo habet membra:

1. triplex interrogatorium; &

2. triplex responsum.

Joh. Bapt. non est Messias.

1. Initiò quærunt, *an sit Messias?* Promissus nimirùm ille patribus V.T., elapsis jam temporibus constitutis omninò præstandus. Johannes respondet negatè: non sum Christus, h.e. falsò defertis mihi hunc titulum, missum me facite.

2. Ab hoc gradu dejecti, delabuntur ad proximum dignitatis gradum, quærentes *an sit Elias?* Quem sc. Malachias c.4,6. ante diem Domini venturum prædixerat. Johannes iterum negatè respon-

spondet: non sum. Brevitas responsionis non obscuram habet indignationis significationem. Fuit & non fuit Elias. Fuit *quoad Spiritum, virtutem ac zelum Eliæ*, Luc. 1, 17. Non fuit, *quoad personam*. Judæorum enim ex Mal. 4, 6 vana fuit traditio; vel Eliæ Thesbitidis animam in novum corpus migraturam; vel Eliam ante adventum Messiæ eodem corpore rediturum, & præcessurum.

Joh Bapt. fuit & non Elias.

3. Hinc etiam repulsi legati quærunt, *num sit Propheta?* Singularis nimirum aliquis & insignis Propheta: siquidem ab annis jam 400 ordo iste inter Iudæos cessaverat. At responsio iterum auditur negativa. Etsi enim à patre Zacharia Luc. 1, 76. Propheta Altissimi Iohannes nuncuparetur; de tali tamen saltem Propheta sermo est, qui Spiritu S. repletus divina pandit mysteria. Vide disposit. præced.

USUS I. Informatorius.

I. Verus patribusque V.T. promissus Messias (cujus festum γενέθλιακὸν præ foribus) jamdudum venit. Thema istud tractatur

Messias jamdudum venit.

1. κατ' ἀποδίωξιν fabularum Iudaicarum, venturum scilic. Messiam

1. piscibus omnibus in mari suffocatis;
2. diabolô superbiæ auctore demortuô;
3. Sadducæorum errore ubique terrarum, & ab omnibus hominibus receptô;
4. Romanis universo terrarum orbi 9 menses dominantibus. Vid. Christian. Gerson. in Thalmud. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. c. 3.

Fabulæ Judaicæ de adventu Messiæ.

2. κατὰ θέσιν verioris sententiæ. Messiam enim venisse probatur in hodierno Evangelio tripliciter:

1. honorificâ Judæorum ad Johannem missione. Cujus observetur

1. causa impellens quintuplex:

1. vaticiniorum complementum;
2. novum Baptismi Sacramentum;
3. concionum Johannearum documentum;
4. populi ad ipsum adcurrentis studium;
5. constans famæ præconium.

2. Vitium legationi adhærens. Multipliciter Iudæorum proceres impingunt,

1. Christum missum fastidiendo;
2. Johannem periculosè de ἀποστασίᾳ solicitando;
3. examinare eundem præsumendo, examine, immò correctione gravi, ipsi digni;

4. *alios in pietatis cursu impediendo;*

5. *animum pertinaciter ostensâ veritate obfirmando & indurando.*

2. *Manifestâ præcursoris præsentatione*, de qua ipse Iohaunes ex Esa.40,3. egregiè testatur. Hic notetur,

1. *ingenua confessio*;

2. *legitima vocatio*;

3. *animosa Johannis clamatio.* Quid & quomodo clamaverit, patet ex Evangelicæ historiæ lectione.

3. *Perspicuâ Johannis testificatione*, de qua mox secundâ parte videbimus.

Agnitionis Christi impedimenta. II. De causis χριστογνωσίας impedientibus; quales sunt,

1. *spontaneus error.* Nôrunt Judæi scripturarum de Messia vaticinia: Gen.49,10. Deut.18,18. Ps.2,7. Esa.7,14. Dan.9,25. Mich. 5,2. Esa.35,5. &c. vident prædictionum complementum; nec tamen veritati cedunt. Cave scandalum. Matth.11,6. Luc.2,34. Esa.8,14.

2. *satanæ furor*: Ejus enim impulsu hoc tentant Judæi. Gen. 3,15. 1. Ioh.3, 8.

3. *mundi stupor*, qui alium sibi Messiam imaginatur. Joh. 18,36. Matth.8,20. & 11,29. Phil.3,18. Col.3,1. 2.Cor.4,3.4.

II. Monitorius.

I. De peccatis Judæorum & legatorum studiosè cavendis; cujusmodi sunt,

1. veri Messiæ contemtus: Act.4,12. & 10,43. 1.Cor.3,11.

2. πολυπραγμοσύνη;

3. ignorantia; contra quam nos muniamus verbô Dei revelatô. Extra scripturam Christus non est quærendus. Psal. 40,8. Joh.5,39.

II. De confessione fidei παῤῥησίᾳ edenda. Ps.116, 10. Rom. 10,10. Matth.10,32.

III. Monentur præ ceteris verbi divini ministri, ut juxta vocationis suæ mandatum propria agentes caveant ἀλλοτριοεπισκοπίαν. Hebr.5,4. 1.Pet.4,15.

IV. Ne inanes sectemur mundi delitias ac divitias, terrena cœlestibus, momentanea æternis præferentes. Matth.6,19.20.33. & 16, 26.

III. Refutatorius.

Papistarum, somniantium,

1. Papam & Concilia errare non posse; vide præc. disp.

2.

2. Johannem fuisse Monachum,& Principem quidem Monachorum, ein Mönchs Fürst.

PARS II.

In secundæ partis διεξόδῳ observanda venit,

I. Testimonii Johannei occasio, quam subministrat legatorum interrogatio ultima, aliquantò importunior; quâ obtendunt auctoritatem eorum, à quibus missi fuerant: q. d. stipites utique non sunt, qui nos huc misêre; illis tibi est respondendum, illis ratio reddenda, si vel maximè nos indigni tibi videamur, quibus categoricè respondeas. Non quærimus, quid non sis, sed quid sis?

II. Testimonii depositio. Respondet enim Johannes legatorum importunitati animô & ore planè imperterritô;

1. vocationem suam adserendo altiusq; repetendo, ex Prophetarum sc. oraculis, Esa. 40, 3. Ego vox clamantis in deserto. Per αὐτονομασίαν officium suum ostendit: vocis enim est docere: Doctorem hac ratione sese subindicans. Vocem autem se nominat, non simpliciter, sed clamantis; quam vocem nonnulli ad Christum referunt; ut sit sensus, vox Christi clamantis per Iohannem: sed rectiùs meô judicio refertur ad Baptistam: q. d. non sum minister mutus, sed clamo totâ die, docens pœnitentiam & vitæ innovationem. Hoc enim est dirigere viam Domino.

Job. Bapt. vox clamans.

2. Suam personam à Christi persona distingvendo. Legatis enim officium Iohannis in dubium ac disceptationem vocantibus, & jus baptizandi munusque docendi adimere illi volentibus, cùm neque Christus sit, neque Elias, neque Propheta, atque ita ordinariè non vocatus: ego, inquit, baptizo aqua. Oratio est elliptica: completur autem Matth. 3, 11. & Luc. 3, 16. his verbis: ipse verò (Christus post me veniens) baptizabit Spiritu S. & igne: q. d. non ego sum Messias, sed minister Messiæ: ego baptizo tantùm aquâ in remissionem peccatorum: baptismum autem ignis, h. e. admiranda Spiritus Sancti dona, quæ Messias suô tempore conferet, ego effundere non possum.

3. Judæos à se ad Christum remittendo. Huc facit descriptio Christi,

1. ratione personæ; quam commendat legatis

1. à carnali nativitate, sive facta ἐνσαρκώσει. In medio vestrum stat, quem vos nescitis; h.e. Filius Dei æternus Homo factus, in carne natus est, & inter vos Judæos obambulat, versatur in Judæa: sed nondum didicistis eum agnoscere; agnoscetur autem paulò pòst, non tantùm ex concionibus suis præclaris, sed ex stupendis

Christus est θεάνθρωπος.

etiam miraculis, quibus doctrinam ille suam confirmabit; quod vel inde etiam liquet, quia falsò mihi titulum ac honorem Messiæ offertis. Humanitatis quoque adsumtæ argumentum est id, quòd post Iohannem venisse dicatur.

2. A Divinitate: Is est, qui nativitate quidem & docendi ordine post me venit; sed ante me, immò ante conditum mundum h.e. ab æterno fuit, ratione nim. Divinitatis suæ, quâ Patri & Spiritui S. ὁμοούσιος ante omnes creaturas, quin & omnium creaturarum conditor extitit.

3. A dignitate & sanctitate: ego agnosco me infimum ipsius famulum, indignum, qui calceos saltem ei purget, tantum abest, ut titulum illius mihi usurpem vel arrogem.

2. Ratione officii: Medius inter vos stetit, h. e. Mediator est Dei ac hominum.

III. Loci connotatio, ut res fide esset dignior. Facta enim hæc sunt omnia in Bethabara, quæ domum transitus significat, h.e. locum, ubi Jordanis trajici potuit, vel vado, vel navigio. Inserviunt ista typorum significationibus. Israelitæ Jordanem transeuntes in terram promissam sunt ingressi; & Elias cùm transisset Iordanem, igneo curru in cœlum transsumtus est. Jos.3,17. 2.Reg.2,11. Sic per Baptismum patet nobis ingressus in terram viventium & in regnum cœlorum. Naaman Syrus in Jordane lotus mundatur à lepra, 2.Reg.5,14. Ita qui Dei jussu baptizantur, à peccatis suis purgantur.

Baptismus janua cœli.

USUS I. Informatorius.

Hostium natura.

I. De ingenio & natura hostium Ecclesiæ, qui à vulpina facilè ad leoninam convertuntur.

II. De persona Jesu Christi, quòd is sit verus Deus & verus Homo. Mich. 5,2. Prov.8,22. Vide locos.

Baptismi institutio divina.

III. Quòd Baptismus cœlitùs institutus, ad salutem nostram maximè sit necessarius. Matth.21,25. Luc.7,30. Ioh.3,5. Esa.4,4. & 49,22. Mal.3,2.

Baptismus duplex.

IV. Baptismus Christi est duplex:

1. fluminis aquæ & verbi per ministros: Iohan.3,5. & 4,2. Matth.28,19.

2. flaminis igne & Spiritu S. Act.1,5. Matth.3,11. sangvinis, per ejus profusionem & passionem: Luc.12,50. Matth. 19, 22. 23.

Baptismus Johannis.

V. De Baptismo Johannis D. Lucas Osiander ita: Etsi fortaßè,

ra ſſe; inquit, non baptizavit his verbis: baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: tamen cùm de Christo concionatus sit, & baptizârit in remissionem peccatorum, sentiendum est, non fuisse alium Baptismum, quàm qui fuit Christi & Apostolorum. Quôd enim aquâ se baptizare dicit, distingvit suum baptismum, non à Baptismo Christi, qui & ipse aquâ constabat; sed distingvit eum ab allegorico Baptismo Christi, quô credentes in primitiva Ecclesia perfundebantur admirandis donis Spiritus Sancti, ut variis lingvis loquerentur, & morbos suô contactu sanarent.

Baptismus allegoricus.

II. Consolatorius.

1. De Baptismi virtute & efficacia. Marc.16,16. Iohan.3,5. Act. 2,38.41. & 10,47. & 22,16. Tit.3,5. Ezech.13,1. Roman.6,3.4.5.6.

2. De fidelium paucitate. Ps.12,1. Luc.12,34.

III. Monitorius.

I. Ut Christo paretur via: Via Christo paranda.

1. per Doctores Ecclesiæ, Evangelium *docendo*, & *Sacramenta* ritè *administrando*, nec non *pœnitentiam prædicando*. Esa.58,1.Gal.1,9 1.Tim.4,16. 2.Tim.4,2.

2. Per auditores verbi, sermonem veritatis admittendo, vitamq; professione Christianâ dignam agendo. Hebr.13,17. Matth.3,2. Esa.1,16. Summè enim hoc tempore necessaria est pœnitentia. Levit. 26, 25. Jer.26,13. Ezech.22,31. & 32,10.

II. Ut ad festi instantis solemnitatem dignè nos omnes præparemus, quod fiet per

Præparatio ad festum Nativit. Christi.

1. sui ipsius agnitionem: Tu quis es? 2.Cor.13,5. Homo peccator. Luc.5,8.

2. humilitatis imitationem: Psal.113,6. 1. Pet.5,6.

3. Christi solius venerationem: Ps.115,1.

4. mutuam admonitionem & acclamationem: Ps.24,7.

5. ingenuam fidei professionem.

IV. Refutatorius.

Pontificio-Jesu widarum, Baptismum Johannis eundem esse specie cum Baptismo Christi, eandemque habuisse vim & efficaciam διαρρήδην negantium. Vide Scherer. postill. p.61.

Pontificii negant Baptismum Johannis & Christi fuisse eundem.

At Baptismus Johannis & Christi eandem habent definitionem essentialem, vel conveniunt causis omnibus: essentiâ itaque non differunt. Conveniunt enim

Probatur contrariū; convenientia utriusq;

1. Ratione causæ efficientis, quæ Deus est. Neque enim Iohannes privatâ auctoritate invexit Baptismum. Iohan. 1,23. 26. 33. Luc. 3, 2. 3. Matth. 21, 25. Luc. 7, 30. & 20, 4.

2. Ratione causæ materialis, quæ utrobique est aqua. Matt. 3, 11. Act. 8, 36. & 10, 47.

3. Ratione causæ formalis. Vero enim simile est, Johannem administrantem baptisma, illius nomen invocâsse, à quo missus erat. Johan. 1, 33. Absurdus est Bellarm. lib. 1. de Bapt. c. 20. contendens, Baptismum Johannis nullam habuisse Trinitatis invocationem: ac probabile sibi videri, quòd nullâ planè verborum formâ Johannes fuerit usus. Ita Domino suo viam præparavit mutâ ceremoniâ, mutus præco, Angelus & præcursor. Blasphemus omninò est Schererus d. l. scribens: Die Tauffe Johannis hat nur Wasser / vnd keinen H. Geist.

Bellarmino de Johannis Baptismo.

Schererus.

4. Ratione causæ finalis, fructûs, usûs seu effectûs. Marc. 1, 3. Act. 2, 38. & 19, 4. Gal 3, 23. Joh. 3, 5. 1. Pet. 3, 21.

Quòd autem Act. 19, 3. & alibi mentio fit Baptismi Johannis, sciendum, quòd distinguendum sit inter Dominum & Diaconum, ψιλὸν ἄνθρωπον & θεάνθρωπον, causam principalem & instrumentalem, magisterium & ministerium. Consule D. Chemnitium & alios.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

QUandoquidem præ foribus est festum illud τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐνσαρκώσεως πανηγυριστάτης, tempori nos inservientes monstrabimus, secuti filum prælecti Evangelii, *modum ad festum imminens piè nos præparandi.*

Præparatoria ad festū Nativit. Christi.

Ἐξήγησις.

Optimè ad festum imminens nos præparabimus, non de luxu, otio, delitiis, pretioso vestitu & aliis mundi hujus delectamentis, veriùs inquinamentis, cogitando, sed

Pœnitentia agenda.

I. *Seriò resipiscendo.* Legati Hierosolymitani veniunt ad Johannem quæsitum, quis sit: eadem quæstio tibi quoque proponitur: tu quis es? Inquire sc. jam studiosè, quis sis,

1. ratione naturæ; non tantùm terra & cinis: Genes. 3, 19. & 18, 27. Sir. 10, 9. sed homo in peccatis miserè corruptus ac perditus. Esa. 1, 6. Eph. 2, 3. Ps. 51, 7. Job. 9, 2. & 14, 4. & 15, 16.

2. ratione vitæ, in peccatis hactenus peractæ. Probet seipsum ho-

homo; 1.Cor.11,28: ita de vera ad Deum conversione ipse cogitabit. Esa.45,22. Matth 18,3.

II. *Christum desiderando*, non more Judæorum, qui Messiæ promissi desiderio tum tenebantur, spe externorum commodorum, & externæ cujusdam felicitatis adipiscendæ fiducia: nos enim Christum non sic didicimus; Ephes.4,20: sed æternam ab ipso salutem unicè exspectantes. Matth. 1, 21. Actor. 4,12. Tit.2,13. 1.Corinth.3,11.

Desiderium Christi.

III. *Contra Christum non consultando, vel pugnando*; quòd facit Senatus Hierosolymis Ecclesiasticus, turba cumprimis Pharisæorum, & reliqui Judæi, ad Johannem Sacerdotes & Levitas ablegantes, *quòd illi*, (uti Theophylactus loquitur) *utpote sapientiores persuaderent Johanni per adulationem, ut confiteretur, se esse Christum. Putabant enim Judæi Johannem esse Christum, qui in lege promittebatur*, gl.ord.Ps.2,1. 2. 3. Luc.11,23. Prov.21,30.

Consilium contra Christum non ineundum.

IV. *Honorem Christo debitum non aliò detorquendo.* Judæi quidem hoc tentant; at Johannes est occupatissimus, in declinando titulo Messiæ, à legatis sibi oblato. *Eum enim quem pro fideli habebant, inveniunt præclam testari de Christo, & non sibi ipsi honorem arrogare.* Theophyl. Judaizant Pontificii, sanctorum meritis tribuentes, quod solius Christi erat. Es.42,8. Act.4,12. 1.Tim.2,5.

Christo honor suus maneat.

V. *Apertè Christum confitendo*; quemadmodum Johannes confessus est & non negavit. *Et postquam* (verba sunt Theophylacti) *per adulationem non potuerunt eum ad suas partes trahere, atrocioribus & minacibus verbis terrent, ut diceret, quod volebant, & confiteretur se esse Christum.* Et post pauca: *Vide & mansvetudinem & veritatem sancti: mansvetudinem quidem, eò quòd nihil asperum ad eos loquitur, quamvis insolentes essent: veritatem autem qui liberrimas testis erat gloriæ Christi, neq; gloriam Domini occultabat, ut sibi nobilitatem pareret, sed confitebatur.* Unde ab eodem Theophyl. prædicatur magni præconis libertas, quòd non in domo, neque in angulo, sed circa Jordanem in media multitudine hæc de Christo prædicaverit. Vide præced. dispos.

VI. *Sobriè vivendo.* De Johanne enim legitur, quòd vinum & siceram non biberit, nec delicias ullas sectatus fuerit, sed locustis & melle agresti contentus vixerit. Luc.1,15. Marc.1,6. Luc.21,34. Roman.13,13. Eph.5,18. 1.Petr.5,8.

Sobrietas.

VII. *Voces clamantes audiendo.* Johan.8,47. & 10,27. 2.Cor. 5,20. & 13,3. Luc.10,16. 1.Thess.4,8. Theophyl. *Meritò dicitur Johan-*

Ministerium audiendum

hannes vox, eò quòd præcurſor erat Chriſti, ſicut & vox verbum præcurrit. Gl. ordin. ita ἀλληγορεῖ· *Vox eſt interpres animi. Animus autem h. e. intellectus omnium eſt Filius Dei. Johannes ergò vox eſt & interpres hujus animi; quòd primò mundo eum demonſtravit: Ecce Agnus Dei!*

IIX. *Mutuò nos invicem hortando*, adclamantes: dirigite (parate in vobis gl. ord.) viam Domini. (per fidem, per opera, per quæ Dominus ingreditur gl. ord. h.e. per fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, Gal.5,6.) Theophyl. addit: *Servus ſum, & vias præparo Domino, corda veſtra: proinde illa facite recta doloſi vos & obliqui, & facite æqua, ita ut Dominus Chriſtus per vos iter faciat.* Eſa.58,1. 2. Tim.4,2. Pſ.24,7. Eſa.2,3. Oſe.6,1.

IX. *Scripturas Sacras volvendo & revolvendo*, nec non vaticinia, de Chriſti nativitate olim edita, legendo, inque Dei timore piè conſiderando. Nam & Johannes ad Eſaiam confugit, uti Theophylactus loquitur. Joh.5,39. Eſa.34,16. Luc.16,29. Rom.15,4. 2. Timot.3,16. 2. Pet.1,12.

X. *Incarnationem Chriſti meditando.* Hanc innuit Baptiſta, in medio noſtri Chriſtum ſtetiſſe adfirmans. Vide præced. diſpoſ. & feſt. Nativit.

XI. *Viam Chriſto parando.* Vide præced. diſpoſ.

XII. *Humilitati ſtudendo*: non ſum dignus, Baptiſta ait, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Gl. ordin. *Non ait, non ſolvam: ſolvit enim, quando ipſum manifeſtavit, & de divinitate & humanitate ipſius multa aperuit; ſed non ſum dignus, quòd indignum ad hoc agendum ſe reputat: in quo ſimpliciter indicatur humilitas.* Myſticè; ligaturam myſterii incarnati Verbi, non ſum dignus penetrare, vel nomen Sponſi mihi uſurpare. Theophylactus: ante me fuit, h.e. dignior & glorioſior, in tantum, ut ego me non auſim numerare, vel in ultimis ejus ſervis. *Solvere enim calceum extremi miniſterii eſt.* Confer præc. diſp.

Excita quæſumus Domine potentiam tuam, & veni, & magnâ nobis virtute ſuccurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret, qui vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

IN

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI,

EVANGELIUM

Luc. 2. à v. 1. ad 15.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.

2. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

3. Καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.

4. Ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρὲτ, εἰς τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβὶδ, ἥτις καλεῖται Βηθλεὲμ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ.

5. Ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ, οὔσῃ ἐγκύῳ.

6. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν.

7. Καὶ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ· διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι.

8 Καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν.

9. Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτοὺς· καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν.

1. *Factum est autem in diebus illis, exijt decretum à Cæsare Augusto, ut conseretur totus orbis.*

2. *Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrenió.*

3. *Et ibant omnes, ut profiterentur, in suam quisq; civitatem.*

4. *Adscendit autem & Joseph à Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & familia David.*

Joh. 7. 42.

5. *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat prægnans.*

6. *Accidit autem, cùm essent ibi, completi sunt dies pariendi:*

7. *Et peperit Filium suum primogenitum, ac fasciis eum involvit, reclinavitq; eum in præsepi: quòd non esset eis locus in diversorio.*

8. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & excubantes excubias noctè super gregem suum.*

9. *Et ecce, angelus Domini adstitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos: & timuerunt timore magno.*

10. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἄγγελος· μὴ φοβεῖσθε· ἰδοὺ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ.	*10. Et dixit illis angelus: ne timeatis: ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo:*
11. Ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον Σωτὴρ, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος ἐν πόλει Δαβίδ.	*11. Quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in civitate David.*
12. Καὶ τοῦτο ὑμῖν τὸ σημεῖον· εὑρήσετε βρέφος ἐσπαργανωμένον, κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ.	*12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem fasciis involutum, positum in præsepi.*
13. Καὶ ἐξαίφνης ἐγένετο σὺν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, αἰνούντων τὸν θεὸν, καὶ λεγόντων.	*13. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium:*
14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.	*14. Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Concio præsentis festivitatis tota versatur in genere causarum Demonstrativo. Continet enim historicam de Nativitate Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi descriptionem; de cujus solemnitate una cum hominibus gaudent Angeli, lætantur Archangeli.

Pericopen autem prælectam dividimus in tres partes; quarum:
I. est *Nativitatis Christi commemoratio;*
II. Nativitatis ejusdem per Angelos facta, manifestatio;
III. Angelica jubilatio.

PARS I.

In primæ partis enarratione sequentes circumstantiæ in considerationem veniunt: nim.

Tempus Nativitatis Christi.

I. *temporis adnotatio.* Incidit enim Nativitas Christi in annum Augusti, Romanorum Imperatoris, quadragesimum secundum, uti censet Eusebius; vel uti placet Irenæo, quadragesimum primum; quæ sententia D. Chemnitio etiam placet. Fit autem in hac nativitatis Christi historia mentio Imperii Augusti, ut ostendatur, impletum illud Danielis vaticinium, de lapide sine manibus à monte abscindendo, tempore quartæ monarchiæ: Dan. 2, 44. quæ

Harm. Evang. cap. 8. p. 92.

jam

jam tum erat per Augustum constituta & confirmata. Is enim partâ post hostes devictos pace, templum Jani tertiò clauserat; cùm Cn. Pompejus ante annos 60 Judæos in Romanorum potestatem redegisset, ablatô sceptrô de Juda; cujus rei testimonium & documentum certissimum est descriptio totius orbis, id quod secundô jam locô observandum venit, nim.

II. *Nativitatis in Bethlehem occasio.* Hanc præbuit Augusti Cæsaris edictum, quô singuli quoque Judæorum in primarias suas urbes (græcis dicuntur *μητροπόλεις*) evocabantur. Ἀπογραφὴν descriptionem vertit Interpres, quâ viritim in censum omnes transibant; hactenus enim de publico tantùm Romanis tributum solverant.

ἀπογραφή.

Budæus (referente D. Chemnitiô d. l. pag. 93.) auctor est, ἀπογραφὴν idem significare, quod vulgò vocatur Inventarium; inde translatum esse putat vocabulum ad censum; ita ut ἀπογραφὴ sit descriptio seu partitio in ordines, familias, civitates, tribus aut centurias, unà cum notatione facultatum cujusque. Et respectu eorum qui censebant. Amplificatur

1. *adjunctô subjecti*, quòd ad *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* sese extenderit. Intelligitur autem ea, quæ subjecta tunc fuit Rom. Imperio; multæ enim adhuc dum erant provinciæ, quæ Rom. Imperium non agnoscebant. Et scribit ex Suida d. l. Chemnitius, Augustum Cæsarem, cum Monarchiam jam constituisset, 20 viros, quos habebat virtutis præstantissimos misisse in omnes terras Imperio Rom. subjectas, ut per illos faceret ἀπογραφὰς & hominum & facultatum, ut constituere posset, quàm dives esset Rom. Imperium; & quæ cujusque regionis, urbis, familiæ & domûs facultates essent. Hoc ergò vult Lucas; non impositam fuisse Judææ extraordinariam aliquam pecuniæ exactionem, sicut antea à Pompejo & Crasso factum fuerat; sed sicut totus orbis (sensu jam dictô) descriptus fuit, ut censu agnoscerent & profiterentur, se esse membra & subditos Rom. Imperii; eodem planè modô & Judæam fuisse descriptam.

οἰκουμένη.

2. *Adjunctô numeri*; quòd fuerit prima: ita dicitur respectu alterius, quæ post annos 13 subsecuta est, de qua legatur Josephus lib. 18. cap. 1. antiq. Vel ut aliis placet, prima post Judæam à Romanis subjugatam, inque provinciæ formam redactam.

3. *Causâ organicâ*; Præside Syriæ P. Sulpitio Quirino, quem Lucas Cyrenium vocat.

4. *Commendatione obedientiæ*; ibant enim omnes.

5. *Causâ finali*; ut nomina & facultates suas secundum familias profiterentur.

Maria uxor Josephi dicta.

6. *Adjunctô severitatis & rigoris*, qui inde colligitur, quòd Josephus etiam senior, cum gravida ac partui vicina uxore (non usu conjugali, sed desponsationis lege;) cogitur adscendere, ad familiæ suæ metropolim.

Josephus Mariam cur secum duxerit.

Quæritur h. l. de causis, quibus adductus Joseph Mariam secum adduxerit, quæ commodiùs ob partûs vicinitatem domi manere poterat?

Respondetur ideò factum, vel quia in illis, qui de domo Davidis erant, extraordinariè aliquid mutatum fuit, ut scil. omnes, & viri & mulieres, describerentur, propterea, quia vulgò notum & in ore omnium erat, ex domo & familia Davidis venturum Regem Judæorum: Vel, quia Josepho peculiariter per Angelum cura Mariæ erat commendata; Matth. 1, 20. Vel, quia peregrè abiturus neminem habebat, cui tutò illam committeret. Recenset D. Chemn. Harm. Evang. p. 94. Quicquid sit, divinæ providentiæ dispositione ita evenisse certum est, ut Maria hac occasione Bethlehemum profecta, juxta vaticinia Prophetarum Messiam ibi pareret. Hinc ergò sequitur

Locus nativitatis.

III. *Loci significatio.* Observa hîc

1. *terminum à quo*; ex Nazareth, ubi conceptus fuerat Christus, proficiscuntur Joseph & Maria.

Bethlehem civitas David.

2. *Terminum ad quem*; In civitatem Judææ Bethlehem, quæ dicitur *civitas David*, quia in ea natus & educatus fuerat. Quando autem arx Zijon & ipsa vocatur civitas David, ideò factum illud sciamus, quòd regni sedem eam delegisset, licèt ad tribum Benjamin ordinariè pertineret.

3. *Finem* profectionis repetitum; ut censeretur cum Maria, desponsata sibi uxore, prægnante. Prægnans autem est, non ex carnali Josephi in conjugio cohabitatione, (publicè enim nondum erat consummatum, licèt consensu & desponsatione inchoatum inter eos matrimonium:) sed à Spiritu Sancto. Matth. 1, 18. Luc. 1, 35.

IV. *Rei ipsius descriptio*, h. e. ipsa Christi Nativitas. Ea verò describitur

1. *à tempore pariendi exactô*; post nonum nim. gestationis mensem.

Christus primogenitus Mariæ.

2. *Ab expressô factô*; peperit filium suum primogenitum; non quòd Maria posthac alios plures genuerit; sed quia antehac nullum pe-

peperit. Primogeniti enim sensu scripturæ sunt, qui primò ex utero materno egrediuntur. Exod.13,2.

3. *A modo nativitatis abjecto*, qui exprimitur

1. *adjuncto miserabilis conditionis*; quam spectare licet, tùm ex fasciarum *æstimatione*; tùm ex cunarum *designatione*. Fasciæ dicuntur σπάργανα, ἀπὸ τοῦ σπαράσσειν, quod lacerare significat; inde putant laceris panniculis Mariam involvisse filiolum suum: pro cunis durum habet præsepe.

σπάργανα.

2. *αἰτιολογία, à negato loci commodioris subjecto.* In græco est κατάλυμα, quod significat *vel* ipsum hospitium; *vel* communem aliquem in hospitio locum, in quo promiscuè hospites commorabantur; & sarcinulas suas deponebant; *vel* ubi communi mensâ hospites cibum capiebant, uti D.Chemn. exponit d.l. pag 97. & addit: *Josephum & Mariam in isto καταλύματι antea locum habuisse cum ceteris hospitibus, sed cùm tempus pariendi Mariæ venisset, in communi illo triclinio (convictorio) ad partum non potuisse eam locum habere, cùm peculiaria in domo illa reliqua conclavia à ditioribus occupata essent, & ceteri hospites paupercula puerperæ ex illo communi triclinio cedere nollent, in stabulum ipsi concedendum fuisse, ne in conspectu omniū pareret.* Atque ita salus humani generis, λόγος ille æterni Patris incarnatus, verè Homo nascitur.

κατάλυμα.

Πορίσματα θεολογικὰ primæ partis.

I. Jesus Nazarenus est verus, promissus, diu multumq; à Patribus expectatus Messias, tùm ratione temporis, tùm ratione loci, tùm denique ratione familiæ ita declaratus, de qua materia alibi plura. Vide, si libet, ἀπόδειξιν meam Messiæ.

Jesus Nazar. est Messias.

II. Exemplum habemus singularis providentiæ Dei, dirigentis edictum Augusti ad nominis sui gloriam. Similia exempla habemus Dan.3. & 6. Prov.21,1.30. Gen.50,20.

Providentiæ Dei exemplum.

III. Sub Augusto nasci voluit Christus, sub quo pax publica florebat, ut se pacis Principem ostenderet. Esa.9,6.& 11,6.

IV. Magistratui obedientia debita est præstanda, etiam in dandis tributis. Matth.17,27. & 22,21. Rom.13,7. Vide Domin. 23. post Trinit.

Magistratui obediendū.

V. Confirmatur articulus Symboli Apostolici, de Christo ex Maria virgine nato. Esa.7,14. Matth.1,23. & seq.

VI. Error Helvidii, Mariam peperisse alios etiam filios, falsus deprehenditur: dicitur enim *primogenitus*, *non post quem alius*,

Helvidii error.

sed ante quem nullus, uti loquitur Beda. Secundum legem etiam V. T. primogeniti dicebantur, quos nulli præcedebant alii, quantumvis nulli sequerentur alii. Exod. 13,2.

Primogeniti.

VII. Christus verus Homo natus. Joh. 1,14. Hebr. 2,6.12.14. Matth. 1,1.16. Phil. 2,7.

Exinanitio Christi.

IIX. Status exinanitionis conspicitur ex paupertate Jesuli extrema. Zach. 9,9. Phil. 2,6.7. 2. Cor. 8,9. Matth. 8,20. Quod ideò factum,

1. ut ostenderet, regnum suum de hoc mundo non esse, Johan. 18,36;
2. ut suâ nos paupertate locupletaret, 2. Cor. 8,9;
3. ut paupertatem ferre disceremus; Matth. 5,3. & 11,29.
4. ut humilitati studeremus.

IX. Christus inter servos scribi voluit, (à liberis enim non exigitur census, Matth. 17,25.) ut propter ipsum nos cœli civibus adscriberemur. Heb. 12,23. Luc. 10,20. Phil. 3,20.

X. Christus in stabulum extra domum relegatur, ut nos Paradisò ob peccatum ejectos patriæ cœlesti restitueret.

Maria an naturaliter, an miraculosè & sine dolore pepererit? Harm. Evang. p. 98.

XI. Quæritur h. l. an Maria naturali, an verò miraculosâ & singulari ratione, sine dolore & difficultate pepererit? Ad priorem sententiam inclinare videtur D. Chemnitius, non quærenda esse innuens, præter scripturæ testimonia, extraordinaria in nativitate Christi miracula: sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in utero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum comitari solent, cogitanda etiam esse de hac Christi nativitate. Et post aliqua subjicit: *Non negârim, potuisse extraordinaria quædam miracula in partu virginis fieri: sed ubi destituimur scripturæ testimoniis, nihil adscvemndum.* Chrysostomus inquit: *Quod non est scriptum, non est sentiendum.* Vide plura in festo Annunc. Mar. pag. 500.

XII. Sicut ex cunis, ita ex fasciis, singularis Christi probatur exinanitio. Phil. 2,7.8. 2. Cor. 8,9.

Judæorum de nato Messia fabulæ.

XIII. Errant Judæi, verum Messiam vel natum esse planè negantes; vel ita natum adfirmantes, ut pro non nato habeatur; in Paradiso nim. adligatum, inde ab ultima Hierosolymorum desolatione, ad pilum mulieris; aut Romæ sub porta inter ægros lepraque infectos sedentem, aut alibi latitantem. Vide Synag. Jud. Buxtorff. cap. 36. pag. 517.

Anabaptistarum error.

XIV. Errant Anabaptistæ prætextu Evangelii, vel libertatis Evangelicæ, jugum subjectionis excutere, vel aliorum statuum vincula politica perrumpere præsumentes. Rom. 13,1. 1. Pet. 2,13.18.

XV.

XV. Falsa est protevangelii Jacobæi fabula, Mariam non Bethlehemi, sed in medio itinere partu præoccupatam, in spelunca quadam peperisse, cui figmento ter reclamat Lucas, vers. 6. 11. 15. & 16.

Maria non in spelunca peperit.

XVI. Falsitatis etiam manifestæ convincitur notha Ecclesiæ Romano Papisticæ nota, à splendore externo felicitateque corporali desumta; quam vel unica paupertatis Christi notatio criminis falsi redarguit: gloria autem Ecclesiæ est interna & spiritualis. Psal. 45,14. Eph. 5,27. Apoc. 12,6. & 13,3.

Ecclesiæ Papisticæ nota, à splendore externo petita.

PARS II.

Ne humilis & abjecta illa, salutaris nihilominus, Messiæ nativitas planè silentio involveretur, revelanda utique fuit, & in apricum, vel divinâ per Angelos revelatione, producenda. Revelatio autem isthæc sequentia continet membra:

I. *Personarum descriptionem*, quibus nim. revelata fuerit Christi nativitas. Describuntur autem

1. *ab adjuncto* officio pastorali;

2. *à loci circumstantia*; fuerunt in regione ista: non intelligit totius Palæstinæ regionem, sed agrum, qui ad civitatem Bethlehem spectabat, dicit χώραν; cumq; optimis abundâsse pascuis consentaneum est, unde civitas nomen etiam adepta videtur, ut Bethlehem h.e. domus panis diceretur; in cujus vicinia erat turris Eder, à gregibus ibi cogi solitis ita nuncupata. Gen. 35,21. In illo itaque loco, ubi cives Bethlehemitici greges suos alebant, hanc Angelorum adparitionem contigisse verisimile censetur.

Bethlehem domus panis.

3. *Ab adjuncto* sedulitatis. Non enim dormientibus, sed excubias circa greges agentibus, & alia, quæ ad pascua pertinent, curantibus, Angelus Domini adparuit.

4. *A circumstantia temporis*, noctu vigilantibus pastoribus super gregem suum, Filii Dei nativitas primò omnium revelatur. Noctu ergò natum esse Christum, ex hac circumstantiarum consideratione indubitatò colligitur.

Nativitas Christi noctu contigit.

Quæritur h. l. à nonnullis, cur Deus primos nativitatis Filii sui testes & præcones esse voluerit, non Pontifices, non Scribas, non alios in populo Judaico eminentiores viros, sed simplices Pastores? Dn. D. Chemnitius quatuor adsignat ejus rei causas:

Harm. Evang. p. 102. Pastores primi nativitatis Christi præcones, & cur.

1. est *historica*; quia Bethlehem erat locus, nativitati Messiæ destinatus, Mich. 5,2. Pastoribus etiam commodè prædicari poterat; in

in eos enim suspicio facilè non cadebat, quasi de hoc tanto mysterio aliquid fingerent.

2. Ob mysterium exinanitionis, cujus specimen exhibere voluit.

3. In nostri consolationem, ne quis se propter indignitatem & sortem abjectiorem à communione Christi prohiberi existimaret.

4. Ut bonus Pastor designaretur, qui animam suam pro ovibus suis esset positurus.

II. *Causæ instrumentalis, vel personæ revelantis notationem*; cujus observetur tùm *descriptio*, tùm *oratio*. Describitur

1. adjunctis; quòd

1. Angelus Domini; non itaque malus, sed bonus Angelus;

2. opinione citiùs ἐπέστη, adstitit, h.e. de cœlo ex improviso adparuit. Innuit idem vocabulum, quòd non in terra, sed supernè, q. ex aëre capitibus illorum imminens supra ipsos adstiterit.

Har. p. 102.

3. Claritas Domini pastores circumfulsit, ut (D. Chemnitiô interprete) esset commonefactio ejus, quod scriptum est Es. 60, 2. Fuit autem claritas illa non simpliciter angelica, qualis Matt. 28, 3. sed claritas Domini, quæ vel testaretur, Dominum ipsum præsentem esse; vel à Domino Angelum illum in re ardua mitti. Adventus ergò Angeli majestate fuit plenus.

Claritas Domini.

2. Effectu consequente; timuerunt timore magnô; idq; oritur

1. ex humana imbecillitate; &

2. ex adparitionis istiusmodi raritate.

Oratio sive concio angelica partes habet quatuor:

1. Exordium, timorem ex animis pastorum removens: nolite timere, sed estote bono animo.

2. Narrationem, quæ inclusam habet propositionem: Ecce (attentionis particula, rei insolitæ nota;) annuncio (εὐαγγελίζομαι) vobis gaudium magnum. Utitur Angelus verbô εὐαγγελίζεσθαι, ut pastores admoneantur, novam illam gratiæ N. T. prædicationem, de quo Prophetæ vaticinati olim fuerant, jam adesse & inchoari. Gaudii verò vocabulô per metonymiam intelligit gratiam Dei, & omnia Christi beneficia, quæ cum gaudio meditari & adprehendere homines par est. Porrò *magnum hoc dicitur gaudium*, tùm propter *utilitatem*, consolabitur enim territas mentes; tùm propter *perpetuitatem*, Esa. 35, 10, tùm propter *universalitatem*, futurum quippe omni populo.

Ecce! εὐαγγελίζομαι.

Gaudium.

Gaudium magnum.

3. Con-

3. *Confirmationem*, habentem rationem ab effectu; quia natus est vobis SALVATOR mundi, h.e. Messias. Illustratur circumstantiâ

1. *temporis*; hodie:
2. *loci*; in civitate David:
3. *adjunctâ nati infantis majestate*, quæ ex triplici elucet adpellatione: dicitur enim & est (dici requirit inesse)
   1. *Salvator*, ob humani generis liberationem;
   2. *Christus*, in fidelium suorum consolationem;
   3. *Dominus*, ob servitii debiti postulationem. Latinum Dominus respondet Hebræo Jehovah; ut ostendatur, Messiam quoque verum esse Deum: hæc enim adpellatio soli Deo est propria; Messiæ verò adsignatur Jer. 23,6. & 33,16. Rabbini, referente D. Chemnitiô, scribunt, sacrum illud oleum unctionis, Exod. 30, 22. descriptum & adhiberi solitum, 1. Reg. 1, 39. per totum tempus templi secundi defuisse; ut constaret, veri Messiæ (uncti) adventum imminere, qui non materiali oleô, sed Spiritu Sanctô esset ungendus. Esa. 61,1. Dan. 9,24. Ps. 45,8.

Dominus & Jehovah idem.

Harm. p. 105

4. *Objectô*: non sibi, non Angelis, non diabolis, non creaturis irrationabilibus; sed nobis miseris peccatoribus natus est: & non paucis quibusdam electis, sed omnibus in universum hominibus: gaudium enim hoc magnum futurum est omni populo.

4. *Conclusionem*. Ea verò continet expolitionem στοχαστικὴν, seu novam quasi quandam per signa confirmationem: invenietis puerum fasciis involutum, & positum in præsepio; idque Angelus dicit σημεῖον, quod non miraculum quoddam extraordinarium, sed certam aliquam notam, quâ res, quam agnosci volumus, ab aliis discerni & internosci potest. Quod ergô offendere pastores maximè poterat, illud per inversionem pro certa nota agnoscendi Salvatoris Messiæ proponitur. Atque ita cœlitùs denunciata primùm & revelata fuit Filii Dei in terris nativitas.

σημεῖον.

Πορίσματα θεολογικὰ secundæ partis.

I. Deus eligit contemta & humilia. Luc. 1,52. 1. Corint. 1,27. Psal. 45,14.

II. Angeli sunt Spiritus administratorii, deque hominum salute lætantur plurimùm. Hebr. 1,14. Psal. 103, 20. Luc. 1, 26. & 15, 7.

III. Infirmitatis humanæ testimonium est terror pastorum. Dan. 10, 9.

IV. Conſcientiis perterritis proponendum eſt Evangelium de Chriſto mundi Servatore. Eſa.52,7. & 61,1. & ſeqq. Matth.11,5.

V. Solidum piorum gaudium in eo eſt ſitum, quòd Chriſtus Salvator noſter. Eſa.9,3. & 35,10. & 51,5 11.

VI. Etiam hic eſt fructus nativitatis Chriſti, ut gaudium magnum conſequamur.

Chriſtus omnium Salvator. VII. Gaudium iſthoc, i. e. Meſſias, qui eſt noſtrum gaudium, omnem ſpectat populum, nobis enim ideoque omnibus hominibus natus eſt. Eſ.2,2 & 9,6. & 11,10. & 49,6. & 60,21. Oſe.1,10 Rom.11,17. 1.Pet.2,10.

IIX. In Deum non cadit προσωποληψία. Act.10,34. Gal.2,6 & 3,28. Rom.3,29. Eſa.56,3. Matth.12,46.

Calviniani negant univerſalē Salvatorem IX. Errant Calviniani, ſalutiferam Chriſti nativitatem ad omnium quidem generum homines, non autem ad omnes & ſingulos homines pertinere ſomniantes. Joh.1,29. & 3,16. 1. Johan.2,2. 1.Tim.2,4. Tit.2,10. 2. Cor.5,15.

X. Adſeritur doctrina de Perſona & officio Meſſiæ. Eſt enim verus Deus & verus Homo, in unitate perſonæ; officium ejus eſt, ſalvare homines. 1.Tim.3,16. Matth.1,21.

Neſtorius. XI. Rectiùs & tutiùs credimus Angelo veraci, quàm Neſtorio mendaci, qui θεοτόκον Mariam prædicare nolebat: quia ipſe Jehovah ſeu Dominus natus eſt.

Bellarmini error lib. 1. de juſtif. c.2 XII. Maximum errat errorem Bellarminus, Chriſti ſaltem humanitatem juſtificationis & ſalvationis inſtrumentum faciens. Angelus enim Chriſtum non inſtrumentum ſalutis, ſed ipſum σωτῆρα, Salvatorem διαῤῥήδην pronunciat. Act.3,5.

XIII. Fructus nativitatis Chriſti verâ fide adprehendendus.

PARS III.

Reſtat militiæ cœleſtis de nova Chriſti nativitate congratulatio. Notetur.

1. *Angelorum copia.* Ut enim major eſſet concionis angelicæ authoritas, ſubitò circa unicum Angelum, qui hactenus locutus fuerat, adparuit & viſa fuit magna Angelorum multitudo, non in cœlo, ſed vel in aëre, vel in terra, uti D.Chemnit. adnotat, harmon. pag. 106.

2. *Eorundem ſtudia;* laudant Deum ſolemni adclamatione; hominibus congaudent devotâ congratulatione.

3. δοξολογία vel συμφωνία, cantio trium partium, ſecundum diſtinctos tres verſiculos, quorum

1.

1. *Dei Patris, ob Filii in carnem missionem, benignitatem* extollit. Celebrant enim Angeli ex una parte *gloriam justitiæ Dei*, quòd ille genus humanum reum, non sine redemtione & satisfactione, in gratiam recipere voluerit; ex altera verò parte *gloriam gratiæ Dei*, quam in nativitate Filii nobis exhibuerit, Eph.1,6. Tit.2,10; ex tertia demum parte *gloriam veritatis divinæ*, quòd juxta promissiones patribus factas Redemtorem mundo miserit. Optant autem simul Angeli, ut hoc tantum & tàm insigne Dei beneficium homines rectè agnoscant, celebrent, & ad Dei unius gloriam referant.

Gloria justitiæ, gratiæ & veritatis divinæ ab Angelis celebrata.

2. *Pacis inde resultantis nobilitatem* illustrat. Docent enim Angeli, promissam olim pacem jam in terram missam esse, natô illô, qui est pax nostra, Ephes.2,14. Gratias agentes Deo, quòd pax exoptata terris sit restituta; hortantes simul seriò, ne pacem & reconciliationem in Christo factam homines spernant, negligant aut violent, sed oblatam πανδαμφόν accipiant, & ex sua quoque parte illibatam conservare studeant.

3. *Bonam voluntatem* in hominibus, (εὐδοκίαν) & reconciliationem, quâ in Deo, per Christum placato, acquiescunt, deprædicat.

Papistarum nonnulli fructum nativitatis Christi, pacem nimirùm, contingere illis tantùm volunt, qui habent εὐδοκίαν bonam voluntatem erga Deum. Sed hanc interpretationem, ut ἀντηγραφον, meritò repudiat D. Chemnitius, urgendo contrà ἔμφασιν verbi εὐδοκεῖν, quod plerunque cum Dativo, mediante præpositione ἐν (cui respondet Hebræum ב) construatur, & beneplacitum divinum notet; ut quemadmodum extra Christum meram Deus in hominibus videt abominationem, ac inde resultantem displicentiam: ita in Christo incarnato meram habeat in fidelibus suis εὐδοκίαν. Hanc itaque Angeli gratulabundi gratiam celebrant, quòd cùm extra Christum homines Deus execretur, jam in, per & propter Christum sit εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις. Vide de hoc loco Vindic. Meelführeri h. l. thesi 96. & seqq. Vitus Theodorus, referente eodem D. Chemnitiô p.107. ita exponit, quòd hymnus iste angelicus accipiatur

Har. p.108. εὐδοκεῖν.

Deus in Christo habet in hominibus εὐδοκίαν.

Vitus Theodorus hymnum angelorum ut exponat.

1. *ut gratulatio* & gratiarum actio;
2. *ut votum*, quid Angeli optent hominibus ex Christi nativitate;
3. *ut doctrina*, quæ scil. sit vera Dei gloria, pax & εὐδοκία.

Πορίσματα θεολογικὰ tertiæ partis.

I. Nulla eſt vera gloria, quâ Deum homines celebrare queant, niſi in Chriſto gloria in excelſis Deo tribuatur. Joh. 12,28. & 13, 31.

Fructus Nativitatis Chriſti triplex.

II. De fructu Nativitatis Chriſti triplici:

1. Dei glorificatione: opus enim Redemtionis majus opere Creationis: gratis proinde animis prædicanda Dei

1. miſericordia;
2. ſapientia;
3. juſtitiæ cum miſericordia temperamentum admirandum;
4. veritas;
5. omnipotentia.

2. Pacis amiſſa reparatione. Intellige autem pacem non externam ſeu terreſtrem, ſed internam & ſpiritualem. Fructus enim nativitatis Chriſti præcipuus eſt pax conſcientiæ erga Deum, & pax charitatis inter Angelos & homines. Joh.16,33. Rom.5,1.10. & 8,1.7. Eſa.9,6. & 32,17. & 26,3. & 53,5. & 54,10. & 56,2. Joh.14,27. Luc.19,38 2. Cor.5,20. Philip.4,7. Coloſſ.1,20. & 3,15. Luc.1,79. 2. Theſſal. 3,16 1. Petr. 1, 2.

Εὐδοκία in Deo, Chriſto & proximo.

3. Mutuâ Dei hominumq; oblectatione. Nunc enim oblectant ſe homines (hoc enim proprietas vocabuli εὐδοκεῖν innuit:

1. in Deo; 1. unicè eum in adverſis & proſperis *amando;* Pſ.18,2. 2. ſe totos ipſi *immolando.* Rom.12,1.

2. in Chriſto, eum 1. *agnoſcendo;* Joh. 17, 3. 2. *confitendo;* Matth.10,32. 3. *ſequendo;* Matth.16,24. 4. *expetendo;* Pſal.73,25. 5. *de eo loquendo,* & cum Angelis canendo. Eph. 5,19.

3. In proximo, cum eo 1. *converſando* humaniter; 2. *vivendo* concorditer. Pſal. 133. 1. & ſeqq. Sir.25,1.2. Rom.12,18.

Modus glorificandi Deum.

III. De modo rectè glorificandi Deum, qui in eo unicè poſitus eſt, ut ipſum

1. corde agnoſcamus: Joh.5,32.
2. ore prædicemus, ob bonitatem & veritatem. Geneſ.3,15 Pſal.104, 10.
3. Nos autem *opere* ſanctè & inculpatè vivamus. Tit.2, 12.

IV.

IV. Evangelium nihil est aliud, quàm annunciatio εὐδοκίας Dei erga homines, Ps. 44,4. Matth. 3,17. 1. Cor. 10,5. Esa. 42,1. Eph. 1,5. Luc. 12,32. Extra Christum autem nulla est vera in hominibus εὐδοκία.

Evangelium quid.

V. Si Angeli tantopere lætantur ob Nativitatem Christi; multò magis nos lætemur, toto corde exultando, & lætâ voce cantando: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas! *In hoc natali gaudio benedicamus Domino! Laudetur Sancta Trinitas, Deo dicamus gratias!* cui pro Filii sui nativitate sit laus, honor, benedictio seculis infinitis, Amen.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

I. Salutifera Christi γέννησις;
II. Oborta inde gaudia considerabimus.

PARS I.

Diligens circumstantiarum à Luca adhibita consideratio eò unicè collineat, ut firmâ & infallibili fide credamus, Jesulum recens natum, Mariæ semper-Virginis puerulum, esse Messiam ac promissum mundi Salvatorem; idq; probatum reddit

Jesum esse Messiam probatur.

1. temporis revolutio. Notatur tempus illud

Tempus Nat. Christi

1. generaliter, in diebus illis; respicit ad nativitatem Johannis Baptistæ, quam Christi Nativitas sex mensibus est subsecuta.

2. Specialiter; quòd facta sit nativitas Christi sub Augusto Imperatore, successore Julii Cæsaris, sub quo initium sumsit quarta, Romanorum Monarchia; quo tempore Christum expectandum esse, Propheta prædixerat, Dan. 2,44. Epiphanius dicit fuisse annum Augusti 42: alii malunt 41, quo pax fuit per Rom. Imperium stabilita, & templum Jani Romæ clausum. Sub Augusto autem nasci voluit Christus, ut liquidò constaret Judæis,

Augustus.

Christus sub Augusto nasci cur voluerit.

1. oracula de amissa regia dignitate jam esse adimpleta, Gen. 49,10.
2. adventu suô se nullatenus abrogare Magistratum politicum:
3. regnum suum verè esse pacificum.

3. Specialissimè; quòd natus sit Christus tempore descriptionis universalis, quam totius orbis descriptionem Evangelista nominat; per οἰκουμένην notans orbem habitabilem, seu quousque terra ha-

Descriptio tempore nati Christi facta.

habitata fuit, cujus maxima & cultissima pars Romanis patebat: confer dispos. præced. Addit autem Lucas differentiæ causâ,

1. hanc descriptionem fuisse primam, respectu habitô ad secundam illam, cujus idem meminit, Act.5,c7. cùm in provinciæ formam redacta, & Syriæ conjuncta fuisset Judæa:

2. contigisse illam ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, Præside Syriæ Cyrenio; utrique autem (& Judææ & Syriæ) præfuit Quirinius: sed *prior descriptio* (refero verba D.Calixti in Concord. p.57.) *non tàm solius Judææ fuit, quàm totius orbis Romani, ut, quæ Imperii facultates, qui proventus, & quot ac quanti delectûs ad bellum, tàm ex provinciis, quàm ex sociis regnis & civitatibus fieri possent, constaret. Nata est ex curiositate Augusti, seu prudentiam & diligentiam nominare velis; aut si omnium rectissimè loquamur, ex arcano divinæ providentiæ consilio.* Confer Sethum Calvis. in Chronol. p.292.

Bethlehem.

II. *Loci determinatio.* Locus iste fuit Bethlehem, Judææ civitas, oraculô quondam Prophetæ ad id destinata. Mich.5,2. Vocatur civitas David, quod is ibi natus esset. 1.Sam.17,12.

Christus ex stirpe Davidis natus.

III. *Prosapiæ nominatio.* Natus nim. est Christus ex familia ac stirpe Davidis regia. Quandoquidem enim Joseph esset de domo ac familia Davidis, eam ipsam ob causam adscendit è Galilæa, de civitate Nazareth, ad metropolim familiæ suæ. Unusquisq; enim ad eam migrabat civitatem, quæ erat familiæ & tribus suæ primaria. De distributione verò populi Israêlitici in tribûs, familias, domos & capita, vide Jos.7,16. & seqq. Porrò quia tunc temporis congregati Bethlehemi fuerant omnes, quotquot ex Davidis supererant familia, illique omnes agnoverunt, Josephum & Mariam esse de domo & ex semine Davidis, publicum sanè hoc fuit & authenticum testimonium, verè natum esse Christum secundum carnem ex semine Davidis. Rom.1,3.

IV. *Matris designatio;* eam fuisse Mariam Virginem sacra testantur historiarum monumenta. Ivit enim & ipsa, prægnans licèt, cum Josepho, quem spontè sequebatur, Maria, quippe cujus curæ, fidei ac tutelæ per Angelum commendata fuerat. Creditur autem non ipsa solùm Mariæ nomen professa suum, sed & infantis Jesu nomen in tabulas & publica Rom. Imperii commentaria relatum; cùm Evangelista dicat; adscendit ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.

V. *Nativitatis ratio ac conditio.* Eam verò Evangelista paucis & simplicibus verbis describit, nihil annotans peculiare, nisi quòd natum in lucem infantem, fasciis à matre involutum, inque præse-

pi

præcedinatum dicat; addens causam; quòd non esset eis locus in diversorio. Hæc nobis sufficiunt, quia Spiritui Sancto sufficiunt.

Non mutamus cum Papistis locum nativitatis; non curamus ficta miracula, quæ de scripturis αὐτοπίστοις authoritatem nullam habent; mittimus speculationes ac quæstiones curiosas aut superstitiosas magis, quàm necessarias; quas inter præ ceteris referimus illam, quòd quidam Deo indignum putârunt, per genitalia Virginis nasci, fabulandi dehinc ansam sumentes, per latus divinæ matris Christum fuisse editum: refert Damasc. lib. 4. cap. 15. Ita non vere diceretur Maria peperisse.

Alii quærunt, an natus sit Christus apertis, an clausis manentibus virginitatis claustris? Quâ quidem disputatione, ad populum præsertim abstinendum potiùs judico, quàm temerè quidquam adserendum, quod expressô Dei verbô non innititur. Virginitati Mariæ ἀειπαρθένου nihil inde decedit; veræ enim virginitatis descriptio in hoc consistit, non cognosci à viro; idque de Maria contra Helvidium piè credimus, tàm post, quàm ante partum.

Maria num clausis an apertis virginitatis claustris pepererit. Virginitas Mariæ, in quo consistat. Helvidius.

Quòd autem primogenitus Mariæ Christus dicitur, Helvidii causam, de pluribus ex Josepho post Christum conceptis liberis, nihil omninò juvat. Primogenitus enim, Hieronymô teste, dicitur is, ante quem nemo natus est, etiamsi alii posteà non sequantur. Non ergò respectu matris dicitur primogenitus, sed κατ' ἐξοχὴν, respectu Ecclesiæ, & omnium suorum fratrum, inter quos ipse est primogenitus Patris sui, non tantùm ratione generationis æternæ, sed dignitatis ac prærogativæ inter reliquos omnes; quòd ipse tanquam naturalis Filius jus habeat præeminentiæ; & per ac propter eum jus filiationis nos omnes consequamur. Col. 1, 15. 18. Emphasin quoque habet pronomen αὐτῆς, filium suum, h.e. proprium & verum, ex ipsa secundum carnem genitum, quod Marcionitis & Valentinianis opposuit quondam Epiphanius, hæresi 78.

Primogenitus Mariæ Christus.

USUS I. Informatorius.

Inserviunt hæc, quæ diximus,

1. fidei confirmationi, quæ à veritate promissionum divinarum desumitur. Num. 23, 19. Esa. 46, 10. Fundamentum enim hoc est salutis nostræ, de quo meritò sumus sollicìti. Esse autem Jesulum nostrum verum ac promissum Messiam liquet

Jesus verus Messias.

1. ex temporis concinnitate. Genes. 49, 10. Dan. 2, 44. & 9, 24. Gal. 4, 4.

2. ex insigni Ecclesiæ pressæ calamitate. Dan.9,25. Erant tum temporis angustiæ *1. Ecclesiastica*, religio scatebat erroribus, hominumque adinventionibus. Luc.19,46. Zach.8,2. Mal.3,1.2

Ecclesiæ conditio tempore nati Christi

2. Politica, sub alieno servire jugo cogebantur.

3. Oeconomica, quod docet census universalis.

3. ex loci vel patriæ conformitate. Mich.5,2. Matth.2,1.

4. Ex prosapiæ vel familiæ dignitate. Gen.49,10. 2 Sam.7,12. Esa. 11,1. Jer.23,5.

5. Ex matris puritate vel virginitate. Gen.3,15. Esa.7,14. Jer.31,22 Dan.2,45. Ezech.44,2. Huc referatur typus de rubo ardente. Exo.3,2 de virga Aaronis. Num.17,8. de vellere Gideonis. Jud.6, 37.

6. Ex nativitatis qualitate, extremave paupertate. Zach.9,9.

Calamitatum usus.

2. Doctrinæ: Augustus inscius promovet Messiæ nativitatem; sic spiritualem Christianorum nativitatem promovent quandoque calamitates, pressuræ & anxietates. Joh.16,33.

Virgine matre cur Christus natus.

3. Matre Virgine natus est Christus,

1. propter scripturæ impletionem; Esa. 7,14.

2. propter distinctionem, ut à reliquis omnibus Messias distingveretur: In carne nobis similis, peccato sed dissimilis: Heb.7,26.

3. propter ortûs nostri purificationem;

4. propter typicam nostræ regenerationis & Ecclesiæ præfigurationem. Qualis Christi nativitas; talis nostra regeneratio. Nascitur non ex cohabitatione viri, sed Spiritus Sancti operatione; Ita Christiani non nascuntur, sed fiunt. Ecclesia est & virgo & mater.

II. Consolatorius.

I. Quando Ecclesia adfligitur maximè; en Christus adest proximè: *quando enim duplicantur lateres, tunc venit Moses.* Ps.9,10. & 91,15.

2. Christi in stabulum ejectio, est nostra in Paradisum cœlestem introductio. Joh.14,2. Hebr.13,14. Phi[illegible]20.

Christus pauper cur factus.

3. Christi paupertas, nostrum, secundum B. Ambrosium, patrimonium. Pauper enim factus est, ut

1. nos locupletaret; 2.Cor.8,9.

2. paupertatem nostram sanctificaret; Tob.4,23.

3. regni sui conditionem demonstraret;

4. satanam ludificaret;

5. sa-

5. fastum & superbiam hominum expiaret;
6. corda nostra sibi præpararet.

III. Refutatorius.

Pontificiorum. Errant nim. Rom. Pontifices, horumque flabella, veriùs flagella Jesucidæ, suum Papam, immò clerum omnem ab omni obedientia Magistratui debita eximentes, cujus censum Salvator ipse sustinere in cunis statim suis voluit, politica etiam jura suô & verbô & exemplô stabiliens. Roman. 13, 1. Matth. 17, 27. & 22, 21.

Pontificii nolunt Magistratui pol. subesse.

PARS II.

Christi nativitatem gaudium subsequitur maximum. Nihil hic loci habet Evangelista de gaudio inter homines oborto; totus solummodò esse videtur in gaudio Angelorum cœlesti explicando. ἐπιθυμοῦσι γὰρ παρακύψαι εἰς αὐτά. 1. Pett. 1, 12. Gaudium porrò suum ostendunt dupliciter:

Gaudium Angelorum de Christi Nativitate.

1. insigni concione;
2. svavi modulatione vel cantione.

In concione angelica observationem vel maximè meretur, imò requirit,

I. *Objecti vel auditorum vilitas;* hi fuerunt pastores

1. ἀγραυλοῦντες, *vigilantes.* Græcum ἀγραυλεῖν (παρὰ τὸ ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι) tàm ad diem, quàm ad noctem refertur, & simpliciter significat, sub dio agere vel versari.

2. φυλακὰς φυλάσσοντες, *excubias agentes* nocte super gregem suum, h. e. in officio suo constituti.

3. φόβον μέγαν φοβοῦντες, *timore magnò timentes.* Ortus erat timor iste *1. ex subitaneâ Angeli apparitione;*
2. ex claritatis Dominicæ circumfulsione. Hinc sequitur

II. *Concionantis sublimitas.* Revelatur enim salutifera Christi Nativitas, non per hominem, sed per Angelum. Sic enim Evangelista: Et ecce (novum quid & pastoribus inexpectatum hæc particula insinuat) Angelus Domini adstitit illis; (repentè sc. ut ex alto verticibus eorum imminuisse, & de cœlo delapsus intelligeretur) & claritas Domini circumfulsit eos. Venit enim & apparuit, adsumtâ haud dubiè virili specie humanâ, ut oculis pastorum esset conspicuus; veruntamen ita, ut divinô ac cœlesti fulgeret more. Fulgor enim cœlestis gloriæ illos circumdedit, ut adlatum sibi sermonem, non secus atque ex ore ipsius Dei exciperent.

Ecce!

Q III.

III. *Concionis gravitas.* Est autem concio partim παραμυθητικὴ *consolatoria*, partim διδακτικὴ *informatoria.*

1. Propositio est; nolite timere: revocans his verbis ante omnia eorum animos ad tranquillitatem, simulque benevolentiam q. captans, ut excussô timore cupidè & libenter eum audirent.

2. Additur *ratio*: Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum. Argumentum est tale:

Quibus gaudium annunciatur, hi timere non debent:

Atqui vobis gaudium à me annunciatur, & quidem non vulgare, sed incomparabile & magnum.

E. timere non debetis

Gaudium magnum. Magnum dicitur gaudium, propter

1. authoris majestatem; à Deo enim ortum ac originem suum trahit:

2. rei sublimitatem;

3. nuncii dignitatem;

4. perpetuitatem;

5. utilitatem;

6. universalitatem; erit enim commune omni populo, non tantùm Israëlitico. Etsi enim Judæorum in summo hoc Dei beneficio primæ partes esse debebant; simul tamen inclusit ex mundo universo omnes eos, qui per prædicationem fidei ad populum Israëliticum è gentibus erant adgregandi. Sequitur

3. Narratio rei gestæ: natus est vobis hodie Salvator &c. Quæ verba continent

1. infantis recens nati descriptionem, desumtam ab ejusdem adpellationibus. Dicitur enim

σωτήρ. *1. Servator*, σωτὴρ, vel Salvator, ut alii græcum reddunt; Redemtor, Liberator, fons & auctor vitæ salutisque humanæ, quin æternæ felicitatis.

2. Christus, vel uti Hebræi loquuntur, Messias, patribus V. T. olim promissus, tot jam seculis exspectatus, & piorum omnium votis ac desideriis expetitus. Non ergò loqui sese ostendit Angelus, de vulgari quodam Salvatore, quales fuerunt olim ex judicibus & regibus populi Israëlitici nonnulli, qui sic nominati leguntur Jud. 3, 9. 2. Reg. 13, 5. Neh. 9, 27. sed qui sit ipse summus, verus unicus ac æternus animarum Salvator, promissum semen, κατ' ἐξοχὴν Unctus nuncupatus. Dan. 9, 26.

Christus κατ' ἐξοχήν.

3. Dominus, κύριος, ipse Jehovah, verus Deus à Patre ante secula genitus Deus de Deo, lumen de lumine.

2. Tem-

2. *Temporis connotationem:* natus est hodiè, hac ipsâ nocte, hac horâ, quæ complementum attulit tot vaticiniorum propheticorum, & plenitudinem illius temporis, quod Deus jam olim nativitati Filii sui prædefinivit.

3. *Objecti designationem:* natus est vobis, hominibus scil. non nobis Angelis &c. sed vobis, à peccato, morte & potestate satanæ liberandis, inque cœlestem patriam, unde culpâ protoplastorum vestroque ipsius meritô ejecti eratis, reducendis.

4. *Loci notificationem:* in civitate David, h.e. in vicina Bethlehem, ubi poteritis eum coràm videre, & oculis vestris usurpare.

5. *Rei per signa confirmationem:* Et hoc (ne dubitetis) vobis signum: invenietis infantem (vestrum igitur est, ut ad visendum & quærendum illum abeatis) fasciis involutum & in præsepi positum: ista intuentes cogitetis, singulari Dei consiliô factum esse, quòd Salvator mundi talem exinanitionem & pauperiem, mox in ipsa nativitate sua voluerit subire.

Mentione præsepis innuit, quærendum esse Messiam, non in ædibus divitum, sed in publico diversorio, & quidem in stabulo, eò sese rectâ conferant; & quem infantem nocte illâ hoc pactô natum invenerint, hunc sciant esse Christum Dominum, natum saluti totius humani generis. Atque ita Angelus quidem non ut eant præcipit; ad eundum tamen suis verbis invitat; ut intelligant, hanc Dei voluntatem esse, qui per eos rem totam aliis quoque velit innotescere. Hæc concio angelica, gaudii τεκμήριον infallibile; idque produnt jam ulterius secundô locô svavi modulatione vel cantione. Cantio isthæc est tùm εὐχαριστική, tùm εὐκτική, tùm ἀπαγγελτική, quanquam etiam intentio possit conjungi, ut sit optantium & nuntiantium. Neque enim simpliciter optare potuerunt, quæ jam cœpta & ex parte præstita erant; optâsse autem ut continuarentur, & porrò quoque, immò in æternum fierent, laudes nim. & gratiarum actiones.

Messias ubi quærendus.

II.

Evangelista noster hac de re ita: Et subitò facta est cum Angelo, (adfuit illi, qui solus hactenus locutus fuerat, solusque comparuerat) multitudo cœlestis exercitus: (h.e. cœtus universus multorum millium Angelorum, quotquot spirituum cœlestium stant ante thronum Dei, eique serviunt; Erat autem tota multitudo laudantium Deum & dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, (in) hominibus bona voluntas.*

Hymnus iste secundum aliquos est bimembris, (qui pro Nominativo εὐδοκία substituunt Genitivum εὐδοκίας;) secundum alios

trimembris, qua de re vid. D. Calixt. pag. 61. & 62. Concord. Aretius in Luc. col. 557. omnia ad Christum refert, quòd ipse sit gloria Patris, pax mundi, & hominum εὐδοκία. Nos cum B. Luthero Græcum textum secuti, (nihil morantes, quòd Beza alicubi scribat, in uno exemplari vetusto se legisse Genitivum εὐδοκίας;) in tria membra vel tres partes hymnum angelicum dispescimus.

Gloria Deo debetur.

Primâ parte continetur *Dei glorificatio*. Gloriam enim, hoc est, laudem, honorem & gratiarum actionem Deo deberi fatentur Angeli; eò quòd Deus, h.e. Filius Dei, secunda Divinitatis persona in carne manifestatus, idque in hominum non judicium, sed salutem. 1. Tim. 3, 16. Joh. 3, 17.

Copula & interdum est causalis. Pax quid.

Secundâ parte prædicatur *pacificatio*. Ideò enim Angeli Deum unô ore collaudant, quòd in terra pax fit. Copula enim ET, non rarò more Hebræis usitatô est causalis, vel αἰτιολογικὴ, causæ redditiva. Pacis autem nomine intelligitur salus illa, quam Christus attulit, princeps pacis: Esa. 9, 6. cujus principium est reconciliatio cum Deo.

Tertiâ parte habetur *εὐδοκίας significatio*. Ne enim pacem illam, quam Angeli prædicant, de corporali aliqua aut externa securitate quis interpretetur, eam describunt Angeli per εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις, innuentes, Deum hominibus favere, eosque in dilecto Filio, jam incarnato, omni cœlesti gratiâ, per hunc ipsum Filium complecti, & complecti semper velle, quotquot fide beneficium hoc acceptabunt. Ita vertendum fuerit: **An den Menschen ein Wolgefallen.** Vetus latina versio, neglectâ præpositione in, & mutatô Nominativô in Genitivum reddidit, hominibus bonæ voluntatis. Sed in Græco est Nominativus; hinc Lutherus ita vertit: **den Menschen ein Wolgefallen**/omißâ similiter præpositione in, quæ sæpius significat inter, & Dativo Germanico simul includitur. Accipit autem Lutherus hanc partem pro voto, & exhortatione ad homines directa, ut illi agnoscant & acceptent oblatam gratiam cum beneplacito, in hoc summo Dei beneficio acquiescant, sese oblectent, Deoque datori gratos sese exhibeant. Summa hymni huc redit: *Angeli Deum in altissimis celebrant, quòd in terra natô Immanuele pax sit data, & nunc deinceps Deus in hominibus acquiescat, eosq; gratiâ & favore suo in Filio complectatur.* Qui volet, poterit hymni hujus angelici ἀνάλυσιν petere ex promtuar. Tungerl. part. 1. pag. 389.

USUS I. Informatorius.

I. De veris Verbi divini auditoribus; non multi sapientes &c.

&c.1.Cor.1,26. Matth.11,25. 1.Cor. 3,18. Soph.3,12.

II. De persona recens nati pueruli, quòd simul Jehovah, verus Deus, qui fuit, est & erit, vide locos Theol.

III. Cur Christus in mundum venerit, nimirùm propter pauperes spiritu. Matth.5,3. Act.10,35. Matth.2,21.

IV. De officio Christi, quòd, Angelô teste, sit

Officium Christi.

1. noster Salvator; Zach.9,11.
2. Christus, Rex & Sacerdos noster. Psal.2,6. & 110,4.

V. De fructu nativitatis Christi, qui consistit

Fructus nativit. Christi.

1. in pacis restauratione; Rom.5,1.
2. in mutua Dei hominumq́; oblectatione. Psal.16,3. Jer.31,20. Esa.62,4. Eph.1,4.5. Rom.8,28.31.

II. Consolatorius.

1. Quòd inferioris conditionis homines à nativitatis hujus fructu non excludantur.

2. Quòd Angeli hominibus, in officii maximè administratione sedulis, libenter cohabitent. Ps.34,8. & 91,11. Jos.5,13. Jud.6,11. Luc.1,8.

Incarnatione Christi super Angelos evecti homines.

3. Quòd per Incarnationem Filii Dei super Angelos simus elevati. Hebr.2,16

4. Quòd in cœlo perpetuum & summum illud, de quo Angelus hic concionatur, habituri simus gaudium. Esa.65,14.18. Joh.16,22. Apoc.19,7.

Gloria Dei ex Incarnatione Filii elucet.

5. Quòd ex Incarnationis mysterio gloria Dei multipliciter effulgeat,

1. in misericordiæ divinæ ostensione: Luc.1,78. Eph.1,7.
2. in sapientiæ demonstratione: 1.Tim.3,16.
3. in justitiæ cum misericordia attemperatione;
4. in omnipotentiæ exhibitione;
5. in veritatis confirmatione. Vide præc. disp.

Pax per Christum restituta.

6. De pacis per Christum restitutione. Adfert enim ille pacem

1. internam; Rom.5,1. & 8,1. Phil.4,7.
2. externam; Psal.133,1. & seq.
3. æternam. Esa.37,8.

III. Monitorius.

Ut pastores Bethlehemiticos imitemur,

Pastores Bethlehe-

1. apud gregem Christi manendo: Hebr.10,25. Joh.10,27.

mitici Imitandi & quomodo.

2. metum omnem relegando; idque tùm propter gaudii magni denunciationem; tùm propter specialem gaudii adplicationem; oriturque ex carnis nostræ in ὑποστάσιν τοῦ λόγου adsumtione & sanctificatione:

3. beneficia Christi accuratè ponderando; nim. beneficium

1. exultationis;

2. salvationis;

3. unctionis;

4. dominationis.

4. illuminationem per verbum sustinendo: Ps.119,105.2.Pet.1,19

5. contremiscendo, ob peccata nim. nostra: Esa.38,13.

6. consolationem admittendo: Rom.5,20.

7. Christum confitendo: Ps.116,10. Matth.10,32.

8. signa probè observando: præsepe Ecclesiæ; fasciæ scripturæ nota:

9. Puerulum Jesulum rectè tractando; fasciis nim. charitatis ille involvendus; Psal.2,12. 1.Cor.16,21. præsepi cordis imponendus; in stabulum more Bethlehemitico non detrudendus: Concede potiùs ipsi hospitium in corde, & habebis locum in cœlo:

Pastorum virtutes.

10. virtutes hîc notatas æmulando; puta

1. humilitatem, 2. Sam.15,30.

2. hospitalitatem; Psal.51,19.Prov.23,26.

3. divitiarum & omnium terrenorum contemtum;

4. dilectionem;

5. patientiam.

11. vinculis eum gratis ligando: oratio, secundum Bernhardum, vincit invincibilem, & ligat omnipotentem: Genes. 32, 26. Exod.32,10.

12. Soli Deo gloriam tribuendo: Ergò cantemus cum Angelis & hominibus Regi seculorum immortali &c.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής*.

Pueris nos Christus vult adsimilari, si modò velimus regni cœlestis hereditatem adire, Matth.18,3: nihil itaque à pietate nostra faciemus alienum, si puerorum instar *Jesuli nostri donaria perlustrare altiusq́ considerare* conati fuerimus. Adjuvet suâ nos gratiâ Verbum, plenum gratiâ & veritate, hodie caro factum.

Donaria ex Nativitate Christi promanantia.

Ἐξήγησις.

Donaria Jesuli nostri præcipua textus monstrat Evangelicus; ac

I. Initiò quidem *Magistratus politici integritatem.* Imperatorem enim Romanum Octavium Augustum, Cyrenium & Herodem historiæ nativitatis suę inseri permittit: Ergò non abolet sed stabilit & conservat politias. Proverb. 8,15. Sap. 6,3. 4. Dan. 5,18 Rom. 13,4.

Politias Christus non abolet

II. *Gubernationis tranquillitatem;* quemadmodum Augusto Imperatori pacificum Princeps hic pacis elargitus est imperium. Esa. 9,6. 1. Tim. 2,2. Gl. ordin. *Augustus* (inquit) *duodecim annis circa nativitatem Christi in pace regnavit, ut etiam ad literam completum videatur illud propheticum; conflabunt gladios suos in vomeres* &c. Mich. 4,3. Pacatissimò autem tempore voluit Christus nasci, quòd pacem magnopere quæsivit & amavit: quòd pacis amatores semper invisit.

Augustus pacificus.

III. *Adoptionis felicitatem.* Augustus erat successor Julii Cæsaris in Imperio Rom. adoptivus: nos jus filiationis in Christo & per eum accepimus. Joh. 1,12. Jer. 3,19. & 31,20. Ose. 1,10. Mal. 3,17. Gal. 4,4. Joh. 11,51.52. & 20,17. Matth. 28,10. Heb. 2,11,12. Ps. 103,13. Rom. 5,2. 11. & 8, 15. 23.

Adoptio nostra in Christo.

IV. *Consolationis ubertatem.* Nascitur etiam statu rerum in Judæa longè omnium tristissimò. *Egrediente enim naturâ, ingreditur Deus,* uti Tauserus dicebat, je grösser Noht/ je näher Gott. Esa. 51,13. 2. Cor. 1,3.

V. *Nativitatis nostræ emundationem.* Suâ enim nativitate sanctâ, purâ & impollutâ nativitatem nostram carnalem, immundam & pollutam sanctificavit. Eph. 1,4. 1. Cor. 1,30. & 6,11. Rom. 1,7.

Nativitas Christi nostram mundat.

VI. *Angelorum societatem & familiaritatem.* Natô enim Christô subitò adest totum πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, cùm priùs Angeli nos propter peccatum & fugerent, & fugarent. Gen. 3,24. Ps. 34,8. & 91,11 2. Reg. 6,16. Luc. 16,22.

VII. *Cordis & corporis nostri* (in die novissimo futuram) *claritatem.* Matth. 22,30. Psal. 36,10. Phil. 3,21. Matth. 13,43. & 17,2. Dan. 13,3 Num. 24,17. Mal. 4,2. Esa. 9,2. & 60,1. Joh. 1,9. Ecclesia benè!

Das ewige Liecht geht da herein/
Gibt der Welt ein newen Schein/
Es leucht wol mitten in der Nacht/
Vnd vns des Liechtes Kinder macht.

IIX.

IIX. *Depulsam timiditatem.* Pſ.46,3. Eſa.8,12.13. Hebr.2,15. Vide feſtum Paſch.

IX. *Conſcientiæ ſecuritatem & puritatem.* Gen.3,8. Sap.17,11. Pſ.46,1. Rom.8,15. Amplificetur commemoratione cauſarum timoris, quem hominibus incutiebat,

Timoris noſtræ cauſæ.

1. *ira Dei implacabilis.* Jerem.7,20. Deut. 32,22. Sir.5,7. Job.9,13.
2. *Legis maledictio intolerabilis.* Deut.27,27.
3. *Mors inevitabilis.* Gen.3,19. Rom.5,12. & 6,23.
4. *Separatio à facie Dei miſerabilis.* Eſa.59,2.

X. *Veram hilaritatem.* Annunciatur enim nobis gaudium

1. *maximum*; quia tale etiam donum: Eſa.42,1. Joh.3,16
2. *Multorum votis expetitum*; Gen.4,1. & 5,29. Johann.8,56. Gen.49,18. Pſ.14,7. Eſ.64,1.
3. *Catholicum.* Joh.1,29. 1.Tim.2,6. & 4,10. 1.Joh.22. Theophylactus: *Angelus, ait, magnum illis gaudium evangelizavit, quod futurum omni populo, qui propriè populus Dei. Non enim omnes Judæi populus Dei: nam & omnium hominum populo Incarnatio facta eſt gaudium.*

XI. *Salutis firmitatem.* Eſt enim Jeſus h.e. Salvator noſter. Vide præc. diſpoſ. & in feſt. Circumciſ. Dom.

XII. *Dei celebritatem.* Antea Deum dehoneſtaveramus: Deut. 32,5. Eſa.1,4. Mal.1,6. jam Angeli canunt; gloria in excelſis Deo. Gl. ord. *Deo canitur gloria, qui ab Angelis pro noſtra redemtione glorificatur.*

XIII. *Pacis commoditatem.* Vid. præced. diſp. Theophylactus ita: *Super terram autem pax nunc facta eſt: & cùm priùs humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita conciliata eſt, ut & Deo adjuncta ſit, & incarnato unita. Vides igitur pacem Dei cum homine? Et aliter quoq; intelligitur: Pax eſt ipſe Filius Dei:* Ego enim (inquit) pax. Iſta igitur pax, Filius Dei inquam, ſuper terram facta eſt. Gl. ordin. in marg. addit: *Quando peccando à Deo eramus extranei, extraneos nos Angeli deputabant.*

XIV. *Dei erga nos charitatem:* jam enim reviguit Dei erga homines beneplacitum. Vid. præced. Theophyl. ita interpretatur: *hominibus bona voluntas, h.e. Deo requies in illis hominibus: Et cui priùs non beneplacitum erat in hominibus, nunc pro beneficiis & refocillationibus hominum habet opera, in quibus & quietem habet.* [Sed hæc ſale indigent.]

XV.

XV. *Musica angelica suavitatem.* In altera vita futuri sumus ἰσάγγελοι, ibi gravissimus & jucundissimus Angelorum concentus nos exhilarabit. Hæc & alia plura Jesuli nostri sive donaria, sive beneficia, quisquis altiori mentis trutinâ ponderabit, is Angelorum more & imitatione erumpens canet cum Ecclesia: *In dulci jubilo*, Nun singet/vnd seyd fro/vnsers Hertzens Wonne leit *in præsepio &c.*

Item: Ach mein hertzliebes Jesulein/
Mach dir ein rein sanfft Bettelein/
Zu ruhen in meines Hertzen Schrein/
Daß ich nimmer vergesse dein/ rc.

Lob/Ehr sey Gott im höchsten Thron/
Der vns schenckt seinen einigen Sohn/
Des frewen sich der Engel Schaar/
Vnd singen vns ein newes Jahr. Amen.

DOMINICA POST NATALEM CHRISTI, EVANGELIUM

Luc. 2. à vers. 33. ad 41.

33. Καὶ ἦν Ἰωσὴφ (a) καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ.

34. Καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Συμεὼν καὶ εἶπε πρὸς Μαριὰμ τὴν μητέρα αὐτοῦ· ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον.

35. Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία· ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.

36. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις, θυγάτηρ Φανουὴλ, ἐκ φυλῆς Ἀσήρ· αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, ζήσασα ἔτη μετ' ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς.

33. *Et erat Joseph (pater) & mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*

(a) Regius legit ὁ πατὴρ.

34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus; Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicitur.*

Esa. 8, 14
Rom. 9, 33
1. Pet. 2, 8

35. *Quin & tuam ipsius animam penetrabit gladius: ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.*

36. *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in multam ætatem, & vixerat cum viro annis septem à virginitate sua.*

37. Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν.

38. Καὶ αὕτη αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ, καὶ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ.

39. Καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ κατὰ τὸν νόμον Κυρίου, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέθ.

40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε, καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας· καὶ χάρις θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτῷ.

37. Et hæc vidua annorum fermè octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis ac deprecationibus serviens (Deo) nocte ac die.

38. Et hæc eâdem horâ superveniens vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Hierosolymis.

39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.

40. Puer autem succrescebat, corroborabaturq; Spiritu, & implebatur sapientiâ; & gratia Dei erat supra illum.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

SPectat & hæc περικοπὴ ad manifestationem sive testificationem nati Messiæ, exponente Lucâ, *tùm* quomodo adfecti fuerint Maria & Joseph, cùm audissent Simeonem, publicè in templo testimonium puerulo suo perhibentem, quòd is reverâ esset Dei salutare, lumen ad revelationem gentium, & gloria plebis Israël; *tùm* quid præterea non eodem saltem die, sed illâ ipsâ horâ Hanna prophetissa de Mariæ infantulo in templo Hierosolymitano contestata fuerit ad omnes, qui liberationem Israëlis anxiè expectabant. Dispescimus autem Evangelii præsentis pertractationem in tres partes, quarum

I. Simeonis de Christo infantulo concionem;

II. Hannæ de eodem puerulo testificationem;

III. Brevissimam infantiæ Christi descriptionem continet. Unde patet, primam partem generis esse Deliberativi, reliquas Demonstrativi. Nos de singulis ordine, σὺν θεῷ, dicemus.

PARS

PARS I.

Primæ partis explicationem quod spectat, tria potissimùm in ejusdem enarratione observationem vel maximè merentur:

I. *Concionis occasio*; quam præbuit stupor & admiratio parentum Christi. Recensuit nimirùm in præcedentibus Evangelista oblationem recens-nati pueruli in templo, quam exceperat egregia illa Simeonis ψαλμῳδία, quâ patrem & matrem Jesu, Josephum dico & Mariam, in magnam ac piam admirationem traduxerat; quam auxerant ea, quæ ex Angelis & pastoribus, de persona, officio atque beneficiis hujus infantis antehac audiverant. Notetur h.l. Hebraismus; erant mirantes, pro mirabantur. Solent enim Hebræi præteritum imperfectum per participium & verbum substantivum circumloqui. Non est autem hîc admiratio infidelitatis, qualis Bethlehemitarum, & qualis Esa. 29, 9; sed fidei, considerantis illustrem & immensam Dei gratiam, in harmonico testimoniorum consensu manifestò deprehensam.

Admiratio fidei.

II. *Simeonis benedictio*; quâ innuitur pia precatio, pro fausto ac prospero regni Messiæ successu, nec non sincera, ad Mariam directa, de puerulo recens nato gratulatio. D. Chemnit. ait; posse τὸ benedicere intelligi, vel de valedictione, sicut usurpatur 1. Reg. 8, 14; vel quòd puero & parentibus benedictionem Dei precatus sit; nec absurdum esse, si ipsi Christo benedixisse, h. e. felicem negotio, ad quod missus erat, progressum ipsi optâsse dicatur: talem enim pueri hujus in mundo sortem futuram, ut meritò illi Dei benedictio, precanda sit. Ita sensus foret iste: benedixit, h. e. prospera quævis tùm Filio, tùm parentibus est adprecatus, à Deo cumprimis ardentibus votis ac suspiriis petens, pueruli istius, in quo salus mundi esset reposita protectionem.

Harm. Evang. p. 101

III. *Simeonis de fortuna pueruli prædictio*; quâ ita solatur Mariam, ut simul prænunciet, quas tentationes ob hunc puerulum ipsa sit expertura. Tela enim prævisa minùs feriunt.

Quæritur hoc loco, cur ad Mariam matrem orationem Simeon convertere voluerit, cùm Joseph quoque præsens adfuerit?

Resp. (1) Simeonem hoc ipso respicere voluisse ad mysterium conceptionis, fine virili semine factæ, quôd ex Spiritus Sancti illuminatione aliquo modo cognoverit. (2) Alii hanc quoque adjiciunt rationem, quòd Maria supervictura esset Josephum, qui passionem ac crucifixionem Christi oculis corporis non adspexit; mater verò omnium futura erat spectatrix, quæ in his terris Messias &

gesturus, & passurus erat. Et dubium planè est nullum, quin Joseph & Maria carnalem aliquam persvasionem, tot magnificis ac illustribus de puerulo suo auditis testimoniis, conceperint, quòd in magna omnium æstimatione puer iste sit futurus. Persvasionis ergò (3) istius eximendæ ergò glossam adeò duram subjicit. Porrò prædictio Simeonis tria continet:

Christus multis evadit ruina & quomodo.

1. *Christi jam missi & exhibiti fortunam*, quæ pro subjectorum diversitate diversa est futura. *Aliis namq; evadit ejus missio in πτῶσιν, casum & ruinam*, h.e. æternam damnationem his nim. qui illum spernunt, quales Judæi, quibus concio crucis est offendiculum; & gentes, quibus stultitia; item malè-feriati Christiani, quorum vita professioni non respondet. [Significat autem πτῶσις propriè dejectionem, quæ fit cum impetu quodam & impulsione, Matth. 7, 27. Ruere verò, interprete D. Chemnitiô, dicuntur, qui stare videntur; vel qui extollunt se contra Christum: 2. Corint. 10, 5. vel qui profundiùs & graviùs prolabuntur. Et quia Deus posuit lapidem angularem, cujus adprehensione, ipsô hoc operante & juvante, possent resurgere. Sicut igitur Johan. 3, 19. hæc est condemnatio, non quòd peccatum habent; ad illa enim tollenda Agnus Dei missus est: sed quia lucem, quæ venit in mundum, adprehendere noluerunt: Ita ruina damnatorum non principaliter hæc est, quòd lapsi sunt in peccatum & mortem: positus enim est lapis angularis, per quem possent erigi, ne in lapsu isto manerent ac damnarentur; Sed quia nolunt lapidem illum adprehendere, ut erigantur; hæc demum est ruina illa in exitium æternum demergens. Hæc ille.] *Aliis contrà, videlicet credentibus, tàm ex Judæis, quàm ex gentibus erit ἀνάστασις resurrectio*, h.e. remissio peccatorum, justitia & vita æterna. Græcum ἀνάστασις utrumque, & resurrectionem, & erectionem significat. Resurrectio autem hoc locô intelligitur maximè spiritualis, quod patet ex ἀντιθέτῳ: sicut ruina non simpliciter de externa Judæorum, per Romanos facta, πανολεθρία, sed de spirituali ruina in cœcitatem & æternum exitium intelligitur.

πτῶσις.

Harm. p. 151

Christus multis est resurrectio. ἀνάστασις.

Amplificatur hæc Christi fortuna similitudine geminâ. *Prior* desumitur à lapide offensionis & petra ruinæ, in quam alii impingentes cadunt; alii verò eâdem se erigunt; alii in illâ fessi recumbunt. *Posterior* à scopo sagittariis præfixo. Quemadmodum enim illi omnia sua tela ad certum aliquem scopum dirigunt: Ita hic puerulus erit σημεῖον ἀντιλεγόμενον, (cui in Hebræo respondet vox מְרִיבָה lis, contentio, controversia, à radice רִיב litiga-

Christus σημεῖον ἀντιλεγόμενον.

gavit, disceptavit, rixatus est, & innuuntur lites ac contentiones, quæ non tantùm verbis, sed & factis fiunt; unde & passio Domini dicitur ἀντιλογία, Hebr.12,3.) Est autem ἀντιλεγόμενον, non futuri, sed præsentis temporis, ut absolutè accipiatur pro signo, quod contradictioni continuò est expositum. Christus enim est veluti præfixus quidam scopus, quò contradicentes universa contradictionis suæ tela expedient atque dirigent. Ita primum membrum de ruina, loquitur de illis, qui offensi verbo non credunt: Contradictio verò loquitur de illis, qui blasphemant & persequuntur. D. Chemnit. p. 153. harm.

2. *Mariæ matris miseriam*; dolores nim. acutissimos, ex persecutione & contradictione illa proventuros. Utitur autem Simeon locutione translatâ: animam tuam pertransibit gladius. Quâ loquendi formulâ exquisitissimi matris dolores significantur, quos licèt in tota vita, tamen vel maximè cruci adsistens persentiscebat. Phrasin verò hanc significare extremam tribulationem, summumq; dolorem, colligitur ex Ps.22,21. & 37,15. & 105,18. διελεύσεται, h.e. per medium transibit seu penetrabit.

Mariæ animam gladius pertransiit.

3. *Sortis istius efficaciam*. Hoc enim examine multorum hominum cogitationes aperientur atque revelabuntur. Conjunctio ὅπως, ut, hoc quoq; in loco, ut alibi passim, non causaliter, sed consecutivè & eventualiter accipitur. Es.6,9.10. Matth.13,14. Joh.12,40. Act.28,26. Rom.11,8. Christus enim non ideò principaliter pati voluit, ut cogitationes cordium revelarentur; sed revelatio ista passionem insecuta est. Prophetia enim non est causa eventus, sed sed ipsa res est causa prophetiæ. Digitus autem intenditur ad vaticinia. Esa.8,13. & 28,16. Ps.118,22.

ὅπως non causam sed eventum notat.

Πορίσματα θεολογικὰ primæ partis.

I. Incarnationis stupendæ mysterium non rimari, sed cum parentibus Christi piè admirari decet. 1. Cor.2,7. 1. Tim.3,16.

II. Errârunt olim cum Carpocrate Ebionitæ garrientes, Christum ex eo, quòd Josephus pater ejus dicitur, ex semine Josephi & Mariæ, atque ita ex maris & fœminæ commistione esse prognatum. Pater enim Josephus dicitur Christi non naturalis, sed putativus, Lyra nutritium patrem vocat. Luc.1,34. & 2,23. Matth.1, 20. 13.24. Adde quod pleraque exemplaria Græcorum hic non legant ὁ πατὴρ, sed Ιωσὴφ.

Pater Christi Josephus quomodo.

III. Piorum benedictiones, ex vera fide profectæ, & fide firmâ acceptatæ, non carent unquam effectu suô. Gen.12,13. & 14,19. Deut.32,1. & seqq. Matth.10,13.

Benedictiones Papæ superstitiosæ.

IV. A benedictione Simeonis pia, ad Sacerdotales & Pontificales Papistarum κακοζηλίας, nulla planè militat consequentiæ ratio. Sunt enim superstitiosæ, nullô Dei sive mandatô, sive promissione innixæ. Vide Vindic. Dn. Meelführ. th. 14. & seq.

Mariæ adoratio religiosa non præcepta.

V. Ita ab alloquio Simeonis, ad adorationem Mariæ religiosam, pueriliter admodum ac ineptè argumentatur Costerus, inquiens: Loquere & tu cum Maria frequens, roga eam, ut ipsa te protegat & juvet; offer illi parata semper cultum & servitia. Ef. 42,8 & 48,11. Jer. 17,5. Esa. 8,19. & 63,16.

Benedicere Christo.

VI. Benedicamus autem hodieq; Servatori nostro, tùm beneficia ejus prædicando, tùm felicem regno illius successum adprecando. Ps. 68,29. & 118,25.

VII. Etsi scriptura de regno Christi multa præclara & magnifica prædicet, illa tamen carnaliter accipienda non sunt: externa enim regni facies à Simeone aliter depingitur.

IIX. Christum ipsiusque doctrinam mundus ferre nequit. Gen. 3, 15.

IX. Omnes homines in lutum peccati ac mortis prolapsi, in solo Christo fide adprehenso eriguntur. Esa. 28,16. 1. Pet. 2,5.

X. Christus per accidens fit ruina multorum. Esa. 8,13.14. Matth. 21.24. Rom. 9,30.

Christus ruina per accidens.

XI. Potens est Christus, lapis ille Dei angularis, & sibi adhærescentes erigere, & resistentes conterere. Esa. 28,16.

XII. Non vulgaribus tantùm Christi membris, sed præcipuis vel maximè crucem impendere.

Christus signum & resurrectio

XIII. Christus est signum, cui contradicitur ab impiis, hæreticis, persecutoribus & seculi hujus filiis. Act. 13,45. & 14,1. & 16,20 1. Cor. 1, 23.

XIV. Christus vicissim multis est salutaris resurrectio. 2. Corint. 2,16. Ps. 118,22. Act. 4,11. Esa. 28,16. 1. Pet. 2,4.5.

XV. Nunquam futurum est, ut totus mundus in hac vita consentiat in puram Christi doctrinam.

Contradictionibus & persecutionibus non offendamur.

XVI. Non offendamur vel Ecclesiasticis in religione disceptationibus, vel politicis propter religionem ac fidem in Christum persecutionibus. Matt. 5,10. & 11,6. Joh. 16,2.

XVII. Multi externâ professione Christum amplexi resiliunt, cùm gladius animam eorum transiens occulta cordis revelat. Matth. 13,21.

XIIX. Signo contradictionis non pauci irritati, omnem humanitatem exuunt, & quasi inferas truculentas blasphemando & persequendo degenerant.

XIX

XIX. Crux gladius Ecclesiæ probat Christianos.

Crux probat Christianos.

XX. Sicut Christo capiti, ita piis ut membris, capiti verâ fide adhærentibus, illis maximè, qui pro ipso legatione funguntur, à mundo contradicitur. Esa. 53,1. Rom. 10,18. Actor. 4,24. & seqq. & 9, 5.

XXI. In scriptura enim multa dicuntur de Christo ut capite, quæ intelliguntur de Ecclesia, ut corpore, & contrà. Exempla vide in Centur. 1. Canon. Theolog. D. Finckii pag. 22.

XXII. Christus voluntate antecedente, secundum Patris cœlestis intentionem, est positus in resurrectionem: per accidens autem & voluntate consequente evadit in ruinam multorum: tanta vis est incredulitatis!

XXIII. Nihil ergò patrocinii ex hoc Evangelio accedit, ad absoluti decreti defensores, ac si Deus in æterno & arcano consilio aliquos homines æterno exitio & supplicio ex sese, & propter sese adjudicaverit.

Absolutum decretum.

XXIV. Principium petunt Pontificii, à signo contradictionis, ad signum & lignum crucis ineptè admodum argumentantes, res toto genere discrepantes pro iisdem perperam sumentes.

XXV. Blasphemi sunt & officio Christi expiatorio admodum iniqui Esawitæ, dolores Mariæ meritorios statuentes, Act. 4,12 & 13.38. 1. Joh. 2,2.

Mariæ dolores Papistis meritorii.

XXVI. In fumum abit error Novati, de abnegatoribus ac lapsis post Baptismum in gratiam non recipiendis: Christus enim positus est εἰς ἀνάστασιν. Apoc. 2,5. Matth. 9,13. & 18, 22. Prov. 24,16. Matth. 18,21. Luc. 6,37.

Novati error.

XXVII. Monemur de usu persecutionum & contradictionum. Quis verò ille? Ut multorum cordium cogitationes detegantur. Matth. 21,9. Joh. 19,38. 1. Cor. 11,19.

Usus crucis.

XXIIX. Hominis interitum Deus non vult; quia ponit Filium suum πρώτως in resurrectionem.

XXIX. Vera Ecclesia sæpè plantatur & latitat sub corrupto ministerio externo. Nam & Simeon collega fuit ministerii corruptissimi.

Ecclesia sub corrupto ministerio.

PARS II.

In secundæ partis enarratione duo potissimùm κεφάλαια attendi debent:

I. *Personæ commendatio*. Exprimitur enim personæ in testimonium adhibitæ

1. no-

Hanna.

1. nomen: Hanna, sonat gratiosam, sive gratiam, tùm apud Deum, tùm apud homines adeptam.

Prophetissa

2. Qualitas sive donum, quo præ ceteris illa fulgebat. Erat prophetissa; h.e. peculiari Spiritus S. dono ornata, ut & scripturas intelligere, & aliis interpretari, & res futuras prædivinare posset. *Nam & fœmineo sexui donum prophetiæ datum quandoq; fuit*. Exod.15, 20. Esa.8,3. Jud.4,4. 2 Reg.22,14. Act. 21,9. Facit hoc personæ adjunctum ad majorem testimonio auctoritatem conciliandam: prophetica enim Messiam habere conveniebat testimonia, ne populus vel dubitaret, vel abjectâ nativitatis specie offenderetur.

3 Genus sive familia. Lucas enim & parentes & tribum diligenter adnotavit; utrumque enim & genus & parentes, cum Evangelista hæc scriberet, adhuc notum erat.

4. Ætas provectior: Vixit, juxta quorundam ex Luca supputationem, ultra centum annos; D. Chemnit. p.155. numerat annos 110.

5. Vitæ genus; post virginitatem annos vixit in conjugio septem, in viduitate 84: (litem de modo supputandi annos hosce movemus nemini:) unde patet fuisse Hannam

1. *virginem castissimam;*
2. *uxorem honestissimam;*
3. *viduam continentissimam* simul ac pientissimam, quod probant,

Hannæ pietas.

6. Studia; devotioni enim & pietati unicè fuit consecrata. Pietatem istam suam declaravit

1. templum sedulò frequentando; non quod in peculiari domunculâ templo fuerit adfixa: dicitur enim à Luca supervenisse. Ergò à templo tunc discesserat: sed quòd singulis diebus publicos ritus ac cultus inviseret, iisque continuatâ pietate interesset, reliquis ob curas domesticas ad operas suas redeuntibus. Chemnit. pag. 155.

Orationi conjuncta jejunia.

2. Jejunando. Cùm enim alii publica & solemnia haberent observarentque jejunia, Zach.8,19. ex voto etiam quandoq; suscepta; Num.30,19. Luc. 18,12. Matth.9,14. Hanna orationi conjunxit jejunium, h. e. justam in cibo ac potu moderationem seu temperantiam. Ut enim ad orationis devotionem expeditiores essent veteres, jejuniis corpus subigebant. Jud. 20,26. 1. Sam. 7,6. Esr. 8,21.

3. Orando. Illa enim non tantùm in publicis orationibus, manè & vesperi, communes preces adjuvit; sed & privatis oratio-

tionibus institit, sive in domo, sive in lecto vigilans. Unde Lucas dicit, illam serviisse Deo jejuniis ac orationibus, die & nocte: non quòd cibo & somno planè abstinuerit; sed quòd in cultu suo adeò attenta ac devota fuerit, ut cibi quandoque somnique eam ceperit oblivio. Græcum λατρεύειν accipitur interdum absolutè, pro cultum divinum exercere. Si significatio ista huc accommodetur, casu instrumentali ostenditur modus λατρείας, quòd nim. Hanna Deo cultum præstiterit, non legalibus, sed Evangelicis seu spiritualibus victimis, dum offerret Deo animam per orationes, & corpus per jejunia. Vide de exercitiis & collegiis viduarum D. Chemnit. pag. 157.

λατρεύειν

II. *Hannæ sive confessio, sive de Christo testificatio.* Hîc commemorantur personæ commendatæ res gestæ, ubi tres sunt notabiles circumstantiæ:

1. quando? Eâdem horâ: non enim aderat in templo Hanna, cùm puer Jesus Deo sisteretur; nec simul cum Simeone venit; ne res ex composito gesta videretur: sed illâ ipsâ horâ, cùm Simeon puerulum ulnis exciperet, Hanna ἐπιστᾶσα, ex improviso q. actioni isti intervenit.

2. Ubi? In templo Hierosolymitano, sacris de more peractis.

3. Quomodo? Per ἀνθομολόγησιν, excipiendo prophetiam Simeonis, & in omnibus consensum cum ipsius testimonio declarando: q. d. alternis choris testimonium veritati reddebant; ita ut Simeon quodammodo præcineret, Hanna succineret, verba Simeonis, ut præcentoris repetendò; gratias unanimiter agentes Deo, pro missione Filii, & de officio ac beneficiis Messiæ disserentes ad omnes, qui promissam ἀπολύτρωσιν sive redemtionem expectabant; non in templo tantùm præsentes, sed etiam absentes. Verisimile enim est, Hannam ad illos, quos sciebat secum adventum Messiæ expectare, posteà accessisse, & de puero isto locutam fuisse: atque hac occasione, famâ per totam urbem divulgatâ, Herodes intellexit, se à Magis esse delusum.

Πορίσματα θεολογικὰ secundæ partis.

I. Etiam feminæ sunt consortes gratiæ Dei. Act. 10, 34. Gal. 3, 28. 1. Petr. 3, 4.

II. Mulieres in omni statu castitati studeant. 1. Corint. 7, 34. Col. 3, 18. 1. Petr. 3, 6. Proverb. 31, 30. Sir. 23, 4. 5. 6. & 26, 29. Galat. 5, 25. Tit. 2, 5.

Mulieres publicum ministeriū non administrant.

III. Ordinarium quidem in Ecclesia ministerium feminæ administrare non licet, obstante prohibitione Paulinâ, 1.Cor.14,34. & 1.Tim.2,12. Excipiuntur autem

1. mulieres extraodinario Spiritus S. dono instructæ; Exod. 15, 20. Jud.4,4. 2.Reg 22,14. Act.18,26. & 21, 9.

Excipitur casus necessitatis.

2. Casus necessitatis, qui feminis etiam Sacramentum initiationis administrare permittit. Exod.4,25. 1. Macc. 1,63. Confer. Vindic. Meelführ. th. 69.

IV. Longævitas est singulare Dei donum. Ps.90, 10. & 91,16 Exod.20,12. Deut.6,16. Eph.6,1.2. Deut.32,47. 1.Reg.3,14. Prov.3,16. & 4,4. & 9,11. & 10,27. Ps.21,5. & 61,7. Zach 8,4.5.

V. Viduæ imitentur virtutes Hannæ 1.Tim.5,5. Tit.2,3. 1.Pet. 3, 4.5.

Justificationis meritū in Hanna non quærendum.

VI. Errant Monachi, cumprimis Elawitici, singulare justificationis meritum in viduitate Hannæ quærentes. Quòd enim à secundis illa nuptiis abstinuit, non factum fuit ex superstitiosa aliqua opinione, ac si nuptias damnârit, sed quia agnovit se habere singulare continentiæ donum.

Cœlibatus meritum apud Deum nullum.

VII. Interim ex viduitate Hannæ spontanea malè concludunt Suitæ, ad virginitatis vel cœlibatus præ conjugio ὑπεροχὴν stabiliendam; ac si cœlibatus ratione meriti, sanctitatis aut dignitatis hominem Deo faciat acceptiorem; quia vitæ genus per se nihil ad hanc rem confert. Ubi verò τὸ εἶναι deficit, ibi τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον locum habere nequit. 1.Cor.7,20.28.36.37. Gal.3,28.

Virginitatem & cœlibatum sua manet laus.

IIX. Non negamus autem esse virginitati ac cœlibatui per se, suo quoque loco, propter externas commoditates, aut certas personarum conditiones suam laudem; quemadmodum & conjugio, respectu ustulantis cœlibatus sua manet prærogativa.

IX. Quæ verò de conjugii necessitate Lutherus magno zelo scripsit, & alii exemplum ipsius secuti scripserunt, contra impiam conjugii abjurationem, propriâ temeritate à religiosis irreligiosis in Papatu susceptam, ad vitandam ἀκαθαρσίαν scripta sunt; nullo verò modo ipsi virginitati aut cœlibatui per se sunt opposita.

X. Jejunia ferias preces plurimùm juvant. Matth.17,21.

Hannæ jejunium nil juvat Papistarum jejunia.

XI. Hannæ interim jejunium nihil patrocinatur superstitiosis Pontificiorum falsisque jejuniis, aliisque id genus ἐθελοθρησκείαις. Non enim jejunavit & oravit Hanna, ut his operibus sua aut aliorum hominum peccata expiaret, sed ut preces pro salute populi Dei, & missione Messiæ, ardentiores effunderet.

XII.

XII. Vitæ autem temperantia hoc exemplo nobis commendatur. Luc. 21,34. Rom.13,13. 1.Pet.5,8.

XIII. Noctu quoque cultui Dei vacare (modò absit superstitio monachis & monialibus usitata;) non tantùm licet, sed & decet ac proficuum est. Psal. 1,2. & 42,9. & 77,3. 5. & 88,1. & 92,2. & 119,26.55.

XIV. De piis viduarum exercitiis. Tit.2,3. Exod.38,8. Judith 8,5. Deut.24,20. 1.Tim.5,9.

XV. Propter viduitatis luctum non est abstinendum à congressibus publicis in Ecclesia. Invertimus; quantò adflictior hominis status, tantò magis sacros istos congressus adpetere debet. Ps. 42,3.4.5. & 63,2. & 73,17.

XVI. Fides latere & occultari nequit. Ps.116,10. Rom.10,10.

XVII. Nihil nobis sit prius & antiquius, quàm versari multùm in domo Domini. Ps,27,4. & 84,2. & 119. passim & 122,1.

PARS III.

Infantia Christi describitur, ut humanitas ejus manifestè inde demonstretur; & quidem

Infantiæ Christi descriptio.

1. ex parentum cura: sacris enim in templo Hierosolymitano peractis revertuntur in urbem Nazareth, & puerulum sibi commissum humano more lactant, tractant & curant: quæ cura domestica documento est, Christum veram carnem, nostræ (solo demto peccato) ὁμοούσιον, adsumsisse.

Christus veram carnem assumsit.

2. Ex pueruli incremento. Habet hîc educationem Christi, descriptam adjunctis, h.e. qualitatibus seu donis corporis & animi. Quoad corpus, crevit ætate, h.e. staturâ & viribus corporis, aliorum more puerorum. Verbum enim αὐξάνειν de nutritione & augmentatione corporis in pueris dicitur. Gen.21,8. Jud.13,24. Et hæc pertinent ad physicas humanæ naturæ conditiones, quas unico crescendi vocabulo Lucas complexus est. Quoad animum,

Educatio Christi.

αὐξάνειν.

1. corroborabatur Spiritu, h.e. donis spiritualibus, dotibus animi, judicio, aliisq; donis habitualibus, quæ subinde magis magisque sese exerebant, & singularem quandam, immò divinam gratiam præ se ferebant; unde perspicuum erat, non esse illum puerum gregarium, sed spiritus, quo unctus nec non virtus & efficacia divinitatis cœpit se sensim, & subinde potentiùs, ostendere. Etsi enim divinitas in hoc puero tecta esset carnis infirmitate; in ipsa tamen ejus pueritia, etiam ante duodecimum annum, aliqua spiritus vis & efficacia animadverti potuit, quæ homines de futuro ipsius officio moneret.

Christus crevit spiritu.

πληρέμενος.

2. *Implebatur sapientiâ.* Hic notetur participium præsentis temporis, πληρέμενος, non πλήρης, plenus erat. Significatur enim non quid jam demum fiat, sed quid jam antè, in primo conceptionis & unionis momento factum sit: q. d. puerulus Jesus etiam tum, cùm cresceret sapientiâ, erat nihilominus plenus sapientiâ. D. Chemnit. d. l. pag. 178 huc accommodat locum Pauli Col. 2, 9. *Sensus est*, inquiens, *cùm tota plenitudo Divinitatis in Christo corporaliter, inhabitet, cumq; omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso sint ἀπόκρυφοι, quòd πλήρωμα illud & thesauri illi progressu ætatis sensim magis magisq; in externis patefactionibus, se cœperint exerere, & aliquando supra ætatem illustriores radios, salvâ tamen exinanitionis dispensatione, proferre, ac habitualia etiam dona subinde majora in adsumtam humanam naturam derivare.*

3. *Gratia Dei erat super illum*; quæ causa veluti efficiens erat istorum donorum habitualium, ex quibus facilè judicium facere poterant pii & cordati quivis, hunc puerulum præ ceteris Deo charum & acceptum esse; atque inde bonorum omnium sibi gratiam conciliabat. Vitia enim illa, quibus ætas aliàs puerilis, ex corruptione originali, laborare solet, (puta stultitiam, ineptias, petulantiam) in hoc puero non adparuerunt; sed eorum loco Spiritus, sapientia & gratia Dei sese exerebat.

Πορίσματα θεολογικὰ tertiæ partis.

Educatio Christi ordinaria.

I. Educatio pueruli Jesu nihil hàbuit extraordinarium aut peculiare, à communi puerorum reliquorum educatione. Philip. 2, 7. Esa. 7, 15

II. Christus est verus Homo: veram enim humanitatem, non φάντασμα seu spectrum hominis, non naturam cœlestem, sed terrestrem, adsumsit. Hebr. 2, 12. & 7, 26.

III. Descriptio infantiæ Christi curiositatem otiosorum Monachorum retundit, qui multa fabulosa, ut alibi, ita hoc quoq; loco commenti sunt.

IV. Discrimen inter infantiam Christi & nostram in eo consistit, quòd ille crescat spiritu, in nobis crescit peccatum.

Apollinaristæ.

V. Christus non corpus tantùm, sed animam quoque rationalem adsumsit, id quod negabant Apollinaristæ: crescere enim spiritu & sapientiâ animæ rationali competit.

VI. Errant errorem maximum Calviniani, (cum quibus amicè conspirant fraterculi Esawitici) ex eo, quòd Christus crevisse legitur, idiomatum divinorum, quoad humanam naturam, commu-

municationem, in ipsa enim Unione personali, negantes. Aliter enim consideratur humana natura in se, aliter in unione: hac ratione ipsa etiam Unio foret neganda.

Communicatio idiomatum

VII. Utrumque verum est, diverso tamen respectu: Christus Homo fuit plenus sapientiâ, & crevit sapientiâ. Plenus fuit divinâ sapientiâ, quoad dona increata, infinita & immensa; seu quoad illud Deitatis τὸ λόγου πᾶν πλήρωμα, de quo Paulus Col. 2, 9. agit. Crevit autem, quoad dona creata, finita & mensurata, quæ cum aliis sanctis, salvo tamen discrimine graduum, habuit comunia; tum etiam, quatenus dona Spiritus S. indies magis magisq; in illo sese exerebant. Aliud enim est possidere; aliud ostendere Divinitatem: prius semper habuit; posterius exeruit, quoties voluit & opus fuit.

Christus plenus fuit & crevit sapientiâ.

IIX. Pueri & adolescentes pii ac ingenui dent & ipsi operam, ut mediante parentum præceptorumque legitimâ curâ & educatione, crescant sapientiâ, pietate, sanctitate, aliisque virtutibus, favorem Dei hominumque conciliantibus. 1. Pet. 2, 3.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Evangelii præsentis lectio duo principalia continet κεφάλαια:

I. *Simeonis de Jesulo recens nato testimonium;*

II. *Hannæ Prophetissæ suffragium;* hinc duæ tractationis emergunt partes; de singulis seorsim.

PARS I.

Prima pars complectitur vaticinium q. quoddam, de futuro Messiæ præsentis fato, in populo præsertim suo. Observabis autem I. *parentum* (Josephi & Mariæ) *admirationem*; quam ingreditur

1. *admirationis ratio*, petita, tùm ex Angelica *concione*; tùm ex pastorum Bethlehemiticorum *relatione*; tùm ex Simeonis *cantione*. Cùm enim vocâsset eum Simeon gloriam plebis Israël, parentes ejus facti sunt admirantes super his, quæ dicebantur de illo, istaque omnia cum tacito quodam gaudio, uti dignum erat, auscultaverunt. Sed Spiritus S. curat ipsos quoque præmoneri de adversitatibus interventuris, ut animis ad illas præparatis, non offenderentur posteà, cùm talia evenirent, quæ expectationi eorum non omni ex parte responderent. *Est autem admiratio hæc non ἀπιστίας sed θεοφιλίας.*

Admiratio parentum JESU.

Josephus pater Christi.

2. *Quæstionis decisio*; cur Josephus dicatur pueruli pater? Erat pater non naturâ, sed curâ; non generatione, sed educatione; non ex conjugali cohabitatione, sed ex vulgi opinione.

II. *Propheticam Simeonis concionem*, quæ complectitur

1. *benedictionem*. Simeon enim ad eos conversus, benedixit illis, Josepho & Mariæ; h.e. optima quævis eis precatus est, gratulando illis de insigni hac felicitate, quòd digni habiti essent, quorum curæ Salvator totius mundi committeretur, quique parentes Messiæ audirent.

Benedictio Simeonis.

2. *Prædictionem*, tùm de Messia, tùm de Maria. De Messia vaticinatur, quòd is futurus sit

Christus malis lapis offensionis &

1. *malis*,

1. *lapis offensionis*. Ecce, (inquit) hic (filius tuus) positus est in ruinam multorum in Israël; h.e. constitutus, æternâ ac irrevocabili destinatione Dei ordinatus & præparatus est unicus mundi Salvator, tanquam lapis ille fundamenti, super quo ædificari, & quo concludi & contineri oportet totam Ecclesiam. Esa. 28, 16. Psal. 118, 22. Quòd autem olim per Esaiam dictum est, Jehovam fore lapidem offensionis, & petram scandali, ad ruinam multis in Israël. Esa. 8, 14: hoc planè ita in Filio tuo eveniet. Multi enim in eo offendentur, multi eum reprobabunt, perque infidelitatem seipsos dabunt præcipites in æternam damnationem.

Signum contradictionis

2. *Signum contradictionis*. Positus etiam est in signum cui contradicitur; h.e. similis erit signo, cui contradici solet. Innuit igitur Simeon, ita Christo contradictum iri, ac si hoc fine, ut scopus, erectus & positus esset, in quo feriendo configendoque omnium lingvæ ac manus certarent. Judæis autem vel maximè infidelibus ejusmodi scopus futurus est, contra quem omnia sua dirigent tela, blasphemiis ac convitiis certatim impetentes eum, quem tanquam Salvatorem venerari atque amplexari, tanquam cœlestem verò Doctorem audire debebant. Quin & secuturis temporibus omnibus idem facient hæretici, tyranni & persecutores Ecclesiæ magno numero.

Christus bonis causa resurrectionis.

2. *Bonis, erit causa resurrectionis*. Positus enim simul dicitur in resurrectionem multorum in Israël; multis nim. in eo resurgentibus, quibus erit arx & petra salutis.

Concord. p. 71.

Sensus horum omnium, interprete D. Calixto, huc redit: *Quotquot resurgent, per illum resurgent, & is finis est intentus. Quia verò fit, ut occasione ab ipsius humilitate acceptâ multi cadent, propterea itidem dicit: positus est in ruinam: nempe quia voluit Deus permittere,* ut

ut ejus occasione proprio vitio quidam laberentur. Cùm autem ruina non sit nisi stantium, aut magis magisq; prolabentium, intelligendum est, quosdam occasione Christi graviùs casuros, quàm pridem cecidissent: aut potiùs, quosdam qui stare, & inter justos primi esse viderentur, in maximam cæcitatem & extremam perniciem prolapsuros, &c. Et certè, quamvis ideò in mundum non venerat, ut resurgerent alii, & alii caderent; sed ut resurgerent omnes; tàm certò tamen futurum erat, ut alii caderent, alii resurgerent, ac si ideò venisset. Loquitur ergò non de fine exhibiti Messiæ, qui uniusmodi in omnes, sed de eventu qui diversus in diversis.

Porrò de Maria prædicit Simeon: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: q. d. senties dolores vehementissimos, propter hunc tuum Filium, quos senties tùm ob alia pericula & adflictiones, tùm verò maximè ob passionem, crucifixionem & mortem illius.

Maria sentiet dolores

III. *Causæ finalis positionem*, quæ divinam permissionem subindicat. Hoc enim ideò visum est Deo permittere, ut retegerentur, seu in apricum producerentur ex multis cordibus cogitationes. Crux enim & calamitas probat homines verè pios, eosque ab hypocritis dignosci facit. Ita multi deprehensi fuere impii & Christo contrarii, qui priùs videbantur Messiæ adventum magni facere & anxiè præstari. Videre hoc maximè fuit in Scribis, Pharisæis & primoribus populi, qui quidem putabant, venturum Messiam habitu Regis mundani, collatis in Judæos terrenis beneficiis; atque ita ambitioni & cupiditatibus eorum serviturum. At postquam aliter evenit, quàm ipsi opinati fuerant, contradixerunt ei, odio prosecuti sunt, rejecerunt ac tandem occiderunt eum. Quin & in passione innotuit, quo quisque erga ipsum esset animo, quod in rebus prosperis accidisset nunquam.

USUS I. Informatorius.

I. Quò quisque Christo est charior, eò majoribus calamitatibus obruitur; quemadmodum Maria, licèt Christo, ut mater, esset dilectissima, acerbissimas tamen adflictiones sustinuit. Prov. 3, 11.

Je lieber Kind/ ie schärffer Ruthe.

II. Maria repræsentat personam totius Ecclesiæ, cujus animam multoties penetrat gladius. Sir. 2, 1. 2. Tim. 3, 12.

Maria typus Ecclesiæ.

III. Duplex semper hominum in terris est genus, bonorum & malorum, credulorum & incredulorum: illis Christus est lapis preciosus, positus in resurrectionem; his est ruina, petra scandali &

offensionis. Esa.8,14.15. non per se, effectivè; sed per accidens, permissivè & consecutivè.

Hostes Ecclesiæ Christo se opponunt.

IV. Ecclesiæ hostes Christo sese malitiosè opponunt, contradicentes

1. corde, quòd offendantur & contemnant Christum, 1.Cor.1,23.

2. Ore, quòd acuant contra Christum lingvas suas & sapientiam justificent. Matth.11, 19.

3. Manu, quòd romphæâ animam Christi perforent. Hinc Ecclesia persecutiones atrocissimas sustinere cogitur, posita q. signum ad sagittam. Thr.3,12. Ps.2,1. & seq. Apoc.12, 15.

Persecutio probat homines.

V. Persecutiones revelant animos hominum; tùm enim multi, qui videbantur præstantissimi & constantissimi, Christum deserunt; & vicissim alii, de quibus nulla, aut exigua erat spes, prodeunt in medium, & Christum, cum præsentissimo quàndoque vitæ periculo, confitentur. Exemplum habemus in ipsis Christi discipulis, latrone, Josepho & Nicodemo.

Christus plures hostes, quàm amicos habet.

VI. Christus plures in terris habuit, hodieque habet, osores & hostes, quàm amatores & amicos. Matth.2,16. Act.28,22. Matth. 11,6. Ps.2,1.2.

VII. De pœna contradicentium & hostium Christi reliquorum, quæ futura est ruina eorum tùm temporalis, tùm æternalis.

II. Consolatorius.

Quòd in futura vita perpetuò mirabimur super his, quæ in hac vita de Christo audivimus; sed frigidè nimis credidimus. Ps.8,5. Es. 9,6. Ps.17, ult. & 126,1.2.

III. Monitorius.

I. Verbum Dei cum admiratione pia est audiendum. Act. 17,11. Joh.5,39. Ps.111,2.

II. Christianorum est benedicere, non maledicere. Matth. 5,44. & 10,12. Sir.3,11. Rom.12,14.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui cùm nihil, quod in nostris Ecclesiis, quoad præsens Evangelium, carperent, haberent,

I.be-

1. benedictionis Ecclesiasticæ, Num.6,22.23.24. descriptæ, formulam, ab Ecclesiis nostris usurpari & retineri solitam, adlatrare non erubescunt, ac si minùs rectè illa à nobis in N.T. adhibeatur. Sic enim Lutheromastix Schererus: Diesen Jüdischen Segen gebrauchen auch die Sectischen bey unsern Zeiten/ als ob ihnen Christliche Segen mangelten/und sprechen ihn aus mit diesen Worten: Der HERR segne euch/und behüte euch ꝛc. Itâne verò censes, Suitarum pessime? Benedictio itaque divinitùs prolata, promulgata & præcepta fuerit non-Christiana? Nihilné ergò ex V.T. scriptis retinere, & ad usum Ecclesiarum N.T. adplicare licebit? Unde autem illud, quòd in negotio & controversia de judice controversiarum, nec non idololatrico Missæ vestræ sacrificio, ad V.T. ritus auctoritatemque confugere consvevistis? Hypocrita! quid præcarpendi & cavillandi libidine reprehendere velis, ignoras. Benedictionis istius formulam (refero verba Dn. D. Gerhardi) haud immeritò etiam in Ecclesia N.T. usurpari liquet. Neque enim pertinet ad ritus Leviticos in N.T. abrogatos, sed ad promissionem, de gratiosa Dei præsentia in Ecclesia. Exod.20,24. Ea verò promissio non exspiravit in N.T, sed perpetuò adhuc durat. Matth.18,20. & 28,20. Johan.14,23. Ideò dulcissimam illam promissionem, Ecclesiæ Israëliticæ factam, habitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, Levit.26,12. D. Apostolus disertè ad Ecclesiam Christianam in N.T. accommodat, 2.Cor.6,25. Inde formula illa benedictionis in nostris Ecclesiis ante populi dimissionem iisdem omninò verbis (NB. crimen falsi committit Suita) repetitur. Et post pauca: Ubi tamen notandum, nos Christianos in N.T. non esse simpliciter & absolutè ad hanc formulam benedicendi adstrictos, q. non liceret aliâ, verbo Dei congruâ, uti, sed ex libertate Christiana eandem nos observare &c.

Papistæ improbant benedictionem Ecclesiasticam.

part.1.post. p. 82.

Vide disp. hac de benedictione anno 1620. peculiariter habitam, thes. 2.

[illegible] 1759.

2. Idem Schererus erroris istius B. nostrum Lutherum insimulare non veretur, ac si Deum ille causam peccati docuisset: sic enim ille d. l. pag.83. Zu unsern Zeiten hat Lutherus öffentlich geschrieben: mala in impiis Deus operatur: Gott wircket in den Gottlosen das Böse. At ubi Lutherus ita scripsit? Esawita malè sibi conscius Tomi nullam fecit mentionem, in margine saltem hæc verba adscribens: Luth. in assert. artic. à Leone damnatorum, assert, 30. Extat hoc scriptum Tom, 2. Jen. Lat. fol. m 292. & seqq. Inspexi assertionem 30; legi, relegi, terque quaterque perlegi; sed horum nihil adsertione istâ reperire potui. Agitur ibi loci de articulis quibusdam Johannis Hussi, à Concilii Constantiensis sceleratissimis, quos

Lutherus accusatur, quòd Deum causam peccati constituat, sed falsò.

vocat, Sophistis impiè damnatis. Perrexi ad sequentes adsertiones: trigesimâ sextâ de libero agitur arbitrio, quod Lutherus rem dicit de solo titulo; ibi demum inveni allegatum Esawiticum, sed malitiosè & calumniosè, h.e. diabolicè allegatum: folio n. 311. b. hæc leguntur verba: Nam & mala opera Deus in impiis regit: non operatur.) Vides, mi optime Lector, crimen falsi manifestissimum; vides etiam quanto intervallo à se invicem distent, regere & operari; vides denique, quantum fidei allegationibus Suiticis, ex scriptis potissimùm Lutheri, sit tribuendum. Quod dum monstravi, calumniam Suitæ atrocissimam â B. Luthero abstersam refutavi. Nihil addo ampliùs, sed rectâ pergo ad partem materiæ propositæ alteram.

Allegatis Papistarum ex Luthero nihil fidei tribuendū.

PARS II.

Hîc verò iterumduo in considerationem veniunt;

I. Hanna προσωπογραφία;

II. ejusdem μαρτυρία.

Porrò quemadmodum Evangelista testimonio Simeonis præmisit justam illius commendationem: ita & in Hannæ descriptione idem observandum esse duxit; ut constaret, confessionem sive testificationem ejus non vulgaris fuisse auctoritatis. Describitur autem illa

1. à nomine; Hanna enim gratiosam, sive gratiam adeptam significat.

Hannæ descriptio.

2. A semine, sive prosapia; fuit filia cujusdam Israëlitæ, cui nomen fuerat Phanuel, de tribu Aser, quæ inter reliquas valdè erat obscura. Hæc verò omnia non tantùm ad nominis celebritatem faciunt; sed mysterium simul peculiare involvunt. Est enim Hanna, uti dicebamus modò, gratiosa: Phanuel adparitio seu manifestatio Dei: Aser beatum significat. Beatitudo enim nostra consistit in gratia Dei, & in adparitione Salvatoris, quem suis jam oculis videns Hanna, impensiùs gaudet, quàm Patriarcha olim Jacobus. Gen 32, 30.

3. A prophetico lumine. Dicit enim Evangelista, fuisse illam Prophetissam; h.e. eo Spiritus S. dono ornatam, ut & scripturas intelligeret, & de rebus etiam futuris revelationes haberet

4. A vitæ examine. Exegit enim illa vitam

1. in virginitate castè;

2. in conjugio honestè;

3. in viduitate modestè, piè ac devotè. Devotio illius consistit

1. *in viduitatis custodia*; in ea enim vixit annos 84, septem cum marito, & ante contractum matrimonium virgo fuit ad minimum 14 vel 15 annorum. Fuit itaque annorum plùs quàm centum. Quæ sanè ætatis commemoratio & prudentiam arguit, & personam honoratiorem efficit.

2. *In singulari sanctimonia*, quam probatam reddidit, tùm templum frequenter visitando; tùm jejuniis ac precibus indesinenter vacando. In cultu itaque divino erat adsidua, eique vacabat die pariter ac nocte. Interdiu enim adhærebat templo, ita ut singulis diebus interesset sacris ritibus in templo; & manè ac vesperi in publicis congressibus communes preces adjuvaret: (sie hat keine Predigt/auch keine Betstunde verseumet) domi verò suæ continua insuper cum Deo habebat colloquia, commendans ei communem necessitatem, & diligenter orans, sive noctu vigilaret, sive per diem domi ageret; ita ut nulli rei magis, quàm divinis servitiis ac exercitiis vacaret.

Hannæ pietas.

Jejunia etiam adhibuit; h.e. continenter vixit, & omnibus divitiis sese abdicavit, ut ad preces omni tempore esset expeditior. Sunt qui hoc exponunt de publica muneris functione, quòd fuerit magistra virginum ac juniorum mulierum, quas de omnibus officii sui partibus rectè instituerit; cujusmodi viduam D. Paulus vocat καλοδιδάσκαλον. Tit. 2, 3. 4. Putant nonnulli, aliis quoque ministeriis sacris ad templum eam fuisse præfectam atque occupatam, ad exemplum earum feminarum, de quibus legitur Exo. 38, 8. & 1. Sam. 2, 22. Hactenus Hannæ προσωπογραφία:

Hannæ officium.

Sequitur jam secundo loco ejusdem μαρτυρία; hanc verò commendationem efficit

1. *temporis opportunitas*;
2. *loci sanctitas*;
3. *rei qualitas*. Testatur enim illa de Christo,

1. *gratias agendo*, per ἀνθομολόγησιν, vicissim confitendo Domino; cujus vocabuli ea vis est; quòd Hanna non tantùm repetierit & confirmârit suo testimonio ea, quæ Simeon dixerat; sed & suo loco pariter gratias Deo egerit, qui Messiam tàm diu expectatum jam exhibuisset.

2. *Apertè de Christo loquendo*, ad eos potissimùm, quos noverat teneri expectatione redemtionis in Israël: his nunciavit Hanna, natum & exhibitum jam esse Messiam, illumque se in templo vidisse.

USUS I. Informatorius.

Felicitas vera.

Qui verè-felices ac beati æstimandi; non divites; Pſ.49,7.14. & 144, 12. & ſeqq. Luc. 12,15. ſed pietatis laude præ ceteris conſpicui. Pſ.1,2. Rom.1,16. Luc.11,28. Jac.1,21.

II. Monitorius.

Intueantur & imitentur Hannæ exemplum

Virginum ſtudia.

1. Virgines, quas decet caſtitatis eſſe obſervantiſſimas, quod fiet, ſi

1. Deum ſimiliter timeant; Lev.19,14. Deut.6,13. Pſal. 33, 8.18. Eccl.7,19.
2. verbum ejus attentè audiant; Pſ.91,8. Luc.10,39. Act. 16, 14.
3. domi maneant; Pſ.128.3. Prov.31, 27.
4. operis aliquid faciant; Prov.12,4. & 14,1. & 31,13. Tob. 10,12. Tit.2,4.
5. humilitati ſtudeant; 1 Tim.2,9.1.Pet.3,4.Eſ.3,16.&ſeqq.
6. precibus inſiſtant; Tob.3,12. & ſeqq. Luc.18,1.& 21,36.&
7. conſortia prava fugiant. Proverb.1,10. & 13,20. & 24,1. Tob.3,17. Pſal.1,1. & 26,4. & 141,5. 1.Cor.5,6.

Uxoris officia.

2. Maritatæ, ſive conjugio devinctæ; diſcant illæ

1. piè & caſtè in conjugio cum ſuis, non alienis, maritis vivere; Job.31,1. Sir.23,4.5.6. Sap.3,13. Sir.26,19. 1.Tim.5,2. Tit.2,5. Prov.11,22.
2. Deum revereri; Pſ.33,8. Prov.3,7. & 8,13. & 14,26. Exod.1,17
3. Templum amare; Pſ. 26,9. & 27,4. & 84,1.
4. diligenter orare; vide præced.
5. humiliter ſe gerere; Luc.1,48. Rom.12,16. 1.Pet.5,6. Gen.16,9
6. adſiduè de Chriſto & adventu ejus loqui. Pſal.37,30. & 77, 13. Luc. 24,14. Apoc. 22.21.

Viduarum ſtudia.

3. Viduæ. Eas autem decet eſſe

1. pudicas, 1. Tim.5,13. 1.Cor.7, 8.9. Gen.38,19.
2. ſolitarias;
3. ſpe firmas; Jer.51,5.
4. ſobrias.
5. cultui ſacro deditas. 1. Tim.5,5. Talis fuit

Hanna, de qua eleganter Juvencus lib. 1. de Evang. hiſt. mihi p.264.

- - - - - - vox ecce propheta
femineam ſancto complet ſpiramine mentem.
Anna fuit natu gravior, quam in flore juventa
Conſtituit viduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur caſtâ charo pro conjuge vitâ, con-

continuoq; Dei cultu, quæ Numine ducta agnovit Christum, & simili sermone locuta est.

III. Consolatorius.

1. *In genere*, de Jesuli nostri ἀπροσωποληψία. Act.10,34. Gal. 3,38. 1.Tim.4,10.
2. *In specie.*
   1. de præmiis amatorum Jesu; honorabit eos vicissim
      1. *Nomen ipsorum immortalitati consecrando*; Psal.112, 6. Apoc.3,5.
      2. *illos exaltando*; Psal.113,7. Apoc.2,10. & 3,21
      3. *vitæ longævitatem impertiendo*; Exod.23,26. Psal.91,16. Prov.3,16
   2. De viduis, quæ benè sperent; habent enim Deum
      1. *fautorem*; Exod.22,22. & seqq. Zach.7,10.
      2. *ultorem*; Deut.10,18. 1.Reg.17,10. & seqq. 2. Reg. 4, 1. & seqq.
      3. *tutorem & opitulatorem*. Ps 68,6. & 146,8.

Præmia hominum φιλοχρί-στων.

Consolatio pro viduis.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum; I. ex Hannæ viduitate generalem castitatis ac continentiæ in sexu femineo possibilitatem præposterè colligentium. Sic enim Schererus: Frage: Ob die wittibliche Keuschheit müglich zu halten sey? Resp. Warumb nicht? Ist die wittibliche Keuschheit der Prophetin Annæ zu halten müglich gewesen biß in das 84 Jahr/ durch die Gnad Gottes/ warumb sol sie nicht auch andern eben durch dieselbe Gnade müglich seyn können?

Papistæ ex Hannæ viduitate ad cœlibatum argumentantur. postil. part. 1. p.80.

Mirum verò Esawitam formaliter aliàs sibi doctissimum, adeò λεπτολογεῖν; & ineptè concludere, à posse ad esse; à particulari, immò singulari, ad universalem omnium & quorumvis subjectorum regulam vel sanctitatem constituendam! Neque enim sequitur: Hanna potuit sese continere, potuit in viduitate, vel vita cœlibe vivere: Ergò omnes homines possunt. Quorsum enim Salvator Matth.19,11. non omnes capiunt sermonem hunc? Si Suita instat: datur autem continentiæ donum omnibus petentibus?

Resp. 1. Distingvendum inter dona Dei communia sive generalia, quæ omnibus piis necessaria sunt; ac de illis loquuntur promissiones, de precum nostrarum exauditione infallibili. Joh.16,23. Jac.1,5.17. & inter dona Dei peculiaria, specialia sive privata. Ad posteriorem hanc, non ad priorem classem donum continentiæ vel

Dist. inter dona Dei communia & peculiaria,

castitatis est referendum, docente ac probante D. Chemn. in Exam. Conc. Trid. part. 3. p. 35. & part. 2. L. C. p. 508.

2. Committitur σόφισμα παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Deus promisit precum exauditionem, sed earum, quæ cum voluntate ipsius congruunt. Hinc legitur, 1. Johan. 5, 14. si petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Vide plura apud D. Chem. in Exam. loc. citato.

3. Exempla singularia non possunt nec debent ad imitationem trahi.

Jejunia Ecclesiæ nostræ non prohibent.

II. Jejunia ab Ecclesiis nostris prohiberi, immò planè tolli calumniantium. Sic enim iterum Suita Schererus d. l. in quæstione sophisticè formata: Ob das Fasten wol bey dem Gebet stehe? Nemo nostrum negavit: quin potiùs fatemur ipsi ac docemus, scripturam jejunium & orationem sæpiùs conjungere; non eâ opinione, ac si propter opus operatum jejunii oratio exaudiatur, & Deo accepta reddatur; vel q. res per ac propter meritum jejunii impetretur; sed propter alias causas, quas lege in Exam. D. Chemn. part. 4. p. 158. ubi simul monstratur, usum jejunii fuisse etiam in precibus solemnioribus publicis. Calumniatorem itaque & Sycophantam agit Suita in malè formata, & nunquam inter nos controversa quæstione in hunc modum Ecclesias nostras, canis rabiosi instar, adlatrans: Weil dann die H. göttliche Schrifft fasten vnd beten gemeiniglich zusammen füget / sollen wir sie von einander nicht liederlich scheiden / inmassen die Secten zu vnsern Zeiten thun. Dann ob sie wol das beten gut heissen / vnd zum Gebet ihre Zuhörer bißweilen antreiben: so ist doch vom Fasten ein gros silentium vnd Stillschweigen bey ihnen / ja sie haben das Christlich Fasten so rein vnd sauber mit dem Besem ihrer fleischlichen Lehr hinweg gekehret / daß durchaus nichts darvon vbrig blieben.

Jejunium aliud Christianum, aliud AntiChristianum.

Resp. Distingve jejunium Christianum ab AntiChristiano, verum & scripturis consentaneum, ab impio, electitio & meritorio, tum omnis res erit in vado. Impium jejunium dicimus, quod expresso Dei verbo adversatur; quale est

Jejunii impii tres species.

1. hypocriticum; Esa. 58, 4. Matth. 6, 16. 1 Reg. 21, 12. 27

2. Pharisaicum; Luc. 18, 12.

Jejunium Papisticum quale.

3. Papisticum; quod certis illi diebus indicunt, & in delectu ac commutatione ciborum collocant, nec non rationem meriti habere, esse demum satisfactorium pro actualibus peccatis ac pœnis statuunt. Verum contra jejunium definitur finibus, uti videre est apud D. Chemn. Exam. part. 4. p. 150. & 158.

Tan-

Tantùm verò abest, ut vel jejunium pium, verum, Christianum tollamus, vel à piis orationum exercitiis separemus, ut potiùs Deo maximè probari statuamus, si jejunium sit pœnitentiæ & orationi conjunctum. Vide D. Chemn. d. l. pag. 154. & 156.

Porro Pontificiorum jejunia quod spectat, *ludibria potius jejunii* (uti D. Chemnit. d. l. pag. 199. & 237. rectè adpellat) apud ipsos conspiciuntur, quàm vera jejunia; quandoquidem hypocritæ jejunare se simulant, corpus interea suum vel piscium lautitiis, vel aliis epulis ac confectionibus, distendentes; dumque volunt prolixioris inediæ famam quærere, tantum pridie vorant, quantum vix alterius diei nox digerat.

Tralatitium autem est, & à Montani adseclis mutuò sumtum, jejunii hypocritici, superstitiosi ac electitii improbatoribus intemperantiæ postmodum ac gulæ studium odiosè exprobrare. Confer Papismum D. Gisenii disp. 65. th. 18. & seqq. ubi quæstionem de fructu jejunii Ecclesiastici his verbis concludit: *Quare improbamus jejunium superstitiosum Papisticum, quod fingitur cultus Dei moralis, & quidem meritorius; commendamus jejunium pædagogicum, & quidem à fine bono: inservit enim cultui divino.* Idem per omnia docuit B. Lutherus, uti videre est ex expl. c. 6. Nam dicit: *Præcipuè & ante omnia sobrietati esse studendum; posteà adjungenda esse etiam exercitia jejunii propriè dicti, ut aliquando corpus castigetur subtractione cibi & omnium delitiarum corporis; non impiâ aliquâ opinione meriti, sed hoc fine, ut carnis petulantia & inertia reprimatur, & caro spiritui subjiciatur, utq; ad ferendas adflictiones, ubi opus fuerit, adsvescat.*

Fructus jejunii Ecclesiastici.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Cum feriis hisce natalitiis de persona, officio & beneficiis Jesuli nostri, sat multa audiverimus; jam secuti filum textus ordinarii audiemus, *de Jesuli veris ac sinceris cultoribus atq; amatoribus.* (von Christschülern.)

Christ-Schüler.

Ἐξήγησις.

Dicturis de veris JESULI recens-nati sive cultoribus sive amatoribus, tria potissimùm in mentem venire debent, quæ ad eorundem descriptionem genuinam spectare videntur, immò verè spectant. Videndum nim. ante omnia

Veri Christi cultores & amatores qui sint.

1. ad

1. ad eorum fidem, quid ipsis sit credendum;
2. ad eorundem in hoc mundo sortem ac conditionem, quid pro εὐδοκία divina illis sit ferendum;
3. ad vitam, quid faciendum.

Fidei requisita tria.

Quoad primum, sciendum, fidem, ut vera & αὐτόπιστος demonstretur, requirere vel respicere tria;

Ecclesia duplex.

I. *Ecclesiæ veritatem.* Duplex est, semperque fuit à lapsu protoplastorum Ecclesia: Christi una, satanæ altera; vera illa, hæc falsa; electorum illa, hæc malignantium. Habes hoc loco Pontificum Hierosolymitanorum clerum, Messiam exhibitum adspernantem; satanæ proinde synagoga. Habes ex adverso parvulum Domini gregem; κυριοτόκον, Josephum, Simeonem, Hannam, pastores, cum paucis quibusdam aliis, veros & sinceros Jesuli nostri cultores & amatores; non templi sacrorumque V. T. pompam, non patrum traditiones vanas; sed

Ecclesiæ veræ notæ.

1. dicta de Christo admirantes; dicta nim. *tùm* per Prophetas; *tùm* per Archangelum Gabrielem, *tùm* per Zachariam & Elisabetham, Luc. 1, 43, 68; *tùm* per Angelum pastoribus concionantem; *tùm* per Angelos δοξολογοῦντας; *tùm* per pastores, Magos & Simeonem. En tibi unam Ecclesiæ, ac facilè primariam notam; *Verbi divini prædicationem.*

2. Sacramentum circumcisionis observantes. En tibi alteram veræ Ecclesiæ notam, *legitimam Sacramentorum administrationem & usurpationem!* Vana proinde & Judæorum, & judaizantium Papicolarum de Ecclesia temploque Domini gloriatio. Jer. 7, 4.

Simplicitas fidei quid requirat.

II. *Credendi simplicitatem.* Fidelis enim admiratio hoc sibi q. proprium habet & peculiare;

1. mysteria divina contemplari attentè;
2. Verbo adsentiri repentè: Utrumque simplicem requirit fidem, qualis Mariæ, qualis Simeonis, qualis Hannæ.

Peccat 1. καθ' ὑπερβολήν Epicureismus & Puccianismus, laxam religionem proclamans:

2. κατ' ἔλλειψιν Calvinismus, mysteria divina ita considerans, ut simul rationis suæ modulo fidei articulos metiendos esse censeat. Prov. 20, 24. & 21, 2. 2. Cor. 10, 5.

Fundamentum Ecclesiæ unum.

III. *Unici fundamenti stabilitatem.* De hoc fundamento ad Mariam Simeon: hic, inquit, positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. 1. Cor. 3, 11. Act. 4, 12. Ephes. 2, 20. 1. Petr. 2, 5. Theophylactus: *Ruinam quidem dicit eorum, qui non crediderunt; re-*

resurrectionem autem eorum, qui crediderunt. Gl. ord. in margine ita habet: *In ruinam illorum, qui steterunt, & resurrectionem illorum, qui ceciderunt. Vel, in ruinam vitiorum, & in resurrectionem virtutum. Non in se tantùm, sed in suis quoq; prædicatoribus positus est in ruinam & resurrectionem.* Unde Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt. Bono enim odore alii salvantur, alii pereunt.

Quoad secundum, fidei salvificæ in hac vita comes individuus est crux & calamitas: Ps. 116, 10. 2. Tim. 3, 12. rectè itaque credenti etiam patiendum.

Crux comes fidei individuus.

Quid verò & quantum ferre debet?

1. *Contradictionem:* non enim est supra Magistrum discipulus.

2. *Persecutionem.* Gladius anceps in sacris sæpè significat tribulationes ac dolores. Ps. 22, 21. & 36, 15. & 105, 18. Sensit Maria, typus Ecclesiæ, gladium istum, sentiunt pii omnes. Ps. 16, 22. Actor. 14, 21. Gl. ord. *dolor, ait, Dominicæ passionis, quòd non potuit videre crucifigi sine affectu materni doloris; etsi speraret resurrecturum & mortem devicturum.* Usque ad finem seculi animam Ecclesiæ gladius tribulationis pertransit, cùm signo fidei ab improbis contradicitur, cùm multos ruere videt, cùm revelatis cordium cogitationibus, ubi bonum semen seminaverat, zizania germinare conspicit.

Gladius in sacris quid significet.

Restat tertium, quo quæritur, quid interim faciendum? Monstrat hoc præsens pericope passim; nim.

1. *Verbum diligenter est audiendum.* Simeon auditor est.
2. *Verbo audito libenter obediendum;* monet illud idem nomen.
3. *Ecclesiæ veræ constanter adhærendum.*
4. *Templum Domini frequenter visitandum.*
5. *Deo precibus & jejuniis incessanter serviendum.*
6. *Pro filii missione ipsi ardenter confitendum.*
7. *Fidei professio publicè facienda.*
8. *Redemtio finalis subinde petenda & patienter exspectanda.* Ingeminamus itaque cum Apostolo: *Etiam veni Domine Jesu! Gratia Domini Jesu Christi cum omnibus vobis.* Amen.

Apoc. 22, 20. 21.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI,

EVANGELIUM

Luc. 2. vers. 21.

Gen. 17, 12. Levit. 12, 3. Luc. 1, 31. Matth. 1, 21. Joh. 7, 22.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ.

21. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum erat ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Brevis hæc περικοπὴ est generis demonstrativi: continet enim historicam narrationem circumcisionis Dominicæ. Nos tria contemplabimur;

I. *sanctam Jesuli nostri circumcisionem;*
II. *Nominis præclari impositionem;*
III. *strenæ divinæ distributionem.*

PARS I.

Circumcisio Immanuelis nostri certis circumstantiis describitur: ostendit enim

1. *Quando circumcisus fuerit?* die nim. octavo; qui terminus ab ipso Deo masculis V. T. erat constitutus. Gen. 17, 12. Levit. 12, 2. Innuitur hac circumstantiâ, nihil accidisse circa externam Christi circumcisionem vel extraordinarium, vel miraculosum. Dum autem octavo illum die circumcisum dicimus, non hoc volumus, quòd post exactos octo dies, nonò demum fuerit circumcisus; sed cùm elapsis septem diebus octavus dies advenisset. Est ergò descriptio justi temporis, quòd ipso præcisè octavo die, & non citiùs circumcisionem peregerint.

Christus circumcisus propter nos.

2. *Quis circumcisus fuerit?* Puer κατ' ἐξοχὴν ἢ συνεκδοχὴν ita dictus. Intelligitur autem Jesus Mariæ Filius; ipse quidem, quippe ἄκακος, ἀμίαντος καὶ κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν, Hebr. 7, 26. circumcisione non egebat; sed nostri causâ legi se subjecit. Porrò à quo fuerit circumcisus h. l. per Evangelistam non ex-

exprimitur. Abrahamo quidem in primæva Sacramenti hujus institutione injungitur, ut domesticis suis illud administret, idque Patriarcham promto executum fuisse animo, locuples Moses ipse est testis. Gen. 17, 23. Et verisimile est, cùm actio isthæc femineo sexui conveniat minùs, penes viros eam mansisse; feminis autem nullâ lege, quin in casu necessitatis idem facerent, fuit interdictum, quod Zephoram Mosis uxorem perpetrâsse, Exod. 4, 25. legimus. Neque uspiam scriptum extat, solis Sacerdotibus eam fuisse actionem commissam, licet singulas officii sacerdotalis partes Moses accuratissimè descripserit. Ex historia verò Johannis Baptistæ adparet, vicinos & cognatos ad eam ceremoniam fuisse adhibitos; quin intra privatos parietes, non in templo fuisse peractam. Quin itaque Bethlehemi, vel ab ipsis parentibus, vel à piorum præsentium aliquo fuerit circumcisus Salvator, dubium planè est nullum. In spelunca quadam eum fuisse circumcisum, Monachorum est fabula; quæ eadem facilitate rejicitur, (caret enim fundamento) quâ adseritur. Modernos ψευδωνύμως Judæos peculiarem habere circumcisorem, (Mohel vocitatum, à מוּל forsan circumcidit, præcidit; vel מָהַל polluit, inquinavit;) legere est apud Buxtorfium in Synag. Jud. cap. 2. Quicquid hujus sit, res est quæstionis, non fidei; & quæ occulta Spiritus S. esse voluit, in iisdem scrupulosè rimandis curiosi esse nolumus. D. Chemn. harm. Evang. pag. 111. ita: De historia hoc observandum est, quòd circumcisio usitato more legis, non facta fuit à parentibus solis; sed convenerunt & alii, & de ratione nominis imponendi deliberârunt: Maria autem & Joseph absque dubio quædam de revelatione per Angelum facta exposuerant.

Circumcisio à quo peracta.

Monachorum fabula de Christo in spelunca circumciso.

Judæorum modernorum circumcisor.

3. *Quomodo circumcisio fuerit peracta?* Formula expreßè hoc loco non habetur, erat enim tum temporis notissima: circumcisus autem fuit carne, more reliquorum apud Judæos puerorum. Præputium à corpore puerili Jesu præcisum, post annos demum octingentos, Carolo Magno ab angelo esse oblatum, qui peculiarem quoque ei cultum decreverit, credat qui Monachos fabulosos votum castitatis & paupertatis voluntariæ observare crediderit. Quinque ejusmodi præputia Christi in Papatu esse reperta, auctor est Dn. Meelführerus, Vindic. Evang. th. 47.

De præputio Christi fabula.

Πορίσματα θεολογικὰ primæ partis.

I. Christi humanitas vera ex circumcisione carnis analyticè demonstratur: Circumcisio enim absque subjecto idoneo adhiberi nequit.

II. Circumcisio fuit ritus sacer V.T., ipsius Dei autoritate institutus, anno mundi 2048, ante Christum natum 1925. Definitionem hujus Sacramenti pete ex locis, sive D. Hafenrefferi, sive aliorum.

Circumcisio cur instituta.

III. Circumcisio à Deo ideo instituta est, ut esset signum fœderis, inter Deum & Abrahamum illiusque posteros initi; & constaret inde,

1. omnes circumcisos in gratiam Dei suscipiendos. Gen. 17, 7
2. omnes populos in semine Abrahæ, qui est Christus, Gal. 3, 16. benedicendos:
3. omnes Abrahamitas ab aliis populis esse distinctos:
4. ex hoc populo Messiam oriundum esse:
5. omnes homines in peccato originali concipi & nasci, recipi autem circumcisos à Deo in gratiam, propter Filium Mediatorem, ex gente hac circumcisâ proventurum:
6. circumcisos ad legis observationem esse adstrictos.

IV. Patet inde, fuisse circumcisionem ὄργανον & medium salutis efficax, vi promissionis divinæ, Gen. 17, 8.

Christus cur circumcisus.

V. Christus fuit circumcisus, non sui causâ, sed

1. in circumcisionis pro V.T. à se institutæ ratificationem;
2. in humilitatis suæ demonstrationem;
3. in scandali declinationem;
4 in ortus sui ex Judæis declarationem;
5. in legis tùm abrogationem, tùm impletionem;
6. in humilitatis contestationem.

VI. Christo jam exhibito, meritò cessat circumcisio. Corpore enim præsente, evanescunt umbræ. Col. 2, 17. Gal. 5, 2. Heb. 10, 1

Circumcisio spiritualis.

VII. Licet autem externa præputii carnalis circumcisio sit abolita; interior tamen cordis & Spiritus circumcisio adhucdum vigeat, ad salutarem hominis conversionem maximè necessaria, Deut. 10, 16. Jer. 4, 4. Rom. 2, 28. Considerationem circumcisionis Christi meliorem vide in Vindic. Evang. Dn. Meelführeri th. 50.

PARS II.

Continet secunda pars ὀνοματοθεσίαν, in circumcisione Immanuelis nostri adhibitam. Ubi observandum,

JESUS vox Hebræa.

1. Quale nomen ipsi fuerit impositum? JESUS scil. vocatus est; quod nomen origine suâ est Hebræum, â Rad. ישׁע salvavit, unde verbale יְשׁוּעָה salus, salutare, Salvator. Ejusmodi ve-

verò nomina, si absolutè de persona dicantur, concreta sunt potiùs, quàm abstracta, ut adnotat Schererus in itinerario suo p.376. Græci eleganter reddiderunt σωτηρίαν, vel σωτήριον, idque Simeoni retinere etiam visum est. Luc.2,30. Aliqui ex latinis reddunt, Servatorem. Cicero verò latinitatis, uti à doctis putatur, princeps plus significari fatetur græco vocabulo σωτῆρ, & verbo σώζειν, quàm latinâ voce Servatoris & servandi exprimi queat. Non malè itaque fecisse putandi sunt prisci Ecclesiæ Doctores, qui ut salutem in Christo nobis donatam pleniùs exprimerent, vocabulo Salvatoris & salvandi, licèt minùs latino uti voluerunt. D. Chemnit. pag. 115. harm. Evang.

Salvator potiùs quàm Servator.

Porrò Judæi excœcati, ex mero Salvatori Christi odio, ex Hebræo unam radicalium ע detraxerunt, pro יְשׁוּעַ scribentes & pronunciantes יֵשׁוּ, quod ex adbreviationibus cabalisticis conflatum, significare, deleatur nomen ejus, auctor præ reliquis est D. Chemn. loc. cit. pag 114: ubi videat lector benevolus in hanc sententiam plura.

2. *Ratio nominis*; à mandato & testimonio Angeli; à quo uterque, & Joseph & Maria mandatum acceperant, & ante & post conceptionem, ut hoc & non alio infans iste diceretur nomine. Luc.1,31. Matth.1,21.

Atque ita nomen illud non humanâ aliquâ intentione sive arbitrio, quæ errare possunt, sed Dei decreto & jussu, puerulo huic impositum est. Ratio verò nominis legitur Matth.1, 21. quòd nobis peccato perditis salutem adferre debeat. Verbum enim יָשַׁע (uti D. Chemnit. observavit) rationem significationis inde habet, quando quis ad miseros, perditos & omni spe destitutos adcurrit, & non verbis saltem, sed ipso opere se ipsis adplicat, ut opem ferat, liberet & salutem adferat. Semper enim ita usurpatur, ut simul complectatur terminum salvationis à quo, & terminum ad quem. Et post aliqua: Sensus igitur explicationis nominis Jesu hic est: *Si salvandus est populus Messiæ, perditus igitur est in peccatis, & propter peccata demersus est in perditionem sub ira Dei, maledictione, damnatione, potestate satanæ, mortis, inferni. Nec potest vel per seipsum, vel per alium liberari: sed Jesus salvum faciet populum à peccatis, & à stipendio peccati; quando sc. peccatum victimâ corporis sui expiabit, & illam suam satisfactionem fide credentibus adplicabit. Nec verò tantùm respectu termini à quo Jesus est; sed quia libertatis etiam verum confert salutem, remissionem peccatorum, reconciliationem,*

Jesus unde & cur dictus.

Har. p.114.

pag. 115.

cum Deo, gratuitam acceptationem, adoptionem, pacem conscientiæ, donationem Spiritus Sancti, salutem & vitam æternam.

3. *Temporis circumstantia:* priusquam in utero conciperetur. In circumcisione enim facta est manifestatio duntaxat & executio mandati divini. D.Chemn. p. 111. agnoscit h. l. pleonasmum conjunctionis, & ἔλλειψιν verbi, constructione in hunc modum ordinatâ: postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, sc. circumcisus est, & vocatum est nomen ejus Jesus.

Περίσματα θεολογικὰ secundæ partis.

Nominum impositio.

I. Sicut olim in circumcisione; ita hodieque rectè in Baptismi dispensatione infantibus nomina imponuntur.

II. Parentes liberis suis bona & pia nomina imponant, Vide fest. Joh. Bapt.

III. Nomen Jesu personam, maximè autem officium ejus describit. Vide locos D. Hasenreff.

IV. Nomen Jesu dulcissimam adversus peccatum, iram Dei, mortem, infernum & diabolum suppeditat consolationem.

Salus extra Jesum nulla.

V. Quisquis fingit, se salutem, quæ involvit σέρησιν κακῶν & θέσιν τ̃ ἀγαθῶν, vel per se, vel aliâ ratione ullâ se posse acquirere, non pertinet ad populum hujus Jesu. Act. 4, 12. & 10, 43. & 13, 38.

Jehovah nō est nomen ἀνεκφώνητον.

VI. Errant superstitiosi, & cum his judaizantes aliqui, existimantes nomen Jehovah esse ἀνεκφώνητον: nam de nomine Jesu h. l. dicitur, quod vocatum fuerit, & quidem ab Angelo ante conceptionem: Ergò neque nomen Jehovah dehonestabitur, si ore hominum & Angelorum proferatur. Phil. 2, 9. Genes. 4, 26. & 33, 2. Exod. 15, 3. & 33, 19. Psal. 22, 23. & 45, 18. & 102, 22. & 116, 13. Es. 42, 8. & 52, 6. & 64, 2. Jer. 23, 6. Ezech. 39, 7. Joël. 2, 26. Amos 6, 10. Mal. 3, 16.

Genuflexio ad nomen JESU.

VII. De genuflexione ad nomen Jesu. Neque enim indignum est Deo, si cum interna cordis veneratione talis externa ceremonia conjungatur. Philip. 2, 9. Vide Dn. Meelführ. thes. 63. & seqq.

Jesuitæ malè à JESU nominati.

IIX. Hypocriticum est, ne quid gravius dicam, quòd hostes Evangelii infensissimi splendido sese nomine Jesuitas adpellari volunt, luporum intereà instar in gregem Dominicum odio planè insatiabili immane quantum sævientes. Placet huc adscribere, quæ ex Anton. de Gislandis refert Dn. Meelführ. th. 85. inquiens: potiùs dicuntur Christiani à Christo uncto, quàm Jesuani à Jesu, qui interpretatur Salvator: quoniam licèt possimus ungi, sicut Christus, non tamen possumus salvare, sicut Jesus: & licet nunc in præsenti vita

Chri-

Christiani dicuntur per gratiam baptismalem, in qua ungimur; in cœlesti tamen vita Jesuitæ dicentur, i. e. salvati per gratiam.

PARS III.

Donaria, quæ strenæ loco Immanuel noster nobis offert, sunt 1. *Donum ἀκεργευσίας*; propter nos enim nostramque salutem natus est & circumcisus. Esa.9,6. Gal.3,13. & 4,4. & 5,3. Rom 8,3. & 10,4.

2. *Donum αἱματεκχυσίας*. Levit.17,11. Pſ.51,16. Eph.1,7. Col. 1,14. Heb.9,14. 1.Joh.1,7.

3. *Donum ὀνοματοθεσίας*. Phil. 2, 9. Continetur enim nomine Jesu quicquid eximium merito suo nobis ille promeruit, utpote

Contenta nominis JESU.

1. *peccatorum remissio*; Act.10,43.
2. *conscientiæ pacificatio*; Rom.5,1.
3. *salutis reparatio*; Matth.1,21. Act 4,12. Jol. 2,32
4. *filiatio*; Joh.1,12.
5. *certa precum exauditio*. Joh.16,23.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

IN prælecti Evangelii historia duo nobis enodanda occurrunt:
I. *Puerulí Jesu circumcisio*;
II. *Solemnis nominis sacrosancti impositio*.

PARS I.

Brevis admodum Lucas est, in hac Circumcisionis Dominicæ descriptione: prope enim erat V.T. abolitio, & Novi fœderis institutio: consideranda nihilominus venit,

1. *accurata temporis observatio*, facta à puerulí Jesu parentibus, legis divinæ observantissimis.

2. *Ipsa circumcisio*, quæ fuit resectio præputii in membro genitali, Domini Abrahæ divinitùs mandata; ut de peccato originis commonefaceret, in quo infantes nati, digni essent æternâ morte & abjectione; simul autem testimonium de condonato peccati reatu, propter Messiam, ex Abrahæ circumcisi prosapia oriundum, daret; medium præterea esset receptionis in fœdus Dei, nec non sigillum justitiæ fidei, ipsis verò circumcisis admonitio, de sectãda per omnẽ vitam sanctimonia, digna his, qui in fœdus gratiæ, remissis peccatis,

Circumcisio quid.

tis, à Deo sunt recepti. Ipsa porrò præputii resectio cum *αἱματεκχυσίᾳ*, doloribusque corporis acutissimis erat conjuncta. Es.53,4

USUS I. Informatorius.

Circumcisionis necessitas & utilitas.

I. *De Circumcisionis necessitate*; divinitùs enim erat instituta, ut populo V.T. esset,

1. in gratiæ divinæ notificationem; Gen 17,8.

2. in terræ promissæ certificationem;

3. in cohabitationis & præsentiæ Dei testificationem.

II. *De Circumcisionis utilitate.* Proderat enim Israëlitis

1. ad fidei confirmationem; Gen.17,11. Rom.4,11.(hodie idem operatur Baptismus, Gal.3,27. Eph.5,26. Tit.3,5.)

2 ad populi Israëlitici ab aliis segregationem; Ps.33,12. Joh.4,22.

3. ad promissionis de venturo Messia renovationem;

4. ad spiritualis circumcisionis præfigurationem; Roman.2,29. Deut.10,16. Jer.4,4. & 9,26 Act.7,51. Col.2,11. Gal.5,24.

5. ad nativitatis impuræ considerationem. Gen.6,5. Job.14,4. Ps.51,7 Es.1,6. Joh.3,6.

III. De causis circumcisionis Christi. Non enim ullâ illa legis necessitate, quæ in peccatis conceptos & natos solùm obligabat, sed liberrimâ voluntate sese circumcidi passus est; ut

Christus cur circumcisus.

1. humanitatis adsumtæ veritatem edoceret;

2. verum se Messiam demonstraret;

3. officium inde salvationis inchoaret; Hebr.9,22. 1.Joh.1,7

4. legis impletionem consummaret; Matth.5,17. Gal.5,3. Rom.5,19. & 8,3. & 10,4.

5. Sacramentis abs se institutis auctoritatem conciliaret;

6. nos liberaret; 1.Pet.1,19.

7. ad imitationem nos excitaret; quod non de corporali, sed spirituali est accipiendum circumcisione:

8. vivam deniq; nobis consolationem subministraret. Sublato enim hoc pacto doloroso, gratiosum in ejus locum Baptismi Sacramentum surrogavit.

II. Monitorius.

I. Ut puer Jesus nobis sit speculum piæ conversationis, & liberos nostros ad Deum maturè adducamus. Sir.6,18. & 30,11

Spiritualis circumcisio.

II. Ut præputia cupiditatum carnalium & stultitiam cordis nostri gladio spiritus, verbi & timoris Domini præcidamus. Vid.

præ-

præced. Eph.4,22.29. Gal.5,14. Phil.4,8. Pſ.119,37. & 123,2. & 141,3. Prov. 6,18.

III. Conſolatorius.

1. Quòd per Chriſtum redemti ſimus non à cruenta modò carnis circumciſione; ſed etiam ab inſultu ſatanæ, ne vitam nobis & juſtitiam prædicat. 1.Reg.8,23. Dan.9,4.

2. Quòd Chriſti beneficio à legis exactione liberi, adoptionem filiorum accepimus. Gal.4,4.5.6. Rom.8,3. & 10,4.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, 1. adſignantium idolo ſuo Papæ Rom. poteſtatem ſanciendi nova Sacramenta,& abrogandi vetera; unde factum in concilio Conſtantienſi, ut non obſtante Chriſti inſtitutione Eccleſiæque obſervatione,laicis calix eriperetur. At Chriſti parentes Sacramenti divinitùs inſtituti adminiſtrationem non immutant,non abrogant, ſed ſtrictè obſervant.

Papa non habet poteſtatem nova condendi Sacramenta.

2. Introducentium ſuppoſititiam clauſtralium ſuorum circumciſionem; eam verò non in ſpirituali cordis circumciſione, non in neceſſaria carnis crucifixione;(huic enim frena nimiùm laxant ſalaces Monachi ac Moniales:) ſed in voluntaria paupertate, pœnitentiæ labore,& regulari diſciplinæ obſervatione collocant; quæ mundi elementa nemo unquam à manibus eorum requiſivit. Col.2,20. Eſa.1,12. Ezech.20,19.

Papiſtica clauſtralis circumciſio

PARS II.

In nominis impoſitione obſervanda veniunt tria;

1. temporis notatio.

2. auctoris deſignatio: mediatè factum eſt,per Mariam & Joſephum; immediatè ab ipſo Deo,qui per Angelum de nomine iſto, Mariæ filiolo imponendo, ante conceptionem ejus moneri curavit.

3. Nominis ſignificatio, de qua cœleſtis Grammaticus Matth. 1,21. Juvencus Presbyter de toto negotio lib. 1. Evang. hiſt. pag. 262. ita:

Viderat octavam lucem puer,ecce recidi
Ad morem legis,nomenq; aptare neceſſe eſt;
Impoſitumq; illi (monitis cœleſtibus olim
Quod Mariæ vox miſſa Deo præcepit) IESUS.

X USUS

USUS I. Informatorius.

Quòd hic puer, Dei Mariæque Filius, sit noster Jesus, h. e. nostra salus, noster liberator & protector, contra peccatum, legis accusationem, satanam & squamas ejus. Matth. 1, 21. & 9, 12. & 11, 28. Dan. 9, 24. Mich. 7, 19. Col. 2, 14. Luc. 24, 47. Rom. 5, 1. & 8, 3. Gal. 4, 5. Joh. 12, 31. & 16, 11. 1. Joh. 3, 8. Ambros. *Omnia Jesus nobis est, si volumus. Curari desideras? Medicus est. Si febribus æstuas? fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si ire desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum adpetis, alimentum est. Gustate igitur & videte, quoniam suavis est Dominus.* Bernhard. *Melius esset non esse, quàm esse sine Jesu.*

II. Monitorius.

Monemur, de nomine Jesu sacrosancto rectè venerando & usurpando. Abutuntur enim eo tùm Judæi blasphemi, tùm Papicolæ superstitiosi, & inter hos Jesuitæ, diaboli satellites, vel maximè. Rectiùs utemur nomine isto,

Nominis Jesu recta usurpatio.

1. *cordi nostro salutare hoc nomen inscribendo;* Act. 4, 12.
2. *virtutem ejusdem per fidem nobis adplicando;* Gal. 2, 20.
3. *omnia in nomine Jesu incipiendo;* Col. 3, 17. Luc. 5, 5. 2. Timoth. 2, 8.
4. *in nomine Jesu preces ad Deum fundendo;* Joh. 16, 23. Phil. 2, 12. Rom. 10, 13. Joël. 2, 32.
5. *vita novitatem sectando;* 2. Timot. 2, 19. 2. Cor. 6, 14. Rom. 13, 13 Tit. 2, 12. 13. 14. Eph. 5, 8.
6. *in cruce & morte demum ipsa nomen Jesu dulcissimum invocando.* Joh. 16, 23. Prov. 18, 10. Luc. 10, 17. Psal. 20, 8. Act. 7, 59. Ps. 31, 6.

III. Consolatorius.

Consolatio ex nomine Jesu.

Nomen hoc delectabile, nomen confortans, uti Anshelmo dicitur, soletur nos

1. *contra peccati abundantiam;* Dan. 9, 24. Mich. 7, 19.
2. *contra satanæ truculentiam;* Gen. 3, 15. Luc. 11, 22. Col. 2, 15.
3. *contra mortis & inferni inclementiam;* Ose. 13, 14. Zach. 9, 11. Col. 1, 20.
5. *contra legis sententiam;* Rom. 8, 3. Gal. 4, 4.
6. *contra iræ divinæ vehementiam;* Rom. 5, 9. & 8, 31. & seqq. 1. Thess. 1, 10.

IV. Re-

IV. Refutatorius.

1. Pontificiorum, salutem æternam Mariæ & aliis sanctis, eorumque immò propriis quoque meritis attribuentium. Act. 4, 12 Lutherus in post. domest. Gute Werck sol man thun/aber gute Werck sind nicht Jesus.

Salus Mariæ non adscribenda.

2. Calvinianorum, in nomine Jesu sanctissimo, & vel ipsis inferorum portis tremendo, ne genua quidem incurvantium; Phil. 2, 9. & seqq. quo tamen honore principibus & magnatibus suis insigniter adblandiri didicerunt.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Quia Calendis Januarii novum more solito auspicamur annum, proinde boni ominis loco causas investigabimus solùm *cur novitati etiam vitæ cum anno novo sit studendum.*

Ἐξήγησις.

Cum novo anno novitati fidei studendum, & cur.

Quicunque igitur cum εὐετηρίᾳ divina εὐτυχίᾳ quoque & εὐπραγίᾳ uti-frui desiderat, (desideramus autem his potissimùm temporibus turbulentissimis ac perturbatissimis haud dubiè omnes:) novam necesse est, ut ineat vivendi rationem, depositâ omni cum anno veteri malitiâ inveteratâ. Audi rei causas svadentes, urgentes, impellentes! Moveat ad istam nos pietatem

I. *Fœderis cum Deo sanciti recordatio.* Fiebat hoc olim V. T. tempore in carnis externa circumcisione; jam in nostra per Baptismum regeneratione. Fœdera autem sunt ex utraque parte reciproca, & constant tùm promissione, tùm obligatione.

II. *Sancta Domini Jesu circumcisio.* Rectè, ut omnia, Beustus;

Pro nobis rerum Dominus præciditur Infans,
in se derivans flebile legis onus.

Hinc circumcisio ipsius nobis est;

Circumcisionis Christi fructus.

1. *fidei firmamentum;*
2. *humilitatis documentum;*
3. *legis divinæ complementum;* [Theophyl. qui mandata legis prævaricabantur, sub maledictione erant. Dominus igitur circumciditur, ut etiam in hoc adimpletâ lege, & nullo prætermisso, quod illa mandabat, eripiat nos à maledicto.]
4. *adventus Messiæ argumentum;*

5. *naturæ adſumtæ fundamentum*; [Theophyl. Revereantur hîc, qui dicunt, quòd Chriſtus incarnatus ſit adparenter tantùm.]

6. *redemtionis ſeu λύτρου perſoluti experimentum.* Inutiliter, ſecundum eundem Theophylactum, quæritur, ubi ſit abſecta illa particula. Nam quæ ſcriptura tacuit, ea quærere non oportet, præſertim ubi nulla utilitas. *Dici autem poſſet, quòd quando abſectum terram tetigit, illam quoq; ſanctificârit*; ſicut etiam ſangvis & aqua, quæ ex latere ejus fluxerunt. Et videtur, quòd ſervârit particulam illæſam, & in reſurrectione iterum reſumſerit, ut & hæc particula non inveniatur deeſſe. Hæc ille. Nos literalem tenemus ſenſum, verè Chriſtum more reliquorum infantum fuiſſe circumciſum.

7. *imitationis & pœnitentiæ incitamentum.* Opera autem nobis omnibus eſt danda, ut ſeriò & αἰωνοπρεπῶς vita noſtra malitioſa corrigatur, idque fiat

Modus reſipiſcendi novo anno.

1. *verè de admiſſis peccatis dolendo*; Pſ. 25, 6. 7. & 65, 4. & 143, 2. Thr. 3, 40. & ſeq. Dan. 9, 18. & ſeqq. Luc. 18, 13.

2. *gratias agendo*; Gen. 32, 10. Pſal. 34, 2. & 69, 31. 32. & 103, 1. Sir. 50, 24.

3. *precando*; tùm noſtrâ, tùm aliorum causâ; 1 Tim. 2, 1 Hebr. 13, 18. Jac. 1, 17. & 5. 16.

4. *dona aliis diſtribuendo*; Hebr. 13, 16.

5. *congratulando*; Num. 6, 24. Pſal. 122, 6. Luc. 10, 5. Johan. 20, 19.

6. *laborando*; 1. Theſſ. 4, 11.

7. *perdurando*; Non enim eſt, quod aureum nobis in novo anno polliceamur ſeculum: Apoc. 14, 12. hîc patientia ſanctorum eſt.

III. *Mortalitatis congenitæ conſideratio.* Dies enim tui aliquando complebuntur & ipſi; morte tandem morieris. Gen. 2, 17. Pſ. 39, 5. & ſeqq: & 90, 12. Sir. 7, 40. & 14, 18.

IV. *Pia nominis Jeſu meditatio.* Soletur enim nos nomen Jeſuli noſtri ſanctiſſimum, quod ſonat Salvatorem, Auxiliatorem, Medicum, non corporis tantùm, ſed animæ potiſſimùm. Utere-fruere hoc nomine dulciſſimo, ô bone; erit ad conſolandum efficaciſſimum

Conſolatio ex nomine Jeſu.

1. *in quotidiana invocatione*; Joh, 16, 23.

impetrat in Chriſti Nomine cuncta fides:

2. *in impetranda peccatorum remiſſione*; Matth. 1, 21. Actor. 10, 43. Rom. 8, 1.

3. in

3. *in cruce & adflictione*; Pf.68,21. & 91,15. & 103,3. & 116,4.
4. *in constanti confessione*; lucet prædicatum; Matth.10,32.
5. *in satanæ incursione & tentatione*; Prov. 18, 10. Ein Wörtlein kan ihn fällen.
6. *in tua vocatione*; Col.3,17.
7. *in mortis invasione*; Gen. 49,18. Act.7,59.
8. *in proximi dilectione*;
9. *in gratiarum actione*, pro beneficiis maximè anno præterlapso nobis omnibus cumulatim exhibitis; qualia sunt
   1. *doctrinæ cælestis puritas*;
   2. *Reipub. tranquillitas*;
   3. *aëris salubritas*;
   4. *terræ fertilitas*;
   5. *multa* quâ animam, quâ corpus, *felicitas*.

Ingeminamus proinde illud Ecclesiæ canticum: *Grates nunc omnes reddamus Domino Deo nostro, qui suâ nativitate nos liberavit de diabolica potestate. Huic oportet, ut canamus cum Angelis semper: Gloria in excelsis Deo. Hallelujah! Hallelujah!*

DOMINICA POST DIEM CIRCUMCISIONIS CHRISTI.

EVANGELIUM

Matth. 2. à vers. 13. ad finem usq; cap.

13. Ἀναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσήφ, λέγων· ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ φεῦγε εἰς Αἴγυπτον· καὶ ἴσθι ἐκεῖ ἕως ἂν εἴπω σοί· μέλλει γὰρ Ἡρώδης ζητεῖν τὸ παιδίον, τοῦ ἀπολέσαι αὐτό.

13. *Digressis autem illis, ecce angelus Domini adparet in somnis Joseph, dicens: Surge & adsume puerum ac matrem illius, & fuge in Ægyptum: & esto illic, donec dixero tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.*

14. Ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ νυκτός, καὶ ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον.

14. *Ille verò excitatus adsumsit puerum & matrem ejus noctu, & secessit in Ægyptum.*

15. Καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδου· ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου, διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος· ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

Ose. 11, 1.

16. Τότε Ἡρώδης ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, ἐθυμώθη λίαν, καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, τοὺς ἐν Βηθλεέμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων.

17. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου λέγοντος.

Jer. 31, 15.

18. Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς, Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί.

19. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ἡρώδου, ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου κατ' ὄναρ φαίνεται τῷ Ἰωσὴφ ἐν Αἰγύπτῳ,

20. Λέγων· ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ πορεύου εἰς γῆν Ἰσραήλ· τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου.

21. Ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Ἰσραήλ.

22. Ἀκούσας δὲ ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν· χρηματισθεὶς δὲ κατ' ὄναρ ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας.

23. Καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ· ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

15. Et fuit illic usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.

16. Tum ubi Herodes vidit, sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est vehementer: ac missis (satellitibus) interfecit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, quotquot essent bimuli, & minores, juxta tempus, quod exactè cognoverat à Magis.

17. Tunc impletum est quod dictum fuerat ab Hieremia, cùm ait:

18. Vox in Rhama audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quòd non sint.

19. Ceterùm defuncto Herode, ecce angelus Domini in somnus adparet Joseph in Ægypto;

20. Dicens: Surge & adsume puerum & matrem ejus, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

21. At ille surgens adsumsit puerum & matrem illius, & venit in terram Israël.

22. Verùm cùm audisset Archelaum regnare in Judæa, loco Herodis patris sui, timuit illuc abire: sed oraculo admonitus in somnis secessit in partes Galilææ.

23. Ac profectus habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut impleretur quod dictum fuerat per Prophetas; Nazaræus vocabitur.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

CUm præsentis quoque Evangelii lectio rei gestæ commemorationem continuam complectatur, ad generis illam demonstrativi classem meritò referimus. Depingit enim nobis,

I. *triste recens-nati Jesuli exilium*; abitus.

II. *crudele Herodis infanticidium*; interitus.

III. *dulces reditus ex Ægypto indicium*. Unde tres quoque emergunt Evangelii partes, quas ordine suo paulò accuratiùs contemplabimur. reditus.

PARS I.

Exilii descriptio quatuor potissimùm κεφάλαια continet: Exilium Christi,

I. *Temporis circumstantiam*: contigit nim. post Magorum Orientalium discessum, tempusque puerperii exactum. Et hæc fuit ipsa fugæ occasio, quòd Scribæ, teste Josepho, Herodi significavetant, Dei decretum esse, ut nato Messiâ sceptrum regni ad illum ita transferretur, ut omnes Reges hunc solum adorarent. Ps.72,11. Huc accessit id, quòd Matthæus commemorat, Herodem de stella nova ex Magis audivisse. Cognito itaque ex Scribis loco, quem Messiæ nativitati Michæas destinârat, hostili cœpit animo excidium puero Jesu meditari, sed quod machinabatur insidiosè dissimulabat. Insidias autem quas Filio suo struebat, mirando Deus consilio prævenit & avertit. lib. 17. antiq. cap. 3.

II. *Legati eminentiam*. Habes exilii αἴτιον ποιητικὸν καὶ κινητικὸν, Angelum, non malum aliquem, sed Domini. Innuitur secundum communem Dd. sententiam, Gabriel Archangelus. Habes item τρόπον apparitionis, factæ per somnium.

III. *Mandati sententiam*, quam Angeli oratio exponit. Indicat autem

1 summam mandati, quid Deus à Josepho fieri velit; jubet eum 1. surgere;

2. puerulum (Jesum) cum matre (Maria) adsumere; &

3. fugere. Non enim exerere jam voluit potentiam suam, in conterendo hoste Herode, sed fugere, ut ostenderet, esse jam tempus exinanitionis; & se non venisse animas perdere, sed salvare. Luc.9,56.

2. Fugæ locum, vel terminum

1. à quo, Bethlehem;

2. ad quem, Ægyptum. Longum sanè, difficilè ac periculosum fuit hoc iter: senem Josephum, cum recenti ac tenera puerpera, cum infante (uti D. Chemnitius existimat) 40. dierum, ultra ducenta passuum millia, per vastam solitudinem, ad homines prorsus ignotos fugere. Scriptores Ecclesiastici locum speciatim exprimere volentes, ajunt alii fuisse Heliopolim, alii Babylonem, alii Hermopolim. Sed hoc de scripturis auctoritatem non habet. Vide D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 41.

Harm. Ev. p. 162.

Fugæ Christi locus.

3. Moram vel durationem exilii: non nisi jussus revertatur. Incertum itaque erat, quàm diu duraturum esset hoc exilium.

4. Exilii causam, desumtam ab inutili, seu fine, quem Herodes intendebat, pessimo: præsentissimum enim vitæ periculum ex cruento, quod callidè dissimulabat, consilio, puerulo Jesu imminebat.

IV. *Josephi in obsequendo diligentiam.* Hic considerabis

1. personas peregrinantes; Christum, *Mariam* θεοτόκον, & Josephum θεοτρόφον.

2. tempus fugæ arreptæ, cui capessendæ noctem elegit, ut tempus ad fugam tutius. Ceterum in tempore fugæ ἀκριβῶς adsignando, discrepant scriptores Ecclesiastici plurimùm, aliis statuentibus, Mariam post purificationis dies Elisabetham cum Johanne invisisse, & in reditu Nazarethum versus, Angelo monente, fugam statim in Ægyptum adprehendisse: aliis contrà existimantibus, rediisse illam Nazarethum, & ex ea civitate profugisse. At certum est, fugam istam in prima statim Christi infantia contigisse, *tùm* ut totius vitæ suæ curriculum nil nisi πάθος esse testatum faceret; *tùm* ut suo nos exemplo firmaret, bonum esse homini, jugum portare ab adolescentia sua; Thren. 3, 27. nullamque hominis ætatem, quamvis tenellam, persecutionum atque ærumnarum esse expertem.

Fugæ Christi tempus.

3. Locum exilio destinatum, Ægyptum.

4. Finem 1. exilii; desinet cum morte tyranni. Eris in Ægypto, donec dixero tibi, h. e. revocavero te: quibus verbis simul certum & præsens Dei auxilium promittit, quòd tutus in Ægyptum venturus sit, tutus ibi servandus, & incolumis inde rediturus.

2. Consilii divini, ut adimpleretur vaticinium Ose. 11, 1. ex Ægypto vocavi Filium meum. Loquitur quidem Propheta de Israële; Matthæus autem per ἀναλογίαν transfert ad Christum, ut typo respondeat antitypus. Primogenitus enim per gratiam fuit typus primogeniti, immò Unigeniti per naturam. Confer Dn. D. Chemn. harm. Evang. lib. 1. cap. 12. p. 163.

Vide D. Finck. cent. 1. can. 30

Ho-

Πορίσματα θεολογικὰ primæ partis.

I. Illustre habes exemplum Providentiæ Dei, in evertendis hostium suorum consiliis, Job.5,12. Proverb.21,30. Psal.2,4. & 33,10. Esa.8,1.

Providentiæ Dei exemplum.

II. Media à Deo in periculis devitandis monstrata non temerè sunt negligenda. Matth. 10,16.

Media evitandi periculi non negligenda

III. Miracula, quæ in exilio Christi contigisse nonnulli tradunt, scripturæ destituuntur auctoritate. Eâdem ergò facilitate contemnuntur, qua proferuntur. Vide D. Chemn. d.l. pag.161.

IV. Christus vixdum in lucem editus cœpit pro nobis pati & crucifigi, tùm in sese, tùm in membris suis.

V. Hactenus gloria Unigeniti à Patre insignes aliquot exeruit radios; jam infirmitatis & exinanitionis quâdam quasi nubeculâ tegi eadem & occultari incipit. Phil. 2,7.

Exinanitio Christi.

VI. Immensâ hac Christi exulantis humiliatione nostra superbia & inobedientia fuit expianda.

VII. Specimen vides regni Christi in hoc mundo: non est illud seculare, sed spirituale, non magnificum & splendidum, sed calamitosum & persecutioni obnoxium. Joh. 18,36. Matth.10,38. Act.9,16.

Regni Christi in hac vita conditio.

IIX. Notentur causæ, cur Christus, qui mille modis aliis vitam tueri potuisset suam, fugâ salvum se præstare voluerit. Causæ præcipuæ sunt quatuor:

Fugam cur Christus adprehenderit.

1. *humanitatis vera demonstratio*, ut per omnia tentatum se probaret:
2. *nostra informatio*, ut suo exemplo doceret, non omnem fugam esse in vitio, sed licere interdum uti hoc salutis præsidio: Matth.12,15. Joh.7,1. Act.9,30. & 12,17. 2.Cor. 11,32. Matth.10,23. Vide ex professo de hac materia disserentem Dn. Meelführer in Vindic. th.2. & seqq.
3. *regni adumbratio*, testari enim hac fugâ voluit, se non esse κοσμοπολίτην, sed ἀόριστον in terris καὶ ἐξόριον.
4. *periculi declinatio*, fugit, quia nondum venerat passionis hora, quam sibi destinatam noverat.

Vide D. Pelarg quæst. in Matth. f. 41. & 42.

IX. Deus paternâ suorum curâ ita adficitur, ut in summis etiam periculis eos defendat ac tueatur. Ps.37,5. & 55,23. Philip.4,6. 1.Petr.5,7.

X. Deus electis suis crucem non imponit, nisi priùs in verbo suo eos præmonuerit. Amos 3,7. Thr.3,37.

Angeli comites piorum.

XI. Angeli piis destinantur comites, duces & custodes Psal. 34,8. & 91,11. Hebr.1,14.

Angeli non adorandi.

XII. Angelos non esse adorandos exemplo Mariæ & Josephi edocemur; quia

1. obstat Dei mandatum, ad sui cultum nos revocantis. Esa.42,8. Matth.4,10. Deut.6,13. & 10,20.
2. Angeli ipsi hunc sibi honorem non sumunt, sed oblatum à se repudiant. Hebr,5,4. Apoc.19,10.& 22,9.
3. Malorum angelorum hoc est proprium, à Deo vero in cultu nos abducere. Matth.4,9.
4. Angelolatria à Paulo damnatur. Col.2,18. Vide Vindic. Dn.Meelführer. th.30. & seqq.

Apparitiones Angelorum jam rariores.

XIII. Suggestiones & adparitiones Angelorum negari planè non possunt; rariores tamen hâc ultimâ mundi ætate cùm sint, eatenus tantùm sunt audiendæ & admittendæ, quatenus sacrarum literarum consensus aut comprobatio accesserit: nam & satanas in Angelum lucis quandoque sese transformat. 2. Cor.11, 14. Gal. 1,8. Vide d. l. th.37. & seqq. ubi simul invenies decisionem quæstionis, an & quomodo Angeli futura præsciant? An cuilibet homini peculiaris attributus sit Angelus? de civili item cum infidelibus conversatione.

Maria typus Ecclesiæ.

XIV. Maria primitias gladii, animam transeuntis, persentiscens typus est Ecclesiæ. Esa.54,6. Apoc.12,6.

XV. Verbalem de cruce concionem non longo intervallo realis excipit.

Persecutio & consolatio cohærent.

XVI. Persecutio & consolatio perpetuò cohærent. Insidiæ in corde Herodis adhuc dum latitabant; sed Angelus Domini monet, antequam in nervum erumpant, promittiturque liberatio ab exilio. Gen.15,13.14.

XVII. Deo mandanti promto obtemperandum est animo. 1.Sam.15,23. Sir.35,2.

XIIX. Calamitates non sunt perpetuæ, sed finem habent. Esa. 54,7.

XIX. Deus locutus est per os Prophetarum. 2.Sam.23,2.Luc. 1,70. 2.Tim.3,16. 2. Petr.1,20.

XX. Fuga in Ægyptum typus fuit vel προόρμου vocationis gentium, fore tandem, ut Christus cum regno suo à Judæis variis persecutionibus repudiatus, ad gentes sese convertat.

Peregrinationes Papistarum.

XX. Nihil ex peregrinatione hac dura, necessaria & inevitabili, (quam fugam veriùs vel exilium dixeris) patrocinii accedit

ad

ad superstitiosas Papicolarum peregrinationes, quas illi ex voto & devotionis ergò(uti loquuntur) ad loca sacra,reliquias, sepulcra, imagines & statuas Sanctorum suscipiunt,alibi quærentes, quod in solo Christo quærere debebant,Act.4,12. cùm præsertim loca illa, ad quæ peregrinantur, historicâ fide destituantur; nulli quoque loco Deus pietatem ac sanctitatem alligari, sed ubique preces effundi velit, 1.Tim.2,8. quin certa loca pietatis & sanctitatis majoris causâ deligentes Christus damnârit. Matth.24,26. in scripturis denique superstitionis istius nullum neque mandatum, neque exemplum,neque promissio ullibi extet.

PARS II.

Historiam βρεφοκτονίας sive lanienæ Herodianæ brevissimè perstringens potiùs, quàm describens Evangelista, omnibus retrò seculis inauditum, truculentum & miserabile spectaculum, verbis explicari non posse innuit. Adnotavit autem

Infanticidium Herodis.

I. τὸ ἡγούμενον *sive antecedens*, facti continens causam

1. *περικαταφρονητικὴν Magorum illusionem*; ita enim Herodi videbatur.

2. *περιοργισμένην, vehementem indignationem.* Magi quidem nihil quicquam hoc facto suo reprehensione dignum admiserunt; quia in malis promissis fides non servanda, sed rescindenda est: & Deo oportet magis obedire,quàm hominibus: Iram nihilominùs tyranno dignam Herodes concepit. Verbum enim ἐθυμώθη usurpatur pro eo, quód est, exarsit furor ejus, ut in rabiem quodammodo versus videretur. Non enim hominis sani, sed insanientis hoc est facinus. Iram verò in animo conceptam tyrannus aliquamdiu dissimulavit; videbat enim se id,quod meditabatur,sine insigni tumultu & periculosa vulgi seditione executioni committere nullo modo posse,multorum animis, tùm Magorum inquisitione, tùm Simeonis ac Hannæ testificatione commotis,& in spem Messiæ exhibiti quodammodo excitatis.

Herodis ira dissimulatur.

II. τὸ σύνεχον ἢ μέσον,ipsum factum crudelissimum;cujus

1. *causam ὀργανικὴν*, h. e. facinoris administros & satellites indicat. Participium ἀποστείλας absolutè positum ostendit,non clam Herodem sustulisse infantes, sed vel edicto publico adfixo, vel missis lictoribus ac carnificibus publicis, à quibus non multùm esse absimiles militum plerosque,irruptio Cæsario-Tilliani exercitus in has regiones, & hanc subsecuta immanis ac barbara nos (eheu!) deprædatio edocuit,

Anno 1631. mense Augusto & Septembri.

2. *Modum* addit; ἀνεῖλε, quæ vox de publicis suppliciis usurpari solita, Act.2,23. & 10,39. & 12,2. immanem & insignem trucidantium crudelitatem subinnuit, quam graphicis admodum verbis exponit Dn. D. Hunn. in Matth. p. 64.

3. *Objecta*, in quæ tàm immaniter sævitum fuerit, recenset: pueri nim. trucidantur, tùm Bethlehemitici, tùm in vicinia illa nati, oppidani & pagani, bimuli & infrà, h. e. majoris & minoris ætatis parvuli, immò recentissimè nati infantes masculi, quorum numerum adauxit (horresco referens) proprii filioli, quem ex uxore Judaica susceperat Herodes, internecio. Immane hoc facinus Rom. Imp. Augustus rescifcens, per jocum (referente Macrobio) respondit: malle se Herodis porcum, quàm filium esse; quòd simulatâ superstitione in Judæorum gratiam porcos mactare non soleret.

Herodes filio proprio non parcit.

III. τὸ ἐπόμενον; matronarum luctus, per omnem oram Bethlehemiticam subsecutus. Amplificatur testimonio divino mediato. Ait enim Evangelista, lanienam istam multis antè seculis fuisse prænunciatam Jer.31,15. Vaticinium illud etsi ῥητῶς de captivitate Babylonica intelligi debere videatur: tamen τυπικῶς καὶ πρώτως de infanticidio hoc agere, textus συνέπεια, antecedentia & consequentia evincunt. Rahel autem figurato sermone notat Bethlehem oppidum, in cujus finibus matriarcha illa mortua & sepulta fuit, Gen.35,19. Per synecdochen verò Rahel sumitur pro matronis Bethlehemiticis, sublato in cœlum clamore, planctu & ejulatu lamentabili miserrimam parvulorum suorum sortem deplorantibus. Rama vel appellativè capitur, pro excelso (רום altus, excelsus fuit) q. d. in excelso vox audita longè latèque fuit dispersa; vel καθ' ὑπερβολὴν tantus significatur ploratus, cujus sonus extra fines etiam Bethlehemiticos in Rama exauditus fuerit.

Tremell. in notis.

Πορίσματα θεολογικὰ secundæ partis.

I. Videmus potentiam diaboli in filiis incredulitatis. Eph. 2,3. 2. Tim. 2,26.

II. Ubi expellitur Christus, ibi ingreditur satanas, spiritus mendax & homicida ab initio. Joh. 8,44. Ose. 9,12. Luc. 11,26.

III. Monemur de detestando φιλαρχίας & ambitionis vitio, quod homines in beluas convertit. Deut. 32,3. Dan. 4, 17. Joh. 5,44. Act. 12.23. Exod. 1,16. 22. Jud. 9,5. 2. Sam. 15,10.15. 1. Reg. 16,10.15 2. Reg. 15,10 13. 1. Macc. 13,13. 2. Reg. 11,1. Sir. 3,20. & seqq. Phil. 2,3

Ambitionis & φιλαρχίας vis.

IV. Plerunque mores Dominorum imitantur famuli. Sir. 10,2.

V.

V. Potuisset Dominus furorem insanientis Regis, vel tyranni potiùs, facilè cohibere, sed eò usque canem rabiosum sævire permisit.

Herodis infanticidium cur Deus permiserit.

1. *ob propheticum vaticinium;*
2. *in Messiæ exhibiti testimonium;*
3. *in contemtus & ingratitudinis supplicium*; ut nim. parentum, hospitium sibi negantium, hoc pacto ulcisceretur ingratitudinem;
4. *in nativitatis Christi præconium*, ut μάρτυρας vel testes quosdam haberet, in ipso statim ortu suo, Salvator;
5. *in peccati mortisq; indicium*; cujus ἐνέργεια in ista statim ætate, quæ non nisi respectu hominum innocens dicitur, adparuit;
6. *in Ecclesiæ veræ τεκμήριον*, cujus conditionem depingere hac ratione debuit: ea enim uti loquitur ad Theophilum Hieronymus, *fundendo sangvinem fundata, persecutionibus crevit, martyriis coronata est;*
7. *in vitæ alterius testimonium.*

VI. Errant Esawitæ errorem maximum, singularia puerorum innocentium merita, quibus salutem temporiùs consecuti sint, confingentes: lætificatos item in limbo patres, confusos autem dæmonas, comminiscentes. Nullum enim potest esse meritum eorum, qui ratione adhuc carent; lætitia verò patrum in limbo potuit esse nulla, in nullo enim limbo nulli erant.

Papistarum de meritis innocentiũ puerorum figmentum

VII. Deus subditorum peccata impio & tyrannico Magistratu punit. Oremus ergò pro boni ac tolerabilis Magistratus incolumitate. 1. Tim. 2, 1. 2.

Subditorũ peccata Magistratu impio puniuntur.

IIX. Dubitatur an justè occisi sint tenelli isti martyres, quippè innocentes? Resp. Innocentes sunt secundum quid, σχετικῶς, respectu Herodis; aliàs respectu Dei neque ipsi fuêre innocentes. Exod. 34, 7. Psal. 51, 7. Rom. 5, 12. & 6, 23.

Innocentes pueri quomodo.

IX. Malè fecerunt satellites Herodis, in re tàm nefaria, tamque effusè impia Regi suo obtemperantes. Act. 4, 5. & 5, 29. Exod. 1, 7. 1. Sam. 22, 17.

PARS III.

Infanticidio Herodis infando subjungitur tandem reditus puerili Jesu ex Ægypto. Adsignat autem Matthæus in hujus descriptione,

I. *Temporis circumstantiam*; revocatur enim Herode defun-

Harm. Ev. p. 169.

ctо. Et hinc poteſt colligi,(refero verba D.Chemnitii)quàm diu in Ægypto hæſerit, ſc. usque ad mortem Herodis. Videatur de tragico Herodis interitu Joſephus lib.17. cap.8. & ſeqq. Dn.Chemn.d.l. p.171. D. Hunn. in Matth.p.70.

II. Cauſæ moventis ſeu efficientis excellentiam: monente enim Domini Angelo revertitur Joſephus. Amplif. adjunctis 1. τρόπȣ. 2. τόπȣ.

III. Angelicæ orationis formam, quâ iterum jubet Joſephum

1. ſurgere;
2. puerum cum matre accipere;
3. ab exilio redire,adjectâ ratione ab utili: defuncti ſunt, qui quærebant animam h.e. vitam pueri. Analoga his leguntur Exod. 4, 19. cùm in Ægyptum redire juberetur Moſes. Voluit enim Deus ubique oſtendere ἀναλογίαν inter eductionem populi Iſraëlitici ex Ægypto per Moſen, & inter redemtionem generis humani à peccato & morte per Chriſtũ.

IV. Joſephi obedientiam, in omnibus mandato divino conformem. Atq; ita revertitur Joſephus,lætiori utique animo,quàm in exilium conceſſerat. Reditus iſte deſcribitur à termino ad quem, ſive à loco,quò redierit; is verò eſt

1. communis vel generalis, terra Iſraël;
2. proprius ſive ſpecialis,Galilæa, &
3. ſpecialior, urbs Galilææ Nazareth. Additur cauſa
1. Archelai ſucceſſio; qui in eodem impietatis & tyrannidis ludo cum patre erat edoctus; atque ita κακȣ̃ κόρακ☉ κακὸν ᾠόν.
2. divina admonitio:
3. ſcripturæ impletio. Quomodo verò vaticinium hocce ſit accipiendum,& cum ſcriptura prophetica conciliandum, vide apud Dn.D.Chemnit. Harm. Evang. cap.14. lib.1. p.172. & ſeq. & apud D. Hunn. citato loco p.72. Cum quibus non incommodè conferri poteſt D. Pelarg. in quæſt. ſup. Matth.f.44. ubi initiò breviter recenſet interpretum opiniones diſcrepantes,& ad quatuor claſſes reducit; nonnullis exiſtimantibus, teſtimonium illud deſumtum eſſe à Prophetis iſtis,qui temporum injuriâ perierunt;aliis per Prophetas intelligentibus eorundem interpretes, qui ex Prophetis collegerint,vocandum eſſe Chriſtum Nazaræum; aliis Chriſtum ita nuncupatum eſſe ſtatuentibus, ſenſu myſtico & in typis; aliis denique ex Eſa. 11, 1. derivatum eſſe teſtimonium colligentibus. Tandem autem hanc addit ἐπίκρισιν: *dubio procul certior illo-*

rum

rum est sententia, qui ad verba Judic. 13, 5. respicientes in Christo completum esse volunt quod in Samsone erat figuratum. Rationes hujus sententiæ vide d. l. quò te benevole Lector brevitatis causâ remitto.

Πορίσματα θεολογικά tertiæ partis.

I. Deus ultra vires suos fideles non tentat. Psal. 68, 20. & seqq. 1. Cor. 10, 13.

II. Deus in mediis periculis suorum curam agit. Zach. 2, 5.

III. Tyranni tandem tragicè pereunt. Sap. 6, 7. Ps. 73, 19.

IV. Mors persecutorum Ecclesiæ parit χαλλιλω & lætitiam. Ps. 52, 8. & 58. 12.

Mors persecutorum Ecclesiæ læta.

V. Majestas Jesuli in medio exinanitionis statu inde adparet, quòd hostes suos graviter ulciscatur.

VI. Extraordinarium est, per insomnia & adparitiones Deum agere cum hominibus. Olim usitatior erat isthæc agendi ratio, jam desiit, & remittimur ordinariè ad verbum revelatum. Esa. 8, 20. Sir. 34, 1. & seqq. Joh. 1, 18. Hebr. 1, 1.

VII. Deus infirmitatibus sanctorum aliquid indulget. Psal. 103, 14.

IIX. Deus tutum Ecclesiæ receptum præbet. Ps. 46, 1. & seqq.

IX. Christus singulari Dei providentiâ Nazarethi educatur, ut constet, esse illum verum Nazaræum, per Nazaræos V. T. adumbratum; seu germen atque virgultum ex radice Isai oriundum. Esa. 11, 1. Jer. 23, 5. Zach. 6, 12. Esa. 4, 2. Sub finem hujus dispositionis temperare mihi non possum, quin huc adscribam elegantissimos Sedulii Presbyteri de infanticidio versiculos, Lectori forsan non ingratos futuros. Sic autem illi habent:

Ergò ubi delusum se comperit impius, iram
Rex aperit, *si jure queat Rex ille vocari,*
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram;
Ereptumque gemens facinus sibi, ceu leo frendens,
Cujus ab ore tener subitò cum labitur agnus,
In totum movet arma gregem, manditque trahitque
Molle pecus, trepidæque vocant sua pignora fœtæ,
Nec quicquam & vacuas implent balatibus auras:
Haud secus Herodes Christo stimulatus ademto,
Sternere collisas parvorum strage catervas
Immeritò non cessat atrox: quo crimine simplex
Turba perit? Cur qui vixdum potuére creari,

lib. 2. carm. p. 65. " "

Jam

Jam meruêre mori? Furor est in Rege cruento.
Non ratio; primosque necans vagitus, & audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangoremque dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato vertice rupit;
Ille genas secuit: nudum ferit altera pugnis
Pectus, & infelix mater (nec jam modò mater)
Orba super gelidum frustrà premit ubera natum.
Quis tibi tunc lanio cernenti talia sensus?
Quósve dabas fremitus, cùm vulnera fervere latè
Prospiceres arce ex summa, vastumque videres
Misceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
" *Extinctisq; tamen, quamvis infantibus absens,*
" *Præsens Christus erat, qui sancta pericula semper*
" *Suscipit, & pœnas alieno in corpore sentit.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

SPlendida satis hactenus Ecclesia proposuit regni Christi initia; hanc summa statim & inexpectata excipit δυστυχία, fugam ipso cum Maria matre & Josepho Dei jussu subeunte. Tractabimus duo, audituri

I. de Christi in exilium ejectione;
II. de ejusdem à fuga revocatione.

PARS I.

Fugam Christi describit Evangelista certis circumstantiis; & quidem,

I. *A temporis notatione*; Magis digressis facta est; ἀναχωρησάντων αὐτῶν: quibus verbis innuitur, discessum Magorum & consilium de fuga cohærere; aut certè tempore non multùm abs se invicem separata fuisse. Quæritur: *Cur Magos priùs venire & abire Deus voluerit, quàm Filium in exilium mitteret?* Resp. ut

Magi cur ante fugam Christi venerint.

1. divulgato rumore de Christo nato & exhibito, animus Herodis sangvinarius ac hypocriticus patesceret; hinc enim dependet causa erumpentis furoris & detectæ ὑποκρίσεως.

2. Commodior esset Josephi cum infante & matre paupercu-

cula peregrinatio, quibus Magi viaticum sumtusque ad viam necessarios obtulerunt.

II. *A legati, vel causæ efficientis impellentis significatione.* Fuit Angelus ille Domini, de quo in præcedentibus. Agit enim cum Josepho Deus per Angelum, qui modus fuit in V.T. usitatissimus. Quem igitur Josephus habuit ambiguorum Matth. 1. interpretem; eundem jam habet consultorem, ac imminentis periculi præmonitorem. Pertinet hoc ad causas etiam ὀργανικάς, & ad modum revelationis, quod addit, adparuisse Angelum Josepho κατ' ὄναρ, h. e. dormienti.

III. *A mandati expositione*, quod est, de fuga capessenda. Oratio Angeli est in genere deliberativo svasoria, habetque

1. Propositionem; Joseph surge, & fuge.

2. Confirmationem à periculoso: Herodes enim meditatur exitium tenello infantulo: Futurum est, ut Herodes quærat puerum (Jesum) ad perdendum illum. Quibus verbis notatur,

1. à quo metuendum sit periculum; ab Herode, mali hujus ἀρχεκάκῳ. Is enim fraudem & perniciem animo jampridem conceperat, operâ interim Magorum ad malitiam suam abusus; ut cognito per ipsos infante, certò è medio ipsum tolleret.

2. Cui immineat periculum: Christo infanti: Joseph igitur & Maria extra teli jactum esse poterant; sed Deus hos illi fugæ voluit esse comites.

3. Quale ac quantum hoc sit periculum; non leve, sed summum; agitur enim non de bonis, fama aut externa possessione, sed de vita. Finis Herodi propositus est, τὸ ἀπολέσαι; finis contrà Deo propositus est, Christum beneficio fugæ periculo subtrahere.

IV. *A mandati divini executione.* Amplificatur

1. adjuncto temporis & loci. Iter enim ingressus dicitur Josephus νυκτὸς; quia

1. noctis beneficio latere poterat rectiùs vicinos, ut inquisitio in eum tàm subitò non institueretur:

2. noctù facilior in terris calidis erat peregrinatio. Delatus autem est in Ægyptum. *Quæritur cur in Ægyptum?* Quia

In Ægyptū cur Christus fugerit

1. in alieno regno ab Herode non ita poterat inquiri; tutior igitur extra Herodis jurisdictionem futurus.

2. Vicina erat Judææ, quò facilius cum mercatoribus aliisque peregrinantibus transire poterant.

3. Angelus mandato Dei ita præceperat; qui simul terminum vel metam exilio, quanquam ἀορίστως & indefinitè, de-

terminat: esto illic, donec dixero tibi, h.e. revocavero te. Patet inde,

1. non omnia Josepho simul patefacta, sed quantum rebus præsentibus conducebat.

2. Eodem auctore revocandum Jesum à fuga, quo in Ægytum migraverat.

2. *Adjuncto celeritatis*, in exequendo mandato: sine ulla enim mora ac cunctatione, absque omni etiam hæsitatione negotium commissum intrepidè Deo fretus suscipit; periculum enim erat in mora.

3. *Duratione vel continuatione*; usque ad mortem Herodis exilium durabit.

V. *A typica vaticinii prophetici impletione.* Quatuor autem modis prophetia impleri dicitur;

Prophetia impletur quatuor modis.

1. cùm id, quod prædicitur, ῥητῶς impletur. Matth.1,22. Esa.7,14. Mich.5,7. Matth.2,6.

2. Cùm id fit, de quo non literali, sed allegorico sensu verba accipiuntur, ut Exod.12,46. Joh.16,36. 2.Sam.7,14. Hebr.1,5.

3. Cùm simile aliquid fit, quod cognationem habet cum re præterita. Matth. 2,17. Jer.31,15. Matth.13,35. Psal.78,2.

4. Cùm aliquid fit, de quo licèt verba scripturæ neque literaliter, neque allegoricè accipiantur, accipi tamen possunt, ob maximam similitudinem cum eo, de quo propriè dicta sunt. Esa. 29,13. Matth. 15,7.8. Esa 6,10. Matth.13,14. Johan.12,40. Act.28,26. Rom.11,8. Vide D. Chemn. harm. Evang. p.164. & D. Calixt. Concord. Evang. p. 74. Præsens locus ad secundum & tertium modum pertinet.

USUS I. Informatorius.

Angelorum in officio diligentia.

I. De Angelorum in faciendo officio promtitudine; quod fit

1. *mandata Dei fideliter exequendo*; Ps.103, 20.
2. *Christi opera promovendo*;
3. *pios in periculis custodiendo.* Psal.34,8. & 91, 11.

Somnia triplicia.

II. De somniorum varietate. Sunt enim illa in triplici classe:

1. quædam sunt φυσικὰ *naturalia*, ex causis merè naturalibus orta; huc referuntur humores naturales, eorundemque perturbationes; κράσεις seu temperamenta distincta, diurnarum actionum & cogitationum valida impressio, morborum symptomata & id genus alia.

2. Quæ-

2. Quædam sunt θεόπεμπτα, *divina* sive divinitùs immissa.

3. Quædam sunt *diabolica*, quæ satanam auctorem habent, qualia sunt omnia illa, quæ ad errores contra articulos fidei, vel ad scelera ac flagitia ansam hominibus præbent. Naturalia non planè sunt negligenda aut rejicienda, modò absit superstitio; divina sunt attendenda; diabolica contemnenda & fugienda. Zach.10,2. Jer. 29,8. Sir.34,1. & seqq. Confer Vindic. Dn. Meelführer. thes. 50, & seqq.

III. De odio satanæ erga semen mulieris insatiabili. Genes. 3, 15.

IV. Christiani in hac terra sunt exules & συνεςφόρει. Psal. 39,14. Matth.19,29. 1.Par.30,15. 2.Petr.2,11. Hebr.11,1. & 13,14. Psal. 34,20.Jer.25,29. & 49,12. 1.Pet.4,17.

Christiani exules.

V. Pericula in persecutione personali declinare & fugere licet. Sir.3,27. Matth.10,23. & 24,16. Gen.27,43 1 Sam.19,10. 1.Reg. 17,2. & 19,3. Matth.12,15. & 14,13. Apoc.12,6.

In persecutione personali pericula licet declinare.

VI. Christus non venit arripere regna mortalia, sed pati pro hominibus, Matth.20,28. Psal.40,9. Es.50,5. Joh.11,52. Gal.1,4. Phil.2,8.

II. Consolatorius.

Opponatur miseriis nostris consolatio

1. ex causæ bonitate; 1. Pet.4,15.
2. ex Dei providentia, quæ in eo conspicitur, quòd
   1. novit nostras adflictiones; Zach 2,5. Mat.10,30. Apoc.2,9
   2. nobis dormientibus vigilat; Psal.121, 4.
   3. consilia hostium videt, infatuat, dissipat. Job.5, 12. Psal. 33, 10.
   4. tandem dat ἔκβασιν, & mirabiliter liberat. 2.Pet.2,9.
3. Ex Angelorum custodia.
4. Ex Dei sapientia, in evertendis hostium conatibus passim declarata.

Consolatio persecutioni opponenda.

PARS II.

Audivimus triste Jesuli nostri exilium; sequitur jam Catastrophe rerum inter Christum & Herodem exoptata. Observetur *I. reditus denunciatio*, continens

1. temporis definitionem. Ait enim Evangelista, mortuo Herode Angelum Domini Josepho adparuisse. Colligitur inde, quàmdiu in Ægypto hæserit exul noster, ad mortem scil. usque He-

Tempus exilii Christi.

rodis. Numerant autem alii (inter quos etiam est B. Lutherus in postill. dom.) septem; alii quatuor annos; alii biennium tantùm. Diversitas oritur ab initio regni Herodis, quod alii constituunt ab illo tempore, quando ex Senatusconsulto Rex adpellatus fuit; alii ab occiso Antigono, cum Hierosolymam occupâsset. Inde Christum natum statuunt quidam anno Herodis 30, quidem 33. Dn. Chemnitius in eorum concedit sententiam, qui à nativitate Christi ad mortem Herodis quadriennium numerant. Porrò quàm miserè mortuus sit Herodes infanticida, in monumenta sua retulit Josephus, lib. 17. antiquit. cap. 9. intestina enim putruerunt; ipse interim laborabat βελιμία intolerabili, coli quoque cruciatibus vexatus; pudenda vermibus scatebant & depascebantur, intereà tentigine obscænâ & execrandâ libido erigebatur; anhelitus putridus, & ex toto corpore fœtor dirus exhalabat. Atque ita horrendum præbuit exemplum pœnarum, quas Dominus etiam in his terris à tyrannis exigere solet. Theophylactus ait: *Amarâ morte periit Herodes, febri & disenteriâ, & scabie, & podagra, & putredine verendorum, generatione vermium, & spirandi difficultate, & tremore, & contractione membrorum malam absolvit animam.*

Herodis mors pessima.

2. *Angeli adparitionem*, factam modo priori κατ' ὄναρ, sed in alio loco, in Ægypto. Non enim suâpte sponte, aut proprio motu reverti volebat Josephus, propter mandatum, mane, donec dixero tibi. Jam, prout promiserat, adest Angelus iterum, de reditu ipsum monens. Divinitùs ergò ab exilio revocatur.

3. *Angeli ad Josephum habitam concionem*, cujus summa est, de reditu in terram Israël. Non ait Angelus, surge citò, & redi in Judæam, sed ἐγερθεὶς, ubi experrectus fueris à somno, quo & tempus illi redeundi præscribit, & locum etiam quieti relinquit. Theophylactus: *Non dicit, fuge, sed vade, timor enim nullus erat.* Addit etiam Angelus, cum quibus redire debeat; non solus, sed cum puero & matre: ad quos enim spectârat fuga, ad eosdem etiam meritò periculi remissio pertinebat. Redire autem debuit Jesus, quia

Causæ reditus Christi ex Ægypto.

1. in Judæa alendus & educandus erat, ut Rex & Salvator populi sui;
2. salus ex Sion egredi debuit; Esa. 2, 3. Joh. 4, 22.
3. in Judæa Apostoli vocandi, Christus crucifigendus, Evangelium prædicandum Judæis, quo rejecto salus communicanda gentibus.

Locum reditus non monstrat, postmodum eundem significaturus, jam in genere adscendere jubet in Judæam; sanctis enim non omnia divinitùs simul patefiunt.

4.

4. *Suasionis rationem*, desumtam ex Herodis epitaphio: mortui sunt qui quærebant animam pueri: Ergò tutum habebit posthac in Judæa receptum. Numerum commutat, & plurali utitur, cùm de uno tantùm Herode loqui videatur. Sed hoc id scripturis nihil novi; similia enim exempla habentur, Exod. 4, 19. Nah. 2, 9. Matth. 26, 8. Joh. 12, 4. Matth. 27, 44. Marc. 15, 32. Luc. 23, 39. Aliqui putant, loqui Evangelistam de Herode & improbis ejus adulatoribus, satellitibus ac ministris, quos inter credibile est fuisse ex Scribis & Sacerdotibus aliquos, eos cumprimis, qui consilii participes fuerant, cùm in locum Messiæ natalem inquireret. Solus certè Christum persecutus non est, sed socios sceleris & habuit & misit, interfectum infantes Bethlehemiticos. Vero itaque simile est, furoris quoque ministros in vivis esse desiisse.

Herodis epitaphium.

Herodis in infanticidio socii & administri.

II. *Ipsa reversio*; in cujus descriptione notetur,

1. *verbo divino debitus honor.* Josephus enim illicò ad obedientiam mandato præstandam accingitur; omnibus actionibus in executione mandati alacritatem summam & promtitudinem miram spirantibus. Nam

1. ἐγερθεὶς παρέλαβε, q.d. hæc prima ipsius à somno excitati fuit cura, hoc unum rebus omnibus sepositis egit, ut quamprimùm itineri se accingeret;
2. adsumsit puerum & matrem, non discedens à præcepto angelico latum ungvem, nec plures, nec pauciores in curam redeundi admittens, quàm jusserat Angelus;
3. venit vel revertitur in terram Israël, de speciali manendi loco parùm, immò nihil omnium solicitus.

2. *Certus de Archelai successione rumor.* En tibi novum post gaudium novum periculi metum. Unus Herodes mortuus, plures post se relinquit tyrannos, se nihil quicquam meliores; Archelaum in Judæa, Philippum in Trachonitide, Herodem minorem in Galilæa, omnes tres nec meliores in subditos, nec meliores moribus ipso patre. Archelaum in specie quod spectat, mores ille patrios imitabatur, adeoque crudelis fuit, ut tandem tolerari non posset. Cùm igitur novem annos Toparcham, ut nonnulli volunt, non Regem egisset, (quanquam Josephus à Cæsare Regem ipsum proclamatum adseveret;) à Romanis in exilium relegatus, & Viennæ in Gallia mortuus est. Vide plura apud Joseph. lib. 17. cap. 10. & seqq.

3. *Magnus inde in Josephi animo obortus timor*; cui occurrit

4 fortis Deus in oportunitate adjutor; Josephum in Galilææ oppidum Nazareth secedere jubens, ut scriptura impleatur. Refert enim sub finem Evangelista;

1. quo auctore ex præsenti metu. & quomodo sese explicaverit. Haud dubiè enim precibus ad Deum confugiens, monitorem iterum in re dubia Angelum habuit. Colligere hoc licet ex participio χρηματισθεὶς: χρηματίζεσθαι autem propriè significat ab oraculo moneri, responsum quæsitum referre; inde est χρηματισμὸς, divinum responsum, oraculum. Rom 11,4.

χρηματίζεσθαι.

2. Quò furoris Archelai devitandi ergò declinârit. Secessit enim in Galilææ partes, h.e. in urbem Nazareth; quia

1. sic jubebat Angelus monitor;

2. illa non ad Archelaum, sed juniorem ejus fratrem pertinebat;

3. Galilæa per se erat obscura, (oppidum cumprimis Nazareth) aptior itaq; ad latitandum locus in tota Judæa eligi non poterat. De Nazarethi obscuritate vide quæ Joh.1,46. & 7,52. leguntur. Latere autem voluit Christus usque dum munus docendi publicum ingrederetur.

4. Galilæa (secundum Theophylactum) non erat terra Israël, sed gentilium; unde & Judæi sicut abominationem illos vitabant.

3. Quo fine hæc omnia ita facta sint; quia nim. Messias nomen Nazareni debuit ex Prophetarum prædictione habere. Non extat quidem hoc totidem verbis apud ullum Prophetarum, sed neque certus quispiam locus invenitur. Quandoquidem autem omnes Prophetæ, & ut Hieron. ait, omnis scriptura de Christo testetur, quod sit futurus נָזִיר h.e. separatus, selectus & sanctus; eam ob causam Evangelista id Christo ita convenire adnotat, ut per nomen etiam hoc indicetur, quo tamen à Judæis & gentilibus per contemtum vocitabatur, Joh.1,46. Chrysost. & Theophyl. (quem sequitur Aretius) existimant, periisse injuriâ temporum librum istum, è quo testimonium hoc fuit citatum. *Per negligentiam enim* (quæ verba sunt Theophylacti) *Judæorum multi libri desiderantur, & ob continuas captivitates, fortassis absq; scriptura hoc dicebatur apud Judæos.* Sed nihil opus, ut in has conjici nos angustias patiamur. Allusit Evangelista vel ad locum Esa. 11,1. vel ad locum ac typum, Judic.13,7. quæ sententia D. Lucæ Osiandro placet.

USUS

USUS I. Informatorius.

I. Cur Deus vitam tyrannis quandoque longiorem concedat, illosque in Ecclesiam adeò sævire, quin multa etiam nefanda perpetrare sinat: Herodes enim annos 37. fasces regni tenuit; nim. ut

Tyrannos cur tàm diu vivere Deus sinat.

1. hac Dei longanimitate ad pœnitentiam illi invitentur; Rom.2,4.
2. subditorum delicta puniantur, Job.34,30.
3. damnatio tyrannorum, post impletam peccatorum mensuram, sit tantò justior Job.20,6.7.8. Ps.37,7.8.9.& seqq. Ps.58,8.9.10. Esa. 14, 4. & seqq. & c.33,1.

II. Quomodo Deus suos periculis soleat eximere; mediante nimirùm

Deus periculis suos eximit.

1. *divinâ suâ sapientiâ & providentiâ;*
2. *admirabili suâ potentiâ.* 2.Pet.2,9.

III. En tibi pœnam talionis justissimam: Herodes homo omnium crudelissimus; crudeliter & ipse moritur: sangvis enim innocuus non quiescit. Gen.4,10. Ps.9,13. Apoc.6,10.

IV. Sanctis adhærent in ipso pietatis cursu infirmitates.

V. Liberi plerunque mores & naturam parentum induunt.

II. Consolatorius.

I. Quòd Deus exules suos in patriam reducat. 1.Sam.2,6. Psal. 68,21.

II. Tyranni pereunt; Christus & verbum ejus manent in æternum. Esa.40,8.

III. Non in æternum peregrinabimur. Joh.14,2. Phil. 3,21. Hebr.13,14.

IV. Deus suos interdum recreat; sunt enim vices afflictionum & consolationum perpetuæ. Ps.34,20. & 55,23. & 126,5.

V. Deus suorum curam gerit. Ps.34,10. & 91,15.16. *tùm* metam tyrannis certam determinando, Job.38,11. *tùm* Angelos ipsis adsociando; *tùm* voluntatem suam revelando; *tùm* hospitium in exilio procurando, *tùm* infirmitatibus eorum sese accommodando.

III. Monitorius.

1. Ut Deo nos præmonenti obedientiam præstemus.
2. Ut habitatione in Nazareth simus contenti, si in terra Israël locus denegetur.

3. Ut

3. Ut Deum indesinenter & ardenter pro Spiritus S. regimine oremus, ne in Herodiana & alia ruamus flagitia. Psal.51,11. & 143,10.

Exulantiũ solatium. 4. Ut exules pii sperent, fore ut ab exilio revocentur in patriam, si non terrenam, certè cœlestem.

IV. Refutatorius.

Lutheri doctrina non est diabolica. Tom.6. Jenens.f.82. & seqq.

Pontificiorum & Esawitarum, doctrinam Lutheri diabolicam, & ab ipso diabolo profectam, per insignem blasphemiam, calumniantium. Ex eo enim quòd electum illud Dei ὄργανον scribit, sibi noctu fuisse cum diabolo de missa privata & consecratione sacerdotali disputationem, sophisticè & ἀσυλλογίστως concludunt, Lutherum ipsum doctrinam suam ad auctorem satanam referre. Sic enim Suita Schererus, post truncatam, semiplenam & imperfectam verborum Lutheri allegationem concludit: Hieraus verstehen E. L. vnd Andacht/ wer des Luthers Schulmeister vnd Lehrer gewesen/ wer ihm die Argument eingeblasen/ deren sich Luther wider die Meß vnd andere Artickel des Catholischen Glaubens allezeit gebraucht/ vnd sein Anhang noch heutiges Tages gebrauchet: nicht der heilige Geist/ nicht ein Engel Gottes/ nicht ein heiliger Mann/ sondern der leidige Teuffel selbst.

post. p.1. p.88.

Calumniam hanc, non nisi diabolo calumniarum ac mendaciorum architecto dignam, abstersit à B. Luthero D. Heinricus Höpffnerus, in Saxonia sua Evangelica, sect.1. part.2. pag 95. his verbis: *Cedò si frontem habes unicam voculam, ubi Lutherus de institutione sui in allegato loco agat, & ubi diabolum vocet Magistrum suum. Aliud est institutio; aliud tentatio. Doctrinam suam de abominatione missæ privatæ habuit ex verbo sacro, nec ullum alium agnoscit fidei Magistrum, præter Christum sicut identidem in scriptis suis ad sacram scripturam provocat, & hoc ipso in loco satanam vocat mendacem. Quomodo ergò eum Doctorem agnoscat? Tentatum autem esse se à diabolo profitetur Lutherus. Quæ verò consequentia est: Audit hunc vel illum disputantem: Ergò hunc vel illum habet Doctorem.* Et post pauca: *Ain' ergò tu, si diabolus, ob disputationem pirasticam cum Luthero, fuit ejus Magister & Doctor; num & Christo talem adsignabis Magistrum? Audivit enim & ipse disputantem satanam.* Matth. 4, 1. & seqq. *Habuitnè Bernhardus talem Magistrum, cùm in acerrimo agone de propriis meritis contendentem audit diabolum, quòd illis non possit obtinere regnum cælorum? Quid ergò Lutherum in simili casu tàm horrendæ & insanæ blasphemiæ insimulas?* Vide d. l. plura.

DIS-

DISPOSITIO TERTIA.

DE BAPTISMO CHRISTI.

EVANGELIUM

Matth. 3. à verſ. 13. ad finem usq;.

13. Τότε παραγίνεται ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην πρὸς τὸν Ἰωάννην τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ.

14. Ὁ δὲ Ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν, λέγων· ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με;

15. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτὸν· ἄφες ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην· τότε ἀφίησιν αὐτόν.

16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

17. Καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν, λέγουσα· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

13. Tunc accedit (advenit) Jeſus à Galilæa ad Jordanem, ad Johannem, ut baptizaretur ab illo. Marc. 1, 9. Luc. 3, 21.

14. At Johannes prohibebat illum, dicens: mihi opus eſt, ut abs te baptizer, & tu venis ad me?

15. Reſpondens autem Jeſus dixit ad illum; omitte nunc: ſic enim decet nos, ut compleamus omnem juſticiam: tunc omittit illum.

16. Et Baptizatus Jeſus adſcendit protinus ab aqua, & ecce aperti ſunt illi cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper ipſum.

17. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum eſt. Matth. 17, 5. Luc. 9, 35. Joh. 1, 32.

PROPOSITIO διμερής.

TErtiæ diſpoſitionis loco tractabimus jucundiſſimam juxtà ac ſolarii pleniſſimam hiſtoriam, de Chriſto baptizato. Nam & illa hâc Dominica à quibusdam pro concione ad populum explicari conſvevit. Eſtque duarum partium:

I. de Chriſti baptizatione;
II. de illuſtri S.S. Trinitatis revelatione, agitur.

PARS I.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus miniſterium ſuum adgreſſurus, ante omnia Baptiſmum à Johanne ſuſcipere voluit; non utique ſui mundandi gratiâ, ſed propter alios fines, de quibus mox in διεξόδῳ. In Baptiſmi iſtius deſcriptione obſervanda veniunt quatuor:

Baptisati Christi tempus.

I. *Temporis adnotatio.* Indicatur autem tempus particulâ τότε; contigit nim. Christi Salvatoris Baptismus,

1. cùm Johannes Baptista aliquot jam menses in ministerio suo,& docendo,& baptizando versatus esset:
2. cùm populus desiderio manifestandi Messiæ ex Johannea concione esset accensus:
3. cùm via Messiæ esset jamdum in animis hominum piorum parata:
4. cùm denique omnis populus, h.e. multus,à Johanne baptizaretur,Luc.3,21. atque ita in frequenti populi cœtu. Non enim in obscuro aliquo angulo, sed publicè, in præsentia plurimorum,ad officium Mediationis Filium suum solemniter Pater cœlestis inaugurare voluit.

Christus ad officium publicè inauguratus.

Lucas distinctiùs tempus Baptismi expressurus ait cap.3,23: Ipse autem Jesus incipiebat esse quasi (ὡσεὶ, fermè) annorum 30; h. e. ætatem 30 annorum compleverat,annum noviter 31 ingressus. Cùm enim in V. T. annus 30 esset legitima ætas ministerii Sacerdotalis; admodum probabile est, Christum non nisi anno isto completo ad ministerii vel officii sui administrationem accessisse. Particula autem ὡσεὶ hoc in loco Hebraismum redolet, respondens Caph veritatis, non diminutionis, ut esset non ἀποφητικὸν ἢ ςοχαςικὸν, sed ἀληθινὸν; quo utimur, cùm rem ita adfirmamus, ut de ea dubitari nequeat; quemadmodum Joh. 1,14. non dubitanter, sed affirmanter dicitur, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Confer Dn.D.Chemn. de duab. nat. in Christo fol.172.

ὡσεὶ, quasi.

II. *Loci determinatio.* Expendatur in circumstantiæ hujus enodatione,

1. terminus à quo, tùm remotus, Galilæa; tùm proximus, Nazareth:

2. terminus ad quem, ad Jordanem Judææ fluvium satis celebrem; speciatim ad illum locum advenit Christus, ubi Johannes publicè turbas docebat & baptizabat. Hæc ideò accuratè fuerunt adnotanda, tùm ut calumniandi ansa malevolis præscinderetur, ne rem istam ex composito inter Christum & Johannem ita gestam esse criminarentur; tùm ut scripturarum vaticinia attenderentur; Judæa enim non Galilæa, sedes erat, revelationi & operibus Messiæ divinitùs olim destinata.

III. *Facti commemoratio;* Christus ad Johannem venit. ἀξιοθαύμαςον est, quòd Dominus ad servum, Creator venit ad creatu-

tu-

turam; vel uti Chrysost. hom. 12. in Matth. loquitur, *Dominus cum servis, innocens cum peccatoribus ad Baptismum venit.*

IV. *Causa finalis adsignatio*; cur ad Johannem Baptistam Dominus Jesus sese contulerit. Causa adventus unica, hoc quidem tempore, est Baptismi susceptio, facta eo fine, ut hac ratione non modò ad officii regii, sacerdotalis ac prophetici administrationem plenariam Baptismo Johannis solemniter introduceretur; sed & Israëli universo manifestaretur; nec non publicè Messias renunciaretur.

Baptismi à Christo suscepti causa

V. *Johannis cum Christo collocutio.* Dn. D. Chemnitius piam vocat contentionem, Iohannis recusantis, & Christi petentis Baptismum. Observetur autem in sancta hac συζητήσει,

har. p. 240.

1. Johannis intentio. Christum enim admittere recusat, tùm facto, vel etiam gestu, (διεκώλυεν, h.e. volentem & conantem q. injectâ manu coërcuit, prohibuit;) tùm verbo. Opponit enim Christi sublimitati suam indignitatem & humilitatem, inquiens: Ego χρείαν ἔχω, indigentiam habeo, opus habeo,

Johannes Christum baptizare recusans.

1. peccatorum per Messiam emundatione;

2. Spiritus Sancti baptizatione; atque ita

3. gratiæ ac salutis, in verbo & Sacramentis oblatæ, *adplicatione;*

4. Spiritus mentisq; innovatione;

5. in gratia perseveratione, quæ omnia manent irrita & infecta, nisi Christus Spiritu suo Sancto ea operetur. Theophylactus ita: *Opus habebat præcursor à Domino baptizari, utpote ab Adam descendens. Nam & ipse contraxerat ex inobedientia inquinamentum. Christus autem purificavit omnes, ipse mundatus.* Argumentum Iohannis ab absurdo vel inconvenienti tale est:

Quicunq; non habet peccatum, non opus habet Baptismo;
Christus Jesus non habet peccatum;
Ergò non opus habet Baptismo. Ratio consequentiæ in copulato est: quia Iohannes prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Marc. 1, 4. Christo verò, quippe ἀναμαρτήτῳ, neq; pœnitentiâ, neque peccatorum remissione opus erat. Hæc Iohannis intentio; quàm excipit

2. Christi depulsio, quâ respondet ad argumentum Iohanneum per

1. concessionem, non contradicendo Iohannis de Messiæ persona & existimatione testimonio:

2. *limitationem & distinctionem*, ad consequentiam respondendo, & quidem ex ratione officii & exinanitionis suæ: adverbio enim ἄρτι significat οἰκονομίαν Redemtionis, quæ humilitate & exinanitione, de Patris voluntate erat perficienda. Theophylactus: *Nunc, inquit. permitte: erit autem tempus, quo digna nobis erit gloria, licet nunc non adpareamus.*

ἄρτι.

3. *Per necessitatis demonstrationem*; quia sic decet nos omnem implere justitiam, h.e. omne officium viri probi, uti D. Calixtus exponit, & addit: Ad probitatem autem pertinebat, suscipere baptismum, & quicquid à Deo constitutum, ac proinde ei gratum ac justum erat, præstare. Divinæ itaque voluntati obsecutus baptizari voluit, ut etiam hac in parte reliquis piis hominibus conformem se gereret, ut Iohannis baptisma comprobaret, ut nostrum baptismum sanctificaret; ut nobis humilitatis & obedientiæ exemplô præiret, & ad suscipiendum baptismum invitaret. Omnem itaque justitiam implere voluit,

Concord. Evangelist. p. 105.

Justitiam omnem implere.

1. *Legi sese subjiciendo;*
2. *victimam Patri se sistendo;*
3. *peccatum tollendo;*
4. *justitiæ Dei satisfaciendo;*
5. *media salutis sanctificando;*
6. *ministerium reconciliationis instituendo.*

τὸ πρέπον. Τὸ πρέπον ergò non accipitur Ethicè, sed Theologicè & mysticè, pro eo, quod ex Dei ordinatione & juxta voluntatem ejus fieri debet. Pluraliter loquitur, quia tùm de se, tùm de Iohanne sermo erat. Implet autem ille obediendo, satisfaciendo & patiendo; hic prædicando, baptizando & reliqua ministerii Evangelici opera peragendo. Idem Christus, ait Dn. Chemnitius lib. 2. c. 17. pag. 243. harm. qui nobis meruit justitiam, distribuit etiam & adplicat eam: sed alteram solus implevit; Esa. 63, 3. ad alterum verò utitur etiam operâ ministrorum. Atque ita demum Iohannes in Baptismum Christi facilè consentit & descendit.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Ponderentur causæ, cur Christus baptizari voluerit: non certè ob ullam sui indigentiam; sed in justitiæ sufficientiam. Intelligitur autem justitia

Baptizari cur voluerit Christus

1. or-

1. ordinationis seu legitimæ vocationis, ut publicô testimoniô totius Divinitatis ordinatus & confirmatus ministerium suum inchoaret, sicut de hac inauguratione omnes Evangelistæ scribunt : ita quondam Aaron ante consecrationem lotus est: Exod. 29,4. Levit. 8,6. Heb. 5,4.

Justitia Christi respectu.

2. manifestationis;

3. impletionis, ut omnem propter nos & pro nobis impleret legis justitiam; Gal. 4,4.

4. obsecutionis;

5. passionis;

6. reconciliationis, ut purificans se pro nobis, qui purificatione non egebat, unô momentô in uno corpore fraudem vetusti erroris aboleret, gratiam regni cœlestis effunderet, unusque mersus lavaret omnes, uti ex verbis Ambrosii loquitur D. Pelargus, quæst. in Matth. fol. 52.

7. dominationis, ut tanquam caput Ecclesiæ participaret sacris utriusque Sacramenti, & fieret Salvator tàm circumcisorum, quàm baptizatorum.

8. confirmationis, ut Johannis ministerium ac Baptismum, tanquam divinitùs institutum & confirmaret, & Sacramentum hocce nobis commendaret :

9. operationis, ut ipsum Baptismum sanctificaret, efficaciam ei tribueret, & omnibus aquis contactu sanctissimi corporis sui daret. Vide Pelarg. d. l. Arca fœderis jam stat in Jordane, panditur que nova in patriam cœlestem via. Jos. 3,17. Heb. 10,20.

II. In Scriptura Sacra Baptismus confirmatus (& institutus) fuit factô, verbô, signô & præceptô. Etsi enim non ita expressa sit Baptismi, atque Cœnæ Dominicæ institutio: nihil tamen obstat, ipsum dicere institutum, aut saltem confirmatum fuisse à Christo

Baptismus institutus factô, verbô, signô & præceptô.

1. factô, cùm ipse baptizaretur à Johanne, & per discipulos suos baptizaret: Joh. 3,22. & 4,3.

2. verbô, cùm mitteret discipulos baptizare & prædicare: Marc. 6,7.

3. signô, cùm flueret ex latere ipsius aqua: Joh. 19,35. 1. Joh. 5,6

4. præceptô. Matth. 28,19. Marc. 16,15. Vide D. Finck. cent. 2. can. 59.

III. Veritas Sacramentorum, ut & efficacia eorundem, æstimanda est, non ex ministri intentione, quæ incerta & dubia est, sed ex veritate & certitudine divinæ institutionis. Idem cent. 4. can. 37.

Sacramentorum efficacia unde.

IV. Efficacia verò Baptismi est omnium temporum, h.e. ad præsens, præteritum & futurum in credentibus extenditur: Ibid. can. 38.

Christus ἀναμάρτητος.

V. Christus est *ἀναμάρτητος*; quia Baptistâ attestante, non indiget Baptismô pœnitentiæ. Joh. 8, 46. Hebr. 7, 26.

VI. Humilitas Johannis, viri aliàs inter omnes honoratissimi, Matth. 11, 11. commendationem vel maximè meretur.

VII. Etiam sanctissimi quivis, in negotio salutis, omne momentum Christo, non suis viribus, non sanctorum meritis tribuunt. Act. 4, 12.

Baptismi Christi fructus.

IIX. Fructus Baptismatis Christi (insignia *κειμήλια*!) sunt,

1. Baptismi nostri sanctificatio.

2. peccatorum nostrorum ablutio. Rectè & piè D. Beustus.

Qui fuit ablutus liquida Jordanis in unda,
Ille meas sordes abluit, ille tuas.

Prudentius quoque eleganter canit:

Lavacra puri gurgitis
Cœlestis Agnus attigit,
Peccata qua non detulit,
Nos abluendo sustulit.

3. justitiæ impletio: ideò enim Filium misit Pater in mundum, ut fieret nobis justitia. 1. Cor. 1, 30. Chrysostomus nervosè admodum: *Baptizari, ait, dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat; sed ut aquas baptismi solus sanctificaret, ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Ille ergò baptizatus est, ut nos à peccatis lavaremur.*

Obtemperandum melioramonentibus.

IX. Meliora monentibus obtemperandum. Hesiodus olim præclarè:

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ,
Φρασσάμενος, τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω·
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται·
ὃς δέ κε μήτ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὃδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Optimus ille vir est, primusque sibi omnia noscens,
Consulere expendens, quæ pôst prodesse valebunt;
Sed bonus hinc ille est, audit qui recta monentem.
Qui sibi consulere ignorat, nolitque monenti
Auscultare alii, nullusque & inutilis hic est.

X. Pars officii Christi fuit, omnia illa, quæ ad consequendam veram justitiam faciunt, implere. 2. Cor. 5, 21.

Officium Christi.

XI. Errat Piscator ille Herbornensis graviter activam Christi obedientiam planè negans, immò removens à negotio salutis nostræ. Vide tract. D. Echarti seorsim de hac controversia editum.

Piscatoris de obedientia error.

XII. Christus Johannem sibi quodammodo conjungens, (nos oportet) obeliscum figit fanaticis istis, qui ministeriô ordinariô spretô, distributionem & adplicationem justitiæ ἀμέσως fieri sibi somniant.

XIII. Nihil ex hoc Christi Baptismo, adultâ ipsi ætate collato, subsidii accedit, ad morbidam causam Anabaptistarum, vel inde nostrum παιδοβαπτισμὸν improbare ac rejicere conantium; sed conatu planè irritô. Non enim (1) hic quæritur, quid Christus fecerit, sed quid nos facere jusserit, hodieque velit. (2) Christus non potuit in infantia baptizari, quia Baptismus nondum erat institutus. (3) A Bonis & benè factis Sanctorum ad imitationem promiscuam, non valet consequentia. D. Finck cent. 2. can. 30.

Anabaptismus de pædobaptismo.

XIV. Baptismus est interrogatio, quâ inter Deum & peccatorem, qui baptizatur, agitur de bona conscientia erga Deum propter Christum. Vide locos theolog.

PARS II.

Continentur hac parte Baptismi Christo collati τὰ ἐπίμεμα, ceu sunt;

I. Subita Christi ex Jordane adscensio. Johannes aliàs baptizandis ante Baptismum, & in ipso baptizationis actu multa concionatus est de pœnitentia, unde Baptismus ejus dicitur Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Marc. 1, 4. post Baptismū, priusquam ex aqua adscenderent, inculcavit baptizatis fidem in Messiam jam jam venturum & proditurum, fructusque simul pœnitentiâ dignos requirebat. Matth. 3, 8. In Christo alia erat ratio, aliaque Baptismi causa; statim ergò post Baptismum administratum cum ipso adscendit. Lucas cap. 3, 21. addit & hoc, in ripa Jordanis Christum ad orationem sese composuisse: oravit enim pro Ecclesia, & pro successu ministerii N. T. totoque officii sui cursu.

Baptismus Johannis.

II. Cœlorum apertio. Non quidem universum cœlum ἀνεῴχθη, quô vocabulô Matthæus noster utitur; nec super totam terram: sed illa duntaxat cœli pars, ubi Christus in ripa Jordanis orabat, super ipsum aperta fuit, ita ut non super Johannem, nec super reliquos spectatores, sed super solum Christum cœlum videretur apertum;

Cœlum apertum Christô baptizatô.

tum; ἀνεῴχθησαν αὐτῷ. Marcus cap.1,10. apertionis modum subinnuit, quando dicit, σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, cœlos quasi in duas partes scissos: & ex illa scissura vidit Johannes emicantem, atque per radios è cœlo ad Christum usq; se porrigentem, lucem quandam augustiorem & diviniorem, quàm pro mundi hujus ratione. Vide D. Chemn. d.l. pag. 246. 247.

Trinitatis ad Jordanē revelatio.

III. Illustris S S. Trinitatis patefactio, quâ personæ Divinitatis distinctâ quadam ratione sese manifestant. Fuit sanè hæc revelatio longè omnium, quæ unquam acciderunt, gloriosissima, clarissima & augustissima. Nulla enim alia perinde illustris unquam facta est, quæ ita perspicuè tres Divinitatis personas maximæ turbæ coràm spectandas & exaudiandas exhibuerit.

IV. Spiritûs Sancti in specie columbæ adparitio, de qua tenendus est Canon: *In Scriptura S. sæpè res describitur, ut est φαινομένως, & κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι*. D. Finck. cent. 1. can. 4. De hoc verò Spiritûs Sancti descensu, & specie quidem columbæ corporali, vide quæ h.l. habet Dn. D. Hunn. in Matth. p. 101. & de Trin. p. 132.

V. Publica Messiæ proclamatio, ut sciamus, quis nobis audiendus & unicè sequendus sit; nimirùm hic Jesus, cui Pater de cœlo perhibuit testimonium, tùm hic, tùm Matth. 17, 5. in simili divinæ majestatis patefactione, quæ in monte sancto accidit, nisi quòd ibi Spiritus Sanctus non conspiciatur; Patris autem vox auditur, & additur mandatum, hunc audite. Est autem publica hæc Patris de Filio contestatio instar concionis baptismalis, estque trium partium, quarum

Concio baptismalis ad Jordanē.

1. de personæ baptizatæ descriptione agens voce sonorâ pronunciat, quòd sit Filius Dei, non adoptivus per gratiam; sed coëssentialis, per naturam & essentiam dilectus; quem Johannes c.1,18. dicit Unigenitum, qui est in sinu Patris.
2. De Patris erga Filium dilectione sonat, quòd sit Filius Patris ἀγαπητὸς, non ἠγαπημένος.
3. De Patris in Christum, & propter eundem in nos benevola propensione loquitur, ἐν ᾧ εὐδόκησα. εὐδοκεῖν est bonam habere erga aliquem voluntatem, gratum acceptumq; aliquid habere. Nonnulli exponunt in te, h. e. propter te sum animô placatô ac benevolô, sc. erga homines.

εὐδοκεῖν.

Ceterùm involvit hæc particula simul respectum officii, quòd missus sit Filius, & gerat hoc officium, ut per ipsum reconciliemur Deo. Ideò enim Pater dicit: in quo acquiesco, i.e. qui solus mihi plenissimè satisfacit pro toto mundo, neque toto humano generi perfe-

ctis-

dissimè placat; & in quo solo dilecto diligo omnes alios filios adoptivos. Eph. 1,6. Vel, in quo mihi complacitum est reconciliare cuncta erga me, factâ pace per sangvinem ejus. Col. 1,19.20. Verba, Filius meus es tu, sunt ex Psal. 2,7. reliqua ex Esa. 42,1. Notandum etiam, quòd verba Patris: Tu es Filius meus dilectus, prout habentur Marc. 1,11. & Luc. 3,22. directa fuerint ad Jesum; sensus autem respexerit propriè ad populum, quem Deus, censente Illyricô, monuerit, ut hunc pro Filio suo agnoscerent. Matthæus igitur (inquit ille) sensum; Marcus verò & Lucas verba expresserunt. At D. Chemnitius mavult statuere, factam esse repetitionem, ita ut vox illa primò quidem ad ipsum Christum fuerit directa: Tu es Filius meus dilectus: & postea ad Johannem & spectatores: Hic est Filius meus; quod hic Propheta universo generi humano audiendus sistatur.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Christus in ripa Jordanis ad orationem se componens, ostendere voluit, quâ fide mentisque devotione Sacramenta tùm tractanda sint, tùm suscipienda & usurpanda.

Sacramenta requirunt devotionem.

II. Christô baptizatô cœlum est apertum;
1. in auditus, ad cœlestes mansiones reclusi, argumentum:
2. in doctrinæ Christi ἐρανοφορητȣ *documentum:* Joh. 1,18.
3. in officii Christi ornamentum: suô enim meritô copulaturus erat & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt; Eph. 1,10
4. in Baptismi Johannei firmamentum. Joh. 1, 51.

Cœlum apertum in Baptismo Christi.

III. De S.S. Trinitate, qui articulus hoc in loco, tanquam in propria sede, solidissimè contra omnes inferorum portas, est fundatus. Tres enim distinctæ personæ unius divinæ essentiæ illustri discrimine revelatæ sunt: Patre de cœlo clamante; Filiò in terris stante & in Jordane baptizatô; Spiritu demum Sanctô cœlitùs super Filium specie columbæ descendente: quæ trium personarum Divinitatis distinctio in V. T. non ita perspicuè, neque tàm multis nota fuit. Quare nos quoque hanc tàm gloriosam Dei TriniUnius patefactionem gratô animô fideq; verâ semper intueamur, ut rectè de Deo sentientes fidem nostram ab omnibus errantibus separemus.

Trinitatis articulus.

IV. Nulla est firmior contra Sabellium ejusque contribules AntiTrinitarios, Arianos, Photinianos, aliosque S. S. Trinitatis

abnegatores perfidos refutatio, quàm quæ ex Θεοφανεία isthac depromitur. Hinc Epiphanius dicebat: *Si non credis in divina essentia, quæ unica & simplex est, esse tres distinctas personas, comitare Johannem ad Jordanem, & videbis.*

Filius Dei Patri ὁμοούσιος.

V. Filius Dei non est ἑτερούσιος, non ταυτούσιος, sed ὁμοούσιος Patri & Spiritui Sancto, ita ut ἐνυπόστατος sit Pater, ἐνυπόστατος Filius, ἐνυπόστατος Spiritus Sanctus.

Opera ad extra.

VI. Officia sive beneficia (aliàs vocamus opera ad extra; vel proprietates characteristicas externas) cujusque in Divinitate personæ, in hac adparitione clarè & distinctè exprimuntur. Pater mittit Filium in hunc mundum, & in ipso placatur mundo: Filius adsumtâ humanâ naturâ implet omnem justitiam: Spiritus Sanctus descendit ministerium verbi & Sacramentorum.

VII. Testimonium habes Divinitatis Jesu planè invictum. Psal.2,7. Mich.5,2.

Trinitatis præsentia in Baptismo

IIX. In nostro Baptismo itidem habemus hodieque præsentissimam S.S.Trinitatem. Matth.29,19.

IX. Spiritûs Sancti descensus probat, doctrinam Christi esse ministerium Spiritûs. 2.Cor.3,8. Joh.6,63. 2.Pet.1,21.

Messiæ unctio.

X. Messiæ unctio facta est, visibili super eum Spiritûs Sancti descensu, ut manifestum esset, hunc esse Regem & Sacerdotem æternum, in quo habitet Spiritus S. cum omni plenitudine fine mensura. Joh.3,34.

XI. Quemadmodum in V. T. Sacerdotes inaugurandi lavabantur priùs, & posteà ungebantur: Ita hic summus Pontifex Jesus Christus initiò baptizari à Johanne voluit, & mox inunctus est oleô, non naturali, sed lætitiæ, h.e. Spiritu Sanctô, visibiliter super ipsum effusô, ut solemnissima esset inauguratio. Levit.8,6. seq. Luc.4,1. Act.10,38.

Christus unctus secundum H. N.

XII. Unctus autem est Christus oleô Spiritus Sancti secundùm humanam Naturam. Ps.45,8. Es.61,1. Joh.3,34.

Columbæ species, in qua S S adparuit.

XII. Species columbæ, in qua Spiritus S. adparuit, fuit divinæ clementiæ significatio; sicut columba Noachi, tempore cessantis diluvii; & quòd Christus adferat Evangelium gratiæ. Gen. 8,11. Esa.42,2.

XIV. Columba est etiam figura Ecclesiæ ac ministerii Evangelici. Confer historiam animal. sacram D. Frantzii pag. 460. seqq.

Spiritus S. ter de Christo testatus est.

XV. In Scriptura sacra Spiritum S. de Christo ter testatum fuisse legimus; nimirùm h.l. apud Baptismum Christi, ubi σωμα-

καὶ εἴδει, corporali specie super ipsum, h.e. insidens ipsi, veniebat. Luc. 3, 22. Deinde apud transfigurationem ejus in nube lucida: Mat. 17, 5. Et denique aliàs in ministerio de Christo testatur. 1. Joh. 5, 6. 7. 8 Joh. 15, 17. D. Finck. cent. 1. can. 83.

XVI. Habemus doctrinam & mysterium de Unione personali. Hic enim Homo, qui in Jordanis ripa baptizatus orabat, est dilectus Dei Filius, Patri suo & Spiritui Sancto ὁμοούσιος.

Unio personalis.

XVII. Consolationi inservit, quòd propter Filium Dei unigenitum in filios gratiæ cooptamur. Joh. 1, 12.

XIIX. Deus quando genus humanum secundum Legem intuetur, meram videt abominationem: Ps. 14, 2. Rom. 3, 10. Gen. 6, 6. At quando secundum Evangelium in Filio suo dilecto eosdem respicit, mirificè delectatur. Tota enim Patris æterni εὐδοκία in hoc solo Filio incarnato est posita.

XIX. Habemus spectaculum pulcerrimum & visibilem exhibitionem eorum, quæ in Baptismo nostro geruntur invisibiliter, pertinentia sc. ad fructum & divinam Baptismi nostri efficaciam; qualia sunt,

Baptismi efficacia.

1. nostra cum Christo coalitio & concorporatio. Filius enim Dei, qui hic stat in aquis & ad aquas, in adsumta nostra carne, per easdem in Baptismo nos sibi facit inseri; Rom. 6, 4. 5. & effici membra ipsius, inque unum cum ipso corpus coalescere. 1. Corint. 12, 13. Ephes. 3, 6.

2. Cœli super nos apertio, quod propter peccatum nobis erat clausum.

3. Nostri in Filios Dei adoptio. Rom 8, 17. Eph. 1, 6.

4. Spiritûs Sancti super nos effusio. Tit. 3, 5. 6. 2. Cor. 1, 22. Eph. 1. 13. 14. Et hinc est, quòd baptizamur in nomine Patris adoptantis nos; & Filii concorporantis nos sibi; & Spiritûs Sancti obsignantis nos; atque ita unaquæque persona in nostro Baptismo peculiariter est efficax, & gratiam in nobis operatur.

DISPOSITIO EJUSDEM textûs brevior.

Propositio.

Contemplabimur dulcissimam baptizati Christi historiam.

Ἐξήγησις.

Tria potissimùm in considerationem veniunt:

I. *Baptizantis humilitas:* (der Täuffer) Johannes Baptista, quæ est humanæ mentis imbecillitas, territus quodammodò personæ eminentiâ, Baptismum recusat, suam professus indignitatem, quod cedat nobis,

1. *in superbia medicamentum;*
2. *in peccati argumentum;* etiam sanctissimi hominum suis non carent infirmitatibus: Psal.32,6. Rom.3,23. 1.Joh.1,10.
3. *in ministerii ornamentum;* (baptizari voluit Jesus, non ab Angelo, sed homine sacris initiato, verbique ministerio destinato:
4. *in fidei stabilimentum,* de Baptismo nobis collato.

II. *Baptizati sublimitas:* (der Täuffling) ponderentur causæ, quibus motus Christus Baptismum petiit.

III. *Testium majestas:* (die Paten) ad membri hujus declarationem spectat,

1. *cælorum reclusio,* monens de Christi descensu, & nostro per ipsum adscensu. Joh.1,51.
2. *Sancti Spiritûs adparitio,* facta ob duas causas:
   1. ut de persona Christi testimonium perhiberet;
   2. ut sine mensura ipsum inungeret.
3. *Æterni Patris testificatio;* 1. de Christi Divinitate;
   2. de sua erga nos voluntate.
4. *Totius S.S Trinitatis manifestatio.* Plura alibi. Oramus: *Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui novâ incarnati Verbi tui luce perfundimur: hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum dilectum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti. Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

IN FESTO EPIPHANIORUM DOMINI, EVANGELIUM

Matth.2. à vers. 1. ad 13.

Luc.2,6.

1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα:	*1. Cùm autem natus esset Jesus in Bethlehem (civitate) Judæa, temporibus Herodis Regis; ecce Magi ab oriente accesserunt Hierosolyma,*

2.

2. Λέγοντες, ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.

2. *Dicentes: Ubi est ille, qui natus est Rex Judaeorum? Vidimus enim illius stellam in oriente, & accessimus, ut adoremus eum.*

3. Ἀκούσας δὲ Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς ἐταράχθη, καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ.

3. *Auditis autem his Herodes Rex turbatus est, & tota Hierosolymorum (urbs) cum eo.*

4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, ἐπυνθάνετο παρ' αὐτῶν, ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται.

4. *Et convocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, percontatus est eos, ubi Christus nasceretur.*

5. Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας· οὕτω γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου.

5. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judaeae: sic enim scriptum est per Prophetam.*

6. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ.

6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es inter principes Juda: ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Israël.*

Mich. 5. Joh. 7. 42.

7. Τότε Ἡρώδης λάθρα καλέσας τοὺς Μάγους, ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν, τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος.

7. *Tum Herodes clam accersitis Magis, accuratè perquisivit ab illis, quô tempore stella adparuisset.*

8. Καὶ πέμψας αὐτοὺς εἰς Βηθλεὲμ, εἶπε πορευθέντες, ἀκριβῶς ἐξετάσατε περὶ τοῦ παιδίου· ἐπὰν δὲ εὕρητε, ἀπαγγείλατέ μοι, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ.

8. *Et jussis ire in Bethlehem dixit: profecti illuc accuratè inquirite de puero: ubi verò inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam, & adorem illum.*

9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως, ἐπορεύθησαν· καὶ ἰδοὺ ὁ ἀστὴρ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτοὺς, ἕως ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον.

9. *At illi auditô rege profecti sunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, praecedebat illos, donec progressa staret supra locum, in quo erat puer.*

10. Ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.

10. *Cùm autem vidissent stellam, gavisi sunt gaudiô magnô valdè.*

11. Καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν, εὗρον τὸ παιδίον μετὰ Μαρίας τῆς μητρὸς αὐτοῦ· καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, καὶ ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν, προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα, χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν.

12. Καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι πρὸς Ἡρώδην, δι' ἄλλης ὁδοῦ ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν.

11. Et ingressi domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus: & prostrati adoraverunt illum: & apertis thesauris suis obtulerunt illi munera, aurum & thus, & myrrham.

12. Et oraculô admoniti in somnis, ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

DISPOSITIO PRIMA.

VErsatur præsens lectio in Genere causarum Demonstrativo. Continet enim narrationem historicam de Magis, qui adparitione novæ stellæ permoti recens-natum Messiam Hierosolymis quærunt, & Bethlehemi inveniunt. Partiemur ejus explicationem in tria membra, dicturi

1. de Magorum ad urbem Hierosolymam accessione læta;
2. de eorundem exceptione & dimissione spreta;
3. de itineris suscepti continuatione & consummatione fausta.

PARS I.

Expendenda hoc locô veniunt duo potissimum κεφάλαια;

1. Magorum ex Persia profectio;
2. Regis recens nati inquisitio.

I. Singulas historiæ hujus circumstantias diligenter jubet expendere & considerare incomparabilis ille Ecclesiarum nostrarum Theologus, D. Martinus Chemnitius, harm. Evang. pag. 121. ad nos enim, qui ex gentibus ad communionem Filii Dei vocati sumus, peculiariter pertinet. Quoad primum ergò considerationis hujus κεφάλαιον, notabis, benevole Lector,

1. Temporis finitionem, quando ὁδοιπορίαν suam Magi Orientales susceperint, & eadem peractâ accesserint, nimirùm

1. natô & in lucem jam editô Christo, promißô Abrahæ semine benedictô;

Tempus nativitatis Christi.

2. In diebus (h.e. tempore, per synecdochen Hebræis usitatam) Herodis Regis annô post mundum conditum 3963; secundum recentiores 3448, ablatô jam sceptrô à Juda. Fuit autem hic Herodes (co-

(cognomentô Major vel Magnus) alienigena, natione Idumæus, Antipatrô patre & matre Arabicâ natus; Ascalonita etiam vocatus, creatus à Senatu Romano primus Rex Judæorum;) parens enim ipsius Antipater tantùm ut ἐπίτροπος h. e. tutoriô sive curatoriô nomine sceptrum Judææ obtinebat). qui sublatô etiam collegiô Sanhedrin omnem imperii summam ad se transtulerat, in regem legitimum, præstitô à Judæis juramentô fidelitatis, susceptus: id quod ex Philone tradunt factum circa trigesimum annum regni Herodiani. Complementum itaque habes vaticinii Jacobæi Genes.49,10. unde tempus adventui Messiæ destinatum æstimare difficile non est. Vide D. Chemn. harm. p.21. & historiam Herodis ex Josepho contractam apud D. Calixt. in Concord. Evang. p.25. seq. quibus adde Ben. Aret. in Matth. p.32.

Herodes Magnus Ascalonita.

2. *Loci designationem*; natus dicitur Christus sive Messias in Bethlehem Judææ, quæ ita dicitur,

Bethlehem Judææ.

1. ratione situs, quia in tribu Judæ sita, cujus erat metropolis:
2. ratione distinctionis; fuit enim istius nominis alia etiam civitas, sed in tribu Zabulon sita. Jos.19,15. Dicebatur olim Ephrata, (אֶפְרָתָה frugifera, à R. פָּרָה fructificavit, erat enim optima terræ Judæ portio: Jud.19,1.2. 1.Sam.17,12.) ob fertilitatem; postmodum eadem de causa בֵּית לֶחֶם domus panis adpellari cœpit, Genes. 35.19. & 48,7.

Ephrata.

3. *Rei gestæ commemorationem*, ἐορτῆς; instituendæ velut ἀφορμὴν sive occasionem; h. e. ipsam Messiæ nativitatem, qui dicitur ἐγεννήθη natus, in carnem venisse, humanam ex Maria virgine Naturam indutus. Ante nativitatem enim venire nulla erat ratio, cùm in carne Messiam quærere debeant, ait Aretius p.32.

4 *Ipsam Magorum accessionem*, in qua notetur

1. *attentionis particula*, ecce! quæ in Scripturis nunquam ferè frustrà ponitur, sed semper animum lectoris ad rem præsentem excitat, rem admiratione dignam commemorari significans.

Ecce emphaticum.

2. *Personæ peregrinantes*; vocantur Magi, quos Augustinus interpretatur maleficos seu incantatores, quam sententiam inde corrigere adnititur D. Chemn. p.121. quòd congruat mysterio vocationis gentium, ut ostendatur, Christum venisse in mundum, peccatores etiam maximos, tàm ex Judæis, quàm ex gentibus, salvos facere. 1.Tim.1,15. Subjicit autem statim idem Chemnitius, Magos olim fuisse præcipuos regum consiliarios & gubernationis admi-

Magi qui dicantur.

ni-

mistros, apud Persarum maximè gentem. Ciceroni lib.1. de divinat. esse genus sapientum & doctorum in Persis. Item; neminem Persarum regem esse posse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit, quæ secundum Plinium lib.20. complectatur Physicam, Metaphysicam & Astrologiam. Fuerunt itaque Magi homines docti; quales enim Græcis σοφοὶ & φιλόσοφοι, Ægyptiis Gymnosophistæ, Judæis Prophetæ & Videntes; tales Persis & Babyloniis Magi. Casaubonus in notis: *Ex Daniele*, inquit, *passim patet, qui fuerint Magi, nempè viri omnium sapientissimi, res abstrusas tùm ex astrorum positu, tùm etiam ex arcanis & abditis revelationibus prodentes exponentesq;, cujus gratiâ apud Reges in Consiliariorum collegio maximè prævaluerunt.* Confer D. Meisn. in medit. festivit. p. 146. D. Calixt. in Concord. Evang. pag 63. ubi magos dici censet 1. eos, qui nefariis artibus & dæmonum ope commercioque utuntur: Act.8,9. & 13,6. 2. certos in Media homines: 3. sapientes Persis dictos.

3. Terminus itineris à quo; venerunt ab Oriente, h.e. ex regionibus Orientis remotissimis, qualis respectu Judææ erat Persia; inde enim eos venisse plerique interpretum opinantur.

Hierosolyma.

4. Terminus ad quem: Hierosolymam veniunt, totius Palæstinæ metropolim, toto quondam Oriente florentissimam. Distabant autem fines Persiæ Hierosolymis, ducentis & viginti, secundum quorundam supputationem milliaribus. Hierosolymam (non aliam Judææ civitatem) initiò petunt, quia non dubitant, se ibi vel inventuros Messiam, vel certiores posse reddi, ubi inveniendus sit natus Rex Judæorum. Hoc unum partis primæ κεφάλαιον.

II. Alterum quod spectat, studiosè admodum Magi illi in recens natum Judæorum Regem inquisiverunt,

Messiæ inquisitio à Magis facta.

1. quæstionem publicè proponendo, his verbis; *Ubi est ille natus Rex Judæorum?* Quæ verba continent

1. fidei in corde latentis patefactionem; extra omnem enim controversiam ponunt Christi Regis nativitatem, quam paucissimi ex Judæis sciebant, plerique ignorabant. Unde quærunt directè, ubi sit, ubi locorum inveniendus; non an natus sit; natum enim credebant, tantum aliàs iter nunquam suscepturi vel ingressuri.

2. Individualem certæ personæ designationem, quam articulus ὁ subministrat; q. d. ubi est Rex ille Judæorum, tamdiu Judæis promissus & exspectatus, qui jam certissimè natus est. Non quærunt Re-

Regem, D. Chemnit. p.127, ait, qui jam ad gubernacula ſedeat, ſed qui infans adhuc ſit.

3. *Regis δεπτερωθέθλε diſcriminationem:* non quærunt electum per vota & ſuffragia Regem, qualis Saul, qualis David; ſed τεχθέντα natum Regem, quod nonnulli contra Herodem facere putant, qui à Romanis Judæorum victoribus datus erat Rex. Hic verò, quem Magi quærunt ſit nativus ille Rex, ex Judæis Judæus natus.

2. *Cauſam adventûs impellentem aperiendo*, quam præbuit illis, inſolita ſtellæ novæ adparitio: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente.* Qualis hæc fuerit ſtella, dici exactè non poteſt. Extraordinariam verò, non è reliquarum vel fixarum, vel erraticarum communium fuiſſe numero, patet *tùm* ex ſitu, in infima enim aeris regione adparet; *tùm* ex motu, non circulari, ſed recto; à Jeroſolyma enim Bethlehem verſus, h.e. à Septentrione in meridiem, ita proceſſit, ut iter facientibus viam monſtraret; Chemn. p.123. *tùm* ex ſplendore; nam & interdiu fulſit. Stella dicitur nati Regis Judæorum, quòd ortum & nativitatem ejus cœlitùs Magis deſignârit. Plura qui deſiderat, videat D. Finck. poſtill. feſtivir. p. 289. 290. & D. Chemnit. p. 123. & 124. ubi ſimul reſpondetur ad quæſtionem, quomodo ex illa ſtellæ φανερώσει ſive adparitione, Regem Meſſiam natum eſſe agnoſcere Magi potuerint? An ex principiis & notitiis naturalibus pervenerint ad notitiam Chriſti Salvatoris?

Stella Magis viſa qualis.

3. *Cauſam itineris ſuſcepti finalem exprimendo:* Venimus vel acceſſimus adorare eum, h.e. non more tantùm noſtrô Perſicô proſtrati illum ſalutare, quod Aretii eſt p. 34. gloſſema civile; ſed divinos quoque ei honores exhibere, idque ex ſequentibus patebit dilucidiùs.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Dominus Jeſus Chriſtus, Mariæ ſecundum carnem Filius, eſt verus & unicus Meſſias mundique promiſſus Salvator; in Bethlehem enim eſt natus, ſceptrô de Juda ablatô. Mich. 5, 1. Geneſ. 49, 10.

Chriſtus Jeſus verus Meſſias.

II. Mirabilis Dei providentia in eo conſpicitur, quòd peſſima etiam quævis (uti rationi videntur) ad fines optimos Eccleſiæque ſalutares, pro inenarrabili ſua ſapientia poteſt dirigere: ita captivitatem Babylonicam direxit, ad ſpargendam famam de Meſſia naſcituro.

Providentia Dei.

Danielis Schola.

III. Novimus enim Danielem in Schola Magorum, h. e. sapientissimorum & doctissimorum hominum educatum; Dan. 1,6. qui familiaritatis istius occasione haut dubiè vicissim doctrinam de Messia quibusdam ex Magis instillavit, prophetica quoque sua scripta ipsis communicavit; ut verisimile sit, ex institutione & disciplina Danielis, summæ rei postmodum præfecti, seminaria quædam doctrinæ cœlestis in Scholis Magorum mansisse. Dan. 2,44. Huc accedit, quòd Judæi non omnes ex Babylonico exilio reversi Hierosolymam fuerunt, sed multi in illis locis remanserunt, & celebres ibi synagogas habuerunt. Act. 8,28. habemus exemplum in Eunucho Æthiopissæ, libros propheticos, in Græcam linguam translatos, legente, & in mysteria religionis inquirente. Chemnit. p. 125.

Agnitio veri Dei ad gentes sparsa.

IV. Deus enim agnitionis suæ radios quosdam omnibus temporibus ad gentes etiam spargere solitus fuit. Exod. 18,1. Ruth. 1,16. Joh. 6,22 2. Sam. 11,4. & 15,19. 1. Reg. 5,1. & 10,1. Job. 1,2. Esth. 1. & 8. Jon. 3,5. Idem contigit tempore servitutis Babylonicæ per Danielem, cujus fideles discipuli vaticinia de Christo perspicua, (adeoque etiam illud de 70 hebdomadis) diligenter custodiverunt, atque de manu in manum ad posteros propagârunt. || Inde cùm tempus prædictioni Danielis ex asse responderet, & nova stella adpareret, & Spiritûs Sancti internus motus ex peculiari Dei revelatione accederet, rectissimè judicârunt Magi, natum jam esse promissum mundi Messiam.

Magi non fuerunt Reges.

V. Nugæ sunt, Monachorum tripode dignæ, Magos fuisse reges, numerô tres, singulosque ex diversis profectos regionibus, unum ex Saba, alterum ex Tharsis, tertium ex Insulis, ante portam primùm urbis Hierosolymæ convenisse. Vide D. Finck. p. 288. post. D. Meisn. p. 145. D. Chemn. p. 122. Vindicias Meelführ. Dec. 1. disp. 9. th. 4. seqq.

Gentium vocatio.

VI. De vocatione gentium ad regnum Christi. Gen. 17,6. & 22,18. Psal. 2,8. & 72,10. Esa. 9,3. & 42,6. & 49,6. & 60,1. 2 3. & alibi. Gen. 9,27, & 49,10. Deut. 32,21. Psal. 18,44. & 22,29. 30. & 86,10. & 87,4. & 96,7. & 98,3. & 117,1 Esa. 2,2. & 11,10. & 14,1. & 44,5. & 50,10. & 52,15. & 54.1.3. & 57,9. Jer. 16,19. Ose. 1,10. Joël. 2,28. Amos 9,1. 12. Mich. 4,2. Soph. 2,11. Hagg. 2,8. Zach. 2,11. & 8,22. & 9,10. & 14, 16. Mal. 1,11. Matth. 8,11. & 21. 43. & 28,19. Luc. 2,32. & 14,21. 23. & 24,47. Joh. 10,16. Act. 2,39. & 10,35. & 13,46. 14,47. & 28,28. Rom. 1,5. & 15. 9. Gal. 3,8. & 4,27. Apoc. 7,9. & 10,11. & 14,6. & 15,4. & 21,24.

VII. Cujusvis ordinis & conditionis hominibus, doctis & indoctis, pastoribus & Magis Christus Salvator est patefactus. Ephes. 2, 12.

IIX. Philosophia est insigne donum Dei, nec ipsi displicet, si intra terminos sese suos contineat. Gen. 1, 14. Luc. 12, 54.

Philosophia donum Dei.

IX. Quæramus & nos cum Magis, gentium primitiis, Verbum incarnatum, ductum verbi stellantis secuti: Esa. 55, 6. Matth. 12, 32. quemadmodum hic videmus Deum Magos, quos extraordinariâ revelatione ad quærendum Christum excitârat, ad verbum in scriptis propheticis patefactum, & ad ministerium verbi, quod Hierosolymis tunc erat, deduxisse. Act. 9, 6. & 10, 5. Esa. 8, 20.

X. Testimonium simul habemus veritatis divinæ, in complendis promissionibus, de gentium vocatione hinc inde factis.

XI. Quæ de Magiæ exercitiis diabolicis hic non incommodè dici poterant, videantur alibi; legantur ea, quæ in Vindic. habet Dn. Meelführerus, de Theophrasto Paracelso, Magos dæmonibus vectoribus ad confectionem tanti itineris ullos adserente; de fratribus roseæ crucis, magiam nobis commendantibus; de Magia incantatrice; de Astrologicis prædictionibus, præsertim genethliacis, à thesi 30 usque ad 85.

Magia.

XII. Vanitate ipsâ vaniores sunt Papistarum peregrinationes, religionis ergò ad alia loca susceptæ, quas frustrà hac Magorum ὁδοιπορίᾳ stabilire laborant. Magi enim ad verum, adpropriatum & immediatum veri cultûs objectum, h.e. ad Christum ipsum sunt profecti: Papistæ lapides, ossa, tumulos & imagines defunctorum supponunt, quibus nulla adoratio, nullus cultus religiosus debetur; illi religionis, hi superstitionis ergò veniunt.

Peregrinationes Papistarum.

XIII. In Scriptura sacra sæpiùs cum luce sive lumine (hoc locô stella lucida) conjungitur salus. Esa. 49, 10. & 60, 1. Luc. 2, 32. Tit. 2, 1. Psal. 27, 1. & 31, 17. & 80, 8. 15. 20. & 67, 2.

XIV. Exemplô Magorum, quos gentium Patriarchas cum veneranda antiquitate meritò nominamus, discamus & nos

Magi imitandi & quomodo.

1. *gratâ mente vocationem Dei agnoscere*; 1. Cor. 1, 26. Eph. 1, 18
2. *Jesulum diligenter inquirere*; Ps. 24, 6. Esa. 55, 6. Ose. 3, 5. & 6, 1. & 10, 12. Amos 5, 4. 6. Soph. 2, 3. Johan. 6, 24. Phil. 2, 21. Col. 3, 1.
3. *Eundem devotè invocare*; Ps. 45, 12. & 72, 11. & 86, 9. 10. & 95, 6. 7. Esa. 45, 22. 23. Joh. 5, 22. 23. Phil. 2, 9. 10. 11. Heb. 1, 6. Orandus autem præcipuè pro peccati remissione; verbi

conſervatione; pacis reſtitutione; vitæ gubernatione; beata emigratione.

4. *Virtutes Magorum imitatione ſedulâ exprimere & ſectari;*

1. ſincera Chriſti dilectio, quâ ipſi impulſi, tàm longinquum & tàm periculoſum iter ſuſcipiunt: Eph.3,19. 1. Cor.16,21.

2. Vera animi humiliatio: Soph.2,3. Pſal.131,1.2. 1.Pet.5,6

3. Patientiæ in moleſtiis itineris devorandis demonſtratio: Sir.1,35. & 2,4. Thr.3,26. Luc.8,15. & 21,19. Rom.5,4. & 12,12. & 15,4. Col.3,13. Heb.10,36.

4. Voluntaria templi concionumq; ſacrarum viſitatio: Magi in die noviſſimo ſurgent, & condemnabunt eos, quos proximum templum adire piget, in quo ex concionibus ſacris Chriſtum Redemtorem agnoſcere, & fide in ipſum ſalutem æternam conſequi licuiſſet: *proximus Eccleſiæ ſemper vult ultimus eſſe:*

5. Sumtuum pro honore Chriſti liberaliſſima erogatio:

6. Intrepida Chriſti confeſſio & profeſſio. Pſal.116,10. Mat. 10,32. Rom.10,9. 2. Timot.1,8. Ego cum Bernhardo Jeſulo meo ſupplex factus, ipſum profiteor Salvatorem meum, humiliter orans:

Ne quæſo more Judicis,
quid egerim, quid dixerim,
quid cogitârim, pondera;
peccata ſed mea omnia
tuô cruore deleas.

PARS II.

Continet hæc pars ſecunda Hieroſolymitanam Magorum ſtationem: cujus obſerventur tùm ἐκβάντα, tùm πραχθέντα.

Ἐκβάντα ſunt *1. Herodis trepidatio;*

2. Hieroſolymæ totius (h. e. longè maximæ partis) *conſternatio.*

ταράσσειν

In græco eſt verbum ἐταράχθη, turbatus, perculſus eſt animo, παρὰ τὸ ταράσσειν, à concutiendo. Eſt enim ταραχὴ motus quidam concutiens, in quo affectûs certis indiciis erumpunt. Et Herodes quidem turbatur, veritus,

Herodis turbatio.

1. Judæorum rebellionem; qui magnis, quas ab ipſo acceperant, cladibus exacerbati, & ſolâ venturi Meſſiæ, ut Regis mundum

dum, spe & exspectatione animati, pristinæ libertatis desiderio tenebantur:

2. *Imperatoris Romani offensionem*, ne malè apud ipsum audiret, si alium in Judæam Regem admitteret;

3. *sui degradationem & regni quoq; amissionem.* Rex enim cùm esset, non natus, sed datus & vi obtrusus; non electus sed acceptus; & quod caput rei erat, ob crudelitatem & tyrannidem omnibus invisus; novus ex adverso Rex ex Judæis natus gratiâ valebit; hinc metuit, ne, cùm plures adorent solem orientem, quàm occidentem, omni suâ dignitate & regnô excidat. Vanus hic fuit metus; quia

non arripit mortalia,
qui regna dat cœlestia.

Judæos quod spectat, existimabant haut dubiè Magi, gratissimum ipsis nuncium sese adlaturos, de ortu ac nativitate Regis Messiæ, quem ob factas promissiones tot seculis, ut Salvatorem, exspectârant anxiè, & expetierant devotè: sed addit Evangelista, non Herodem saltem, ob dictas causas, sed totam etiam Hierosolymam, h. e. per meton. continentis pro contento, omnes urbis incolas, novô istô de nato Rege vel Messia rumore, commotos & turbatos esse. Quid verò ταραχῆς in Judæis causæ esse dicemus? Quid verò aliud, nisi

Judæorum Christô natô turbatio.

1. *falsam Judæorum de Messia sententiam*, cujus regnum sibi somniabant politicum & externum, non sine cede & sangvine invadendum, bellis inter Herodem & novum Judæorum Regem obortis, ex quibus bonorum direptiones, & subditorum perditiones subsequuntur, secundum illud Poëtæ:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

2. *Immanem Herodis truculentiam:* recens enim adhuc erat memoria bellorum funestorum, quibus regni sui habenas tyrannus, sangvinis Judaici admodum sitiens, commaculaverat: iterum ergò Judæi metuunt, ne Herodes Rex perceptô istô Regis recens nati nunciô, novis illos rationibus exagitet, & gravioribus pressuris in officio continere adlaboret.

Porrò quâ ratione, quibusvè mediis sibi rebusque suis maturè consulere Herodes studuerit, hoc verò ταραχθέντα secundô jam locô edocent: nim,

I. Consistorii Hierosolymitani coactio, cui quæstionem à Magis propositam discutiendam & dissolvendam Rex proponit. Hic occurrit

1. Consultorum dignitas, qui sunt

1. principes Sacerdotum, h.e. summi Pontifices, quibus cura religionis erat demandata, capita ministerii Ecclesiastici, uti D. Chemn. p.127. vocat; & addit: *Usitatum autem est in multis locis N. T. quando mentio fit eorum, penes quos summa erat ministerii Ecclesiastici, in populo Israël, quòd nominantur Pontifices & Scribæ.* Et vocantur ἀρχιερεῖς, non sicut summus Pontifex, qui juxta legem unicus tantùm erat: sed intelliguntur illi, qui in 24 ordinibus seu vicibus 1. Par.24. principes erant: reliqui enim simpliciter vocantur ἱερεῖς.

2. Scribæ populi; hi erant interpretes Scripturæ, S. Theologiæ Professores, D. Chemn. p. 128. γραμματεῖς sive Scribas constituit duplices; (1) *Politicos*, judicum adjunctos, de quibus 1. Par. 23,4. & 26,29. Joh. 23,2. 2. Reg. 12,10. Esr. 4,8. (2) *Leviticos*, quorum officium erat, sacras literas populo proponere, quæstiones Legis explicare, & Prophetarum oracula interpretari: & hi ex Levitis eligebantur. 1. Par. 18,16. 2. Reg. 22,18. Matth 13,12. & 23,2. Luc. 10,26. Amplificatur adjunctô numeri; non aliqui coëunt, sed omnes, tàm Pontifices, quàm Scribæ, quod in Herode & in negotio procurando diligentiam, & metûs vehementiam notat. Omnes convocat, ne omissi meliora habeant consilia.

2. Quæstionis in concilio vel conventu propositæ gravitas. Non enim Magos ipsos ad concilium admittit, ut cum Pontificibus & Scribis de toto negotio conferrent; sed ipse proponit quæstionem, responsionem magis clam indicaturus: idque cum in finem facit, ut vel famam de recens nato Judæorum Rege occultaret; vel priusquam evulgetur puerum natum opprimeret. Ζήτημα Regis, de quo sciscitabatur, erat: ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται; ubi nasciturus est Christus? sc. secundum Scripturas & oracula Prophetarum. Callidè agit Herodes, immutando statum controversiæ. Magi quærebant ita: Ubi est natus Rex Judæorum. Herodes quærit de loco nativitatis, ubi secundum vaticinia Prophetarum nasci debeat, non quasi nondum natus sit, sed quid de natali loco in Scripturis habeant. Probè intellexit mentem & desiderium Magorum: quem enim hi Regem Judæorum adpellabant, illum Herodes, ut doctrinæ Judaicæ non ignarus, Christum sive Messiam vocat.

Locus nativitatis Christi.

II. Con-

II. Consistorii Hierosolymitani decisio, respondent enim non solùm adpositè, sed & perspicuè & breviter; in Bethlehem Judææ, qui locus fuit, Messiæ nativitati jam pridem destinatus. Et quia nihil authoritate prætoriâ sed ex verbo definire volunt, confirmatur decisio testimoniô divinô mediatô, Prophetæ Micheæ c. 5, 1.2. quod habet

1. oppidi istius ex loco comparatorum commendationem;
2. adjectam rationem, hoc sensu:

Nasciturus est ex oppido Betthlehem Messias, Moschel ille vel Dux populi Dei;

Ergò non est oppidum usque adeò parvum, spretum & abjectum, sed magni in oculis Dei æstimatum. Nulla hic est inter Prophetam & Evangelistam *ἀντιλογία*: parva enim dicitur Bethlehema, *tùm* ratione sitûs seu ambitûs, *tùm* ratione externi splendoris; *tùm* respectu & in collatione aliarum civitatum. Matthæus autem respexit ad hanc prærogativam, quòd Bethlehema patria Messiæ facta sit, quô respectu aliis omnibus Judææ civitatibus, ipsi etiam metropoli Hierosolymæ, sit præferenda. D. Finckius cent. 1. can. 30. ita: Matthæus dum recitat dictum Mich. 5, 2. in verbis multipliciter variat, sententiam nihilominus retinet. Etenim (1) Micha Bethlehem dicit esse urbem parvulam: Matthæus verò dicit, nequaquam esse minimam, cap. 2, 6. (2) Cùm Micha dicit in millibus Juda, Matthæus dicit *ἐν ἡγεμόσιν*, in principibus Juda. (3) Cùm Micha utitur verbô dominandi, Matthæus usurpat vocem *ποιμαίνειν*. Parvulam) ratione oppidi: non parvulam) ratione egreßûs Messiæ. In millibus) quia præfecturæ ita erant distributæ, ut pro ratione oppidi essent, Decuriones, Quinquagenarii, Centuriones, Chiliarchæ. Inde erat, ut ubi habitabant multa millia, ibi multi vel præcipui essent Chiliarchæ. Sententia igitur est: tàm parvam esse, ut vix unum aut minimum Chiliarcham possit præbere. In ducibus) quia in domo David fuerunt Reges pariter & Duces. Dominandi & pascendi) ut ostenderetur, dominium non fore politicum, sed spirituale & pastorale, quale describitur Joh. 10. Psal. 23. Esa. 40. Ezech. 34. Confer D. Chemn. p. 129. & 130. D. Tarnovius verò simpliciter dicit, in Propheta esse vel ellipsin particulæ quamvis, vel interrogationem, quæ duo observata, facilimè concilient cum Propheta Evangelistam, ut non sit necesse ad alias absurdas explicationes decurrere: Comm. in Mich. p. 106. Huic planè *ὁμόψηφος* est Calixtus in Concord. Evang. p. 66.

Ἀντιλογία inter Matthæum & Michæam φαινομένη.

III.

III. Temporis inquisitio. Herodes enim auditâ ex oraculis propheticis hac sententiâ, Magis, non in publico concilii consessu, (quæ verba sunt D. Chem. p.130.) sed clanculum ad se vocatis, de loco natali Messiæ respondet, & dat ipsis mandatum, ut clam, turbâ non consciâ, proficiscantur Bethlehem, (quæsitum nimirùm puerum) & si invenerint, ne statim in vulgus hoc effutiant, sed sibi ut Magistratui primùm renunciarent. Solicitè igitur inquirit in tempus, quò primùm stella illa Messiæ adparuerit visaq; fuerit, ut cædem, quam meditabatur, possit datâ occasione juxta tempus illud instituere. ἀκριβόω est accuratè supputo, & de exacta singularum vel minutissimarum temporis circumstantiarum & exploratione & explicatione sumitur. Paulò pòst redditur per ἀκριβῶς ἐξετάζειν, accuratè inquirere, sicut in examinibus seu quæstionibus reorum fieri solet. Esth.2,23. Sap.9,7. Fuit autem inquisitio isthæc astutiæ vulpinæ fraudisque Herodianæ plenissima.

ἀκριβόω.

IV. Plenior Magorum, de quærendo recens-nato Rege, *instructio*, quâ jubentur de invento Christo Herodi nuncium referre; sua enim interesse, ut ipse ante alios veniat, & Regem illum νεογνὸν adoret: & quidem ne dolus animadverteretur, neminem ex suis ministris ipsis adjungit. Quid verò hoc consiliò meditatus fuerit, manifestum est ex sequentibus: adorationem enim hypocrita simulabat & ipse, crudelitatem interim animo conceptam nefariè occultabat.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Impii trepidant, ubi nulla est trepidationis & formidinis causa. Psal.53,6. Sap.17,10. Prov.28,1.

Tyranni formidolosi.

II. Tyranni ob malam conscientiam semper sunt formidolosi. Exod.1,9. 1.Sam.2,17. Esth.4,21. Job.15,20. Sir.20,17.

III. Judæi imago sunt hominum carnaliter adfectorum, pacem externam Christo & beneficiis ejus anteferentium. Philip. 3, 18. 19.

Regno Christi præfertur pax & tranquillitas externa.

IV. Ita externa tranquillitas præfertur regno Christi, quia crucem secum adfert. Atque ideò posteà metu sævitiæ Herodis, nemo vel ex Scribis, vel ex populo comitem se Magis adjunxit, ut simul natum regem quæsiisset. Chem.p.127.

Mundus privati cō-

V. Tantisper hodieque mundus Evangelium amplectitur, quan-

quantisper id citra terrenorum commodorum jacturam fieri potest. Matth. 13,10. & 26,56. Luc. 8,13. & 22,33.

modi causa Evangeliũ amplectitur.

VI. Fides piorum variis tentationum telis est exposita. Confer Dn. D. Hunn. in Matth. p. 52.

VII. Herodes Magistratùs tyrannici ideam præ se ferre videtur. Quem metuunt, oderunt. Job. 15,20.21. Prov. 29,2.

Herodes tyrannus.

IIX. Judæi contemtu & rejectione Messiæ pacem redimere cupientes, eandem cum universa sua politia & religione amiserunt. Prov. 10,24.

IX. Multi metu amittendi commoda privata, metuque periculi Christum deserunt. Matth. 19,22.

X. De natura fidei veræ, quæ nullis periculis terretur aut movetur. Psal. 116,10.

XI. Synodi & concilia Ecclesiastica, si sint legitima, negligenda non sunt. Act. 15,6.

XII. Concilia debent pronunciare & judicare secundum Scripturam, & tunc non errant. Actor. 15,28. Esa. 8,20. Luc. 16,29. Joh. 5,39.

Concilia ad Scripturam

XIII. Papa itaque Rom. in conciliis non est supremus Judex; sed ἄνομος ille, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. 2. Thess. 2,3.8. sed nec penes solos est Sacerdotes, tractare quæstiones fidei. Vide Vindic. Meelführ. th. 92.93.94.

Papa non Judex est supremus.

XIV. Propriâ suâ suorumque confessione Judæi, adventum atque exhibitionem Messiæ adhucdum præfractè negantes, confunduntur & refutantur.

XV. Veritati laboranti vel impii ac hostes, præter intentionem ac voluntatem, succurrere coguntur. Num. 22,31. 1. Sam. 10, 12. Joh. 11,50. Matth. 8,29. & 27,19.

XVI. Multi aliis viam ad Christum & salutem monstrant, quam ipsi non ingrediuntur. Matth. 23,13.

XVII. Vaticinium Micheæ cap. 5,1. suppeditat nobis testimonium, de persona & officio Messiæ. Est enim Θεάνθρωπος ratione personæ, est Dominator, Dux ac Rex Israëlis, ratione officii. Joh. 8,36. & 12,13. Dan. 2,44.45.

Christi persona & officium.

XIIX. Vera urbis alicujus laus consistit, non in externo splendore, magnificentia & amplitudine; sed in Christi agnitione & pura Evangelii prædicatione. Matth. 11,23.

Civitatis laus.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

XIX. In rebus controversis decisio ex solis Scripturis Propheticis & Apostolicis est petenda.

Scripturæ tractatio triplex.

XX. Scriptura tripliciter tractatur; aliter à Scribis,qui tantùm ut sciant,disputant; aliter ab Herode, ut per Scripturam Christum oppugnet,quem sequuntur hæretici & impii; aliter Magi,ut agnitam veritatem sectentur.

Scriptura impletur 4 modis.

XXI. Prophetia seu Scriptura, secundum D.Chemnitium, dicitur impleri & intelligi quatuor modis: (1) quando illud fit, quod Scriptura in loco allegato propriè & simpliciter prædixit,& intelligi vult.Matth.1,23. (2) quando simile aliquid fit, quod cognationem habet cum re præterita. Matth.2,18. & 13,35. (3)quando Scriptura non de uno aliquo certo facto loquitur, sed tradit doctrinam generalem. Matth.13,14. & 15,7. Esa.29,13. Joh.12,40. Act. 28,26. Rom.11,8. (4) Multæ Scripturæ sententiæ loquuntur,& de capite,& de membris.Eph. 4,10. Vide D. Finck. cent.1.can.51.

XXII. A loco nativitatis,ad Doctoris Ecclesiæ (aliorumvè virorum optimorum) obscuritatem,vilitatem, indignitatem, non valet consequentia. Idem cent.4. can.51.

Herodes hypocrita.

XXIII. Herodes speculum est hypocritarum falsorumque fratrum, quibus mel in ore, fel in corde. Psal.55,1. 12. & 140,4. 2.Sam.9,21. 1.Reg.14,2. Matth. 23,24.29. & 27,63. Actor.7,52. Jer. 9,4.

XXIV. Pii omnes videant,ut pietatis veræ non σχῆμα, sed ἀλήθειαν habeant,nisi velint à Christo rejici. Esa.29,13. 2.Timot.3,5. Sir.1,36. 1.Pet 2,1. Job.13,17. Matth.7,22.

XXV. Deus, quamvis celsissimus, humilia tamen eligit & respicit. Ps.113,4.5.6.7. 1. Cor.1,26.27. 1. Pet.5,6.

XXVI. Christus reverâ solus est in Ecclesia sua Dominus, qui dominatur morti,peccato,satanæ,mundo & inferno.Ose.13,14 Luc.11,21. 1.Joh.3,8.Zach.3,1.Ps.110,2. 1.Cor.15,24.25.26.

PARS III.

Tertiæ partis expositionem ingrediuntur tria potissimùm capita:

I. Itineris suscepti (jam verò Hierosolymis interrupti) *continuatio.* Magi enim ab Herode cum bona, uti videbatur, gratia dimissi,nihil vel mali vel doli suspicantes,nihil etiam curantes illud, quòd viderant regem turbatum, & populum illum,cui Messias peculiariter promissus & natus erat, commotum quidem, sed in re maxima admodum frigidum,denuò iter ingrediuntur, & tandem feliciter prosequuntur. Continuationem profectionis istam plurimum promovet,

1. no-

1. nova stella adparitio, quæ ad tempus ipsis disparuerat. Magnam fides Magorum passa fuerat Hierosolymis tentationem & impugnationem; ne igitur planè exstingveretur, tot tamque validis impetita ictibus, denuò lux ipsis accenditur, viam itineris monstrans. Stella enim, quam viderant primùm in Oriente, non tantùm scandalum passos solatiô munit, sed (quod verbum προῆγε, antecedebat, innuit) ὁδηγὸν sive ducem se jam itineris præbet, ita ut & locum & domum monstret, in qua erat puer.

Magorum fides tentatur.

2. Miranda stellæ motio, de qua suprà parte I. diximus, à septentrione meridiem versus, in mediam aeris regionem sese demittens, & ὁδηγῦ fidelis instar, ceu indice digitô domum monstrans.

3. Subitanea ejusdem statio: non enim peregrinantes solùm ducit; sed finem quoque peregrinationis ostendit, stans & singulariter domum monstrans, ubi erat Puer. *Verè cœlestis hæc fuit*, D. Chemnitiô teste, pag. 132. *magnificentia, quòd stella consistit supra domum.* Et hoc ideò fit, quia futurum erat, ut species gravissimi scandali objiceretur Magis, quando inventuri essent matrem cum puero, sine ullô splendore regio, in summa paupertate.

II. *Puerali diu multumq; quæsiti inventio*, quæ amplificatur effectis duobus:

1. Magorum exsultatione; ea exprimitur adjunctâ magnitudine per Hebraismum; præmißâ ἀφορμῇ sive causâ hilaritatis impellente: gavisi sunt gaudiô magnô valdè, stellam aliquamdiu occultatam denuò videntes. Eâ igitur illi confirmati, ingrediuntur, non aulam, non curiam, non synagogam, sed domum h.e. publicum diversorium, in quo tum temporis morabatur puer; nihil offensi ignobili puerperiô, nihil infante pannosô, nihil adstantium & ministrantium in terris paucitate. Dicuntur enim invenisse cum matre sola, puerum solum, h.e. nullo regio satellitio stipatum.

Magorum gaudium.

2. Puerali veneratione, factâ per

1. humilem adorationem, ipsi enim prostrati ad cunas, vel ut alii vertunt, procidentes ad terram in genua, adoraverunt eum, non modò civiliter, pro more orientalium haut dubiè os, manus & genua exosculantes, quo honore Reges olim Persarum adficiebantur; sed etiam fideliter, ut Deum & hominem divinô adorationis cultu prosequentes; aliquid enim veræ cognitionis de Deo & Messia ipsos habuisse, dubium potest esse nemini.

 2. Li-

2. *Liberalem munerum oblationem*, ut haberet Christus futuræ in Ægyptum peregrinationis ἐφόδιον. Solere enim fuisse Persis, Reges suos cum muneribus adire, quando ipsis reverentiam exhibere voluerunt, author est D. Chemnit. p. 132. Gen. 43, 11. 1. Reg. 10, 1. Apertis ergò thesauris suis, (h. e. per meton. adjuncti pro subjecto, arculis suis, in quibus thesauri erant conclusi) obtulerunt Regi recens nato donaria,

Aurum, thus, myrrham, Regiq;, Deoq; Hominiq;.

Ea enim domi pro thesauro carissimo & pretiosissimo habebantur. Ita impletum est vaticinium, Esa. 60, 6. Psal. 72, 15. Mysticam donorum expositionum vide apud D. Chemn. p. 132. D. Finck. post. p. 322. & 327. & alibi passim.

III. *Magorum in patriam reversio.* Quàm diu ad cunas Messiæ substiterint Magi, sciri exactè haut potest. Verisimile est autem, ipsos nec ita irruisse in domum ad Mariam, ut nihil omnium præfati statim prociderint; sed sine dubio, quæ in Oriente & Hierosolymis acciderant, exposuerunt; nec rebus peractis statim post adorationem tergum Mariæ obvertisse; sed sicut jussi erant ab Herode, singula diligenter de puero inquisivisse. Et his ita expeditis, reditum ad Herodem, & inde ad suos cogitâsse. Hujus verò exprimitur.

1. *causa principaliter movens*, Deus, Herodis dolos & machinationes ipsis aperiens.
2. *Modus*, in somno admonentur, de imminente periculo. χρηματίζεσθαι innuit oraculum, à Deo hominibus datum. Heb. 11, 7. & 8, 5. & 12, 25. Rom. 11, 4. 1. Reg. 19, 18. Luc. 2, 26.
3. *Finis*; ne redirent ad Herodem, mala mortemque adeò ipsam, tùm Magis, tùm puerulo maximè intentantem.
4. *Effectus*; patiuntur se moneri; & per aliam viam in patriam suam reversi, tyrannidem & machinationes Herodis occultas, hac ratione tùm eluserunt, tùm effugerunt. Et quia in agnitione Christi hac αὐτοψίᾳ mirificè profecerunt, haut dubiè in eadem alios quoque informârunt, & ad χριστογνωσίαν veram eos adduxerunt.

χρηματίζεσθαι.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Stella verbi.

I. Stellam verbi hodieque fulgentem sequi studeamus. 2. Pet. 1, 19. Psal. 19, 9. & 119, 105. Prov. 6, 23.

II.

II. Verbum enim Dei, & divina seu cœlestis illuminatio, per Spiritum fidem excitat, confirmat & conservat. Verbi vis.

III. Deus consolationes aliquando post tentationes submittit, aliquando præmittit, ut adversus scandala & tentationes præmuniat.

IV. Verum cordis gaudium oritur ex inventione Christi. Luc.19,6. Joh.1,41. Act.16,5. Psal.94,19.

V. Fides piorum variis tentationibus oppugnatur & agitatur. Psal.73,12. Heb.11,24. Job.1,1.2. seq. Matth.15, 22. Fides tentatur.

VI. Magna fuit & detestanda populi Judaici impietas, quòd nemo sese Magis adjunxit, ut Messiam suum quæreret & agnosceret, Joh.1,11.

VII. Quemadmodum Magis; ita piis quandoque tenebræ offunduntur, ut perplexi cogitent, quid sit agendum: sed succedit lux, monstrans viam, quâ ipsis sit eundum. Ps.119105. Prov.6, 23.

IIX. Non offendamur Christi paupertate, humilitate & miseria. Vide Domin. 3. Adventus.

IX. Christum Jesum non tantùm secundum divinam naturam, quâ Deus, sed & secundum humanam naturam, quâ homo, unâ adoratione religiosè esse adorandum, Magorum exemplô edocemur, Matth.8,2.5. & 9,27. Luc.18,37. Act.7,55.59. Johan.20,58. Phil.2,9. Apoc.5,9. Dan.7,14. Hebr.1,6. Psal.72,1. & 97,9. Vide D. Finck post. p.333. Adorandus est totus Christus.

X. Ab adoratione Magorum ad adorationem panis Eucharistici, nulla sequela valet. Vide D.Finck.post.p.332. & Vindic. Meelführ. th.98. seq. Adoratio Magorum.

XI. Adoratio Magorum non fuit civilis tantùm reverentia, quod contra Stapletonum & Calvinianos probat Dn.Meelf.d. l.thes. 105. 106.

XII. Admonemur exemplô Magorum laudabili de beneficentia erga Christum & membra illius: ministerium enim verbi & pauperes facultatibus nostris juvare jubemur. Matt.10,42.& 25,40. & alibi passim. Ministerium juvandum.

XIII. Offeramus & nos Christo munera mystica, preces, Ps. 141,2. sacrificium laudis; Psal.50,14. Hebr.13,15. nos ipsos, Rom.12,2 Secundum alios, thesauros aperiamus cordis, oris, operis. Vide D.Finck. postill. p.327. Alii ita; offeramus aurum, h.e. fidem; thus, i.e. orationem; myrrham, i.e. mortificationem carnis & sanctam novam vitam. Munera mystica Deo offerenda.

XIV. Ex tribus muneribus tres colligere Magos, vanum est. Vide D.Chemnit.harm.p.133.

XV. Deus de victu suis fidelibus prospicit. Matth.6,33. 1.Timoth.6,8.

Dei cura pro piis.

XVI. Deus pro salute suorum indesinenter vigilat, ipsis interim securè dormientibus; quin inter medios hostium fremitùs & insidias Ecclesiam defendit; sed modus defensionis est mirabilis, ait D.Chemn.p. 134. Psal.121,4.5.Jer.31,28.

Regnum Christi.

XVII. Monemur de regni Christi conditione; est sub cruce, expositum insidiis & persecutionibus potentum, sapientum, tyrannorum.

XIIX. Ad Christum, prælucente verbi & fidei faculâ, semel perducti, ne revertamur ad Herodem, h.e. mundi impietatem & regnum satanæ. 2.Pet.2,10.seq. Joh.5,14. Gen.19,26. Esa. 30, 21.

Mala Deus avertit.

XIX. Deus impendentia mala suâ providentiâ à piorum cervicibus avertere novit facilimè. Genes. 26, 24. & 28,15. & 39,21. 1.Sam. 29,10. Deut.32,10. Job. 23,15. Psal.91,4.5. & 97,10. Prov.10, 10. Sap.5,17. Rom.8,31.

Somnia.

XX. Dici hoc locô poterat etiam de somniis, de quibus Poëta:

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurnô,
Tempore nocturnô reddit amica quies.

Attu:

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat
Cùm vigilat, sperans, per somnum cernit id ipsum

Item:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Vide D. Finck. p.330. 331.337. & seq. ubi ex Luthero observationes aliquot.

Angelorũ comitatus.

XXI. Qui in vocatione sua piè ambulant, per Angelos (licèt non conspiciantur) deducuntur & reducuntur. Ps.91,11.

Officium nostrum erga Jesulum.

XXII. Quales erga Jesulum Regemque recens-natum nos præstare debeamus, ut de bonitate ejus in novo anno gaudere valeamus. Faciunt eam ad rem potissimùm tria;

1. *Sancti & honesti propositi continuatio:* Non enim cœpisse sat est, juvat usque morari.

2. *In summa rerum omnium perturbatione exsultatio*, sicut Magi lætantur (1) *de stella visione:* ita verbum Dei lætificat, (2) *de pueruli inventione;* Prov. 8,35. qui me

me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Matth. 7, 10. Luc. 19, 6. Joh. 16, 22.

3. *Gratitudinis declaratio.* Quid retribuam Domino? Disce, sed à bonis, h.e. à Magis, qui gratos sese præstant, — Magorum gratitudo.

1. *ad præsepe Christi proficiscendo:*
Non unctura rotam, non tardat Missa diatam:
2. *In Christi humilitate non scandalizando:*
3. *Orando & adorando:* Ferte preces, precibus namque eget omnis homo.
4. *Thesauros aperiendo,* & donaria grata offerendo.
5. *Vitam & viam immutando;* in bono perseverando; quod est per aliam viam in regionem suam migrare. Regio nostra est Paradisus: inde excidimus,

1. *superbiendo;*
2. *non obediendo;*
3. *visibilia sectando;*
4. *cibum vetitum gustando.* Revertimur
   1. *flendo* vel humiliando;
   2. *obtemperando;*
   3. *terrena contemnendo;*
   4. *adpetitum malum cobibendo.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

CONsiderabimus hac vice, secuti ductum filumque textûs prælecti, Magorum

I. Acta Hierosolymitana;
II. Acta Bethlehemitica.

PARS I.

In actis Hierosolymitanis quinque potissimùm merentur observationem:

I. *Magorum ad cunas Christi peregrinatio.* Primitiæ hi sunt gentium, Christum natum agnoscentium, quærentium, invenientium & cultu divinô prosequentium. Eam enim ipsam ob causam, longum admodum iter, ad milliaria, secundum quosdam 150; secundum alios 230; & iterum secundum nonnullos 500. susceperunt, Ὁδοιπορία verò ista describitur ab Evangelista Matthæo solo, & quidem per circumstantias; nim. — Magi gentium primitiæ.

1. Per

1. *Per temporis notationem:* Tempus illud duo indicat; Regem 1. *Spiritualem,* Christum, unde ait Evangelista: τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, Jesu natô sc. in mundum, ex Maria virgine Deipara, quæ est secunda sive humana ejus nativitas. Magis igitur peregrinantibus natus jam fuerat Christus.

2. *Corporalem,* Herodem, crudeliter ac tyrannicè Judæis subjugatis imperantem; hinc venisse Magi dicuntur in diebus Herodis Regis, cognomentô Magni; id quod ad fidem historiæ facit. Alienigena enim cùm esset, beneficiô Romani Imperatoris ad regiam dignitatem evectus, ægrè admodum Judæi imperium ejus admiserunt, ac inde in omnium ore erat, nasciturum vel brevi adventurum Messiam, sceptrô de Juda jam ablatô, Gen. 49, 10.

Herodes Magnus.

2. *Per loci designationem.* Locus, cujus mentionem facit Evangelista, est geminus:

1. unus *generationis,* in quo natus Messias; Bethlehem Judææ sc. oppidum, Davidis quoque natalibus nobilitatum, 1. Sam. 17, 12. Vide præced. dispos. plura.

2. Alter locus est *migrationis sive profectionis,* complectens terminum itineris à quo & ad quem: Ex oriente enim rectà tendunt Hierosolymam. Per Orientem synecdochicè intelligitur, non Arabia, quæ Judææ meridionalis est, non orientalis; sed Persia, uti plerique Theogorum censent: Ea enim Judææ fuit orientalis. Confer D. Gerh. post. D. Calixt. p. 64. Aret. p. 32. 33. & alios. Quæritur hic à quibusdam; cur Hierosolymam accesserint nostri Patriarchæ, & non potiùs rectà Bethlehem petierint? Quidam dicunt, rationis hoc fuisse judicium, quæ Christum quærit in locis splendidioribus. Alii ad providentiam, dispositionem & gubernationem Dei singularem referunt, *tùm* respectu Magorum, qui institutione ex verbo & fidei confirmatione ex Scripturis opus habebant; *tùm* respectu Judæorum, qui laborabant extremâ (1) ἀπιστίᾳ, unde pastoribus idem prædicantibus fidem derogabant: (2) ἀμελείᾳ, quòd in negotio tàm arduo altum dormiebant; (3) σκληροκαρδίᾳ, veritati enim monstratæ & revelatæ locum dare recusabant; quæ omnia & Herodem Regem, & Scribas, & Pontifices & reliquos de vulgo Judæos reddent aliquando ἀναπολογήτους. Confer D. Theod. p. 242.

Magi qui fuerint.

3. *Per peregrinantium descriptionem,* qui Matthæo dicuntur Magi, origine gentiles, professione vel Persarum Sacerdotes, viri εὐλαβεῖς, religiosi; vel sapientes, Philosophiæ, cumprimis Astrologiæ periti: Homines itaque non plebeii nec tamen (quod vulgus Ro-

Romanensium censet) Reges, sed docti, sapientiâ, authoritate & dignitate àpud suos eminentes, Regibus proximi, sive à Rege primi, liberorum quoq; regiorum informationi præfecti. Vide præc. disp. Aret. p. 31-32. D. Calixt. p. 63. D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 33. b. & 34. a. b. Ubi simul Romanensium refutat sententiam, qui Reges fuisse adserunt. Quot numerô fuerint, & quæ eorum nomina, disputat ibid. f. 35. 36. Unde & quando venerint f. 37. Hoc unum ex actis Hierosolymitanis.

II. Diligens Messiæ (vel Regis Judæorum) *indagatio.* Quamprimùm enim Magi Hierosolymam deveniunt, nil nisi Regem Judæorum recens-natum solicitè quærunt. Non quidem, an natus sit; an talis Rex exspectetur; hoc enim divinis edocti oraculis fides indubitatò credit; sed ubi lateat, quærunt: Locum sibi monstrari, satagentes, in quo possit conveniri, salutari & quod mox patebit, religiosè adorari. Amplificatur enim hoc ipsorum studium

1. Causâ itineris προκαταρκτικῇ, quam subministravit stellæ præternaturalis adparentia; novam vocat Basilius, in hoc ipsum à Deo, ut prævius esset Magorum dux, conditam. Vide de stellæ hujus conditione & qualitate plura dispos. præc. & adde ea, quæ habet D. Pelarg. quæst. in Matth. f. 38. & seq. D. Calixt. p. 64. 65. ubi simul ostendit, quomodo Magi è visa hac stella colligere potuerint, Regem Judæorum, Messiam, esse natum. D. Theodor. h. l. p. 239. 240. 241. 242.

2. Causâ tanti studii τελικῇ sive finali; venimus adorare eum, quæ est manifesta Divinitatis demonstratio.

III. Herodis urbisq; Hierosolymæ trepidatio, vel consternatio, quæ explicatur μερισμῷ subjectorum vel personarum trepidantium, ad novi rumoris in vulgus disseminationem. Metus enim iste vel consternatio pertingit

Nativitas Christi terret Herodē & Judæos.

1. Ad Herodem, de regno hic agi suspicantem, quod quia terrenum sibi imaginabatur, ferrô rem dirimendam illicô statuit: Non enim posse Judæam ferre duos Reges, sicut hic mundus duos ferre Soles nequit.

2. Ad totam Hierosolymam, h. e. per metonym. omnes Judæos Hierosolymam inhabitantes; (paucissimis exceptis, qui cum gaudio τὰ γενέθλια Christi perceperant) trepidationem in animis Judæorum excitat,

1. novorum motuum sive bellorum timor; verentur enim inter Reges bella intestina;

2. *insanus plerorumq́; error*, ex malè intellectis promissionibus obortus, dum externum ac politicum fore Regem Messiam putant. Malunt ergò præsentem tyrannum, quantumvis durum, ferre, quàm tantô periculô eum tollere. Cogitant proverbium illud Germanorum, *selten besser Schulße*.

IV. *Herodis cum Scribis consultatio*. Pergit enim Evangelista commemorare, tùm ad quæ consilia tyrannus impius confugerit; tùm quibus mediis ac remediis imminens periculum declinare maturè voluerit. Omnia autem agit hypocriticè & simulatè. Æquum initiò censet, dari responsum Magis, tantum iter ob recens-natum Judæorum Regem emensis. Deinde in consilium adhibendum esse Sacerdotum & Scribarum collegium æstimat, cui causam istam tàm arduam ex sacris literis decidendam committit. Occurrit

1. *Herodis concilium convocantis ἐρώτησις sive proposita quæstio*; quâ quæritur de loco nativitatis; ubi nasceretur Messias? Hæc ideò quærit Tyrannus, non quòd aliquô veritatis cognoscendæ desideriô tangatur; sed tantùm ut certô Magis responsô datô, viam sibi ad sangvinarium, quod mente conceperat, consilium sterneret.

2. *Consultorum* h.e. Pontificum, Scribarum & reliquorum Concilii sacri adsessorum *ἀπόκρισις sive Regi data responsio*, deprompta ex ipso Scripturæ propheticæ meditullio. Impii enim quanquam sint; rudes tamen & sacrarum literarum imperiti non sunt. Respondent igitur, Messiam nasci debere in Bethlehem. Decretum hoc Synodale confirmant testimoniô Prophetæ Micheæ, quod exstat cap. 5, 2. Conciliationem Prophetæ & Evangelistæ vide apud D. Hunn. in Matth. p. 51. cum quibus confer, quæ suprà dispos. primâ adnotavimus. Neque enim curiosi fuerunt Evangelistæ & Apostoli in allegandis & adprehendendis verbis Prophetarum; sed respexerunt scopum, cui volebant vaticinia vel testimonia accommodare. Scribæ itaque non possunt hîc ignorantiæ damnari, cùm ita promtè hunc locum citent: impietatis potiùs damnandi sunt, quòd in eum, quem aliis monstrant, non credunt & inquirunt, scribit Aret. in Matth. p. 35.

V. *Herodiana Magorum informatio*. Hypocriticè & simulatè Herodes omnia agit, sub prætextu pietatis & amoris erga Regem recens natum singularis, insidias struens. Procedit autem astutè,

1. Ie-

1. *tectè Magos accersendo;* vult enim latere Judæos metum, aut certè non vult omnia ipsos scire, ne consilium, quod animô fovebat, subodorarentur, & motibus aut partibus novis studerent.

2. *Callidè tempus visæ stellæ inquirendo*, ut sciat, quando primùm illa in Oriente & quamdiu adparuerit; quando item fulgere desierit; ut inde de ætate Regis recens nati conjecturam facere, & ipsum in primâ infantia occidere posset.

3. *Insidiosè præcipiendo:* addit enim statim mandatum, de accurata & studiosa pueruli investigatione; deque citissima inventi renunciatione. Amplificatur ejusdem causæ finalis repetitione, quam Magi advenientes suo studio & itineri prætexuerant; *ut & ego veniens adorem eum.* Hoc ideò adjicit, ne Magi sinistri quid suspicarentur, sed plenam dictis fidem adhiberent.

USUS I. Informatorius.

Officium nostrum erga Jesulum.

Docemur, quales nos erga Jesulum νεογνὸν gerere debeamus, quò beneficiorum, nativitate, circumcisione & universô ipsius meritô partorum, evadamus participes. Facem nobis hîc præferunt Magi, gentium Patriarchæ; sequimini ergò ô mei hos Magos

1. *novam stellam accuratè observantes*, quam diabolus per hæreticos, Romanenses potissimùm & Jesuidas cupit & it exstinctam. Stella est verbi, vaticinia Prophetarum & omne Dei consilium nobis monstrans. Num. 24, 17. Mal. 4, 2. Act. 20, 27. 2. Pet. 1, 19.

2. *Novum Regem studiosè inquirentes.* Quid quærit mundus? Aurum, argentum, honores, voluptates, secundum illud Poëtæ:

Ambitiosus honos, & opes & fœda voluptas;
Hæc tria pro trino Numine mundus amat.

Magi quærunt Messiam: sequimini, ô charissimi! Esa. 55, 6. Zach. 8, 21. Ubi inveniendus? In sinu Patris: Joh. 1, 18. in cunis, in fasciis, in præsepi, Matth. 18, 20. in cruce, Psal. 91, 15. Modus quærendi & inveniendi monstratur in verbo, Esa. 8, 20. per verbi auscultationem, precationem, seriam vitæ emendationem. Jer. 29, 13. Matt. 3, 2.

3. *Veritatem intrepidè confitentes.* Matth. 10, 32. & 12, 34. Ps. 116, 9. 10. Rom. 10, 10. 2. Tim. 1, 8. Apoc. 3, 15. 16.

4. *Devotè Jesulum adorantes.* Plùs enim valere (apud Deum) justorum preces, quàm arma, quàm equitatum, quàm pecunias, quàm

 mul-

multas capias,quàm innumeram militum multitudinem, D. olim docebat Chrysostomus. Habemus calamitosissimis hisce temporibus sat multa,quæ oremus,

1. peccatorum remissionem ;
2. peccatorum devitationem ; Jer.10,23.
3. stellæ conservationem ; Jer.15,16.
4. pœnarum mitigationem ; Psal.85,1.2.3.
5. beatam emigrationem.

5. Sumtûs largissimè erogantes. Iter longum, plenum requirit marsupium. Nullis Magi sumtibus parcunt,modò Christum habeant & inveniant. Exod. 23,14.15. & 34,20. Deut.12,19. & 14,28. 29. & 16,17. & 26,12.13.14.15. Prov.9,3. Esa.49,23. Sir.7,33.34. 1.Cor.9,7.8 seqq. Gal.6, 6.7.8. August. *dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti.*

II. Consolatorius.

Magi gentium Patriarchæ.

1. Ex gentium ad regnum Christi vocatione. Magos enim Chrysostomus gentium Patriarchas adpellat. Huc referantur varia V.T. vaticinia,typi & exempla singularia,(vide apud D.Gerhard.postill. fol.48. a.) quorum complementum N. T. suppeditat. Matth.8,11. Act.10,34. Rom.10,12. Gal.3,28. Quis ergò desperet de Dei summè misericordis gratia? Rom.5,20. Ps.36,10. Luc.2,32.

2. Ex stellæ sequela & collustratione. Joh.6,68. Esa.60,19.

III. Refutatorius.

Absolutum decretum.

I. Calvinianorum,absoluti sui decreti fermentô & figmentô,mel isthoc consolationis dulcissimum, in absynthium amarissimum,quantum in ipsis est,malitiosè convertere allaborantium.

II. Pontificiorum ,

Peregrinationes Papistarum.

1. ex Magorum profectione suas, quas vocant, religiosas (irreligiosas veriùs)peregrinationes, ad statuas & reliquias sanctorum fictas, falsas,ementitas stabilire præsumentium. Cui superstitioni nihil opponimus aliud,nisi illud Esa.8,20. & quod veteres olim dicebant: *quod non est scriptum,non est sentiendum.* Peregrinationes habemus & probamus locales , spirituales & persecutionales licitas; de illicitis,quæ vanæ sunt ac superfluæ,neque à Deo, neque à Christo, neque ab Apostolis mandatæ vel adprobatæ, verbo potius Dei contrariæ,à Christo prohibitæ,superstitiosæ, idololatricæ,non necessariæ,periculosæ,inutiles, Judaico-Ethnicæ &c. planè sumus *ἀμέριμνοι.* Videat benevolus Lector de hoc argumento

co prolixè differentem D. Theodor. in Anal. Evang. part. 1. pag. 174. 275. 276. D. Heilbrunn. im vncatholischen Pabstthumb / art. 13. cap. 2. mihi pag. 236. & seq. D. Zeæmann. Antikeller, vel Apolog. Tom. 2. p. 636. seqq.

2. Penes solos Sacerdotes (ab idolo Romano inunctos, sive mediatè, sive immediatè hoc factum sit) jus decidendi & tractandi quæstiones fidei residere, probare ex hoc loco conantium. Vide Schererum in post. festivali p. 58. ubi laudat Herodem, Sacerdotibus quæstionem decidendam proponentem: Herodes thut recht vnd wol daran / daß er ein Concilium der Geistlichen darüber halten / vnd alle Hohepriester vnd Schrifftgelehrten zusammen beruffen lesset / welchen Amptshalben gebühret / auff fürfallende Streit Artickel Bescheid vnd Antwort zu geben / dann es heisset / frage die Priester vmb das Gesetze. Non animadvertit miser Tonsor. 1. Herodem cogere concilium, tanquam Magistratum politicum, non solum Papam, cui facto praxis AntiChristiana Romana contradicit. 2. Quæstionem controversam decidi ex sola scriptura; Ergò non secundum vocem Papæ prætoriam. 3. Consulantur ministri Ecclesiarum ordinarii, sed ab examine dogmatum non excludantur laici. 1. Thess. 5, 21. 4. A positione unius ad remotionem vel exclusionem alterius non valet consequentia. Confer D. Heilbrunn. Papat Acathol. art. 20. cap. 6. p. 775. seqq.

3. Magos fuisse Reges tres, nominatim Melchior, Caspar, Balthasar, πὶξ καὶ λὰξ contendentium, potiùs fingentium. Vide Schererum Jesuicidam probare hanc θέσιν conantem, pag. 50. 51. Cui figmento nihil opponimus aliud, nisi quod paulò antè in textûs enarratione diximus: fabulæ sunt & nugæ gerris Siculis inaniores. Matthæus Magos, non Reges vocat; cetera pete ex authoribus, quos allegavimus.

PARS II.

Fuerunt acta Hierosolymitana; sequuntur Bethlehemitica, in quorum censum veniunt quinque itidem capita.

I. Secunda vel nova stellæ adparitio: Eadem autem fuit, quam viderant in Oriente; unde colligunt nonnulli, stellam istam, vel in Oriente solùm illis adparuisse, in via autem evanuisse; vel certè Hierosolymis disparuisse; jam verò urbem egressis non tantùm iterum sese videndam præbuisse, sed viæ quoque ducem fuisse, & præcedendo eos duxisse Bethlehemam. Facta sunt hæc omnia in fidei nutantis & labascentis robur ac firmamentum. Confer D. Hun. p. 52.

multas capias, quàm innumeram militum multitudinem, D. olim docebat Chrysostomus. Habemus calamitosissimis hisce temporibus sat multa, quæ oremus,

1. *peccatorum remissionem*;
2. *peccatorum devitationem*; Jer.10,23.
3. *stellæ conservationem*; Jer.15,16.
4. *pœnarum mitigationem*; Psal.85,1.2.3.
5. *beatam emigrationem*.

5. *Sumtûs largissimè erogantes.* Iter longum, plenum requirit marsupium. Nullis Magi sumtibus parcunt, modò Christum habeant & inveniant. Exod. 23,14.15. & 34,20. Deut.12,19. & 14,28. 29. & 16,17. & 26,12.13.14.15. Prov.9,3. Esa.49,23. Sir.7,33.34. 1.Cor.9,7.8. seqq. Gal.6, 6.7.8. August. *dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti.*

II. Consolatorius.

Magi gentium Patriarchæ.

1. *Ex gentium ad regnum Christi vocatione.* Magos enim Chrysostomus gentium Patriarchas adpellat. Huc referantur varia V.T. vaticinia, typi & exempla singularia, (vide apud D.Gerhard. postill. fol.48. a.) quorum complementum N.T. suppeditat. Matth.8,11. Act.10,34. Rom.10,12. Gal.3,28. Quis ergò desperet de Dei summè misericordis gratia? Rom.5,20. Ps.36,10. Luc.2,32.

2. *Ex stellæ sequela & collustratione.* Joh.6,68. Esa.60,19.

III. Refutatorius.

Absolutum decretum.

I. Calvinianorum, absoluti sui decreti fermentô & figmentô, mel isthoc consolationis dulcissimum, in ablynthium amarissimum, quantum in ipsis est, malitiosè convertere allaborantium.

II. Pontificiorum,

Peregrinationes Papistarum.

1. ex Magorum profectione suas, quas vocant, religiosas (irreligiosas veriùs) peregrinationes, ad statuas & reliquias sanctorum fictas, falsas, ementitas stabilire præsumentium. Cui superstitioni nihil opponimus aliud, nisi illud Esa.8,20. & quod veteres olim dicebant: *quod non est scriptum, non est sentiendum.* Peregrinationes habemus & probamus locales, spirituales & persecutionales licitas; de illicitis, quæ vanæ sunt ac superfluæ, neque à Deo, neque à Christo, neque ab Apostolis mandatæ vel adprobatæ, verbo potius Dei contrariæ, à Christo prohibitæ, superstitiosæ, idololatricæ, non necessariæ, periculosæ, inutiles, Judaico-Ethnicæ &c. planè sumus *ἀμύητοι*. Videat benevolus Lector de hoc argumento

co prolixè differentem D. Theodor. in Anal. Evang. part. I. pag. 274. 275. 276. D. Heilbrunn. im uncatholischen Pabsthumb / art. 13. cap. 2. mihi pag. 236. & seq. D. Zeæmann. Antikeller, vel Apolog. Tom. 2. p. 636. seqq.

2. Penes solos Sacerdotes (ab idolo Romano inunctos, sive mediatè, sive immediatè hoc factum sit) jus decidendi & tractandi quæstiones fidei residere, probare ex hoc loco conantium. Vide Schererum in post. festivali p. 58. ubi laudat Herodem, Sacerdotibus quæstionem decidendam proponentem: Herodes thut recht vnd wol daran / daß er ein Concilium der Geistlichen darüber halten/vnd alle Hohepriester vnd Schrifftgelehrten zusammen beruffen lesset/ welchen Amptshalben gebühret / auff fürfallende Streit Articul Bescheid vnd Antwort zu geben/dann es heisset/ frage die Priester vmb das Gesetze. Non animadvertit miser Tonsor. 1. Herodem cogere concilium, tanquam Magistratum politicum, non solum Papam, cui facto praxis AntiChristiana Romana contradicit. 2. Quæstionem controversam decidi ex sola scriptura; Ergò non secundum vocem Papæ prætoriam. 3. Consulantur ministri Ecclesiarum ordinarii, sed ab examine dogmatum non excludantur laici. 1. Thess. 5, 21. 4. A positione unius ad remotionem vel exclusionem alterius non valet consequentia. Confer D. Heilbrunn. Papat Acathol. art. 20. cap. 6. p. 775. seqq.

3. Magos fuisse Reges tres, nominatim Melchior, Caspar, Balthasar, πῖξ καὶ λάξ contendentium, potiùs fingentium. Vide Schererum Jesuicidam probare hanc θέσιν conantem, pag. 50. 51. Cui figmento nihil opponimus aliud, nisi quod paulò antè in textûs enarratione diximus: fabulæ sunt & nugæ gerris Siculis inaniores. Matthæus Magos, non Reges vocat; cetera pete ex authoribus, quos allegavimus.

PARS II.

Fuerunt acta Hierosolymitana; sequuntur Bethlehemitica, in quorum censum veniunt quinque itidem capita.

I. *Secunda vel nova stellæ adparitio:* Eadem autem fuit, quam viderant in Oriente; unde colligunt nonnulli, stellam istam, vel in Oriente solùm illis adparuisse, in via autem evanuisse; vel certè Hierosolymis disparuisse; jam verò urbem egressis non tantùm iterum sese videndam præbuisse, sed viæ quoque ducem fuisse, & præcedendo eos duxisse Bethlehemam. Facta sunt hæc omnia in fidei nutantis & labascentis robur ac firmamentum. Confer D. Hun. p. 52.

II. Pueruli cum matre in stabulo inventio. Hic finis fuit peregrinationis fèlicissimus, qui amplificatur effectu, singulari cordis exsultantis tripudio. Geminatio ex phrasi Hebræa profluens rei quoque magnitudinem denotat. Ingressi enim oppidum, non amplius necesse habent quærere, ubi est natus Rex Judæorum: sed rectà domum intrant, quam miraculosi sideris statione & indiciô commonstrari divinitus videbant.

III. Humilis pueruli inventi adoratio, instituta κατὰ τὸ τοῦ χρυσοῦ συναμφότερον, uti prisca Græcorum quondam loquebatur Ecclesia.

IV. Munerum oblatio; Magi enim apertis, quos secum advexerant, thesauris, offerunt puerulo, religiosâ jam peractâ λατρείᾳ, aurum inter metalla nobilissimum & pretiosissimum: thus sacris tàm Judæorum, quàm gentilium adhiberi solitum: & myrrham, corporibus defunctorum inungendis utilem. Munera habes planè regalia & sacerdotalia, quin præter gentis consvetudinem, quâ Regibus ejusmodi offerre solebant dona, aliæ etiam fuerunt oblationis causæ, quas divina potissimum respexit providentia; nimirùm

1. *necessitatem*, ut haberet Jesulus cum matre & Josepho itineris mox ineundi viaticum:
2. *regiam potestatem*, quam aurum notat:
3. *sacerdotalem dignitatem*, vel divinam majestatem, quam thus, in sacrificiis, ad placandum Deum institutis, adoleri vel incendi consvetum; ostendit.
4. *humanam mortalitatem*, per myrrham significatam. Juvencus:

Aurum, thus, myrrham, Regique, Deoque, Hominique
Dona ferunt.

Et Sedulius:

Aurea nascenti fuderunt munera Regi;
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre sepulcro.

V. Magorum in patriam (per aliam viam) *reversio.* Deus enim periculo Herodiano & Filiolum & Magos subtracturus, admoneri curat eos in somno, ne ad Herodem, gladium in necem omnium acuentem, reverterentur; cui mandato morem gerentes tuti ad suos redierunt atque incolumes.

USUS I. Informatorius.

De reliquis pietatis erga Christum exercendæ officiis. Imitamini, ô mei, denuò Magos, gentium, ad Christum in N.T. conversarum, primitias;

1. *San-*

1. *Sanctum bonumq; propositum gnaviter continuantes.* Luc.9,62 Matth.24,13. Apoc.3,11.

2. *In periculis & calamitatibus* h.e.in ipsa cruce,plurimùm *gaudentes.* Vide dispos. prim.part.3. por.22.

3. *Gratitudini studentes:* vide ibid.

4. *Herodem devitantes*, & in regionem suam revertentes, ib.

II. Consolatorius.

Fiet hoc pactô, ut inveniamus thesaurum animæ nostræ pretiosissimum, Jesum Christum, Fratrem & Immanuelem nostrum. Esa. 65,24. Sap.1,2. Sic habebimus ἀντίδωρον Regis Messiæ longè præstantissimum:

1. *Amorem*, quem testabitur monendo:
2. *Favorem*, quem declarabit, turmas angelicas in nostri defensionem emittendo:
3. *Honorem*, quem in nos conferet, in cœlestem patriam nos tranferendo.

III. Monitorius.

Ergò feriis natalitiis jam peractis, quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quâ quæso ratione gratitudinem erga tàm præclarè de me meritum Jesulum declarem? Imitare hac quoque in pietatis parte tuos in fide Patriarchas Magos. Gratus eris,

I. *Ad Christum properando.* Magi sequuntur stellam: Tu Verbum, illud facem tibi præferet, *Gratitudo Jesulo declaranda.*

1. *ad verum Christi agnitionem;*
2. *ad fidei confirmationem;*
3. *ad sinceram mentis exsultationem.*

II. *In Christi humilitate & paupertate non scandalizando.*

III. *Christum reverenter & decenter adorando:* hæc omnia ex suprà dictis sunt manifesta.

IV. *Thesauros aperiendo*, tùm spiritualiter, offerendo Christo,

1. myrrham pœnitentiæ & contritionis;
2. aurum fidei ἀνυποκρίτου;
3. thus precationis & novæ obedientiæ, ut habeas cor contritum, fidele & novum. O sacrificium Deo & Immanueli tuo gratissimum, exoptatissimum!

tùm corporaliter: ex substantia tua, non aliena, fac eleemosynam. Tob. 4,7.

V. *Viam*

V. Viam immutando, vel in bono perseverando. Herodis via rectâ ad Orcum ducit: Tu, si sapis, fuge. Viæ immutatio, vitæ emendatio.

VI. Hypocrisin Herodianam devitando. Psal. 55, 22. & 140, 4.

A Joabi alloquio;
A Thyestis convivio;
Ab Ischariotis Ave;
A Diasii salve;
Ab Herodis redite;
A Gallorum venite
Libera Ecclesiam tuam Domine!

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio *μονομερής*.

Cùm feriis hisce natalitiis sat multa, pro loci temporisque hujus conditione, audiverimus de Judæorum γενεθλίοις: (malè Bethlehemi tractabatur hospes novus, in stabulum ad pecudes ablegatus:) placet jam considerare *gentium* γενέθλια, Magorum Orientalium ductum sequendo.

Gentium γενέθλια, Weihenachten.

Ἐξήγησις.

Judæi pro missione Messiæ, Dei Filii Unigeniti, pessimè grati, parùm curant Salvatoris sui Jesu Christi γενέθλια. Videre hoc est apud incolas metropoleως universæ Judææ, qui natalitia Messiæ sui, jam modò exhibiti, celebrant

1. Trepidando, quod de Herode & tota Hierosolyma factum refert Evangelista Matthæus. O rem inauditam! ô facinus infandum! De cujus nativitate gaudent Angeli, lætantur Archangeli; de ipsius ortu & adventu contristantur, perturbantur, trepidantque Judæi.

2. Hypocriticè venerando. Contemplare Herodem; annon verba lactis audis? Utique: sed fraus in factis. Valeant omnes pietatis veræ simulatores pessimi! Operam autem dent omnes pii, ut quod ore jactant, opere præstent. Chrysost. Tom. 5. Operum homil. 42. fol. mihi 46. de Herode inquit: *Simulavit solicitudinem, ut celaret deceptionem. Non enim adorare, sed perimere Dominum cogitabat.*

3. Contemnendo: Ecquis enim omnium, qui locum nativitati Messiæ destinatum scrutantur, Magos comitatur? Nullus & nemo. In propria venit, & sui (sues potiùs) eum non receperunt. Joh. 1, 11.

Sed

Sed non impunè. *Quia fides ista Magorum* (dicente locô citatô Chrysostomô.) *condemnatio est Judæorum. Illi uni Prophetæ suo (Balaam) crediderunt; isti tot Prophetis credere noluerunt. Illi intellexerunt, per adventum Christi magicam artem cessaturam; isti divinæ legis mysteria intelligere noluerunt. Illi confitentur alienum: isti proprium non agnoscunt. Et hæc quidem stella ab omnibus videbatur; sed non ab omnibus intelligebatur. Sicuti Dominus ac Salvator noster omnibus quidem natus est; unus propter omnes natus est: sed non ab omnibus susceptus est, non ab omnibus intellectus: Intellectus est à gentibus, non intellectus est à Judæis: agnitus est ab Ecclesia; non est agnitus à synagoga.* Herodes ergò (idem post pauca ait) & Hierosolymitæ Christum Dominum nostrum non ignorantes, sed scientes contemserunt.

4. *Persequendo*, insidiasque struendo; id quod Herodem factitâsse Evangelii luculenter docet historia. *Herodes* enim, iterum inquit Chrysostomus, *rex iniquus, dum regno suo metuit, quod injustè tenebat, insidiator factus est Regis æterni.* Exite ergò de Hierosolyma, quotquot nativitate Christi, omnibusque beneficiis, sanctâ ipsius Incarnatione ac meritô universô partis, paratis, uti -frui speratis.

Rectiùs γενέθλια sua Magi Orientales constituunt, quorum exemplum imitari & pium fuerit & salutare. Recolunt autem illi nati Jesuli memoriam,

Magi quomodo γενέθλια Christi celebrent.

1. *diligenter puerulum quærendo;* gentium enim ipsum fore exspectationem divinis edocti Prophetarum oraculis, jamdum sciebant. Sequimini omnes, qui Jesulum vestrum diligitis! Chorum inter auditores ducant Magi, h.e. politici religiosi. Psal.2,10. & 24.7. Sap.6,5. Esa.49,23. *Ideò autem Magi*, secundum Chrysostomi sententiam, *de gentibus primi electi sunt ad salutem, ut per eos omnibus gentibus salutis janua panderetur.*

2. *Media ad Christum ducentia amplexando.* Magi ad præsepe, h.e. agnitionem Jesuli deducuntur.

1. *adsiduâ Scripturarum lectione;*
2. *Judæorum conversatione;*
3. *Stellæ novæ observatione.* Chrysostomus: Novum signum stellæ de cœlo Magis ostenditur, per quod Dominus cœli ac terræ, Rex Judæorum agnoscitur natus. Media hodieque non desunt, modò nos ipsi nobis non desimus.

3. *Christum venerando;* (1) procidunt; (2) adorant; (3) muneribus adficiunt. Tu fac similiter.

4. *Malorum consortia vitando*, cum bonis bona est navigatio: aliàs *morbida facta pecus totum corrumpit ovile.*
Tu, si sapis, *salva animam tuam.* Gen. 19, 17.

Posset hic addi thema,

Servitia Jesulo præstanda.

De servitiis, Jesulo recens nato præstandis: (Hofedienste) secundum quatuor corporis humani membra, cor, os, manus & pedes. Dabis ipsi

I. Cor, 1. *in ipsum credendo*; quòd sit Messias; quòd fiducia in ipsum solum collocanda: Act. 4, 12.

2. *Jesulum amando*: Magi amorem suum testatum faciunt,

1. *itineris longinqui susceptione*; quæ requirit patientiam:

2. *liberali sumtuum erogatione*:

3. *scandali remotione*; scandalum dico

1. *paucitatis*;

Tyrannis quid.

2. *timiditatis*; Herodes timet, ubi non erat timor, quia tyrannus: (*Tyrannis* definitur *abusus legitimæ potestatis, contra jus opprimens*: fiat subsumtio de non paucis.)

3. *vilitatis*:

4. *vitæ emendatione*; ad Herodem non revertendum

II. Os; 1. *Christum confitendo publicè*; absit hypocrisis:

2. *Ipsum adorando devotè.*

III. Manus, quas habebis apertas: Wir machen uns bey Christo arm/ so werden wir arm.

IV. Pedes, ad cunas Christi eundo, & in regionem tuam ambulando. Concludimus voto Ecclesiæ: *Deus, qui hodiernâ die Unigenitum tuum gentibus Stellâ duce revelâsti; concede propitius, ut qui te jam ex fide cognovimus, usq; ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIÆ.

EVANGELIUM

Luc. 2. à vers. 41. ad finem usq;.

41. Καὶ ἐπορεύοντο οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατ' ἔτος εἰς Ἱερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ Πάσχα.	41. *Ibant parentes ejus quotannis Hierosolymam, in die festo Pascha.*

42.

42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, ἀναβάντων αὐτῶν εἰς Ἱεροσόλυμα κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς·

42. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consvetudinem diei festi:

43. Καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς, ὑπέμεινεν Ἰησοῦς ὁ παῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

43. Consummatisq; diebus, cùm redirent illi, remansit puer Jesus Hierosolymis, & non cognoverunt parentes ejus. (al. cognovit Joseph & mater ejus.)

Al. οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ. Chemn. harm.

44. Νομίσαντες δὲ αὐτὸν ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι, ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν, καὶ ἀνεζήτουν αὐτὸν ἐν τοῖς συγγενέσι καὶ ἐν τοῖς γνωστοῖς.

44. Cæterùm rati illum esse in comitatu, venerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos, & inter notos.

45. Καὶ μὴ εὑρόντες αὐτὸν, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ, ζητοῦντες αὐτόν.

45. Et cùm non invenissent eum, reversi sunt Hierosolymam, quærentes eum.

46. Καὶ ἐγένετο, μεθ' ἡμέρας τρεῖς, εὗρον αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ, καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν, καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς.

46. Et accidit, post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Ἐξίσταντο δὲ πάντες οἱ ἀκούοντες αὐτοῦ, ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ.

47. Stupebant autem omnes, qui audiebant eum, super intelligentia & responsis ejus.

48. Καὶ ἰδόντες αὐτὸν, ἐξεπλάγησαν· καὶ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ εἶπε· Τέκνον, τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; ἰδοὺ ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε.

48. Et visò eò admirati sunt: & dixit mater ejus ad illum: Fili, cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

49. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· Τί ὅτι ἐζητεῖτέ με; οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;

49 Et ait ad illos: Quid est, quòd quærebatis me? an nesciebatis, quòd in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

50. Καὶ αὐτοὶ οὐ συνῆκαν τὸ ῥῆμα, ὃ ἐλάλησεν αὐτοῖς.

50. Et illi non intellexerunt sermonem, quem locutus est ipsis.

51. Καὶ κατέβη μετ' αὐτῶν καὶ ἦλθεν εἰς Ναζαρέθ· καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. Καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ διετήρει πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς.

51. Et descendit cum eis, venitq; Nazareth: eratq; subditus illis. Mater autem ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo,

52. Καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις.	52. *Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratia apud Deum atq; homines.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

REferendum est etiam hoc Evangelium ad genus causarum Demonstrativum: continet enim historiam de puero Jesu, in templo Hierosolymitano inter medios doctores sedente, & cum Scribis atque Sacerdotibus disputante. Partimur Evangelium in tres partes;

- *I. Hierosolymitanam profectionem,* veluti occasionem, quâ Jesulus amissus fuit:
- *II. Puerili Jesu amissionem,* inquisitionem & repetitionem.
- *III. Puerili in Nazareth reversionem,* reliquamque ætatis infantilis descriptionem enarrabit.

PARS I.

Occasionem amittendi Jesum præbuit consvetudo anniversaria, consvetudo nimirùm visidanti festum Paschatos. Habetur hic laudabile pietatis studium & exercitium, in parentibus Christi, h.e. Maria matre & Josepho, qui non naturæ, sed curæ & educationis respectu pater Jesu dicebatur, veluti tutorió nomine ipsum curans. Declarant autem parentes isti pietatem suam effectu triplici:

Festa Judæorum.

I. Anniversariâ festorum observatione: Nam omne masculinum jubebatur ter in anno adparere coram Domino; in festo sc. Paschæ, Pentecostes & Tabernaculorum. Exod. 23, 14. 15. 16. Levit. 23, 4. seqq. Deut. 16, 1. seqq. Et in posterioribus quidem duobus legis indulgentia parcebat illis, quorum habitatio à templo erat remotior; ideoque Paschæ tantùm mentionem fecit Evangelista. Etsi autem masculi solummodò illô legis præceptô obligarentur; Exod. 34, 23. Maria tamen, ex singulari pietatis zelo, Josepho Hierosolymam ad Paschatos solemnitatem proficiscenti, semper comitem sese adjunxit.

II. Filioli ad pietatem institutione & adsvefactione: secum enim puerum Jesum, licet adhuc minorennem, adducunt parentes, existimantes, à teneris adsvescere multum esse. *Verisimile autem est,* inquit D. Chemn. pag. 180. harm. Evang. *parentes forsan ad illud festum puerum Jesum etiam ante duodecimum annum secum duxisse: Lucas enim non dicit, quòd illô anno primum duxerint eum secum, sed*

sed quòd tunc remanserit Hierosolymis. Et adnotat p. 179. incomparabilis ille Germaniæ Theologus, duplicem fuisse puerorum in populo Israël institutionem. Unam *generalem*, quâ domi à parentibus in capitibus doctrinæ cœlestis instituebantur, & progressu ætatis ad synagogas, & ad ipsum templum in solemnioribus festis adducebantur, Exod. 12,26. Deut. 4,10. & 6,7. Alteram *specialem* eorum, qui Præceptoribus in scholis erudiendi in Lege tradebantur, & vocabantur Prophetæ & Prophetarum filii. 1. Sam. 10,5.10. 2. Reg. 2,3. & 4,38. Act. 22,3. 2. Tim. 3,15. Puerum autem Jesum posteriori hac institutione usum non esse, ipsi Judæi testantur. Johan. 7,15. Mariam interim matrem & Josephum nutritium domesticam in hoc puero institutionem non neglexisse, hæc historia abundè testatur.

Institutio puerorum apud Judæos duplex.

III. Legitimâ pietatis istius continuatione. Non enim nisi consummatis diebus, ad festi celebrationem ex Dei ordinatione destinatis domum revertuntur, quæ integrum septiduum requirebat ex Lege Exod. 12, 19.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. In cultu divino præcisè sequamur præscriptum verbi divini. Deut. 4,32. & 12,32. Pro. 30,6. Matth. 15,8.

Cultus secundum verbum.

II. Monemur, ut cœtûs sacros studiosè visitemus, exemplum parentum Christi secuti. Psal. 27,4. & 84,2.11. Amos 8,11. Mat. 21,43. Ezech. 33,31. Exod. 20,8. & 31,13. 44. Levit. 19,3. Hebr. 10,25. Coloss. 3,16.

Cœtûs sacri

III. Ad cultûs istos sacros, aliaque pietatis exercitia maturè adsvefaciendi sunt liberi. Gen. 18,19. 1. Sam. 1,28. Tob. 4,5. Deuter. 16,20. Eph. 6,4. Col. 3,12.

IV. De peregrinationibus Papistarum irreligiosis hic quoque dici poterat. Vide autem dispos. 2. in fest. Magorum, & præ ceteris D. Theod. h. l. pag. 274. Vindic. item Meelführ. th. 2.

V. Quòd autem in V. T. juberentur, immò cogerentur per legem latam Judæi peregrinari Hierosolymam ad festorum solemniorum cultûsque divini celebrationem, ideò factum esse novimus, quia

Peregrinatio Judd. ad festa.

1. Deus hunc locum peculiariter selectum cultui destinaverat sacro. Deut. 12,14. 2. Reg. 9,3.

2. unum erat sanctuarium, unumque altare, cui populum suum, ad falsos cultus proclivem alligaverat:

3. Messias in templo Hierosolymitano concionari debebat. Vide plura apud D. Finck. in post. Academ. & Eccles. part. 1. p. 372. 373.

Ecclesia N. T. loco nō alligata.

VI. In N T. Ecclesia nulli certo loco cum cultu & exercitiis sacris est alligata. Joh. 4, 21. 1. Tim. 2, 8. *Ecclesia non definitur terminis locorum, sed Scripturæ S. testimoniis.* August.

VII. De festis diebus vide dispos. meas festivales in festo Andreæ: & D. Finck. d. l. pag. 374. & D. Theod. p. 277. seq.

Feriæ Judæorum.

IIX. Statæ Judæorum feriæ vel fuerunt (1) hebdomadariæ, puta in singulis Sabbathis; Gen. 2, 3. Exod. 12, 16. vel (2) menstruæ, ut in Neomeniis; Num. 28, 11. Psal. 81, 4. Ezech. 46, 1. 3. 6. vel (3) anniversariæ. Deut. 16, 1. seqq.

IX. Christus institutione ordinariâ usus non est, ut testimonium esset, ipsum doctrinam suam non ab hominibus accepisse; sed è sinu Patris sui protulisse. Joh. 1, 18. & 7, 16.

X. Voluit autem nihilominùs exemplô suô & comprobare & sanctificare, tùm domesticam pædagogiam seu institutionem puerorum; tùm publicam eorum ad conventus Ecclesiasticos ac Scholasticos deductionem & adhibitionem. Exod. 20, 24. Sir. 51, 31. Matth. 4, 23. & 13, 54. Luc. 4, 15. & 6, 6. & 13, 10. & 16, 44. Joh. 6, 59. & 18, 20.

Exempla.

XI. Meminerimus exemplô bonô præire aliis: magna enim vis est exemplorum ad utrumque. Matt 5, 16. Sap. 4, 12. & 14, 12. Tob. 2, 12. Sir. 2, 11. & 19, 3. & 32, 21. 2. Macc. 6, 27. 28. 2. Cor. 9, 2. 1. Tim. 1, 16. 2. Pet. 2, 6. Jac. 5, 10. Judæ epist. v. 7.

Parentum officium.

XII. Parentum officium egregiè hoc locô vers. 41. 42. 43. depingitur. Consistit autem illud (1) non *in opum fluidarum coacervatione*; (2) non *in disciplinæ laxatione*; utrumq; liberis periculosum; sed

1. *in domestica secundum legem divinam educatione*, quæ non nutritionem saltem corporis; sed vel maximè legitimam institutionem ad pietatis cumprimis exercitia maturam adsvefactionem, à teneris, quod ajunt, ungviculis suscipiendam, requirit. Sir. 15, 1. Psal. 111, 10. Marc. 10, 14. Eph. 6, 5. 1. Tim. 4, 8. Tob. 4, 5. Prov. 22, 6.

2. *In publica informatione*, quæ in Scholis potissimùm Christianorum fieri solet. 2. Tim. 3, 15.

3. *In moderatâ castigatione*; hæc αἴτιον αὐτὸ ἓ μή bonæ educationis. Prov. 19, 18. & 23, 13. Sir. 30. per totum. Confer spe-

speculum disciplinæ Oeconomico-Ecclesiasticæ apud D. Theodor. p. 280. seqq.

XIII. Juventus exemplô Christi libenter & cum voluptate, quin & utilitate ac fructu, sacris intersit concionibus. 1. Timot. 4, 8. Psal. 119, 9.

XIV. De officio liberorum, quos decet & mirificè ornat, — Liberorum officium.

1. sincera erga Deum devotio;

2. pravæ sodalitatis aversatio; Sir. 13, 1. 1. Cor. 15, 33.

3. obediens sub parentibus humiliatio. Confer Catecheticos libellos & conciones.

PARS II.

Describitur secundâ hac parte eventus inopinatus, pro cujus explicatione meliori sequentia observentur κεφάλαια:

I. Christi in templo Hierosolymitano remansio; cujus ratio annotatur gemina, petita ex parentum tùm *negligentia;* (relictô enim post se puerô abeunt) tùm *ignorantia*, cujus causa adjicitur, falsa persvasio, quòd eum esse in comitatu existimârunt. Patet ex hac circumstantia, quòd antea quoque fuerit in comitatu illo cognatorum & notorum. *Fuisset enim insignis negligentia*, ait D. Chemn. p. 180. *si in prima profectione non meliùs observâssent puerum. Conjecturam igitur illam de comitatu, ex iis, quæ priùs acciderant, videntur collegisse. Vera autem remansionis causa erat Scripturæ impletio;* prædixerat enim illa Mal. 3, 2. venturum ad templum Domini Angelum fœderis, & purgaturum filios Levi, h. e. cultum Leviticum abrogaturum. Confer D. Chemn. Harm. Evang. pag. 182.

II. Solicita pueruli amissi inquisitio, facta per diversa loca. Initiò enim in via eum quærunt; deinde inter comites; tam inter notos & cognatos: eô autem nusquam horum locorum adparente, tandem Hierosolymam illum quæsitum, parentes revertuntur. Quidam, uti D. Chemnit. habet p. 181. ita disputârunt, quòd mos fuerit, non simul, sed separatim viros, & separatim mulieres proficisci: ne sc. vel solô comitatu mulierum contaminarentur euntes ad festa. Pueros verò impuberes potuisse cum alterutro parentum proficisci. Ut ita alter parentum putârit, puerum esse in comitatu alterius. Sed judico commodiùs ita posse exponi, ut referatur ad rationem institutionis seu indolis hujus pueri. Non enim ea ejus indoles fuit, ut velut μισάνθρωπος hominum consvetudinem fugeret, cognatorum & notorum piam familiaritatem, propter morositatem vel petulantiam, comparare & tueri vel non vellet, vel

non

non posset: Sed quia parentes securi proficiscuntur, hâc persvasione, quòd existimant, cognatos & notos, qui erant in comitatu, puerum habere sibi adjunctum, rectè inde colligitur, puerum Jesum cum cognatis suis sæpè familiariter conversatum esse, multos etiã alios, præter cognatos, notitiam & familiaritatem ejus expetiisse atque amâsse; & hi dicuntur γνωστοὶ noti.

III. Pueri Jesu inventio, quæ describitur circumstantiâ duplici:

1. Temporis, quando amissum puerulum repererint, nimirùm triduò demum (post festum Paschatis) exactô. Primô enim die, cùm Hierosolymis discessissent, itinere diei confectô, vesperi puerum quæsiverunt. Alterô die redierunt Hierosolymam; tertiò die inveniunt eum. Et hoc vocat Lucas μεθ' ἡμέρας τρεῖς, post tres dies, i. e. usque ad tertium diem anxiè amissum quæsiverunt.

2. Loci: inveniunt eum, non in plateis discursitantem; sed in templo, Dei sanctuario, ubi doctores supra cathedram Mosis sedentes, Matth. 23, 2. doctrinam Prophetarum profitebantur. Porrò per templum synecdochicè intelligitur illa templi pars, in qua Sacerdotes & populus, Doctores & discipuli, ad lectionem & interpretationem Scripturæ solebant convenire. Jer. 39, 20. 2. Reg. 16, 18. Neh. 8, 4. Erant enim ad templum peculiaria quædam sive conclavia, sive cameræ, sive cubicula, in quibus vestes, donaria & vasa sacra reponebantur: in quibus etiam Sacerdotes, tempore vicis suæ cubabant. Neh. 10, 39. Ezech. 40, 17. In ejusmodi itaque conclavi hæc peracta esse, non sine causa auguratur D. Chemn. p. 182. Omnia autem ædificia templo adjuncta, aliquando templum vocabantur.

Templum Hierosl.

IV. Christi in templo studium & occupatio: deprehendunt eum non nugas tractantem, sed occupatum ἐν τῷ ἀκούειν καὶ ἐπερωτᾶν τοὺς λόγους, h. e. stilô Evangelistæ, audientem & interrogantem doctores, quod aliàs conferendi phrasi efferimus. Significanter addit Lucas, quòd invenerint eum sedentem in medio doctorem. Reliqui enim discipuli

1. sedebant, ad pedes doctorum; Act. 22, 3.
2. audiebant;
3. quærebant;
4. respondebant. Jesus verò non ad pedes sedet, sed inter medios doctores locum obtinet. Animadvertentes enim illi, supra ætatem puerulum istum sapere, adeò ut plùs quàm humanam proderet sapientiam; in medium sui eum receperunt, ut pro-

propiùs cum ipso conferre, & diligentiùs in ipsum animadvertere possent. Illustratur effectu geminô, quorum

1. est *auditorum & spectatorum obstupefactio*; ἐξίσταντο, stupebant omnes, qui eum audiebant; stupor autem ille explicatur causâ rei efficiente vel procreante; stupebant super intelligentia & responsis pueri, h.e. præ admiratione quasi extra se rapiebâtur, super scientia plùs quàm humana, quæ ex pueruli istius interrogationibus ponderosis, & responsis eruditis elucebat. Divinum enim & eximium sive tyrocinium, sive specimen officii prophetici ipsum exhibere cœlestis Pater voluit.

ἐξίστασθαι.

2. *Parentum perculsio:* insolens quippe erat sive insolitum, inter doctores eum reperiri. Ideoque ἐξεπλάγησαν, h. e. admiratione perculsi & quasi attoniti facti fuerunt. Nam & parentibus clariùs, quàm antehac unquam, rationem futuri sui offici ostendere voluit; & verisimile censet D. Chemnit. p. 183. fuisse hæc præludia disputationum de illis articulis, de quibus ipsi posteà, totô tempore ministerii sui, certamina acerrima fuerunt cum doctoribus templi; ut, de persona & officio Messiæ; de discrimine Legis & Evangelii, de vero cultu Dei in N.T. de abrogatione ceremoniarum Leviticarum, de traditionibus pharisaicis & aliis.

V. *Blanda matris cum filio suo expostulatio.* Ea autem habet

1. *significationem amoris*, cum tacita tamen inobedientiæ accusatione conjunctam.

2. *Expositionem doloris*, quærebamus te ὀδυνώμενοι, quasi partûs dolores acutissimos sentientes, quæ est vis verbi ὀδυνᾶσθαι. Dolores autem isti ex amissionis opinione oriebantur. In memoriam enim ipsis haud dubiè venit mandatum, de cura hujus pueruli divinitûs datum; Herodis persecutio, in cujus manûs sangvinarias ne incidisset Jesulus, timendum ipsis fuit maximopere: salutis æternæ periclitatio, & id genus mille φαντάσματα alia.

ὀδυνᾶσθαι.

3. *Filioli Jesu purgationem*, petitam ab officii sui necessitate, vel qualitate. Defensio ipsius apologetica habet

1. *parentum reprehensionem*, modestam tamen, licèt primâ fronte duriuscula videatur.

2. *Adjunctam rationem*, à necessario, quòd oporteat se esse in his, quæ sunt Patris sui. Ostendit ergò, se non venisse in hunc mundum, ut matris Mariæ & Josephi nutritii negotiis obeundis semper occuparetur; sed habere se alium Patrem in cœlis, cujus voluntati sit satisfaciendum

Patris voluntati satisfecit Christus.

1. docendo;
2. pro hominibus intercedendo;
3. sacrificando;
4. populo benedicendo.

Verba igitur illa, D. Chemn. p. 180. inquit, videntur respicere ad colloquia, quæstiones & responsiones, quæ domi inter parentes & puerum, de officio Messiæ, licèt non tàm clarè & profundè, sicut puer in templo loquitur, agitatæ fuerunt.

4. Purgationis effectum, in parentibus sc.

1. ignorantia; non enim intelligunt satis, quæ dixerat: animadvertunt, paucis istis verbis, multa ardua mysteria comprehendi:

2. Dictorum observantia: mater enim Maria conservat omnia hæc in corde suo.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Sancti etiã peccant.

I. Sanctos etiam homines multa peccare, exemplò parentum Christi docemur. Exod. 34, 7. Psal. 32, 4. Rom. 7, 14. Matth. 6, 12. Prov. 24, 17.

II. Christus non fuit μισάνθρωπος, sed cum notis & cognatis suis piam, & coluit & exercuit familiaritatem. Esa. 42, 4. Matth. 11, 29.

III. Exemplum incuriæ & negligentiæ, circa fidelem liberorum curam & educationem, præbet Maria. Psal. 127, 3.

Maria non fuit ἀναμάρτητος.

IV. Falsa est ergò atque erronea opinio Monachorum & Esawitarum, nec originale, nec actuale in Maria fuisse peccatum, garrientium. Confer Vindic. Dn. Meelführ. th. 36. & seqq.

Christus nõ Monachus, nec mendicus.

V. Christus remanendo in templo, neque Anachoreticam, neque Monachatum introducere, multò minùs mendicantium ordinem stabilire voluit. Vide ibid. thes. 31. & seqq. & D. Echart. pandect. cap. 10. pag. 484. & seqq. D. Theodor. Anal. Evang. p. 288.

Crucis causæ.

VI. Deus dilectos suos cruce & ærumnis variis adfligit,

1. ne superbiant; quia luxuriant animi rebus plerunq; secundis:
2. ne peccent;
3. ut doceant, tùm impios terrendo, tùm pios erigendo;
4. ut probentur;

5. ut

5. ut cœlum desiderent. 2. Cor.12,7. Ose.6,3. Ps.34,5.7.20.1.Pet.4,12 Esa.30,15. Vide locos.

VII. Christus exemplô suô senum & probatorum hominum conversationem juventuti commendat. Sir.13,1. Prov.13,20. & 14,7. & 24,1.

Conventûs Ecclesiastici apud Judd duplices.

IIX. Duplices olim apud Judæos fuisse conventûs Ecclesiasticos, ex hac Lucæ commemoratione ultrò patet. Quidam erant *vulgares*, & universo populo communes, in quibus conveniebant Sacerdotes & populus, legebantur Moses & Prophetæ, Act.13,27. instituebantur explicationes seu conciones ad populum, quibus habitis & auditis munera conferebantur, ad sustentationem ministerii & pauperum; Matth.12,41. offerebantur sacrificia; populus horâ incensi orabat; Luc.1,10. & cantores psallebant. 1. Par.25,1. Quidam conventûs erant *peculiares*, quando doctores cum discipulis suis conveniebant; & talis fuit hic conventus, cui Christus in templo interfuit. Chemn. p.182.

IX. Cor humanum nec in secundis gaudii, nec in adversis tristitiæ novit modum. Jer.17,9.

Christi amissio.

X. Christus amittitur
- *1. securitate & negligentiâ*; Matth.13,25.
- *2. inscitiâ & ignorantiâ*;
- *3. vitæ licentiâ*; Sap.1,4.
- *4. impudentiâ*, & quibusvis mundanis concupiscentiis, 1.Joh.2,15.16. 1.Pet.2,11. Rom.13,14. Gal.5,17. Vide D. Theod. p.289.

XI. Amittitur autem Christus, vel ἀληθῶς, Ose.9,12. Johan. 7,34. vel φαινομένως, quoad sensum carnis, in gravissimis tentationibus & adflictionibus.

Christi inventio.

XII. Christus ubi quærendus & inveniendus; non in monasteriis, non in tabernis cerevisiariis & vinariis; sed
1. in Scripturis Propheticis & Apostolicis; Joh.5,39. Rom. 10,8.
2. in templis, vel in medio docentium ac discentium; Matt.18,20 Exod.20,24.
3. in Sacramentis; Gal.3,27. Matth.26,26.
4. in membris suis, h.e. verè fidelibus, licèt pauperibus, Matt.10, 40. & 25,40. Matth.24,23.26. Apoc.27,15.
5. in cruce & adflictionibus. Bernhardus: *Circumire possum, Domine Jesu cœlum & terram, mare & aridam, & nuquam, nisi in cruce te inveniam.* Ps.91,15. Esa.43,2.

XIII. Christus verum Deum & hominem in hoc congressu se declaravit; præcipuè verò divinitatis suæ radios aliquantò clariores, quàm anteà, puer Jesus doctoribus in templo ostendit.

XIV. Mysterium de Majestatis, infinitæ sapientiæ & scientiæ, Christo Homini communicatæ, veritate stabilitur, dùm puer duodecim annorum ad stuporem usque disputat. Col. 2, 3, 9. Johan. 3, 34. Esa. 11, 1. 3.

Disputationes Theologicæ.

XV. Disputationes Theologicæ non licitæ tantùm, sed & necessariæ, magnoque cum emolumento conjunctæ sunt. Vide D. Theodor. p. 292. Absit abusus; ne nimium altercando veritas amittatur.

Parentum officium.

XVI. Parentes accuratam & sedulam suorum liberorum curam agant, in delictis ipsis non conniveant, sed eos arguant & corrigant. Prov. 19, 18. Sir. 30, 12. & 7, 26. Prov. 22, 15. & 23, 13. 1. Sam. 3, 4. Rectè Cato:

Si tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quò possint inopem defendere vitam.

XVII. Responsio Christi, matri Mariæ data, ostendit,

1. In negotiis officii non locum esse maternæ vel humanæ auctoritati:
2. Christum esse Mediatorem, ad id missum, ut in his, quæ Patris cœlestis sunt, occupetur: Joh. 6, 38.
3. Quousque liberorum sese extendat obedientia: Act. 5, 29. Mat. 10, 37. Luc. 14, 16.

XIIX. Maria exemplô suô docet, quomodo mysteria regni Christi, & dicta Scripturæ, captum nostrum exsuperantia, tractari debeant.

XIX. Typus est passionis & resurrectionis Christi in eo, quòd in festo Paschæ amissus, post triduum demum invenitur.

Scholæ Jesuitarum.

XX. Scholæ Jesuitarum cane pejus & angve sunt fugiendæ. Etsi enim Christus Scholam non undiquaque puram ingressus est: hoc tamen Christi exemplô non excusantur illi, qui juventutem Jesuitis objiciunt: rationes vide & lege in Vindic. Dn. Meelführeri, thes. 63.

PARS III.

Reliqua ætatis juvenilis historia, ab anno Christi duodecimo ad trigesimum, quàm brevissimè, duobus tantummodò versiculis, à Luca describitur, à ceteris Evangelistis silentio planè involvitur. Hac ipsâ verò brevitate innuitur, vixisse puerum Jesum ut alium quem-

quempiam, solo excepto peccato; non filium viri, sed filium hominis, adsumtâ servi formâ. Commendatur autem in hac descriptione;

I. Filialis Christi obedientia, ἦν ὑποτασσόμενος, erat enim subjectus, teste Lucâ, parentibus suis. Vocabulum ὑποτάσσεσθαι significat propriè externas operationes, alterius superioris imperiô & dominio gubernari, quô summa exinanitio exprimitur. Certum itaque est ex hoc loco, parentes sæpè aliquid negotii & laboris Jesulo suo mellitissimo mandâsse, quod ipse summâ obedientiâ, diligentiâ & promtitudine exsecutus fuit.

ὑποτάττεσθαι.

II. Donorum in Christo eminentia; dicitur enim puerulus iste crevisse:

1. σοφίᾳ sapientiâ, tùm humanâ & finitâ, tùm divinâ & personæ τ͂ Λόγου propriâ: non certè, quòd sapientia Λόγου in & per se creverit; ἀναλλοίωτος enim; sed tantùm effectualiter, ratione manifestationis hoc accipiendum est. *Quamvis enim* (quæ verba sunt D. Hunnii de persona Christi pag. m. 85. *jam inde à sua conceptione unctus sit Spiritu scientiæ, sapientiæ & cognitionis sine mensura, adeò ut nunquam non in illo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ essent recondi ti: tamen quia sapientia illa non erat NATURALIS PROPRIETAS humanitatis, nec ei tanquam subjecto inerat: fieri utiq; potuit, ut tametsi humana Natura Christi semper maneret unita cum Λόγῳ omniscio, non absq; ejusdem κοινωνία vera: tamen Λόγος hanc suam propriam sapientiam, quæ ipsius est ἰδίωμα, non semper in Humanitate exereret, sed ejusdem usum sive usurpationem, respectu Humanitatis q retraheret &c.* Confer peculiarem disputationem de hoc Lucæ dicto habitam Tom.3. disp. Marpurg. pag. 124. & seqq.

Christus crevit sapientiâ.

2. Ἡλικίᾳ, quod vocabulum utrumque & ætatem & staturam significat humani corporis.

3. χάριτι vel gratiâ apud Deum & homines. Non enim acceptus saltem erat omnibus: verùm etiam ex singularibus animi dotibus quivis pius animadvertere facilè poterat, Deo quoque peculiariter gratum esse hunc puerum: sed & plenitudo illa Divinitatis, quæ in ipso habitabat σωματικῶς, Coloss. 2, 9. subinde magis magisque radios illustriores in humana natura, & per eam exerere conspiciebatur.

III. Matris Mariæ diligentia, quâ omnia illa dicta & facta (Hebræis enim דְּבָרִים verba etiam notant πράγματα & res gestas) observavit, & memori mente reposuit.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Obedientia Christi.

I. Obedientiam Christi, ratione sui indebitam, intueamur,
1. ut meritum, quatenus ille omnem expiaturus hominum inobedientiam, obediens factus est: Rom.5,19. Gal.4,4.
2. ut exemplum imitationis. 1.Pet.2,13 Eph.5,21.

II. Christus hac suâ erga parentes obedientiâ voluntariâ, vel maximè commendare omnibus liberis voluit obedientiam & subjectionem, parentibus vigore quarti præcepti debitam, atque hoc Christi facto quodammodo sanctificatam. Eph.6,1. Col.3,20. Sir.3,7. Prov.19,26. & 20,20. Exod. 21,15. Deut.27,6.

III. Christus similiter speculum junioribus, atq; adeò omnibus fidelibus, est veræ humilitatis. Phil.2,7. Psal.11, 6. Mich. 6,8. Tob.4,14. Matth.11,29. 1.Pet.5,6.

Labores benedicti.

IV. Christus labores domesticos non detrectando, sudorem vultûs, qui Adamo propter peccatum impositus est, & labores manuum nostrarum sanctificavit. Gen.3,16. Ps.128.2.

Anabaptistæ.

V. Christus tempore ministerii non manibus tractavit fabrilia, nec labore manuum quæsivit victum; immò & discipulos, ad Apostolatum vocatos & susceptos, noluit ampliùs manuum laboribus occupari; quod Anabaptistis est occinendum. Sir.38,25.

VI. Christus fuit verus ac perfectus Homo, corpore & animâ rationali constans: humana verò natura non est ἰδιοσύστατος, sed ἐνυπόστατος.

Oeconomiæ sanctificatio.

VII. Christus statum etiam œconomicum hac suâ educatione voluit confirmare & sanctificare, quod irreligioso Monachorum ordini non contigit.

Christus ut creverit.

IIX. Christus verè crevit

1. ratione humanæ naturæ, quæ in ipso vere augmentum sumsit
    1. ætate & staturâ;
    2. sapientiâ finitâ & habituali illâ, quæ animæ habitualiter, formaliter & subjectivè inhæret.
2. Respectu donorum illorum divinorum & supernaturalium, quorum humana in primo conceptionis momento κοινωνὸς evasit. Non quidem ac si ipsa in sese dona crevissent; sed quòd in statu exinanitionis actum secundum, seu plenarium illorum usum exercere noluit. Crevit ergò, ut concludamus, non ipsa τοῦ Λόγου sapientia, in Humanitate ad-

adſumtâ; ſed Humanitas crevit in illa ſapientia, ratione manifeſtationis & uſurpationis. Deus ter Opt. Max. ſua quoque in nobis dona coronare & augere dignetur, per Jeſum Chriſtum Filium ſuum Dominum ac Servatorem noſtrum. Amen.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

COmmemorat Lucas, quo pacto Chriſtus, duodecim annorum puer, parentes ſuos Hieroſolymam, ad feſti paſchalis celebrationem comitatus, ibi verò amiſſus fuerit; poſtmodum à parentibus ſuis tàm anxiè, quàm ſtudioſè quæſitus, tandem in templo repertus & Nazarethi educatus fuerit. Agendum itaque nobis fuerit de duobus:

I. De puerúli Jeſu amiſſione;
II. De ejuſdem repetitione.

PARS I.

Ad primæ partis διέξοδον duo potiſſimùm membra ſpectant.

I. Religioſa Joſephi & Mariæ erga Deum obedientia, quam declarant,

1. quotannis Hieroſolymam adſcendendo; quam illi profectionem pari zelo, pari pietate, pari ſtudiô ſuſcipiunt, nullâ ſuperſtitione inducti, ut vel ſua, vel aliorum peccata expiarent; ſed ut Legi divinæ parerent, quæ jubebat maſculos ad tria feſta ſolemnia Hieroſolymam venire. Præceptum extat, Lev. 23, 2. Num. 28, 16. & Deut. 16, 1. Elucet autem hîc ſingularis Mariæ pietas. Lex mares ſolùm jubebat comparere Domino; ipſa verò marito quoque comitem ſeſe adjunxit itineris, tùm ob promiſſiones de Jeſulo factas, quas videt in ipſo magis magiſque impleri & confirmari: tùm ob gratitudinem erga DEUM debitam, qui tot ac tanta in ipſam præ aliis contulerat beneficia: tùm ob maritum Joſephum, cujus debilior ætas, quam deſerere ob fidem conjugii datam non poterat.

Mariæ pietas.

2. Puerum Jeſum ſecum adducendo. Volebat enim Deus, non parentes tantùm ſacris vacare cultibus; ſed liberos etiam maturè pietati & religioni conſecrari; pars enim ſunt Eccleſiæ, & hac ætate inprimis delectatur Dominus. Nec dubium eſt, Jeſulum prioribus etiam annis parentes ad cultum divinum eſſe comitatum; jam verò annô ætatis duodecimô peculiare vocationis & officii ſpe-

Liberi pietati maturè adſvefaciendi.

specimen edidisse; idque solum patet, cetera Scriptura silentio involvit. Quæritur hîc de dispositionis divinæ ratione, cur voluerit Israëlitas tantum iter conficere cultûs gratia, quem domi quoque quisque suæ habebat in synagogis, in quibus Prophetæ singulis Sabbathis legebantur & explicabantur? Factum hoc

Judæos cur tantum iter cultus gratiâ suscipere Deus voluerit.

1. in beneficiorum Dei recordationem;

2. ob Israëlitarum in vera religione conservationem;

3. in fraterni amoris augmentationem & fomentationem;

4. in ceremoniarum Leviticarum propagationem;

5. in fideli & obedientiæ erga Deum demonstrationem. Vide D. Gerh. post. f. 52.

3. In cultu sacro perseverando; neque enim priùs domum redire parant, quàm diebus festivitatis consummatis. *Incepisse quidem multorum est, sed perfecisse paucorum,* ait Gregorius. Et Bernhardô teste, *inter virtutes sola perseverantia coronatur.*

Parentum Jesu negligentia.

II. Supina & ignominiosa eorundem negligentia, quam produnt parentes

1. securè discedendo, parùm interim de Jesulo suo soliciti, quem in tanta festivitatis turba majori curâ observare & custodire debuerant, quin operam dare, ne à latere ipsius decederent uspiam, quem tantâ diligentiâ à Deo sibi commendatum noverant. Magna hæc fuit & inexcusabilis negligentia, tàm Mariæ, quàm Josephi, quòd discedunt ab urbe, cùm nondum secum haberent Filiolum.

2. Puerum post se relinquendo, à quo ne latum pilum eos discedere æquum fuerat. Dicis: at quæ hîc parentum culpa, cum Evangelista testetur, puerulum Jesum spontè remansisse? Verum quidem hoc; subjicit autem statim; parentes non cognoverunt; cognoscere autem h. e. inquirere debebant; quod dum negligunt, ἀμελείας non laudandæ crimen incauti incurrunt. Interim certò quoque consiliô ipsum remansisse extra omnem est controversiam: editurus enim erat specimen officii. Parentes consilii istius adhuc dum ignari, non facilè veniam daturi erant, si in consilium eos adhibuisset. Adde, quòd hic mos Domini sit, singularia opera edere præter spem & humani ingenii ratiocinationes. Habet etiam factum Domini plus admirationis & majestatis, quàm si consciis & consentientibus parentibus illa contigissent.

συνοδία.

3. Amissum non rectè inquirendo. Falsâ enim persvasione sive imaginatione inducti, quærunt amissum initiò (t) ἐν συνοδίᾳ, quæ vox

vox significat comitatum eorum, qui simul eandem profectionem susceperunt, & idem iter ingrediuntur, ubi alii possunt præcedere, alii aliquantò subsequi. Act.9,7. Neh.7,5. Græci usurpant de illis, qui ejusdem genealogiæ simul proficiscuntur, uti adnotat D. Chemnit.pag. 181. Cùm itaque multi Nazarethani unà adscendissent Hierosolymam, putabant parentes, ipsum cum iisdem simul descensurum; sed erroneam hanc fuisse δόξαν sive opinionem, docuit exitus ingens. Inter comites itaque quæsitus, nuspiam adparet. Quærunt igitur (2) ἐν συγγενεία, inter cognatos, quos sangvinis humani communione attingebat; sed neque hic uspiam conspicitur. Quærunt (3) ἐν φιλία, inter amicos & notos; conversatione enim illius non pauci delectabantur: sed neque hîc invenitur. Nihil equidem, ubi amissum, licèt seriùs, cognoscunt, de sua diligentia remittunt, currunt, recurrunt, discurrunt, undiq; requirunt; conficiunt iter unius diei sine puero; in hospitium ubi ventum, quærunt inter amicos & cognatos: Et non invenientes eum, regrediuntur magnâ solicitudine & animi perturbatione Hierosolymam, ibi de ipso quærentes. Haut dubiè enim in mentem ipsis venit cogitare de Archelao, Herodis filio, ne puerum per proditionem abreptum occultè interemerit. Acceßêre morsûs conscientiæ intolerabiles & inexplicabiles, quòd Filium Dei, mundi Messiam, curæ suæ commissum, non majori diligentiâ custodivissent.

USUS I. Informatorius.

I. De studio verbi divini aliquoties dictum meminimus. Pudeat nostros parentes, qui neque ipsi templum Domini visitant; neque liberis authores sunt, ut idem faciant. Parentes sanè Christi suô nobis exemplô calcar addunt ad diligenter frequentandos cœtûs sacros, & præstandum Deo cultum; exemplum quoque Christi nos omnes, juniores maximè, incitare debebat ad similem pietatem: at surdis hæc omnia narrantur. Psal.27,4. 5. & 84,1.2.11. Amos 8,11.12.13. Matth.21,43. 1.Tim.4,8.

Parentum impietas.

II. De Christi obedientia, quam Legi ἀναμαρτήτως præstitit.

III. De diebus festis alius forsan, σὺν Θεῷ, erit dicendi locus. Jam ponderandæ veniunt causæ institutorum in populo Judaico festorum; de

Festorum apud Judd. causæ.

1. Verbi divini tractatione, & ad posteros propagatione;
2. Beneficiorum & miraculorum divinorum celebratione;
3. Populi de Messia mittendo salutari informatione;

4. *Ministerii & pauperum sustentatione*; vacuum enim ad sacra accedere grande fuit quondam nefas;
5. *Confessionis populi de Deo promulgatione*;
6. *Vitæ æternæ præfiguratione*.

Jesuli amissio.

IV. De Jesuli amissione. Amittitur autem ille facilè & sæpiculè,

1. *incuriâ*; multi abeunt, relictô in templo puerô:
2. *ἀκηδείᾳ* seu securitate; non pauci putant illum ultrò, circa vesperam forsan vitæ, adpariturum:
3. *κακίᾳ, militiâ*, peccatis contra conscientiam. Esa. 59, 2. Sap. 1, 4.

Parentum cura pro liberis.

V. De cura parentum pro liberis indefessa. Plerique parentum duobus vitiis laborant contrariis. 1. Nimirùm sunt securi, neque liberos eâ, quâ debebant, diligentiâ curant; non reputantes, quantum illis thesaurum Dominus adservandum commendaverit. 2. Si quid illis grave accidat, aut si non statim reperiantur, tantùm non desperant, perinde ac si Deus liberos non curet, nec Angelos suos ipsis adjunxerit custodes. Plura parte subsequente proximâ.

II. Consolatorius.

Sanctorum peccata cur scripta.

Exemplum Josephi & Mariæ de communi monet imbecillitate, cui quivis nostrûm subjacet. Psal. 62, 10. Prov. 24, 17. Jacob. 3, 2. In nostri verò consolationem hæc & similia sanctorum *ἁμαρτήματα* scripta sunt,

1. ne animum despondeamus; Esa. 42, 3. Rom. 5, 20. 1. Timot. 1. 15. 16.
2. ne idolomaniam Pontificiam sectantes ipsos invocare præsumamus: 1. Tim. 2, 5. Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 1. Apoc. 4, 10 & 5, 12.
3. ut veræ humilitati studeamus: Exod. 34, 7. 1. Pet. 5, 6.
4. ut securitatem eliminemus; *lapsus majorum, sit tremor minorum*: August.
5. ut salutem cum timore & tremore operari discamus. Phil. 2, 12. Rom. 11, 20. 1. Cor. 10, 12. Luc. 17, 5. Marc. 9, 24. Confer Vindic. Meelführ. th. 43.

III. Refutatorius.

Papismus de Maria ἀναμαρτήτῳ.

Pontificiorum;

1. Mariam *ἀναμάρτητον* planè fuisse fingentium. Orta hâc de re gravis quondam inter Monachos Dominicanos & Franciscanos,

nos, circa annum Christi 1370. concertatio, his in affirmantem, illis in negantem concedentibus partem, quam Jebusitæ hodieq; suam fecêre, pro Mariæ à peccatis omnibus immunitate, tanquam pro aris & focis dimicantes: quia verò omnia ἀπὸ γραφῆς pronunciant, quæ omnes ac singulos homines, (solô Christo exceptô) carnali generatione ex Adamo propagatos, peccato originali obnoxios nasci adseverat. Joh. 3,6. Rom. 3,22. & 5,12. 1. Joh. 1,8. 1. Reg. 8,46. ideoque figmentum hocce eadem facilitate à nobis repudiatur, quâ ab ipsis adstruitur. Quod dum adserimus, nullam B. Mariæ vel maculam, vel injuriam adspergimus, sed veritatem in Scripturis monstratam defendemus. Confer præcedentia.

2. Christum anachoreticam sive monasticam exercuisse & ordinâsse vitam, cùm in templo solus maneret somniantium, sed sine somno. Crimen falsi committunt; neque enim solus fuit in templo, sed in medio Doctorum deprehensus fuit Servator noster, quod parte mox secundâ patebit luculentiùs. Confer Vindic. Dn. Meelführeri th. 31. ubi simul respondet ad quæstiones, an propter Monarchatum parentes contemnendi? th. 34. an Maria amissione Filii peccârit? thes. 36. an Maria meruerit aliquid hac suâ negligentiâ? thes. 39. an religiosi debeant vitare parentes & cognatos? thesi 46.

De Christo anachoreta & Monacho.

PARS II.

In secundæ hujus partis διεξόδῳ tria potissimùm observentur.

I. *Læta pueruli amissi repertio;* cujus adnotatur

1. *tempus*, triduanum. Cùm enim in reditu peregissent iter unius diei, jamque eum abesse animadverterent, secundô die regrediuntur Hierosolymam, & tertiô demum die, quem inter comites, cognatos & notos sive amicos reperire non potuerant, alibi inveniunt. Auxit mœrorem temporis diuturnitas, viæ prolixitas, & pignoris amissi (quo carendum ipsis tum erat) suavitas. *Triduum anxiis parentibus propemodum fuit triennium*, Osiander ait.

2. *Locus*, non profanus, sed religioni & divinis cultibus peragendis consecratus, templum vel domus Domini.

3. *Actus*; inveniunt eum in templo non discurrentem, non ludicra tractantem, non confabulantem; sed

1. *sedentem*, inter doctores, & quidem in medio eorum, docentium puta & explicantium verbum Dei; quæ laus

non posset: Sed quia parentes securi proficiscuntur, hâc persvasione, quòd existimant, cognatos & notos, qui erant in comitatu, puerum habere sibi adjunctum, rectè inde colligitur, puerum Jesum cum cognatis suis sæpè familiariter conversatum esse, multos etiā alios, præter cognatos, notitiam & familiaritatem ejus expertisse, atque amâsse; & hi dicuntur γνωστοὶ noti.

III. Pueri Jesu inventio, quæ describitur circumstantiâ duplici:

1. Temporis, quando amissum puerulum repererint, nimirùm triduò demum (post festum Paschatis) exactô. Primò enim die, cùm Hierosolymis discessissent, itinere diei confectô, vesperi puerum quæsiverunt. Alterò die redierunt Hierosolymam; tertiò die inveniunt eum. Et hoc vocat Lucas μεθ' ἡμέρας τρεῖς, post tres dies, i.e. usque ad tertium diem anxiè amissum quæsiverunt.

2. Loci: inveniunt eum, non in plateis discursitantem; sed in templo, Dei sanctuario, ubi doctores supra cathedram Mosis sedentes, Matth.23,2. doctrinam Prophetarum profitebantur. Porrò per templum synecdochicè intelligitur illa templi pars, in qua Sacerdotes & populus, Doctores & discipuli, ad lectionem & interpretationem Scripturæ solebant convenire. Jer.39,20. 2. Reg.16,18. Neh.8,4. Erant enim ad templum peculiaria quædam sive conclavia, sive cameræ, sive cubicula, in quibus vestes, donaria & vasa sacra reponebantur: in quibus etiam Sacerdotes, tempore vicis suæ cubabant. Neh.10,39. Ezech.40,17. In ejusmodi itaque conclavi hæc peracta esse, non sine causa auguratur D. Chemn. p.182. Omnia autem ædificia templo adjuncta, aliquando templum vocabantur.

Templum Hierosl.

IV. Christi in templo studium & occupatio: deprehendunt eum non nugas tractantem, sed occupatum ἐν τῷ ἀκούειν καὶ ἐπερωτᾶν τοὺς λόγους [?], h.e. stilô Evangelistæ, audientem & interrogantem doctores, quod aliàs conferendi phrasi efferimus. Significanter addit Lucas, quòd invenerint eum sedentem in medio doctorem. Reliqui enim discipuli

1. sedebant, ad pedes doctorum; Act.22,3.
2. audiebant;
3. quærebant;
4. respondebant. Jesus verò non ad pedes sedet, sed inter medios doctores locum obtinet. Animadvertentes enim illi, supra ætatem puerulum istum sapere, adeò ut plùs quàm humanam proderet sapientiam; in medium sui eum receperunt, ut pro-

propiùs cum ipſo conferre, & diligentiùs in ipſum animadvertere poſſent. Illuſtratur effectu geminô, quorum

1. eſt *auditorum & ſpectatorum obſtupefactio*; ἐξίσταντο, ſtupebant omnes, qui eum audiebant; ſtupor autem ille explicatur causâ rei efficiente vel procreante; ſtupebant ſuper intelligentia & reſponſis pueri, h. e. præ admiratione quaſi extra ſe rapiebatur, ſuper ſcientia plùs quàm humana, quæ ex puerili iſtius interrogationibus ponderoſis, & reſponſis eruditis elucebat. Divinum enim & eximium ſive tyrocinium, ſive ſpecimen officii prophetici ipſum exhibere cœleſtis Pater voluit.

ἐξίστασθαι.

2. *Parentum perculſio*: inſolens quippe erat ſive inſolitum, inter doctores eum reperiri. Ideoque ἐξεπλάγησαν, h. e. admiratione perculſi & quaſi attoniti facti fuerunt. Nam & parentibus clariùs, quàm antehac unquam, rationem futuri ſui offici oſtendere voluit; & veriſimile cenſet D. Chemnit. p. 183. fuiſſe hæc præludia diſputationum de illis articulis, de quibus ipſi poſteà, totô tempore miniſterii ſui, certamina acerrima fuerunt cum doctoribus templi; ut, de perſona & officio Meſſiæ; de diſcrimine Legis & Evangelii, de vero cultu Dei in N.T. de abrogatione ceremoniarum Leviticarum, de traditionibus phariſaicis & aliis.

V. *Blanda matris cum filio ſuo expoſtulatio.* Ea autem habet

1. *ſignificationem amoris*, cùm tacita tamen inobedientiæ accuſatione conjunctam.

2. *Expoſitionem doloris*, quærebamus te ὀδυνώμενοι, quaſi partûs dolores acutiſſimos ſentientes, quæ eſt vis verbi ὀδυνᾶσθαι. Dolores autem iſti ex amiſſionis opinione oriebantur. In memoriam enim ipſis haud dubiè venit mandatum, de cura hujus puerili divinitùs datum; Herodis perſecutio, in cujus manûs ſangvinarias ne incidiſſet Jeſulus, timendum ipſis fuit maximopere: ſalutis æternæ periclitatio, & id genus mille φαντάσματα alia.

ὀδυνᾶσθαι.

3. *Filioli Jeſu purgationem*, petitam ab officii ſui neceſſitate, vel qualitate. Defenſio ipſius apologetica habet

1. *parentum reprehenſionem*, modeſtam tamen, licèt primâ fronte duriuſcula videatur.

2. *Adjunctam rationem*, à neceſſario, quòd oporteat ſe eſſe in his, quæ ſunt Patris ſui. Oſtendit ergò, ſe non veniſſe in hunc mundum, ut matris Mariæ & Joſephi nutritii negotiis obeundis ſemper occuparetur; ſed habere ſe alium Patrem in cœlis, cujus voluntati ſit ſatisfaciendum

Patris voluntati ſatisfecit Chriſtus.

1. docendo;
2. pro hominibus intercedendo;
3. sacrificando;
4. populo benedicendo.

Verba igitur illa, D. Chemn. p. 180. inquit, videntur respicere ad colloquia, quæstiones & responsiones, quæ domi inter parentes & puerum, de officio Messiæ, licèt non tàm clarè & profundè, sicut puer in templo loquitur, agitatæ fuerunt.

4. Purgationis effectum, in parentibus sc.

1. ignorantia; non enim intelligunt satis, quæ dixerat: animadvertunt, paucis istis verbis, multa ardua mysteria comprehendi:

2. Dictorum observantia: mater enim Maria conservat omnia hæc in corde suo.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Sancti etiã peccant.

I. Sanctos etiam homines multa peccare, exemplo parentum Christi docemur. Exod. 34, 7. Psal. 32, 4. Rom. 7, 14. Matth. 6, 12. Prov. 24, 17.

II. Christus non fuit μισάνθρωπος, sed cum notis & cognatis suis piam, & coluit & exercuit familiaritatem. Esa. 42, 4. Matth. 11, 29.

III. Exemplum incuriæ & negligentiæ, circa fidelem liberorum curam & educationem, præbet Maria. Psal. 127, 3.

Maria non fuit ἀναμάρτητος.

IV. Falsa est ergò atque erronea opinio Monachorum & Esawitarum, nec originale, nec actuale in Maria fuisse peccatum, garrientium. Confer Vindic. Dn. Meelführ. th. 36. & seqq.

Christus nõ Monachus, nec mendicus.

V. Christus remanendo in templo, neque Anachoreticam, neque Monachatum introducere, multò minùs mendicantium ordinem stabilire voluit. Vide ibid. thes. 31. & seqq. & D. Echart. pandect. cap. 10. pag. 484. & seqq. D. Theodor. Anal. Evang. p. 288.

Crucis causæ.

VI. Deus dilectos suos cruce & ærumnis variis adfligit,

1. ne superbiant; quia luxuriant animi rebus plerunq; secundis:
2. ne peccent;
3. ut doceant, tùm impios terrendo, tùm pios erigendo;
4. ut probentur;

5. ut

5. ut cœlum desiderent. 2. Cor.12,7. Ose.6,3. Pf.34,5.7.20.1.Pet.4,12 Esa.30,15. Vide locos.

VII. Christus exemplô suô senum & probatorum hominum conversationem juventuti commendat. Sir.13,1. Prov.13, 20. & 14,7. & 24,1.

Conventûs Ecclesiastici apud Judd duplices.

IIX. Duplices olim apud Judæos fuisse conventûs Ecclesiasticos, ex hac Lucæ commemoratione ultrò patet. Quidam erant *vulgares*, & universo populo communes, in quibus conveniebant Sacerdotes & populus, legebantur Moses & Prophetæ, Act.13,27. instituebantur explicationes seu conciones ad populum, quibus habitis & auditis munera conferebantur, ad sustentationem ministerii & pauperum; Matth.12,41. offerebantur sacrificia; populus horâ incensi orabat; Luc.1,10. & cantores psallebant. 1. Par.25,1. Quidam conventûs erant *peculiares*, quando doctores cum discipulis suis conveniebant; & talis fuit hic conventus, cui Christus in templo interfuit. Chemn. p.182.

IX. Cor humanum nec in secundis gaudii, nec in adversis tristitiæ novit modum. Jer.17,9.

Christi amissio.

X. Christus amittitur
- *1. securitate & negligentiâ*; Matth.13,25.
- *2. inscitiâ & ignorantiâ*;
- *3. vitæ licentiâ*; Sap. 1,4.
- *4. impudentiâ*, & quibusvis mundanis concupiscentiis, 1.Joh.2,15.16. 1.Pet.2,11. Rom.13,14. Gal.5,17. Vide D. Theod. p. 289.

XI. Amittitur autem Christus, vel ἀληθῶς, Ose. 9,12. Johan. 7,34. vel φαινομένως, quoad sensum carnis, in gravissimis tentationibus & adflictionibus.

Christi inventio.

XII. Christus ubi quærendus & inveniendus; non in monasteriis, non in tabernis cerevisiariis & vinariis; sed
1. in Scripturis Propheticis & Apostolicis; Joh.5,39. Rom. 10,8.
2. in templis, vel in medio docentium ac discentium; Matt.18,20 Exod.20,24.
3. in Sacramentis; Gal.3,27. Matth.26,26.
4. in membris suis, h.e. verè fidelibus, licèt pauperibus, Matt.10, 40. & 25,40. Matth.24,23.26. Apoc.27,15.
5. in cruce & adflictionibus. Bernhardus: *Circumire possum, Domine Jesu cœlum & terram, mare & aridam, & nusquam, nisi in cruce te inveniam.* Pf.91,15. Esa.43,2.

quempiam, solo excepto peccato, non filium viri, sed filium hominis, adsumtâ servi formâ. Commendatur autem in hac descriptione:

I. Filialis Christi obedientia, ἦν ὑποτασσόμενος, erat enim subjectus, teste Lucâ, parentibus suis. Vocabulum ὑποτάττεσθαι significat propriè externas operationes, alterius superioris imperiô & dominio gubernari, quô summa exinanitio exprimitur. Certum itaque est ex hoc loco, parentes sæpè aliquid negotii & laboris Jesulo suo mellitissimo mandâsse, quod ipse summâ obedientiâ, diligentiâ & promtitudine exsecutus fuit.

ὑποτάττεσθαι.

II. Donorum in Christo eminentia; dicitur enim puerulus iste crevisse.

1. σοφίᾳ sapientiâ, tùm humanâ & finitâ, tùm divinâ & personæ τῦ Λόγυ propriâ: non certè, quòd sapientia Λόγυ in & per se creverit; ἀναλλοίωτος enim; sed tantùm effectualiter, ratione manifestationis hoc accipiendum est. *Quamvis enim* (quæ verba sunt D. Hunnii de persona Christi pag. m. 85. *jam inde à sua conceptione unctus sit Spiritu scientiæ, sapientiæ & cognitionis sine mensura, adeò ut nunquam non in illo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ essent recon diti: tamen quia sapientia illa non erat NATURALIS PROPRIETAS humanitatis, nec ei tanquam subjecto inerat: fieri utiq; potuit, ut tametsi humana Natura Christi semper maneret unita cum Λόγῳ omniscio, non absq; ejusdem κοινωνία vera: tamen Λόγος hanc suam propriam sapientiam, quæ ipsius est ἰδίωμα, non semper in Humanitate exereret, sed ejusdem usum sive usurpationem, respectu Humanitatis q retraheret &c.* Confer peculiarem disputationem de hoc Lucæ dicto habitam Tom. 3. disp. Marpurg. pag. 124. & seqq.

Christus crevit sapientiâ.

2. Ηλικίᾳ, quod vocabulum utrumque & ætatem & staturam significat humani corporis.

3. χάριτι vel gratiâ apud Deum & homines. Non enim acceptus saltem erat omnibus: verùm etiam ex singularibus animi dotibus quivis pius animadvertere facilè poterat, Deo quoque peculiariter gratum esse hunc puerum: sed & plenitudo illa Divinitatis, quæ in ipso habitabat σωματικῶς, Coloss. 2, 9. subinde magis magisque radios illustriores in humana natura, & per eam exerere conspiciebatur.

III. Matris Mariæ diligentia, quâ omnia ista dicta & facta (Hebræis enim דְּבָרִים verba etiam notant πράγματα & res gestas) observavit, & memori mente reposuit.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Obedientia Christi.

I. Obedientiam Christi, ratione sui indebitam, intueamur,
1. ut meritum, quatenus ille omnem expiaturus hominum inobedientiam, obediens factus est: Rom.5,19. Gal.4,4.
2. ut exemplum imitationis. 1.Pet.2,13. Eph.5,21.

II. Christus hac suâ erga parentes obedientiâ voluntariâ, vel maximè commendare omnibus liberis voluit obedientiam & subjectionem, parentibus vigore quarti præcepti debitam, atque hoc Christi facto quodammodo sanctificatam. Eph.6,1. Col.3,20. Sir.3,7. Prov.19,26. & 20,20. Exod. 21,15. Deut.27,6.

III. Christus similiter speculum junioribus, atq; adeò omnibus fidelibus, est veræ humilitatis. Phil.2,7. Psal.113,6. Mich. 6,8. Tob.4,14. Matth.11,29. 1.Pet.5,6.

Labores benedicti.

IV. Christus labores domesticos non detrectando, sudorem vultûs, qui Adamo propter peccatum impositus est, & labores manuum nostrarum sanctificavit. Gen.3,16. Ps.128,2.

Anabaptistæ.

V. Christus tempore ministerii non manibus tractavit fabrilia, nec labore manuum quæsivit victum; immò & discipulos, ad Apostolatum vocatos & susceptos, noluit amplius manuum laboribus occupari; quod Anabaptistis est occinendum. Sir.38,25.

VI. Christus fuit verus ac perfectus Homo, corpore & animâ rationali constans: humana verò natura non est ἰδιοσύστατος, sed συνύστατος.

Oeconomiæ sanctificatio.

VII. Christus statum etiam œconomicum hac suâ educatione voluit confirmare & sanctificare, quod irreligioso Monachorum ordini non contigit.

Christus ut creverit.

IIX. Christus verè crevit
1. ratione humanæ naturæ, quæ in ipso verè augmentum sumsit,
 1. ætate & staturâ;
 2. sapientiâ finitâ & habituali illâ, quæ animæ habitualiter, formaliter & subjectivè inhæret.
2. Respectu donorum illorum divinorum & supernaturalium, quorum humana in primo conceptionis momento κοινωνὸς evasit. Non quidem ac si ipsa in sese dona crevissent; sed quòd in statu exinanitionis actum secundum, seu plenarium illorum usum exercere noluit. Crevit ergò, ut concludamus, non ipsa τοῦ Λόγου sapientia, in Humanitate ad-

adſumtâ; ſed Humanitas crevit in illa ſapientia, ratione manifeſtationis & uſurpationis. Deus ter Opt. Max. ſua quoque in nobis dona coronare & augere dignetur, per Jeſum Chriſtum Filium ſuum Dominum ac Servatorem noſtrum. Amen.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Commemorat Lucas, quo pacto Chriſtus, duodecim annorum puer, parentes ſuos Hieroſolymam, ad feſti paſchalis celebrationem comitatus, ibi verò amiſſus fuerit; poſtmodum à parentibus ſuis tàm anxiè, quàm ſtudioſè quæſitus, tandem in templo repertus & Nazarethi educatus fuerit. Agendum itaque nobis fuerit de duobus:

I. De puerull Jeſu amiſſione;
II. De ejusdem repetitione.

PARS I.

Ad primæ partis διέξοδον duo potiſſimùm membra ſpectant.

I. *Religioſa Joſephi & Mariæ erga Deum obedientia*, quam declarant,

1. *quotannis Hieroſolymam adſcendendo*; quam illi profectionem pari zelo, pari pietate, pari ſtudio ſuſcipiunt, nullà ſuperſtitione inducti, ut vel ſua, vel aliorum peccata expiarent; ſed ut Legi divinæ parerent, quæ jubebat maſculos ad tria feſta ſolemniora Hieroſolymam venire. Præceptum exſtat. Lev. 23, 2. Num. 28, 16. & Deut. 16, 1. Elucet autem hic ſingularis Mariæ pietas. Lex mares ſolùm jubebat comparere Domino; ipſa verò marito quoque comitem ſeſe adjunxit itineris, tùm ob promiſſiones de Jeſulo factas, quas videt in ipſo magis magiſque impleri & confirmari: tùm ob gratitudinem erga DEUM debitam, qui tot ac tanta in ipſam præ aliis contulerat beneficia: tùm ob maritum Joſephum, cujus debilior ætas, quam deſerere ob fidem conjugii datam non poterat.

Mariæ pietas.

2. *Puerum Jeſum ſecum adducendo.* Volebat enim Deus, non parentes tantùm ſacris vacare cultibus; ſed liberos etiam maturè pietati & religioni conſecrari; pars enim ſunt Eccleſiæ, & hac ætate inprimis delectatur Dominus. Nec dubium eſt, Jeſulum prioribus etiam annis parentes ad cultum divinum eſſe comitatum; jam verò annô ætatis duodecimô peculiare vocationis & officii ſpe-

Liberi pietati maturè adſveſa ciendi.

specimen edidisse; idque solum patet, cetera Scriptura silentio involvit. Quæritur hîc de dispositionis divinæ ratione, cur voluerit Israëlitas tantum iter conficere cultûs gratia, quem domi quoque quisque suæ habebat in synagogis, in quibus Prophetæ singulis Sabbathis legebantur & explicabantur? Factum hoc

Judæos cur tantum iter cultus gratiâ suscipere Deus voluerit.

1. in beneficiorum Dei recordationem;
2. ob Israëlitarum in vera religione conservationem;
3. in fraterni amoris augmentationem & fomentationem;
4. in ceremoniarum Leviticarum propagationem;
5. in fideli & obedientiæ erga Deum demonstrationem. Vide D. Gerh. post. f. 51.

3. *In cultu sacro perseverando;* neque enim priùs domum redire parant, quàm diebus festivitatis consummatis. *Incepisse quidem multorum est, sed perfecisse paucorum,* ait Gregorius. Et Bernhardô teste, *inter virtutes sola perseverantia coronatur.*

Parentum Jesu negligentia.

II. *Supina & ignominiosa eorundem negligentia,* quam produnt parentes

1. *securè discedendo,* parùm interim de Jesulo suo soliciti, quem in tanta festivitatis turba majori curâ observare & custodire debuerant, quin operam dare, ne à latere ipsius decederent uspiam, quem tantâ diligentiâ à Deo sibi commendatum noverant. Magna hæc fuit & inexcusabilis negligentia, tàm Mariæ, quàm Josephi, quòd discedunt ab urbe, cùm nondum secum haberent Filiolum.

2. *Puerum post se relinquendo,* à quo ne latum pilum eos discedere æquum fuerat. Dicis: at quæ hîc parentum culpa, cum Evangelista testetur, puerulum Jesum spontè remansisse? Verum quidem hoc; subjicit autem statim; parentes non cognoverunt; cognoscere autem h. e. inquirere debebant; quod dum negligunt, ἀμελείας non laudandæ crimen incauti incurrunt. Interim certò quoque consiliô ipsum remansisse extra omnem est controversiam: editurus enim erat specimen officii. Parentes consilii istius adhuc dum ignari, non facilè veniam daturi erant, si in consilium eos adhibuisset. Adde, quòd hic mos Domini sit, singularia opera edere præter spem & humani ingenii ratiocinationes. Habet etiam factum Domini plus admirationis & majestatis, quàm si consciis & consentientibus parentibus illa contigissent.

συνοδία.

3. *Amissum non rectè inquirendo.* Falsâ enim persvasione sive imaginatione inducti, quærunt amissum initiò (1) ἐν συνοδίᾳ, quæ vox

vox significat comitatum eorum, qui simul eandem professionem susceperunt,& idem iter ingrediuntur, ubi alii possunt præcedere, alii aliquantò subsequi. Act.9,7. Neh.7,5. Græci usurpant de illis, qui ejusdem genealogiæ simul proficiscuntur, uti adnotat D. Chemnit.pag.181. Cùm itaque multi Nazarethani unà adscendissent Hierosolymam, putabant parentes, ipsum cum iisdem simul descensurum; sed erroneam hanc fuisse δόξαν sive opinionem, docuit exitus ingens. Inter comites itaque quæsitus,nuspiam adparet. Quærunt igitur (2) ἐν συγγενείᾳ,inter cognatos,quos sangvinis humani communione attingebat; sed neque hic uspiam conspicitur. Quærunt (3) ἐν φιλίᾳ, inter amicos & notos; conversatione enim illius non pauci delectabantur: sed neque hic invenitur. Nihil equidem,ubi amissum,licèt seriùs,cognoscunt, de sua diligentia remittunt,currunt, recurrunt,discurrunt, undiq; requirunt; conficiunt iter unius diei sine puero; in hospitium ubi ventum,quærunt inter amicos & cognatos: Et non invenientes eum, regrediuntur magnâ solicitudine & animi perturbatione Hierosolymam, ibi de ipso quærentes. Haut dubiè enim in mentem ipsis venit cogitare de Archelao,Herodis filio,ne puerum per proditionem abreptum occultè interemerit. Accessêre morsûs conscientiæ intolerabiles & inexplicabiles, quòd Filium Dei, mundi Messiam, curæ suæ commissum,non majori diligentiâ custodivissent.

USUS I. Informatorius.

I. De studio verbi divini aliquoties dictum meminimus. Pudeat nostros parentes, qui neque ipsi templum Domini visitant; neque liberis authores sunt,ut idem faciant. Parentes sanè Christi suô nobis exemplô calcar addunt ad diligenter frequentandos cœtûs sacros, & præstandum Deo cultum; exemplum quoque Christi nos omnes, juniores maximè, incitare debebat ad similem pietatem: at surdis hæc omnia narrantur. Psal.27,4.5. & 84,1.2.11. Amos 8,11.12.13. Matth.21,43. 1.Tim.4,8.

Parentum impietas.

II. De Christi obedientia, quam Legi αὐτομάτως præstitit.

III. De diebus festis alius forsan, σὺν Θεῷ, erit dicendi locus. Jam ponderandæ veniunt causæ institutorum in populo Judaico festorum; de

Festorum apud Judd. causæ.

1. Verbi divini tractatione, & ad posteros propagatione;
2. Beneficiorum & miraculorum divinorum celebratione;
3. Populi de Messia mittendo salutari informatione;

4. *Ministerii & pauperum sustentatione*; vacuum enim ad sacra accedere grande fuit quondam nefas;
5. *Confessionis populi de Deo promulgatione*;
6. *Vitæ æternæ præfigurationem*.

Jesuli amissio. IV. De Jesuli amissione. Amittitur autem ille facilè & sæpiculè,

1. *incuriâ*; multi abeunt, relictô in templo puerô:
2. *ἀκηδείᾳ* seu securitate; non pauci putant illum ultrò, circa vesperam forsan vitæ, adpariturum:
3. *κακίᾳ, militiâ*, peccatis contra conscientiam. Esa. 59, 2. Sap. 1, 4.

Parentum cura pro liberis. V. De cura parentum pro liberis indefessa. Plerique parentum duobus vitiis laborant contrariis. 1. Nimirùm sunt securi, neque liberos eâ, quâ debebant, diligentiâ curant; non reputantes, quantum illis thesaurum Dominus adservandum commendaverit. 2. Si quid illis grave accidat, aut si non statim reperiantur, tantùm non desperant, perinde ac si Deus liberos non curet, nec Angelos suos ipsis adjunxerit custodes. Plura parte subsequente proximâ.

II. Consolatorius.

Sanctorum peccata cur scripta. Exemplum Josephi & Mariæ de communi monet imbecillitate, cui quivis nostrûm subjacet. Psal. 62, 10. Prov. 24, 17. Jacob. 3, 2. In nostri verò consolationem hæc & similia sanctorum *ἁμαρτήματα* scripta sunt,

1. ne animum despondeamus; Esa. 42, 3. Rom. 5, 20. 1. Timot. 1. 15. 16.
2. ne idolomaniam Pontificiam sectantes ipsos invocare præsumamus: 1. Tim. 2, 5. Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 1. Apoc. 4, 10 & 5, 12.
3. ut veræ humilitati studeamus: Exod. 34, 7. 1. Pet. 5, 6.
4. ut securitatem eliminemus; *lapsus majorum, sit tremor minorum*: August.
5. ut salutem cum timore & tremore operari discamus. Phil. 2, 12. Rom. 11, 20. 1. Cor. 10, 12. Luc. 17, 5. Marc. 9, 24. Confer Vindic. Meelfüht. th. 43.

III. Refutatorius.

Papismus de Maria ἀναμαρτήτῳ. Pontificiorum;

1. Mariam *ἀναμάρτητον* planè fuisse fingentium. Orta hâc de re gravis quondam inter Monachos Dominicanos & Franciscanos,

nos, circa annum Christi 1370. concertatio, his in affirmantem, illis in negantem concedentibus partem, quam Jebusitæ hodieq; suam fecêre, pro Mariæ à peccatis omnibus immunitate, tanquam pro aris & focis dimicantes: quia verò omnia ἄπερ γραφῆς pronunciant, quæ omnes ac singulos homines, (solô Christo exceptô) carnali generatione ex Adamo propagatos, peccato originali obnoxios nasci adseverat. Joh. 3, 6. Rom. 3, 22. & 5, 12. 1. Joh. 1, 8. 1. Reg. 8, 46. ideoque figmentum hocce eadem facilitate à nobis repudiatur, quâ ab ipsis adstruitur. Quod dum adserimus, nullam B. Mariæ vel maculam, vel injuriam adspergimus, sed veritatem in Scripturis monstratam defendemus. Confer præcedentia.

2. Christum anachoreticam sive monasticam exercuisse & ordinâsse vitam, cùm in templo solus maneret somniantium, sed sine somno. Crimen falsi committunt; neque enim solus fuit in templo, sed in medio Doctorum deprehensus fuit Servator noster, quod parte mox secundâ patebit luculentiùs. Confer Vindic. Dn. Meelfuhreri th. 31. ubi simul respondet ad quæstiones, an propter Monarchatum parentes contemnendi? th. 34. an Maria amissione Filii peccârit? thes. 36. an Maria meruerit aliquid hac suâ negligentia? thes. 39. an religiosi debeant vitare parentes & cognatos? thesi 46.

De Christo anachoreta & Monacho.

PARS II.

In secundæ hujus partis διεξόδῳ tria potissimùm observentur.

I. Læta puerili amissi repertio; cujus adnotatur

1 tempus, triduanum. Cùm enim in reditu peregissent iter unius diei, jamque eum abesse animadverterent, secundô die regrediuntur Hierosolymam, & tertiô demum die, quem inter comites, cognatos & notos sive amicos reperire non potuerant, alibi inveniunt. Auxit mœrorem temporis diuturnitas, viæ prolixitas, & pignoris amissi (quo carendum ipsis tum erat) suavitas. *Triduum anxiis parentibus propemodum fuit triennium,* Osiander ait.

2. Locus, non profanus, sed religioni & divinis cultibus peragendis consecratus, templum vel domus Domini.

3. Actus; inveniunt eum in templo non discurrentem, non ludicra tractantem, non confabulantem; sed

1. sedentem, inter doctores, & quidem in medio eorum, docentium puta & explicantium verbum Dei; quæ laus

magna erat, puero 12 annorum dari locum inter doctores.

2. cum eis conferentem: non enim adsidet, tanquam rudis & rerum divinarum ignarus, sed de auditis interrogat, & differit, tàm sapienter, ut eruditissimos etiam vinceret. Interrogavit dubiò procul de Messia, de vero usu Legis, de vero Mosis & Prophetarum intellectu; corrigendo simul falsas eorum interpretationes, taxando abusûs, & meliores adferendo oraculorum divinorum interpretationes. Amplificatur effectu; auditorum omnium stupore, de συνέσει, intelligentia & prudentia pueri istius, nec non solertissimis ac solidissimis ejus responsionibus admirantium.

II. Matris cum Filio reperto expostulatio, constans

1. parentum admiratione: Videntes enim puerum Jesum inter medios Doctores, atque cum illis disputantem, admirati sunt, (græcè attoniti redditi sunt) quòd ausus fuisset, puer duodecennis, cum seniò confectis, viris doctissimis & clarissimis, de rebus maximis sermones miscere, partes docendi sibi sumere, respondere eruditè, negare ingeniosè, refellere cum gravitate.

2. Objurgatione, sed admodum leni & modestâ, maternum adfectum exprimente: *Fili,* (inquit illa, quod est ἠθικὸν) *quid fecisti nobis sic?* Inobedientiæ cujusdam mallet taxare & arguere Filium; sed modestè circumloquitur factum, de causa saltem facti, non de facto ipso inquirens: q.d. ecquid causæ fuit, mi fili, quòd nobis desertis, nobisque inconsultis hîc remansisti? quomodo ausus fuisti cœtui patrum reverendissimorum te immiscere? cur verò libuit tibi, in tantas nos conjicere angustias? Ecce enim, *ego & pater tuus* Josephus *dolentes quærebamus te*, totum fermè triduum; tu verò te nobis subduxisti; unde in maxima animi perturbatione fuimus.

3. Pueri responsione, facta (1) κατ' ἀντέγκλημα, *per recriminationem: quid est, quòd me quærebatis?* Quibus verbis factum quidem non negat; sed parentum ex adverso curam & solicitudinem præposteram redarguit: q. d. cur me accusatis obliquè inobedientiæ, cùm vos potiùs sitis accusandi? Vos in me observando fuistis negligentiores, ego in officio meo sedulus. (2) κατ' ἀντεισαγωγὴν, *per compensationem* vel contrariam argumentationem, opponendo majus: *an nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

q.

q.d. Scire debebatis ex antegressis, ex ipsis etiam oraculis divinis, quòd Prophetam & Doctorem Ecclesiæ me constituerit cœlestis Pater meus; in templo itaque me sistere debui, & specimen officii mei edere. Major utique est habenda ratio Patris in cœlis, quàm matris in terris: majoris obedientia tollit obedientiam inferioris: in Patris mei negotiis nullus est authoritati humanæ locus, quæ tamen negotia qualia essent, parentes, Josephus & Maria, non intellexerunt, carentes quippe notitiâ officii Christi. Vides hîc quoque in Maria imperfectionem, qui defectus falsitatis convincit Romanenses, in dicta de Mariæ sanctitate & peccati immunitate controversia.

III. Parentum cum Christo in Nazarethum reversio, quæ nobis insinuat quatuor hæc:

1. *majestatis divinæ retractionem*;
2. *in obedientia Christi voluntaria meriti & exempli exhibitionem*;
3. *in matre dictorum & factorum Christi observationem*;
4. *in Christo*, quòd ætate, sapientiâ & gratiâ profecerit, *humanam dispositionem*; quæ omnia ex prima dispos. sunt manifestiora. Confer etiam D. Gerh. postill. fol. 53. b. & 54. a.

USUS I. Informatorius.

Parentum officium.

I. Parentes liberorum accuratissimam in educatione curam & rationem habeant, ne ipsorum culpâ aut impii, aut malè morati evadant, aut planè pereant. Deut. 6, 6. 7. Psal. 78, 5. 6. 7. Eph. 6, 4.

Jac Beneventanus.

Discere fac artem puerili tempore natos,
Tunc valet ingenium discere cuncta benè.
Mollis namq; ætas postquam pertransit, ineptum
Redditur & durum quodlibet ingenium.

Educatio liberorum.

II. Generalis hinc exsurgit doctrina, de recta liberorum educatione, quô nimirùm pactô illa sit instituenda. Ubi tres potissimum ordines concurrere, mutuasque tradere operas, atque ita, quantum in ipsis est, publicum isthoc bonum adjuvare & promovere necessum est.

Parentum officium.

Primus ordo est parentum, ad quos duo potissimùm spectant:

1. *Domestica educatio*, quæ si negligatur, vel segniùs tractetur, mirum non est, degeneres evadere liberos. Ovidius:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant ni moveantur aquæ.
Item:
Fertilis assiduò si non renovatur aratrô,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

2. *Publica institutio*, cui tenellos committant agniculos, adducentes eos, tùm ad Scholasticos, tùm ad Ecclesiasticos conventus. Marc.10,14. Sinite parvulos ad me venire, h.e. adducite illos mihi

Liberorum ad Christū adductio.

1. *per devotam precationem*; Jud.13, 8. Luc.1,24.25. Gen.17,18. Matth.20,20.
2. *per maturam ad Baptismum promotionem*; Joh.3,5. Gal.3,21.
3. *per legitimam, piam & honestam educationem*; Eph.6,4.
4. *per accuratam morum informationem*;
5. *per cautam Præceptorum informationem*; Sir.18,19. Luc.6,39 ubi cautio adhibenda est piis parentibus, ne liberos suos Scholis vel Jesuitarum, vel Calvinianorum committant, quâ de quæstione vid. D. Bald. in C. C. pag. 1224. 1225. 1226.
6. *per voluntariam, Deô eos repetente, dimissionem.* 2. Sam.12, 19. 20. Job.1,21. Eudoxia apud Nicephorum lib.13. c 13. inquit: *Filius quidem meus, si Deus volet, vivet; sin eum qui dedit, auferre constituit, ejus voluntas fiat.*

Præceptorū requisita.

Secundus ordo, post parentes, est Præceptorum. Habemus hoc locô Doctores Hierosolymitanos, quos plurimùm ornat,

1. *vera in Deum pietas:*
2. *Fidelitas & sedulitas;* Hi doctores & in festo, & post festum, docendo, disputandoque gnaviter officium faciunt suum; Jer.48,10. hodie ignavis præceptoribus quandoque semper sunt feriæ:
3. *Comitas & adfabilitas;* non verentur cum pueruIo duodecim annorum conferre, eumque opponentem placidè audire. Vide de virtutibus boni Præceptoris Tungerl. part. 2. promt. p.694. Utrum verò publica an privata institutio melior & fructuosior ibid. ventilatur pag. 692.

Discipulorum officiū

Tertius ordo est juniorum, discipulorum & auditorum, quos decet,

1. *sincera pietas*; Omnis doctrina est demtâ pietate venenum:
2. *probata societas*; Sir.6,15. & 8, 11. & 13, 1.
3. *industria & sedulitas*; 1.Tim.4, 13.
4. *obediens humilitas*, Col.3,20. 1. Pet.5,6.

II. Con-

II. Consolatorius.

Ad pios ac fideles Concionatores spectat, quòd Christus ipse ordinem Ecclesiasticum sua πεπομψέια sanctificavit & commendavit. Primum enim ejus opus publicum est docere in templo. Mundus ludibrio eos habet. Sed quid tum? Merces in cœlis copiosa illis est reposita. Matth.5,12. 1.Tim. 4,8. Paulus duplici honore dignos censet. 1 Tim.5,17. Mundus quæ sua sunt, diligit. Johan.15,19. Ceterùm honor, dignitas & authoritas ministerio maxima adcrescit,

Concionatorum solatium.

1. ex divina institutione;
2. ex divina usurpatione;
3. ex efficacissima ad hominum salutem operatione.

III. Refutatorius.

Pontificio-Jesuitarum, ex eo, quod Christus in medio Doctorum Hierosolymitanorum sedisse adseritur, inferentium, Doctores & Patres Ecclesiæ in negotiis, articulis & controversiis fidei promiscue & indiscriminatim esse audiendos & sequendos. Tractat hoc thema Tonsor ille Jesuiticus intonsus, Pater Georg. Scherer aliàs aucupatus, per integras duas conciones, tertiam & quartam, quas vide in postill. pag.106. usque ad 116. quarum priorem his verbis concludit. Also haben wir sechs erhebliche vnd gründliche Argument gehöret/warumb die alten Patres vnd Kirchenlehrer bey vns viel gelten/vnd ein gros Ansehen haben sollen. (Quis nostrûm unquam, sano sensu, negavit? Cum larvis dimicat Tonsor.) Posteriorem ita finit: So ist nun das die Summa der gantzen heutigen Predig/ daß E. L. vnd Andacht daraus erstlich vernommen/was massen alle liebe Patres vnd Kirchenlehrer vom Luther vnd seinen Rottgesellen ausgemustert vnd verworffen worden: darnach / wie Luther vnd seine Mitpredicanten sich an der Väter vnd Lehrer Stadt eingedrungen/ vnd von sich selber vnd ihren Büchern so hoch gehalten/rc. Resp.1. Extra oleas vagatur Jesuita; probare debebat, in articulis & controversiis fidei audiendos & sequendos esse Patres: (ita enim sonant ejus verba: Was sie (die Väter) bey vns/ sonderlich in streitigen Artickeln vnsers H. Christlichen Glaubens/ der Zeit gelten sollen: Ipse verò sophisticè & veteratoriè fidei negotiis præteritis, simpliciter dicit & probare annititur, magnificandos esse patres & Doctores Ecclesiæ: qua in parte, si de sinceris agatur Patribus, nos planè habet ὁμοψήφους. Nihil enim benè de Ecclesia meritis detractum cupimus.

Papismus de Patribus in Ecclesia.

mus. 2. *Committit* Jeſucida σόφισμα παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Quæ enim Lutherus, eumque ſecuti alii comparatè, certô reſpectu vel dixerunt, vel ſcripſerunt, vel reprobârunt, ea ut ſimpliciter dicta, ſcripta, reprobata Sophiſta accipit; quod Sophiſtarum eſt proprium. 3. *Falsô* nititur Tonſor Jeſuwidicus principiô vel fundamentô, quod rejectâ Scriptura S. Papam & loco Papæ patres nos audire jubet. Nos verò ex adverſo in negotiis, articulis & controverſiis fidei ex ſola & unica Scriptura ſacra, non ex Patrum teſtimoniis, firma & immota probationum argumenta deſumi poſſe ac debere ſtatuimus; exſtructi enim ſumus ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum. Eph. 2, 20. Eſa. 8, 20. 4. *Patrum voces* eatenus audimus, eatenus admittimus, quatenus conſentiunt cum voce Patris cœleſtis in Scriptura, & per Scripturam, tanquam epiſtolam nobis loquentis. 2 Pet. 1, 19. 5. *Magnum* itaque illis honorem, uti par eſt & æquum, deferimus, ſed in thronum Dei illos non collocamus. 6. *Discernendi* etiam ſunt Patres Orthodoxi in Eccleſia primitiva, Apoſtolicæ vicina, à Scriptoribus Pontificiis poſteriorum ſeculorum. 7. *In ipſis* etiam Patrum ſcriptis precioſum à vili meritô ſeparamus. Etſi enim antiqua Eccleſia primis quingentis annis, ſinceriorem Apoſtolorum doctrinam tenuit; negari tamen nec poteſt, nec verò debet, Apoſtolicæ doctrinæ etiam tum admiſceri cœpiſſe ſtipulas humanarum traditionum atque opinionum, uti ex ipſis Patrum monumentis ad oculum Romanenſibus oſtenſum fuit multoties. 8. *Quid*, quod Apoſtolis adhuc viventibus AntiChriſtus myſterium iniquitatis operari, & Pſeudo Apoſtoli falſa dogmata ſpargere cœperint, ac proinde non niſi ex Apoſtolicis ſcriptis cognoſci poteſt, quæ doctrina verè ſit divina, Apoſtolica & ſincera; ideoque ab antiquis patribus veniâ impetratâ, ad Antiquum illum dierum ſemper eſt redeundum, cujus verbum eſt ipſa veritas, Joh. 17, 17. omnis èc contrario homo mendax. Pſ. 116, 11 9. *Patres* eorumque teſtimonia neque Lutherus, neque Lutheranorum quiſquam abſolutè & indiſcriminatim repudiavit; interim ex Scriptura omnia probamus, ponderamus & ad normam illam unicam exigimus; quæ bona ſunt & verbo revelato conſentanea tenemus, quæ diſcrepant, cum bona ipſorum gratia reprobamus. Ita enim Auguſt. epiſt. 111. *Nec quorumlibet diſputationes, etiamſi Catholicorũ & laudatorum hominum veluti Scripturas Canonicas habemus, ut nobis non liceat ſalvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in illorum ſcriptis improbare atq; reſpuere ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet.* 10. *Adprobamus* igitur illud Conſtantini

tini M. in concilio Nic. apud Theodoret. l. 1. c. 7. *Exstant libri Evangelici & Apostolici, & priscorum oracula Prophetarum, quæ nos evidenter docent, quid de re divina sentiendum sit. Itaq; omissâ discordiâ sumamus ex dictis divinitùs inspiratis solutionem quæstionum.* 11. *Quia* in singulis & universis Jesuitæ Patrum nomine semper subintelligunt Pontificem Romanum, in erroribus infinitis deprehensum: patribus itaque non propter se, sed propter Scripturam fides adhibetur: multa enim habent, à Scriptura & fidei analogia aliena; meritò itaque rejiciuntur, unus est Pater noster in cœlis. Matth. 23, 9. 12. *Demum* Lutherus suâ Patrum censurâ liberiori illos noluit rejectos, sed quicquid hujus dixit vel scripsit, amore Domini Jesu Christi & Scripturæ ejus divinæ dixit & scripsit.

Omnis laus Christo, gloria nulla homini.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

CONsideravimus hactenus Jesulum nostrum (1) in stabulo; (2) in sinu Patris cœlestis; (3) in exilio; jam in schola & templo eundem intuebimur, contemplaturi *tùm parentum, Josephi & Mariæ, œconomicas; tùm filiales Jesuli erga parentes virtutes*, eum solummodò in finem, ut practicâ illas imitatione exprimere studeamus.

Ἐξήγησις.

In censu virtutum œconomicarum, quæ quidem parentum, Josephi & Mariæ œconomiam ornârunt, nostrasque ædes peræquè ornare, quin & illorum disciplinam domesticam commendationem nobis reddere debent, gemmulæ instar emicat, *Virtutes œconomicæ.*

I. *Θεοσέβεια, sincera erga Deum pietas;* quotannis enim illi ad Paschatos celebrationem adscendunt. Pietas hæc omnibus imitanda proponitur parentibus, quotquot prosperum tùm in re familiari, tùm liberorum educatione successum desiderant. 1. Tim. 4, 8. Prov. 14, 26. Ps. 34, 10. & 37, 25. Sir. 1, 17. seq.

II. *Ὁμόνοια καὶ φιλησυχία, concordia & tranquillitas.* *Concordia.* Conjunctim enim ad cultûs divini peractionem pergunt parentes Christi; unde concorditer ipsos vixisse credibile, immò extra omnem controversiæ aleam est positum. Ps. 133, 1. Sir. 25, 1. 2. Cor. 13, 11. *Concordiâ res parvæ crescunt, magna dilabuntur.* Salust.

Hinc Horatius prædicat
- - - *felices ter & ampliùs,*
quos irrupta tenet copula, nec malis lib.1.Carm.
divulsus querimoniis Od. 13.
extremâ citiùs solvet amor die.

III. Παιδεία, *institutionis domesticæ bonitas & honestas.* Educatione equidem & institutione, quali nos, Jesulus noster opus non habebat: Sanctus enim sanctorum: Dan.9,24. κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, Heb.7,26. Unde monitore, informatore & directore vitæ nullô indigebat: nihilominus Maria cum Josepho sui quod erat muneris studiosè faciebant. Ad festi celebrationem proficiscentes, non domi relinquunt, sed secum adducunt filium. Majori certè tùm vigilantiâ, tùm diligentiâ opus est nostris parentibus, in legitima liberorum suorum educatione adhibenda; cujus προαπαιτούμενα maximè necessaria sunt quatuor:

Educationis bonæ requisita.

1. Nutricatio, quam natura naturalesque στοργαὶ parentes docent. B. Lutherus: *Nullum, ait, animal plenius est misericordia, quàm mulier, præsertim respectu sui infantis.* Sapienter Deus στοργὰς istas insevit animis parentum,

1. in parvulorum emolumentum;

2. in amoris divini, tùm erga Filium, tùm erga nos homines, *argumentum;* Gen.37,33. & seq. 2. Sam.18.33. Es.42,1. seq. Ps.103,13. Es.49,15. & 66,13. Jer. 31,20. 1. Tim.5,8.

2. Institutio; deducantur liberi in domum sapientiæ: Sir.14,26

3. Diligens inspectio.

4. Severa castigatio, cum moderamine justo temperata. Vide suprà plura.

Virtutes filiales.

Quoad virtutes Jesuli filiales, inter illas

1. chorum ducit *parentum bonor & observantia:* Sir.3,3.seq. Deut. 27,16.

2. sequitur *debita obedientia;* quæ respectu Christi est voluntaria: Eph. 6,1. Col.3,20. Deut.21,21. Prov.30,17. Jer.35,14. seqq.

3. agmen claudit *disciplinæ tolerantia.* Prov.12,1. Sir. 6,18. seqq.

Thema aliud.

Gratiâ apud Deum & homines quomodo proficiamus.

QUæritur, quâ ratione homo pius, (sive clericus is sit, sive laicus) in vita seu Christianismo suo, Christi vestigia imitari queat, ut & ipse proficiat gratiâ apud Deum & homines? Omnis enim Christi actio, nostra est imitatio. Jud.7,17. Joh.13,15. Mat.28,20 Hebr.12,2.

R.1.

R. I. *Deum reverenter colendo*; & quidem
1. in festorum celebratione, in quibus præcipua Dei beneficia recoluntur :
2. in templi visitatione: non unctura rotam, non tardat missa diætam :
3. attentâ verbi auscultatione. Absit hypocrisis: ubi enim factô opus est, verba non sufficiunt.

II. *In bono constanter persistendo*: parentes cum Jesulo septiduum constitutum in cultu sacro perseverant.

III. *Cum bonis libenter consvescendo* vel conversando: Jesulus noster adsidet Doctoribus templi. Böse Gesellen führen zur Höllen.

IV. *Ministerium reverenter habendo*, cui Christus favet. Die Welt verdienet die Hölle am Predigampt. Tu mussita injurias, dic semper Deo gratias.

V. *Crucem patienter ferendo*. Deus sibi charissimos multùm adfligit: Ps.34,20. non ut perdat, sed doceat: ne efferantur, sed probentur & precentur.

VI. *Vocationi tenaciter inhærendo*: oportet me esse in his, quæ sunt Patris mei. Sir.3,22.23.24. & 10,31.32. & 11,20.23. Rom.12,7 1.Pet.4,15.Hebr.5,4.1.Cor.7,17.20.

VII. *Superioribus obedienter se subjiciendo*, quod Christum fecisse videmus, cujus vestigia nos premere æquum est. 1.Pet.2,21.

IIX. *Verbum in corde tenaciter retinendo*, licèt non omnia statim intelligas.

IX. *Benè ac feliciter proficiendo*. Non simus stationarii, sed de virtute in virtutem ambulantes crescamus quotidiè
1. verâ Christi notitiâ;
2. vitæ innocentiâ;
3. sapientiâ;
4. patientiâ; sic grati futuri sumus Deo & accepti hominibus. Oramus cum Ecclesia: *Vota nostra Domine supplicantis populi tui cælesti pietate prosequere, ut ea quæ agenda sunt, videant, & ad implenda quæ viderint convalescant, per Dominum nostrum*
JESUM CHRISTUM.
Amen.

DOMINICA II. POST EPIPHANIÆ DOMINI,

EVANGELIUM

Johan. 2. à verſ. 1. ad 12.

1. Καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας· καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ.

1. ET die tertiâ nuptiæ fiebant in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.

2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.

2. Vocatus eſt autem & Jeſus ac diſcipuli ejus ad nuptias.

3. Καὶ ὑστερήσαντος οἴνου λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν. οἶνον οὐκ ἔχουσι.

3. Et ubi defeciſſet vinum, dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.

4. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.

4. Dicit ei Jeſus: quid mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora mea.

5. Λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις, ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν ποιήσατε.

5. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcunq; dixerit vobis, facite.

6. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ, κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς.

6. Erant autem ibi hydriæ lapideæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas.

7. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος· καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω.

7. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aquâ: & impleverunt eas uſq; ad ſummum.

8. Καὶ λέγει αὐτοῖς· ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, καὶ ἤνεγκαν.

8. Et dicit eis: Infundite nunc, & ferte architriclino: & tulerunt.

9. Ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον (καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν· οἱ δὲ διάκονοι ᾔδεισαν, οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ.) φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος.

9. Poſtquam autem guſtâſſet architriclinus aquam in vinum verſam, (neq; ſciret, unde eſſet: ſed miniſtri ſciebant, qui hauſerant aquam) vocat ſponſum architriclinus,

10. Et

10. Et dicit ei: Omnis homo primò locò bonum vinū ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu servâsti bonum vinum usq; ad hoc tempus.

11. Hoc edidit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.

10. Καὶ λέγει αὐτῷ· Πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω· σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

11. Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ· καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

VErsatur hujus quoque Evangelii pericope in genere causarum Demonstrativo, & quidem in demonstratione facti sive miraculi, à Christo in nuptiis Cananæis perpetrati. Retinemus in ejusdem ἀνάλυσιν & enarratione τριχοτομίαν consvetam. Agitur enim,

I. *De nuptiarum Cananæarum festivitate;*
II. *De tristi τῶν νεογάμων calamitate;*
III. *De Christi erga ipsos tùm bonitate, tùm liberalitate.*

PARS I.

In primæ partis explicatione quatuor observandæ veniunt circumstantiæ.

1. Tempus, quando factæ fuerint nuptiæ; nimirum die tertiâ. Quæritur hic, quæ fuerit dies illa tertia? Respondetur à variis variè; quibusdam tertiam diem à Sabbatho, vel tertiam diem septimanæ; aliis à tempore Petri ad Christum adducti; aliis post discessum Christi à Jordane; aliis post publicum testimonium, Christo à Johanne Baptista datum; Johan. 1,29. aliis post tentationem in deserto, quæ Baptismum ejus statim excepit, intelligentibus. Dn. D. Chemnit. pag. 315. Harm. Evang. ait: tertiâ die post adventum in Galilæam factum hoc miraculum. Dn. D. Hunnius tertiam statuit diem, post illud Christi cum Nathanaële colloquium, de quo Joh. 1. legere est.

2. Locus, ubi miraculum hocce fuerit editum: In Cana Galilææ, quam Johannes ita vocat distinctionis gratiâ. Duplex enim Cana describitur in libro Josuæ: una cap. 16, 10. in tribu Ephraim; al-

Cana duplex, vel etiam triplex.

altera cap.19,28. in tribu Aser prope Sidonem. Hanc vocant Canam majorem, inter Tyrum & Sidonem sitam, in ea regione, quæ Syrophœnicia adpellabatur, unde mulier Chananæa Marc.7,10. His ita constitutis sequitur, tertiam quoque fuisse Canam, itinere unius diei distantem Capernaum, Joh.4,46. atque illam vocat Evangelista Canam Galilææ, in tribu Zebulon, ad differentiam illius in Phœnicia, & alterius in tribu Ephraim sitæ, uti adnotat D. Chemn. harm. Evang p.323 Nominis ratio est vel à קָנָה acquisivit, adeptus est quacunque ratione; propter acquisitionem, possessionem vel opulentiam; quæ adpellatio quadrare videtur ad Canam majorem, emporiis celeberrimis & opulentissimis, Tyrum dico & Sidonem, conterminam. Vel à קָנֶה quod calamum, cannam seu arundinem significat: per emphasin calamum aromaticum, qui magnâ olim constitit acquisitione ac negotiatione.

γάμος. 3. *Res ipsa*, nuptiæ factæ sunt. γάμος Græcis est convivium nuptiale, quando Sponsa ad Sponsum introducitur, & Sponsus ad Sponsam ingreditur. Facit hæc consideratio

1. *ad miraculi majestatem*: Si enim in nuptiis editum: Ergò in magna hominum frequentia:
2. *Ad conjugalis ordinis dignitatem*. Christus enim in ipso Messiæ officio constitutus, non desponsationi modò, sed & illi convivio interesse voluit, quando Sponsus ad Sponsam ingreditur, sicut Scriptura honestè congressum conjugalem describit.

4. *Personæ præsentes* seu convivæ nuptiales. Adest enim

1. Maria mater Jesu, jure haut dubiè consangvinitatis νεογάμοις juncta; non enim cum reliquis discumbit, sed ministrat, & curat quæ necessaria sunt tractandis reliquis convivis. Chemn.p.316.

2. Ipse Jesus, Dei & Mariæ Filius, publicâ Patris voce de cœlo Messias declaratus, cùm jam officii sui initium fecisset, non dedignatur cognatis suis hoc officiorum genere gratificari, quòd vocatus nuptias præsentiâ suâ honorificentissimâ ornet.

3. Discipuli ejus, quos quidem tum, sub exordium ministerii sui Christus habuit; Petrus, Andreas, Philippus, Nathanaël, & si qui fuére forsitan alii. Habes hospites, quos Sol unquam adspexit, longè omnium augustissimos; quibus præsentibus nuptiarum Cananæarum festivitas instituitur.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Circumstantia temporis docet, quàm diligens fuerit Salvator, in muneris suscepti partibus obeundis, ad cujus administrationem per Baptismum inauguratus fuerat; jam jejuniô sese exercendo; jam diaboli fraudes eluendo; jam discipulos eligendo, quos primô hoc statim miraculo egregiè confirmavit.

Christi in officio diligentia.

II. Desponsationes, nuptiæ, convivia nuptialia Christianis sunt licita; olim quoque summa cum solemnitate celebrata fuerunt. Gen.24,2. & 29,18. seqq. Jud.14,10. Tob.8,9. seqq. & 9,12.

Nuptiæ & convivia nuptialia licita & cur.

III. Quô fine convivia ista nuptialia conventusque solemniores instituantur & observentur: nimirùm

1. τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης ἕνεκα; 1. Cor.14,23.
2. in conjugii ἀξίαν & dignitatem; Hebr.13,4.
3. ut pro νεογάμοις vota gratulationesque piæ concipiantur; Gen. 24,60. Ruth.4,11.
4. ut in timore Domini epulari, & animum curis maceratum refocillare queamus: Eph.4,5.
5. ut hospites invitati sint veluti testes contractûs matrimonialis. Confer D. Theod. anal. p.304.305.

IV. Quis verò modus in festivitatibus nuptialibus observandus; quô tempore nuptiæ celebrandæ, diebus feriatis, an profestis; qui hospites invitandi; quæ conviviorum ratio, prolixiùs edisserit idem D. Theod. p. 306.307.

V. Christus non fuit μισάνθρωπος, sed φιλάνθρωπος. Deut. 33,3. Prov.8,31. Gal.6,2. Rom.12,15.

Φιλανθρωπία Christi.

VI. Errant ergô sanctuli Papales, eremos & secessûs quærentes, mundo ita valedicere præsumentes, & vel proprios parentes in conspectum sui non admittentes.

Papistæ solitarii.

VII. Conjugium est status Deo placens, sanctus, cuivis licitus & concessus. Gen.2,24. & 9,1. 1.Cor.7,2.9. Matth.19,12. Heb.13,4. Probatur illud

Conjugium Deo placens.

1. *à divina institutione;*
2. *à conjugii confirmatione;*
3. *ab ejusdem in N. T. restauratione;*
4. *à conservatione;*
5. *à benedictione.* Vide D. Theodor. p.308. Rectè igitur Tertullianus: *Si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla erit.*

IIX. Do-

Papismus doctrina dæmoniorum.

IIX. Dæmoniorum est doctrina prohibentium matrimonium inire: Subsume: Pontificii prohibent; Ergò à dæmoniis agitantur prohibentes nubere, 1. Tim. 4,3, 1. Cor. 7,9. Confer D. Finck. Cent. 2. Can. 85.

Conjugii fines.

IX. De finibus conjugii instituti, propter

1. sobolis procreandæ medium; Gen. 2,22.

2. vitandæ scortationis remedium; 1. Cor. 7,2.

3. adjutorii officium; Gen. 2,18.

4. spiritualis connubii inter Christum & Ecclesiam mysterium. Ose. 2,18. Eph. 5,25. seq. 1. Cor. 7,9.

X. De modo ritè lætisque auspiciis inchoandi conjugium vide. D. Theodor. p. 312. 313. 314.

Præsentia Christi.

XI. Ante omnes alios convivas Christus vel maximè invitandus; ejus enim solius præsentia solatii efficacissimi plenissima. Gen. 24,63. Tob. 8,4. 1. Thess. 4,4. 1. Cor 6,19.

Christus ut invitandus.

XII. Invitabis Christum ad nuptias

1. sanctimoniæ & castitati, tàm quoad corpus, quàm quoad Spiritum, *operam dando*: 1. Corinth. 7,34. 1. Thessal. 4,3.4. Tob. 8,4.5.

2. consensum parentum requirendo & exspectando: Exo. 20,12. Matth. 15,4. Eph. 6,2. Exod. 34,16. Deut. 7,3. Jer. 29,6. Sir. 7,27. Num. 30,6. Genes. 21,21. & 24,3.51. & 28,9. & 29,19. & 38,2. Jud. 12,9. Tob. 7,15. Jud. 14,2.4.

3. ad bona animi interna respiciendo; Sir. 25,28. & 42,12.

4. nuptias non libidinis solius explendæ, sed sobolis procreandæ causâ ineundo; Tob. 6,17. & 8,9.

5. Cum Deo & in timore ejus omnia peragendo: Col. 3,18.19. Eph. 5,22. 23. 25. Vide plura apud D. Theod. p. 314. 315.

6. ardenter & indesinenter orando. Gen. 24,63. Tob 8,4. & 3,10

Pœniteas, ores, similem duc, respice mores.

XIII. Nuptias honestas nemo nisi legitimè invitatus accedat. Jud. 14,15. Tob. 8,21. & 9,3.

Conjugium & virginitas non opposita.

XIV. Conjugium & virginitas non ἀντιδιῃρεμένως sibi invicem opponuntur, sed ὑπαλλήλως subordinantur. Maria enim corona virginum & ipsa nuptiis & interest & præest.

Nuptias cur accesserit & cohonestaverit Christus.

XV. Perpendendæ veniunt causæ, quibus inductus Christus nuptias & accedere, & miraculorum suorum πρωτοπείρα dignari voluerit. Factum hoc est,

1. in conjugii cohonestationem vel æstimationem; favor illius erga hunc ordinem patet

1. ex

1. *ex accessione promtissima*; nunquam hoc facturus, nunquam accessurus, si Papæ doctrina de conjugio esset vera, quod in conjugio vivere, sit in carne esse, ac propterea Deo non placere: Rom. 8,8. Quia verò accedit nuptias, patet inde, Papæ sapientiam asininam esse stultitiam.

2. *ex Scriptura attestatione abundantissima.* Gen. 2,21.27. & 2,18. 24. Pf. 128,3. Prov. 2,17. Sir. 25,1.2. & 37,27.28. & 41,23. Eccl. 4,7.8.9. Heb. 13,4. Vide encomia uxorum probarum. Prov. 5,19. & 11,16. & 12,4. & 14,1. & 18,22. & 19,14. & 31,10. seqq. Ezech. 24,16. Sir. 7,21. & 25,1.2.3. & 26,1. seqq. & 37, 24.25.

2. *In spiritualis conjunctionis significationem.* Nuptias celebrat Christus (1) *personales*, quibus Verbum caro factum est: Joh. 1,14. (2) *spirituales* cum Ecclesia. Ose. 2,19. Eph. 5,32.

XVI. Modus feliciter auspicandi conjugium in eo quoque consistit, ut *νεόγαμοι*

Conjugii benè auspicandi ratio.

1. *castitati studeant*, Mariæ exemplò, quæ virum se non cognovisse ait; Luc. 1,36. *Castam quæris, castus esto.* August. Heb. 12,14.
2. *Christum piis precibus invitent & attrahant;*
3. *discipulos ejus non negligant μεμλόγαμοι*; h.e. sint non osores, sed amatores ministerii divinitùs instituti:
4. *necessaria discant:*
5. *ordine justò procedant:*
6. *sanguinis propinquitatem caveant.* Vide Pollion. p. 164. seq.

XVII. Conjugii dignitas censeri debet & potest

Conjugii dignitas.

1. *ex Dei instituentis auctoritate;* Pf. 111,3.
2. *ex institutionis antiquitate;*
3. *ex institutionis majestate;*
4. *ex honoris, quò Deus ipse hunc statum ornavit, varietate;*
5. *ex multiplici status hujus utilitate;*
6. *ex eorum, qui in hoc statu vixerunt, præstabilitate;*
7. *ex inevitabili necessitate.* Vide de his D. Gerh. Tom. 7. L.C. pag. 4.5.6.7.

PARS II.

Jam perpendenda venit intempestiva τ̃ *νεογάμων* calamitas, quâ in ipsis statim nuptiis obruuntur, & occasionem sive *αἴτιον προκαταρκτικὸν* futuro miraculo præbent. Notentur duo:

I. *Vini defectus*, cujus causam probabilem hanc esse dicit Dn. D. Chemn. p. 316. quòd sponsus vinum non in magna copia, sed ob fortunæ tenuitatem, tantum vini comparârit, quantum pro numero convivarum, quos invitaturus erat, sufficere videbatur. Cùm verò ἀπροσδοκήτως & ex inopinato Jesus, cum quinque aliis viris ac discipulis honoris gratiâ invitarentur, auctô convivarum numerô vinum non potuit sufficere. In Græco est particip. ὑστερήσαντος, quod innuit, vinum paulatim deficere cœpisse, unde nonnulli ita exponunt, cùm vel ubi defecisset, fermè exhaustum esset, & inciperet deficere vinum, ut jam sufficere non videretur. Respondet Hebræo חָסֵר, quod ita usurpatur Gen. 8, 3 aquæ defecerunt, i.e. cœperunt minui. Exstat etiam Psal. 23, 1. & 34. 11.

II. *Mariæ matris adfectus*, qui declaratur effectu τῆς συμπαθείας καὶ φιλοστοργίας, quam sequitur

1. *solicita Mariæ pro novis conjugibus intercessio.* Filium enim Jesum, defectu animadversô, statim accedit, auribus haut dubiè ejus tacitè insusurrans, & inquiens: Vinum non habent, sc. νεόγαμοι, q. d. mi fili, plurimùm lætantur & sibi gratulantur, sponsus, sponsa & reliqui agnati, de tua præsentia, felices eô nomine sese prædicantes, quòd secum præsentem habeant in nuptiis eum, quem constat Messiam jam esse solemniter declaratum. At ô fluxam & instabilem hanc lætitiam, in ipso sui principio statim turbatam, & in tristitiam subitò conversam: ad hilaritatem enim postquam progressum est, cœpit vinum deficere, quod tibi significandum duxi. Verisimile enim est, voluisse Mariam prævenire, ne novi conjuges vel turbarentur, vel confunderentur; succurrendum itaque censet necessitati, deque vino ipsis prospici, antequam convivæ rescìscant. Hæc illa, nihilque addit ampliùs; satis enim esse putat, defectum vini unô verbô Filio insinuâsse, nihil omnium addubitans, quin pro consveta sua bonitate & συμπαθείᾳ, quâ suorum inopiâ ac miseriâ tangitur, velit, & pro potentia sua possit opem ferre.

2. *Duriuscula* (uti videtur) *Christi responsio*, adjunctam habens rationem

1. *Curiositatis præposteræ:* ita enim quasi ἀγανακτῶν & veluti cum aliqua indignationis specie, ad illam: *Quid mihi & tibi est mulier?* q. d. interprete D. Chemnitiô, p. 318. In iis, quæ ad officium meum pertinent, ut in exaudiendis precibus, in conferendis beneficiis divinis, nihil mihi & tibi est, nullum hic tuum jus, nulla auctoritas-

ctoritas eſt, nihil in hoc officio commune mihi tecum eſt. In hoc caſu nihil differs, mater, à quavis muliere, ad me ſolum hoc pertinet, non ingeras te meo officio. Eadem loquendi ratio eſt, Jud.11,12 2.Sam.16,10. Eſdr. 4,3. Matth.8,29. quid nobis & tibi Fili Dei? h. e. cures quæ tua ſunt, & nos ſine moleſtia nobis relinquas; habemus enim noſtrum peculiare regnum

2. *Præſumtionis ſuperciliosæ*, quòd propter prærogativam cognationis carnalis putavit θεοτόκος, ſibi & cognatis ſuis præcipuè hoc quaſi obligatione quadam deberi à Chriſto: cui perſvaſioni falſæ hoc reſponsô & dicendi genere obviam ire voluit. Confer illud Matth.12,48. Luc.11,17.

3. *Importunitatis intempeſtivæ*; addit enim: *nondum venit hora mea*, h. e. tempus ad agendum ſive juvandum commodum & opportunum, à Deo conſtitutum & deſtinatum. Ita enim ſumitur horæ vocabulum. Luc.22,53. Joh.13,1. Rom.13,11. Apoc.14,15. Exprobrat igitur matri iſtam infirmitatis humanæ particulam, quòd ſublevationem urgeat nimis properam & feſtinatam, & obliquè ipſi tempus ac modum præſcribat.

3. *Humilis objurgationis exceptio*. Maria enim duriuſculè quanquam reſpondeat Filius, nihil obmurmurat, multò minùs eum increpat; ſed ad miniſtros converſa præceptum dat ejusmodi. *Quodcunq; dixerit vobis*(Filius ille meus,)*facite*. Innuens his verbis;

1. de interceſſionis ratihabitione ſive exauditione ſeſe nondum deſperare; auxilium enim non negat, qui horam nondum adeſſe dicit: quin potiùs
2. in manifeſta hac & aſpera repulſa certam & ſibi & miniſtris exauditionem opemque eſſe ſperandam:
3. Mariam tacitè & obliquè uti voluiſſe maternâ ſua auctoritate, quâ uſa fuerat in vita ædibusque privatis, in cauſa præſertim cognatorum favorabili; ideoque ob id meritò illam à filio fuiſſe objurgatam:
4. Mariam non hoc petiiſſe, ut erogatâ pecuniâ aliunde curaret vinum adferri Jeſus, ſed aliquid miraculoſi à Filio exſpectâſſe. Audiverat enim admirandas revelationes ab Angelis & hominibus; dicta etiam de hoc Filio memorabilia, quæ mente imâ repoſuerat; inſtitutâ inſuper collatione cum vaticiniis Prophetarum de Meſſia, de quibus ſine dubio multa ſæpè per 30 illos annos cum ipſo locuta fuerat, exſpectat miraculi aliquid; ſuam itaque tacitè incogitantiam, temeritatem & curioſitatem agnoſcens, de auxilio autem ſubſecuturo nihil

quicquam diffidens, ministris injungit, ut os & sermones filii attendant, & jussa ipsius actutùm expediant, ad nutum illius omnia facientes.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Conjugium schola crucis.

I. Conjugium divinitùs licèt sancitum ac institutum, Schola tamen est crucis, patientiæ & orationis. Eccl.6,15. Genes.3,17.18. Hab.2,3.1.Cor.7,28.

Conjugium humanæ quædam est Academia vitæ,
In qua nemo satis se didicisse putet.

Conjugii crux unde.

II. Conjugium verò tot ac tantis miseriis ac calamitatibus est circumseptum;

1. propter protoplastorum prævaricationem; Gen.3.16.seqq.
2. in amoris divini erga pios conjuges manifestationem; Proverb.3,12. Tob.12,13. Apoc.3,19.
3. in fidei probationem; Esa.28,19. Rom.5,4.
4. in precum exsuscitationem; optimus orandi magister est necessitas, teste Augustinô; Esa.26,19.
5. in carnis peccatricis refrenationem. 1.Cor.11,32. 1.Pet.4,1.

πολυπραγμοσύνη.

III. Maria exemplum est πολυπραγμοσύνης & curiositatis humanæ. Sir.3,22. seq. & 9,18. & 10,30. & 11,10. 1.Cor.7,17. Vide D.Theod. pag. 323.

Fac tua, quæ tua sunt, quæ functio justa requirit,
Committas uni cætera cuncta Deo.

Item

Disce meô exemplô mandatô munere fungi:
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

IV. Aliorum calamitatibus piè condolendum. Rom.15,15. Col.3,12. 1.Cor.12,25.26. 1.Joh.3,18. Jac.2,17. 2.Pet.2,17. Tit.3,16.

V. Mariam eximiam de Christo opinionem ac fidem habuisse, inde constat, quod defectum saltem vini ipsi significat, de auxilio & bonitate ipsius nihil quicquam dubitans. Oratio enim fidei satis habet, defectûs suos tali spe Deo exposuisse; tempus & modum subveniendi bonæ ipsius voluntati & providentiæ relinquens. D.Chemn.harm.p.317.

Carnis prærogativa nulla.

VI. Carnis prærogativa in regno Christi nihil valet: quia *in divinis, quæ Dei sunt, matrem recognoscere non debemus: & in iis, quæ saluti nostræ inserviunt, nihil valet carnis prærogativa,* teste Augustinô tract.8. in Joh.

VII.

VII. Falsum itaque est Calvinistarum dogma, liberos sanctos ex parentibus sanctis progigni adseverans: quia à generatione, quæ fit secundum naturam, ad eam quæ fit secundum gratiam, nulla sequela valet. Vide D. Finck. post. 427. & Cent. 2. can. 34.

Calvinismus de sanctitate liberorum.

IIX. Quid in adflictionibus œconomicis conjugatis sit agendum, præsens historia monet: non de fuga crucis cogitandum: non de mediis illicitis difficultates amoliendi; sed

In cruce domestica quid agendum conjugatis.

1. *ad Christum adcurrendum:* Psal. 18,7. & 34,5. & 50,15. & 91,15.
2. *patienter exspectandum:* Psal. 27,14. & 130,6. Hab. 2,4.
3. *solatium in verbo Christi quærendum:* Ps. 94,19.
4. *mandatis ipsius insistendum* Ezech. 20,19.

IX. De proximi difficultatibus avertendis fides nos omnes jubet esse solicitos. Rom. 12,4 5.6.13 Gal. 6,2.

X. Deo in oratione nostra nihil quicquam præscribendum.

XI. Quæritur de causis, cur matri suæ duriùs Christus responderit, cùm pro aliorum necessitate & calamitate avertenda intercederet?

Mariæ matri cur duriùs Christus responderit.

1. ut Deum se esse ostenderet:
2. ut adfectum matris humanum retunderet; in rebus enim, Deum, religionem & salutem concernentibus; parentes propinqui & amici omnes, postponendi: Matth. 12,48. Luc. 14,26
3. ut se in necessitatibus sine ullis patronis ac intercessionibus adeundum & rogandum esse moneret, ut qui solus novit *εὐκαιρίαν*, horam opportunam ferendi auxilium. Ps. 9,10.
4. ut sanctos, Mariam in specie non esse invocandum demonstraret. Nullum enim planè est dubium, quin Christus eam quoque ob causam aliquantò durius matri responsum dederit, ut futuræ superstitioni atque idololatriæ, de invocatione & advocatione Mariæ occurreret. Nihil enim in precibus tàm offendit Christum, quàm si sancti, etiamsi mater ipsius sit, admisceantur iis, quæ officii ejus partes concernunt. Mediatrix ergò, patrona & auxiliatrix Maria falsò à Pontificiis statuitur, fingitur. 1. Tim. 2,5. Esa. 64, 16. Sacrilegium est enim, honorem soli Deo debitum creaturæ conferre. Esa. 42,8. & 48,11. Deut. 6,13. Matth. 4,10 1. Joh. 2,1. Rom. 8,35. Joh. 14,6.

Papismus de Maria.

XII. Impudens est vox Beddæ adversus Erasmum; Christum etiamnum in dextera Patris debere matri obedientiam juxta humanam naturam, quod habet p. 318. ha. m. D Chemn.

Hinc Horatius prædicat
- - - *felices ter & amplius,*
quos irrupta tenet copula, nec malis lib.1.Carm.
divulsus querimoniis Od. 13.
extremâ citiùs solvet amor die.

III. Παιδεία, *institutionis domesticæ bonitas & honestas.* Educatione equidem & institutione, quasi nos, Jesulus noster opus non habebat: Sanctus enim sanctorum: Dan.9,24. κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, Heb.7,26. Unde monitore, informatore & directore vitæ nullô indigebat: nihilominus Maria cum Josepho sui quod erat muneris studiosè faciebant. Ad festi celebrationem proficiscentes, non domi relinquunt, sed secum adducunt filium. Majori certè tùm vigilantiâ, tùm diligentiâ opus est nostris parentibus, in legitima liberorum suorum educatione adhibenda; cujus προηγούμενα maximè necessaria sunt quatuor:

Educationis bonæ requisita.

1. Nutricatio, quam natura naturalesque στοργαὶ parentes docent. B. Lutherus: *Nullum, ait, animal plenius est misericordia, quàm mulier, præsertim respectu sui infantis.* Sapienter Deus στοργὰς istas insevit animis parentum,

1. in parvulorum emolumentum;
2. in amoris divini, tùm erga Filium, tùm erga nos homines, *argumentum;* Gen.37,33. & seq. 2. Sam.18.33. Es.42,1. seq.Ps.103,13. Es.49,15. & 66,13. Jer. 31,20.1.Tim.5,8.

2. Institutio; deducantur liberi in domum sapientiæ: Sir.14,26.
3. Diligens inspectio.
4. Severa castigatio, cum moderamine justo temperata. Vide supra plura.

Virtutes filiales.

Quoad virtutes Jesuli filiales, inter illas
1. chorum ducit *parentum honor & observantia:* Sir.3,3.seq. Deut. 27,16.
2. sequitur *debita obedientia;* quæ respectu Christi est voluntaria: Eph. 6,1. Col.3,20. Deut.21,21. Prov.30,17. Jer.35,14. seqq.
3. agmen claudit *disciplina tolerantia.* Prov.12,1. Sir.6,18. seqq.

Thema aliud.

Gratiâ apud Deum & homines quomodo proficiamus

Quæritur, quâ ratione homo pius, (sive clericus is sit, sive laicus) in vita seu Christianismo suo, Christi vestigia imitari queat, ut & ipse proficiat gratiâ apud Deum & homines? Omnis enim Christi actio, nostra est imitatio. Jud.7,17. Joh.13,15. Mat.28,20 Hebr.12,2.

R.1.

R. I. *Deum reverenter colendo*; & quidem

1. *in festorum celebratione*, in quibus præcipua Dei beneficia recoluntur:
2. *in templi visitatione*: non unctura rotam, non tardat missa diætam:
3. *attentâ verbi auscultatione*. Absit hypocrisis: ubi enim factô opus est, verba non sufficiunt.

II. *In bono constanter persistendo*: parentes cum Jesulo septiduum constitutum in cultu sacro perseverant.

III. *Cum bonis libenter consvescendo* vel conversando: Jesulus noster adsidet Doctoribus templi. Böse Gesellen führen zur Höllen.

IV. *Ministerium reverenter habendo*, cui Christus favet. Die Welt verdienet die Hölle am Predigampt. Tu mussita injurias, dic semper Deo gratias.

V. *Crucem patienter ferendo*. Deus sibi charissimos multùm adfligit: Ps.34,20. non ut perdat, sed doceat: ne efferantur, sed probentur & precentur.

VI. *Vocationi tenaciter inhærendo*: oportet me esse in his, quæ sunt Patris mei. Sir.3,22.23.24. & 10,31.32. & 11,20.23. Rom.12,7 1.Pet.4,15.Hebr.5,4.1.Cor.7,17.20.

VII. *Superioribus obedienter se subjiciendo*, quod Christum fecisse videmus, cujus vestigia nos premere æquum est. 1.Pet.2,21.

IIX. *Verbum in corde tenaciter retinendo*, licèt non omnia statim intelligas.

IX. *Benè ac feliciter proficiendo*. Non simus stationarii, sed de virtute in virtutem ambulantes crescamus quotidiè

1. *verâ Christi notitiâ*;
2. *vitæ innocentiâ*;
3. *sapientiâ*;
4. *patientiâ*; sic grati futuri sumus Deo & accepti hominibus. Oramus cum Ecclesia: *Vota nostra Domine supplicantis populi tui cælesti pietate prosequere, ut ea quæ agenda sunt, videant, & ad implenda quæ viderint convalescant, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA II. POST EPIPHANIÆ DOMINI,

EVANGELIUM

Johan. 2. à verſ. 1. ad 12.

1. ΚΑὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας· καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ιησοῦ ἐκεῖ.	1. *ET die tertiâ nuptiæ fiebant in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.*
2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ιησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.	2. *Vocatus eſt autem & Jeſus ac diſcipuli ejus ad nuptias.*
3. Καὶ ὑστερήσαντος οἴνου λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ιησοῦ πρὸς αὐτόν. οἶνον οὐκ ἔχουσι.	3. *Et ubi defeciſſet vinum, dicit mater Jeſû ad eum: Vinum non habent.*
4. Λέγει αὐτῇ ὁ Ιησοῦς· Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.	4. *Dicit ei Jeſus: quid mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora mea.*
5. Λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις, ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν ποιήσατε.	5. *Dicit mater ejus miniſtris: Quodcunq; dixerit vobis, facite.*
6. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ, κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ιουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς.	6. *Erant autem ibi hydriæ lapideæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas.*
7. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ιησοῦς· Γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος· καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω.	7. *Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aquâ: & impleverunt eas usq; ad ſummum.*
8. Καὶ λέγει αὐτοῖς· ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, καὶ ἤνεγκαν.	8. *Et dicit eis: Infundite nunc, & ferte architriclino: & tulerunt.*
9. Ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον (καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν· οἱ δὲ διάκονοι ᾔδεισαν, οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ.) φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος.	9. *Poſtquam autem guſtâſſet architriclinus aquam in vinum verſam, (neq; ſciret, unde eſſet: ſed miniſtri ſciebant, qui hauſerunt aquam) vocat ſponſum architriclinus,*

10. Et

10. Et dicit ei: Omnis homo primò loco bonum vinũ ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu servâsti bonum vinum usq; ad hoc tempus.

11. Hoc edidit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.

10. Καὶ λέγει αὐτῷ· Πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω· σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

11. Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς, ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ· καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Versatur hujus quoque Evangelii pericope in genere causarum Demonstrativo, & quidem in demonstratione facti sive miraculi, à Christo in nuptiis Cananæis perpetrati. Retinemus in ejusdem ἀνάλυσι & enarratione τριχοτομίαν consvetam. Agitur enim,

I. De nuptiarum Cananæarum festivitate;
II. De tristi τῶν νεογάμων calamitate;
III. De Christi erga ipsos tùm bonitate, tùm liberalitate.

PARS I.

In primæ partis explicatione quatuor observandæ veniunt circumstantiæ.

1. Tempus, quando factæ fuerint nuptiæ; nimirum die tertiâ. Quæritur hic, quæ fuerit dies illa tertia? Respondetur à variis variè; quibusdam tertiam diem à Sabbatho, vel tertiam diem septimanæ; aliis à tempore Petri ad Christum adducti; aliis post discessum Christi à Jordane; aliis post publicum testimonium, Christo à Johanne Baptista datum; Johan. 1, 29. aliis post tentationem in deserto, quæ Baptismum ejus statim excepit, intelligentibus. Dn. D. Chemnit. pag. 315. Harm. Evang. ait: tertiâ die post adventum in Galilæam factum hoc miraculum. Dn. D. Hunnius tertiam statuit diem, post illud Christi cum Nathanaële colloquium, de quo Joh. 1. legere est.

2. Locus, ubi miraculum hocce fuerit editum: In Cana Galilææ, quam Johannes ita vocat distinctionis gratiâ. Duplex enim Cana describitur in libro Josuæ; una cap. 16, 10. in tribu Ephraim; al-

Cana duplex, vel etiam triplex.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Circumstantia temporis docet, quàm diligens fuerit Salvator, in muneris suscepti partibus obeundis, ad cujus administrationem per Baptismum inauguratus fuerat; jam jejuniô sese exercendo; jam diaboli fraudes eluendo; jam discipulos eligendo, quos primô hoc statim miraculo egregiè confirmavit.

Christi in officio diligentia.

II. Desponsationes, nuptiæ, convivia nuptialia Christianis sunt licita; olim quoque summa cum solemnitate celebrata fuerunt. Gen.24,2. & 29,18. seqq. Jud.14,10. Tob.8,9. seqq. & 9,12.

Nuptiæ & convivia nuptialia licita & cur

III. Quô fine convivia ista nuptialia conventusque solemniores instituantur & observentur: nimirùm

1. τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης ἕνεκα; 1. Cor.14,23.
2. in conjugii ἀξίαν & dignitatem; Hebr.13,4.
3. ut pro νεογάμοις vota gratulationesque piæ concipiantur; Gen. 24,60. Ruth.4,11.
4. ut in timore Domini epulari, & animum curis maceratum refocillare queamus: Eph.4,5.
5. ut hospites invitati sint veluti testes contractûs matrimonialis. Confer D. Theod. anal. p.304.305.

IV. Quis verò modus in festivitatibus nuptialibus observandus; quô tempore nuptiæ celebrandæ, diebus feriatis, an profestis; qui hospites invitandi; quæ conviviorum ratio, prolixiùs edisserit idem D. Theod. p. 306,307.

V. Christus non fuit μισάνθρωπος, sed φιλάνθρωπος. Deut. 33,3 Prov.8,31. Gal.6,2. Rom.12,15.

φιλανθρωπία Christi

VI. Errant ergô sanctuli Papales, eremos & secessûs quærentes, mundo ita valedicere præsumentes, & vel proprios parentes in conspectum sui non admittentes.

Papistæ solitarii.

VII. Conjugium est status Deo placens, sanctus, cuivis licitus & concessus. Gen.2,24. & 9,1. 1.Cor.7,2.9. Matth.19,12. Heb.13,4 Probatur illud

Conjugium Deo placens.

1. *à divina institutione;*
2. *à conjugii confirmatione;*
3. *ab ejusdem in N.T. restauratione;*
4. *à conservatione;*
5. *à benedictione.* Vide D. Theodor. p.308. Rectè igitur Tertullianus: *Si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla erit.*

IIX. Doc-

Papismus doctrina dæmoniorum.

IIX. Dæmoniorum est doctrina prohibentium matrimonium inire: Subsume: Pontificii prohibent; Ergò à dæmoniis agitantur prohibentes nubere, 1. Tim. 4,3, 1 Cor. 7,9. Confer D. Finck. Cent. 2. Can. 85.

Conjugii fines.

IX. De finibus conjugii instituti, propter

1. sobolis procreandæ medium; Gen. 2,22.

2. vitandæ scortationis remedium; 1. Cor. 7,2.

3. adjutorii officium; Gen. 2,18.

4. spiritualis connubii inter Christum & Ecclesiam mysterium. Ose 2,18. Eph. 5,25. seq. 1. Cor. 7,9.

X. De modo ritè lætisque auspiciis inchoandi conjugium, vide. D. Theodor. p. 312. 313. 314.

Præsentia Christi.

XI. Ante omnes alios convivas Christus vel maximè invitandus; ejus enim solius præsentia solatii efficacissimi plenissima. Gen. 24,63. Tob. 8,4. 1. Thess. 4,4. 1. Cor 6,19.

Christus ut invitandus.

XII. Invitabis Christum ad nuptias

1. sanctimoniæ & castitati, tàm quoad corpus, quàm quoad Spiritum, *operam dando*: 1. Corinth. 7,34. 1. Thessal. 4,3.4. Tob. 8,4.5.

2. consensum parentum requirendo & exspectando: Exo. 20,12. Matth. 15,4. Eph. 6,2. Exod. 34,16. Deut. 7,3. Jer. 29,6. Sir. 7,27. Num. 30,6. Genes. 21, 21. & 24,3.51. & 28, 9. & 29,19. & 38,2. Jud. 12,9. Tob. 7,15. Jud. 14,2.4.

3. ad bona animi interna respiciendo; Sir. 25,28. & 42,12.

4. nuptias non libidinis solius explendæ, sed sobolis procreandæ causâ ineundo; Tob. 6,17. & 8,9.

5. Cum Deo & in timore ejus omnia peragendo: Col. 3,18.19. Eph. 5,22.23.25. Vide plura apud D. Theod. p. 314.315.

6. ardenter & indesinenter orando. Gen. 24,63. Tob 8,4. & 3,10

Pœniteas, ores, similem duc, respice mores.

XIII. Nuptias honestas nemo nisi legitimè invitatus accedat. Jud. 14,15. Tob. 8,21. & 9,3.

Conjugium & virginitas non opposita.

XIV. Conjugium & virginitas non ἀντιδιῃρημένως sibi invicem opponuntur, sed ὑπαλλήλως subordinantur. Maria enim corona virginum & ipsa nuptiis & interest & præest.

Nuptias cur accesserit & cohonestaverit Christus.

XV. Perpendendæ veniunt causæ, quibus inductus Christus nuptias & accedere, & miraculorum suorum πρωτοπεῖα dignari voluerit. Factum hoc est,

1. in conjugii cohonestationem vel æstimationem; favor illius erga hunc ordinem patet

1. ex

1. *ex accessione promtissima;* nunquam hoc facturus, nunquam accessurus, si Papæ doctrina de conjugio esset vera, quod in conjugio vivere, sit in carne esse, ac propterea Deo non placere: Rom.8,8. Quia verò accedit nuptias, patet inde, Papæ sapientiam asininam esse stultitiam.

2. *ex Scripturæ attestatione abundantissima.* Gen.2,21.27. & 2,18. 24. Ps.128,3. Prov.2,17. Sir.25,1.2. & 37,27.28. & 41,23. Eccl. 4,7.8.9. Heb.13,4. Vide encomia uxorum probarum. Prov.5,19. & 11,16. & 12,4. & 14,1. & 18,22. & 19,14. & 31,10. seqq. Ezech.24,16. Sir.7,21. & 25,1.2.3. & 26,1. seqq. & 37, 24.25.

2. *In spiritualis conjunctionis significationem.* Nuptias celebrat Christus (1) *personales*, quibus Verbum caro factum est: Joh.1,14. (2) *spirituales* cum Ecclesia. Ose.2,19. Eph.5,32.

XVI. Modus feliciter auspicandi conjugium in eo quoque consistit, ut νεόγαμοι

Conjugii benè auspicandi ratio.

1. *castitati studeant,* Mariæ exemplô, quæ virum se non cognovisse ait; Luc.1,36. *Castam quæris, castus esto.* August. Heb.12,14.
2. *Christum piis precibus invitent & attrahant;*
3. *discipulos ejus non negligant μισλόγημοι;* h.e. sint non osores, sed amatores ministerii divinitùs instituti:
4. *necessaria discant:*
5. *ordine justô procedant:*
6. *sanguinis propinquitatem caveant.* Vide Pollion, p.164. seq.

XVII. Conjugii dignitas censeri debet & potest

Conjugii dignitas.

1. *ex Dei instituentis auctoritate;* Ps.111,3.
2. *ex institutionis antiquitate;*
3. *ex institutionis majestate;*
4. *ex honoris, quô Deus ipse hunc statum ornavit, varietate;*
5. *ex multiplici status hujus utilitate;*
6. *ex eorum, qui in hoc statu vixerunt, præstabilitate;*
7. *ex inevitabili necessitate.* Vide de his D. Gerh. Tom.7, L.C. pag.4.5.6.7.

PARS II.

Jam perpendenda venit intempestiva τῶν νεογάμων calamitas, quâ in ipsis statim nuptiis obruuntur, & occasionem sive αἴτιον προκαταρκτικὸν futuro miraculo præbent. Notentur duo:

I. Vini defectus, cujus causam probabilem hanc esse dicit Dn. D. Chemn. p. 316. quòd sponsus vinum non in magna copia, sed ob fortunæ tenuitatem, tantum vini comparârit, quantum pro numero convivarum, quos invitaturus erat, sufficere videbatur. Cùm verò ἀπροσδοκήτως & ex inopinato Jesus, cum quinque aliis viris ac discipulis honoris gratiâ invitarentur, auctô convivarum numerô vinum non potuit sufficere. In Græco est particip. ὑστερήσαντος, quod innuit, vinum paulatim deficere cœpisse, unde nonnulli ita exponunt, cùm vel ubi defecisset, fermè exhaustum esset, & inciperet deficere vinum, ut jam sufficere non videretur. Respondet Hebræo חָסֵר, quod ita usurpatur Gen. 8, 3 aquæ defecerunt, i.e. cœperunt minui. Exstat etiam Psal. 23, 1. & 34. 11.

II. Mariæ matris adfectus, qui declaratur effectu τῆς συμπαθείας καὶ φιλοστοργίας, quam sequitur

1. solicita Mariæ pro novis conjugibus intercessio. Filium enim Jesum, defectu animadversô, statim accedit, auribus haut dubiè ejus tacitè insusurrans, & inquiens: Vinum non habent, sc. νεόγαμοι, q.d. mi fili, plurimùm lætantur & sibi gratulantur, sponsus, sponsa & reliqui agnati, de tua præsentia, felices eô nomine sese prædicantes, quòd secum præsentem habeant in nuptiis eum, quem constat Messiam jam esse solemniter declaratum. At ô fluxam & instabilem hanc lætitiam, in ipso sui principio statim turbatam, & in tristitiam subitò conversam: ad hilaritatem enim postquam progressum est, cœpit vinum deficere, quod tibi significandum duxi. Verisimile enim est, voluisse Mariam prævenire, ne novi conjuges vel turbarentur, vel confunderentur; succurrendum itaque censet necessitati, deque vino ipsis prospici, antequam convivæ rescìscant. Hæc illa, nihilque addit ampliùs; satis enim esse putat, defectum vini unô verbô Filio insinuâsse, nihil omnium addubitans, quin pro consveta sua bonitate & συμπαθείᾳ, quâ suorum inopiâ ac miseriâ tangitur, velit, & pro potentia sua possit opem ferre.

2. Duriuscula (uti videtur) *Christi responsio*, adjunctam habens rationem

1. Curiositatis præposteræ: ita enim quasi ἀγανακτῶν & veluti cum aliqua indignationis specie, ad illam: *Quid mihi & tibi est mulier?* q. d. interprete D. Chemnitiô, p. 318. In iis, quæ ad officium meum pertinent, ut in exaudiendis precibus, in conferendis beneficiis divinis, nihil mihi & tibi est, nullum hic tuum jus, nulla aucto-

ctoritas est, nihil in hoc officio commune mihi tecum est. In hoc casu nihil differs, mater, à quavis muliere, ad me solum hoc pertinet, non ingeras te meo officio. Eadem loquendi ratio est, Jud. 11, 12 2. Sam. 16, 10. Esdr. 4, 3. Matth. 8, 29. quid nobis & tibi Fili Dei? h. e. cures quæ tua sunt, & nos sine molestia nobis relinquas; habemus enim nostrum peculiare regnum

2. *Præsumtionis superciliosæ*, quòd propter prærogativam cognationis carnalis putavit θεοτόκος, sibi & cognatis suis præcipuè hoc quasi obligatione quadam deberi à Christo: cui persvasioni falsæ hoc responsô & dicendi genere obviam ire voluit. Confer illud Matth. 12, 48. Luc. 11, 17.

3. *Importunitatis intempestivæ*; addit enim: *nondum venit hora mea*, h. e. tempus ad agendum sive juvandum commodum & opportunum, à Deo constitutum & destinatum. Ita enim sumitur horæ vocabulum. Luc. 22, 53. Joh. 13, 1. Rom. 13, 11. Apoc. 14, 15. Exprobrat igitur matri istam infirmitatis humanæ particulam, quòd sublevationem urgeat nimis properam & festinatam, & obliquè ipsi tempus ac modum præscribat.

3. *Humilis objurgationis exceptio*. Maria enim duriusculè quanquam respondeat Filius, nihil obmurmurat, multò minùs eum increpat; sed ad ministros conversa præceptum dat ejusmodi. *Quodcunq; dixerit vobis* (Filius ille meus,) *facite*. Innuens his verbis;

1. de intercessionis ratihabitione sive exauditione sese nondum desperare; auxilium enim non negat, qui horam nondum adesse dicit: quin potiùs
2. in manifesta hac & aspera repulsa certam & sibi & ministris exauditionem opemque esse sperandam:
3. Mariam tacitè & obliquè uti voluisse maternâ sua auctoritate, quâ usa fuerat in vita ædibusque privatis, in causa præsertim cognatorum favorabili; ideoque ob id meritò illam à filio fuisse objurgatam:
4. Mariam non hoc petiisse, ut erogatâ pecuniâ aliunde curaret vinum adferri Jesus, sed aliquid miraculosi à Filio exspectâsse. Audiverat enim admirandas revelationes ab Angelis & hominibus; dicta etiam de hoc Filio memorabilia, quæ mente imâ reposuerat; institutâ insuper collatione cum vaticiniis Prophetarum de Messia, de quibus sine dubio multa sæpè per 30 illos annos cum ipso locuta fuerat, exspectat miraculi aliquid; suam itaque tacitè incogitantiam, temeritatem & curiositatem agnoscens, de auxilio autem subsecuturo nihil

quicquam diffidens, ministris injungit, ut os & sermonem filii attendant,& jussa ipsius actutùm expediant, ad nutum illius omnia facientes.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Conjugium schola crucis.

I. Conjugium divinitùs licet sancitum ac institutum, Schola tamen est crucis, patientiæ & orationis. Eccl.6,15. Genes.3,17.18. Hab.2,3. 1.Cor.7,28.

Conjugium humanæ quædam est Academia vitæ,
In qua nemo satis se didicisse putet.

Conjugii crux unde.

II. Conjugium verò tot ac tantis miseriis ac calamitatibus est circumseptum;

1. propter protoplastorum prævaricationem; Gen.3,16.seqq.
2. in amoris divini erga pios conjuges manifestationem; Proverb.3,12. Tob.12,13. Apoc.3,19.
3. in fidei probationem; Esa.28,19. Rom.5,4.
4. in precum exsuscitationem; optimus orandi magister est necessitas, teste Augustinô; Esa.26,19.
5. in carnis peccatricis refrenationem. 1.Cor.11,32. 1.Pet.4,2.

πολυπραγμοσύνη.

III. Maria exemplum est πολυπραγμοσύνης & curiositatis humanæ. Sir.3,22. seq. & 9,18. & 10,30. & 11,10. 1.Cor.7,17. Vide D.Theod. pag. 323.

Fac tua, quæ tua sunt, quæ functio justa requirit,
Committas uni cætera cuncta Deo.

Item

Disce meô exemplô mandatô munere fungi:
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

IV. Aliorum calamitatibus piè condolendum. Rom.15,15. Col.3,12. 1.Cor.12,25.26. 1.Joh.3,18. Jac.2,17. 2.Pet.2,17. Tit.3,16.

V. Mariam eximiam de Christo opinionem ac finem habuisse, inde constat, quod defectum saltem vini ipsi significat, de auxilio & bonitate ipsius nihil quicquam dubitans. Oratio enim fidei satis habet, defectûs suos tali spe Deo exposuisse; tempus & modum subveniendi bonæ ipsius voluntati & providentiæ relinquens. D.Chemn.harm.p.317.

Carnis prærogativa nulla.

VI. Carnis prærogativa in regno Christi nihil valet: quia *in divinis, quæ Dei sunt, matrem recognoscere non debemus: & in iis, quæ saluti nostræ inserviunt, nihil valet carnis prærogativa*, teste Augustinô tract.8. in Joh.

VII.

VII. Falsum itaque est Calvinistarum dogma, liberos sanctos ex parentibus sanctis progigni adseverans: quia à generatione, quæ fit secundum naturam, ad eam quæ fit secundum gratiam, nulla sequela valet. Vide D. Finck. post. 427. & Cent. 2. can. 34.

Calvinismus de sanctitate liberorum.

IIX. Quid in adflictionibus œconomicis conjugatis sit agendum, præsens historia monet: non de fuga crucis cogitandum: non de mediis illicitis difficultates amoliendi; sed

In cruce domestica quid agendum conjugatis.

1. *ad Christum adcurrendum:* Psal. 18,7. & 34, 5. & 50,15. & 91. 15.

2. *patienter exspectandum:* Psal. 27,14. & 130,6. Hab. 2,4.

3. *solatium in verbo Christi quærendum:* Ps. 94,19.

4. *mandatis ipsius insistendum* Ezech. 20,19.

IX. De proximi difficultatibus avertendis fides nos omnes jubet esse solicitos. Rom. 12,4 5.6.13 Gal. 6,2.

X. Deo in oratione nostra nihil quicquam præscribendum.

XI. Quæritur de causis, cur matri suæ duriùs Christus responderit, cùm pro aliorum necessitate & calamitate avertenda intercederet?

Mariæ matri cur duriùs Christus responderit.

1. ut Deum se esse ostenderet:
2. ut adfectum matris humanum retunderet; in rebus enim Deum, religionem & salutem concernentibus; parentes propinqui & amici omnes, postponendi: Matth. 12,48. Luc. 14,26
3. ut se in necessitatibus sine ullis patronis ac intercessionibus adeundum & rogandum esse moneret, ut qui solus novit εὐκαιρίαν, horam opportunam ferendi auxilium. Ps. 9,10.
4. ut sanctos, Mariam in specie non esse invocandum demonstraret. Nullum enim planè est dubium, quin Christus eam quoque ob causam aliquantò durius matri responsum dederit, ut futuræ superstitioni atque idololatriæ, de invocatione & advocatione Mariæ occurreret. Nihil enim in precibus tàm offendit Christum, quàm si sancti, etiamsi mater ipsius sit, admisceantur iis, quæ officii ejus partes concernunt. Mediatrix ergò, patrona & auxiliatrix Maria falsò à Pontificiis statuitur, fingitur. 1. Tim. 2,5. Esa. 64, 16. Sacrilegium est enim honorem soli Deo debitum creaturæ conferre. Esa. 42, 8. & 48,11. Deut. 6,13. Matth. 4,10 1. Joh. 2,1. Rom. 8,35. Joh. 14,6.

Papismus de Maria.

XII. Impudens est vox Beddæ adversus Erasmum; Christum etiamnum in dextera Patris debere matri obedientiam juxta humanam naturam, quod habet p. 318. ha. m. D Chemn.

Maria non ἀναμάρτητος.

XIII. Maria non fuit ἀναμάρτητος, peccat enim h.l. curiositate, quemadmodum ante octiduum Luc.2. negligentiâ. Ubi enim Scriptura sacra non distingvit, ibi nec nos distingvere debemus. Scriptura autem à communi peccati lege neminem hominum, nisi solum Christum, eximit. Rom.3,22. & 5.12. Joh.3,6. Heb. 7,26. Maria opus habuit precatione, Act.1,14. & quidem ad formam à Christo præscriptam, Luc.11,2. opus habuit Salvatore, in quo exultavit: Luc.1,47. peccavit etiam actualiter. Luc.2,43. & 8,19.20.21. subjecta fuit calamitatibus & morti denique ipsi. Luc.2,34,35. Vide D. Finck. cent.3. can.6.

Præscribendum Deo nihil.

XIV. De opportunitate etiam temporis Deo nihil præscribendum, quia tempus, horam & momenta in sua potestate unicè habet reposita. Act.1,7.

Horæ Christi.

XV. Christi enim horæ, non sunt nostræ horæ, & contrà, Es. 55,8. Maria putat, hanc esse succurrendi horam, si feratur auxilium, priusquam vinum planè exhauriatur, ne rescirscant hospites, ne sponsus perturbetur, aut pudore adficiatur coram convivis: Sed Christus responsô suô significat, tum demum opportunam esse juvandi horam, quando vinum usque ad fundum est exhaustum, & defectus apud omnes innotuit, immò perturbata & desperata sunt omnia. D. Finck. post. p.429.430.

Cogitationum in precibus habẽda ratio.

XVI. Deum preces nostras non tàm ex verbis, quàm ex animi cogitationibus æstimare: cogitationum itaque in oratione præcipuè est habenda ratio. D. Chemn. p.319.

XVII. Duriùs quandoque excipimur, etiam quando verba orationis ad regulam verbi Dei instituimus, propter aberrantes cogitationes, quando nobis præ aliis hoc quasi deberi obliquè cogitamus, sicut Maria, & quando properatum nimis auxilium urgemus. Ib.

XIIX. Maria ministros non ad se invitat, patrocinium vel auxilium pollicita, sed ad Filium suum, μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν, ipsos deducit & ablegat. Act. 4,12.

Papismus de Maria Advocata.

XIX. Errant Romanenses, contendentes, Mariam tanquam Advocatam esse invocandam, quia Adonias impetraturus Abisagem à Salomone, matrem admittat advocatam: Et Salomon eandem matrem intercessuram collocet ad dexteram suam, dicens: pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. 1.Reg.2, 17.18.19. Quia à foro ad chorum non V.C. Vide D. Finck. cent.1. can. 26.

XX.

XX. Quando in oratione locô exauditionis durius reportamus responsum, culpam agnoscentes patienter feramus, ac verâ humilitate voluntati Dei nos subjiciamus, de exauditione intereà nihil dubitantes. D. Theodor. anal. p. 328.

XXI. Repulsa Mariæ id quoque docet, Christum Ecclesiam suam in invocatione sæpiùs ita tractare, quòd objicit adversa, quæ quasi contraria sunt promissionibus & exauditioni; non quòd juvare nolit; sed ut fidem probet & auxilium illustrius reddat, quodque hora ejus nondum venerit. D. Chemn. p. 320.

XXII. Quicquid Christus jusserit, studiosè est faciendum. Deut. 12, 1. & 18, 19. Matth. 17, 5. & 28, 20. Joh. 10, 16. & 14, 6. 23. 1. Joh. 5, 2. 3. 1. Sam. 15, 23.

XXIII. In omnibus enim actionibus, operibus, institutionibus, jussionibus, prohibitionibus Dei, semper videndum est ad auctoritatem mandantis. Ps. 111, 8. Vide D. Finck. Cent. 3. can. 28.

XXIV. In Maria habemus exemplum modestiæ mulicbris. Vide D. Theodor. anal. p. 328.

PARS III.

Succedit ultimô jam locô ipsa θαυματεργία seu miraculi effectio, cujus circumstantiæ singulæ accuratiùs sunt consignatæ, quas vel ideò expendere decet, quia est πρωτοπεῖα miraculorum Christi. Consistit autem in tribus sub distinctis membris; in

1. *miraculi exhibitione*;
2. *ejusdem patefactione*; quibus tandem
3. *Evangelii conclusio* subnectitur.

I.

Quoad primum membrum occurrit

I. *Causa instrumentalis, h.e. hydriarum consideratio*; describuntur autem illæ

1. à causa materiali, fuerunt lapideæ, non fictiles, quales illæ Jud. 7, 20. Eccl. 12, 6. Gen. 25, 15. Joh. 4, 28.

2. A circumstantia numeri; fuerunt sex, ut de doni magnitudine inde liceat conjecturam capere.

3. A situ, erant κείμεναι, positæ, ita factæ, ut loco moveri non possent, nec portarentur ad hauriendam aquam, sed aqua in illas inferretur;

4. A fine seu usu; positæ fuerunt secundum (ad) purificationem Judæorum. Judæi enim ex traditione seniorum crebris utebam-

Lotiones Judd. bantur lotionibus, in conviviis præsertim, ubi non manûs solùm, sed & calices, patinæ, cultelli &c. sæpiùs abluebantur. Matth. 23, 25. Ne igitur opus esset sæpiùs ad fluenta decurrere, hydriæ ejusmodi factæ seu positæ h.e. ad id vel in eum usum destinatæ fuerunt, quæ convivio, quantumvis magno, ad purificationem sufficere posse videbantur. Et videtur hæc circumstantia, D. Chemnitiô judice, significare, non in privatis ædibus, sed in publico aliquo loco, ubi hydriæ illæ perpetuò in hunc usum stabant, nuptias celebrari solitas, qui mos hodieque in multis civitatibus Imperialibus retinetur. Aquâ quidem immundi facti Judæi se lavare jubebantur; Lev. 13, 6. & 15, 5. verùm ritu istô abutebantur plurimùm, objiciente ipsis Christô, Matth. 15, 2. & 23, 25. Marc. 7, 8. Luc. 11, 29.

5. A capacitate; tantæ enim fuerunt magnitudinis, ut singulæ caperent mettetas binas vel ternas; vel quòd inæqualis essent capacitatis; vel quòd mensura non præcisè certa significetur. D. Chemnitius p. 323. in nostra mensura sex amphoras constituere scripsit. 3. Ohmen.

II. Causæ materialis significatio, quæ fuit mera aqua, quâ Domini Jesu jussu impletæ sunt hydriæ. In principio quidem convivii plenas fuisse aquâ consentaneum est; sed cùm jam finis fermè convivii immineret, crebris lotionibus sive purificationibus exhaustæ magnam partem fuerunt. Famulus itaque dicit vel præcipit Christus: *implete hydrias aquâ.* Mira juvandi ratio, inquit Chemnit. p. 321. ad sublevandum vini defectum, plus aquæ jubet inferri & adportari.

III. Causarum administrarum expositio, quarum vicem explent ministri. Ita enim illi à Maria erant edocti, ut quod diceret Jesus, facerent. Nihil itaque in mandatum ejus inquirunt, non rident, non murmurant, nec tergiversantur; sed jussa capessunt diligenter, aquâ replentes hydrias usque ad summum.

IV. Causæ formalis vel effectûs h. e. ipsius miraculi, *designatio.* Consistit illa in μεταβολῇ, sive conversione aquæ in vinum, & quidem, secundum Chrysostomi sententiam, optimum, Christô mensæ adsidente, nec hydrias, nec aquam tangente. Hoc unum.

II.

Secundum membrum quod spectat, increbuit miraculum hocce,

1. *per ministros aquam haurientes*, ex singulis procul dubio hydriis aliquid poculo infundentes, & tandem jubente ϑυμιατϑέγῳ Chri-

Christô, Architriclino etiam propinantes; qui intereà, dum ministri aquâ hydrias implerent, agitandis consiliis erat occupatus, si quod medium sublevandi defectum vini possit excogitari. Porrò ἀρχιτρίκλινος nomen habet à tribus lectis, in quibus convivæ tres mensis adcumbebant, postea per meton. ipse locus; ubi mensa cum lecticis stabat cœpit vocari triclinium, & per synecd. quodvis cœnaculum, publicum etiam diversorium. 2.Sam.9,22. In istis conviviis erat aliquis constitutus ἀρχιτρίκλινος (in aulis ἀρχιμάγειρος) ein Küchenmeister/Marschalch/ Luth. Speisemeister / cujus officium erat, parare & disponere omnia, quæ ad convivium pertinent, operam etiam dare, ut omnia rectè fiant, ne hilaritas degeneret in bestialitatem. Tales nuptiarum, convivii maximè nuptialis, gubernatores hodieq; à quibusdam, ditioribus præsertim, eliguntur. Vide D. Beust.post.part.1.p.164.

Architriclinus.

2. *Per architriclinum, vinum gustantem,* (h.e. gustu cognoscentem esse generosissimum;) & cum Sponso quodammodo expostulantem, ob perversum & inversum convivii nuptialis ordinem, eò quòd deterius vinum primô locô adposuerit, meliori ad postremum reservatô; quod facit ad miraculi denique commendationem atque excellentiam exaggerandam. Vide plura de miraculi hujus commendatione apud D.Chemn. p. 322. harm.

III.

Conclusio miraculi, vel Evangelii potiùs, est ἐπιφωνηματική, complectens

1. *Miraculi conditionem,* quòd fuerit initium signorum Jesu, quę sc. tempore ministerii sui edidit. Distingvit h. locô D. Chemn.p.315 inter mira & signa: & addit, mira quidem & divina fuisse, quæ Luc. 2,46. Joh.1,42.48.& 51. de Christo narrantur; aliud autem esse signum seu miraculum, h.e. aliquid externum, incurrens in oculos, quod sine operatione naturali virtute divinâ efficitur, præter & contra consvetum naturæ ordinem.

Mira & signa d.fferunt.

2. *Loci repetitionem,* majoris certitudinis causâ.

3. *Effectûs duplicis commemorationem,* quorum

1. prior est *gloriæ Christi manifestatio;* gloriam intellige

1. unionis personalis;

2 *communicationis,* quam Joh.1,14. gloriam vocat Unigeniti à Patre.

2. Posterior est *fidei in animis discipulorum confirmatio.* Didicerunt nimirum ex hoc miraculo agnoscere

1. personæ sublimitatem, quod esset verus & unigenitus Dei Filius, fructus quoque ventris Mariæ, atque ita Θεάνθρωπος.

2. Officij dignitatem, quòd esset verus Messias, mundi Salvator ac Redemtor.

3. Doctrinæ veritatem, quòd esset Propheta ille ἐξοχικῶς, à Deo missus in id, ut de voluntate ipsius nos erudiret. Emphasis est in phrasi, crediderunt in ipsum; qui enim antea crediderunt, hunc Jesum esse Messiam, jam in ipsum etiam credunt, idque secundum διπλῶσιν D. Chemnitii p. 325. dupliciter:

Credere in aliquem.

1. crediderunt doctrinam ejus, quam traditurus erat, veram, divinam & cœlestem esse:
2. conceperunt fiduciam, credentes, per nomen ejus vitam sese habituros æternam. Johan. 20, 31. Confer D. Finck. cent. 1. can. 56.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Obedientia.

I. Verè admiranda est hoc locô ministrorum obedientia, quòd deficiente vinô jussi adferunt aquam, postmodum etiam aquam infusam hauriunt: mandatis itaque Christi & nos obediamus promtè, licèt cum recta ratione adversâ fronte pugnent. Deut. 12, 1. & 10, 19. Joh. 10, 27. 2. Cor. 10, 5.

Christus Deus.

II. Christus est verus Deus; quia aquam in vinum mutat. Non enim potest mutare naturam, nisi qui Dominus est naturæ. Ps. 77, 11. & 86, 10. & 136, 4. Faciunt hæc,

1. ad fidei confirmationem;
2. ad refutationem Arianorum & Photinianorum, qui Christi divinitatem blasphemô ore & scriptô abnegant.

III. Christus auxiliô suô tempore opportunô præstò est suis. Hab. 2, 3. Ps. 25, 3. & 27, 14. & 130, 6. Sir. 2, 11.

IV. Deus victum largitur mediante labore Ps. 128, 2.

Miraculorum proprium.

V. Generale est omnibus miraculis, quòd terminantur ad aliquid melius, quàm per naturam fieri posset; sicut hujus vini haut dubiè talis fuit præstantia, cujus similis nullus unquam liquor, vel ex racemis natus fuit, vel ullâ arte confici potuit. Chemn. p. 322.

VI. Christus miraculum hoc operatus est, non secundum divinam tantùm, sed secundum utramque naturam. Vide locos. Theod. p. 329.

VII.

VII. Quid agendum, in conjugio deficiente vinô, pane, victu & amictu:

Conjugalis in defectu quid agendum.

1. strenuè laborandum;
2. devotè orandum;
3. calidè plorandum;
4. assiduè exspectandum. Horæ enim Dei sunt tardæ, sed admodum gratæ.

IIX. De solatio piorum conjugum, onera & calamitates conjugii sentientium. Fontes consolationum largè profluunt,

Conjugum in cruce solatium.

1. ex Christi φιλανθρωπία *sive benivolentia* erga eos, qui legitimo juncti & devincti sunt matrimoniô:
2. ex Dei παντογνωσία, qui novit & imponit, ipse dabit ἔκβασιν etiam optatam: Rom.8,28. 1.Cor.10,13.
3. ex Dei εὐδοκία, sciunt statum hunc Deo placere; conjugium enim Deum habet auctorem, quod Papa diffamat:
4. ex Christi παρουσία; conviviô nuptiali peractô, reliqui convivæ ad sua quisque recedunt: non ita Salvator: Matth.28, 20.
5. ex Christi παντοκρατορία: Psal.77, 11.
6. ex Christi σοφία, novit tempore opportunô subvenire:
7. ex Christi εὐεργεσία. Ps.145,15.

IX. Ebrietas omnibus temporibus vulgata quidem & usitata fuit: sed Christianis studiosè devitanda. Proverb.23,31. Esa.5,11. 1.Cor.6,10, 1.Tim.4,3.

Ebrietas.

X. Veteres tria pocula concessa putabant; unum necessitatis; alterum salubritatis; tertium hilaritatis; Eccl.9,7. quartum furoris esse prohibitum. Ose.7,5.

Pocula concessa.

XI. De conviviis & hilaritate nuptiarum, quæ per se à Christo non damnantur, sed egregiô munere juvantur: sed temperanda est illa hilaritas, ne excedat limites gaudii in Domino. Quòd enim adhibetur verbum μεθύσκω, inebriandi, non significat, convivas vinô ita fuisse repletos, ut sequente ἀσωτία nec mens, nec pes, nec manus officium faceret suum: talem enim ebrietatem Christus nec adprobare, nec juvare voluit. Confer D.Theodor.p.330.

Convivia.

XII. Nihil ergò præsidii hìc inveniunt potatores nostri, qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Vide D. Beust. postill. p.165. & D. Finck. post. p.435.

XIII. Fides hominis sua habet incrementa.

XIV. De fine & usu miraculorum Christi faciunt enim,

Miraculorum finis.

 tùm

tùm ad gloriam Dei manifestandam; tùm ad fidem excitandam & confirmandam. Joh. 20,31.

XV. Ex historia Evangelica N.T. patet, Christum non unô semper modô miracula edidisse. D. Finck. p. 450.

Miracula Christi & aliorum.

XVI. Discrimen observetur inter miracula Christi & Apostolorum. Differunt enim illa

1. causâ efficiente: Christus per se & virtute propriâ edidit miracula, Apostoli alienâ. Act. 3,6. & 9,34. & 16,18. Marc. 16,20.
2. Fine; Christus ad manifestandam gloriam suam; Apostoli ad Christi gloriam illustrandam. Act. 4,2.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

COmmemoratur hac περικοπῇ Evangelicâ illustre admodum Christi miraculum, & miraculorum quidem primum, in nuptiis Cananæis editum, postquam baptizatus, & officium docendi publicum adgressus esset. Partes sunt duæ:

I. De nuptiarum Cananæarum solemnitate;
II. De miraculi (aquæ in vinum versæ) *sublimitate aget.*

PARS I.

Ad primæ partis expositionem tria potissimùm faciunt:

I. Temporis lociq; circumstantia. Tempus quod attinet, dicit Evangelista, contigisse sequentia die tertiâ, secundum Epiphaniū, post vocationem Philippi & Nathanaëlis, de qua Joh. 1,43.45. seq. à qua sententia non diversum abeunt illi, qui post adventum Christi in Galilæam hanc tertiam diem supputant. Vide D. Osiandr. & D. Hunn. in Joh. p. 106. D. Pelarg. quæst. in Joh. fol. 18. Non frustrâ hæc adnotata circumstantia, inde enim summa Christi in fficio obeundo diligentia æstimanda, quòd statim à Baptismo jejuniô sese exercuisse, mox discipulos elegisse, & novô hoc miraculô confirmâsse legatur.

Locum quod spectat, facta sunt hæc in Cana Galilææ, intellige Canam non majorem sitam inter Tyrum & Sidonem; sed minorem, non procul à Capernaumo, Christi civitate, Matt. 9,1. distitam. Confer dispos. prim. Hoc tempore & hoc locô factæ sunt nuptiæ, ad quas magna hominum frequentia confluxerat; habuit igitur mira-

miraculum in nuptiis editum oculatos & auritos testes, qui & de vino Christi honorario biberunt, & nominis ac rei famam longè lateq; sparserunt. Ceterùm quis in nuptiis istis sponsus, quæ sponsa fuerit, affirmare temerè non audemus; quia altum ea de re in Evangelio silentium. Simonem Cananæum & Johannem Evangelistam qui sponsum faciunt, probatione verâ destituuntur; probabiliter sentiunt, qui de consangvineis Mariæ fuisse adserunt. Vide & lege D. Chemn. harm. Evang. & D. Pelarg. citatô locô, ubi fol. 19. tres adsignat causas, cur nomina τ̃ νεογάμων, h.e. sponsi & sponsæ non expresserit Johannes; factum nimirùm,

D. Theod. p. 312.

1. ut quorumcunque hominum conjugia, modò sint legitima, Deo accepta & grata esse cognoscamus:
2. ut in iis non simus curiosi, quæ citra salutis periculum ignorari queunt:
3. ut nos quoque nuptias, propter se, velut ordinationem Dei; non propter cognationem vel necessitudinem aliquam; neque ob personarum respectum veneremur. Hebræor. 13, 4.

II. *Hospitum invitatorum eminentia.* Nuptiarum festivitatem suâ præsentiâ condecorant hospites laudatissimi, honoratissimi, totô orbe decantatissimi, secundum Germanorum illud proverbium: Wie der Wirth ist, so bescheret Gott die Gäste. Etsi enim *νεόγαμοι* expreße non nominantur; dubium tamen apud nos reliquum est nullum, quin homines fuerint pii, veræque religioni addicti; quia tàm sanctos sibi deligunt & deposcunt hospites passivos. Jesum initiò Christum, benedictum Dei Filium, Regem illum regum, & Dominum dominantium, sanctitate, sapientiâ, potestate & majestate omnes post se Angelos & homines infinitô intervallô relinquentem; de quo Psalmista ait: Psal. 18, 26. cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Deinde Mariam matrem ipsius, fœminam omnium, quas Sol unquam adspexit, lectissimam, immo *ἀειπάρθενον, θεοτόκον*, de qua veteres,

Virgo fuit partum, post, in & ante suum.

Quibus tandem sese invitati conjungunt electi Domini Jesu discipuli, hospites & ipsi non contemnendi, futuri Evangelii in N. T. præcones, mundi reformatores. Ceterùm quæritur hoc locô à multis, quid causæ fuerit, cur Christus, matre & discipulis comitatus, nuptiis interesse voluerit? Alii alias adducunt rationes.

Nuptias cur accesserit Christus.

1. *sangvinis propinquitatem*; interesse ipsum nuptiis voluisse, ut cognatum, dando aliquid carnali conjunctioni & consangvinitati:
2. *Bonitatem & conversationis facilitatem*; accessisse nuptias illum, ut nullas negligeret occasiones lucrifaciendi peccatores, sive animas hominum, quæ etiam causa fuit, quòd consortia peccatorum & publicanorum quoque convivia non neglexit:
3. *civilitatem*, ut nuptias legitimas sua præsentiâ ornaret:
4. *necessitatem*, ut conjugium adprobaret:
5. *posteritatem*, ut nascituris quoque consuleret; benedici enim à Christo ex legitimo matrimonio oriundos, quæ Cyrilli fuit ratio.

D. Pelargus quæst. in Johan. fol. 19 quinque ex patribus adducit rationes:

1. *auctoris demonstrationem*, ut legitimarum sese nuptiarum auctorem unicum ostenderet: August. tract. 9. in Joh.
2. *sanctificationem*, ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem, sanctificaret: Cyrill. lib. 2. in Joh. c. 22.
3. *fidei in discipulis confirmationem*, Idem c. 26.
4. *exempli propositionem*, ut à Clericis etiam & Sacerdotibus nuptias frequentari posse doceret, secundum illud Chrysostomi: nuptiis Christus interesse voluit, ut errorem eorum excluderet, qui nuptias damnant:
5. *mysticam significationem*, ut spirituale cum Ecclesia sua connubium insinuaret. Eph. 5, 32.

III. *Tractationis indigentia, h. e. vini carentia.* Hospites aderant, uti diximus, omnium honoratissimi; requirebatur tractatio etiam splendida, & adparatus nuptiarum magnificus. Verùm Johannes noster indicat, tractationem hospitum ita fuisse comparatam, ut in mediis propè gaudiis, quin in primo statim accubitu penuria vini ex improviso nuptiales opprimeret. Additur enim statim: οἴνου ὑστερήσαντος, deficiente, emanente vinô. Quæ res dubio procul plurimùm perturbavit τοὺς νεογάμους, quòd primâ statim conjugii die paupertatem & inopiam, cum turpi conjunctam confusione, experiri cogantur. Lutherus in postill. dom ait: Es sey eine rechte Matz-Hochzeit gewesen.

USUS

USUS I. Informatorius.

De Conjugio honorificè & ſtatuendum & ſentiendum. Valeant μισόγαμοι ad unum omnes, ſatanas ejusque ſatellites Pontificii. Etſi enim illi noſtrâ potiſſimùm ætate videri volunt, ſe longè honeſtiùs quàm nos ſentire de conjugio, præſertim poſtquam illud in numerum ſeptem Sacramentum ſuorum receperunt: nihil tamen hoc eſſe aliud, quam inanem facto contrariam proteſtationem, manifeſtat blaſphema eorundem canonizatio, quæ in ignominiam ordinis hujus jus Canonicum prodidit; ut taceam impiam conjugii, quoad Clericos, prohibitionem, & falſam cœlibatûs impuri prædicationem; quin & ſcortationis præ legitimo matrimonio conceſſionem. Adeat Lector meus Vindicias Dn. Meelführeri à theſi 5. usque ad 29.

Conjugium τίμιον.

Papiſtæ μισόγαμοι.

Chriſtus Jeſus ex adverſo eſt verus ac ſincerus ille φιλόγαμος, qui amat ordinem à ſe ſancitum, quod patet

Chriſtus φιλόγαμος.

1. *ex prima ſive fundatione ſive inſtitutione*, Gen. 1, 27, 28. & 2, 18. in hac primæva conſtitutione obſervanda venit;
   1. *divina de muliere condenda deliberatio:*
   2. *decreti divini exſecutio*, quæ conſiſtit in
      1. *mulieris formatione*;
      2. *primorum conjugum copulatione*;
      3. *legis matrimonialis promulgatione*;
      4. *novorum conjugum benedictione*.

D. Gerh. Tom. 7. L. C. pag. 19. ſeqq.

2. *Ex miraculoſa Evæ creatione*; Gen. 2, 21.
3. *Ex conjugij ſemel introducti confirmatione*. Gen. 3, 15. 16. 20. & 8, 17. & 9, 1.
4. *Ex ordinis iſtius in N. T. inſtauratione:* Matth. 19, 4.
5. *Ex accurata & ſolicita ejusdem præmunitione:* tribus enim Decalogi præceptis, veluti murô triplici, cinctus eſt hic ordo:
6. *ex aſſidua conſervatione:* Conſervat autem conjugium Deus,
   1. *benedicendo*; Pſ. 128, 4.
   2. *per Angelos cuſtodiendo*, ut patet ex hiſtoria Iſaaci & Tobiæ.
7. *Ex ſpirituali Chriſti cum Eccleſia copulatione*. Oſ. 2, 19. Epheſ. 5, 32.
8. *Ex honorifica Spiritûs Sancti prædicatione*; ad probas uxores directa: Geneſ. 2, 18. Pſal. 68, 13. Prov. 19, 14. & 31, 10. ſeq. Sir. 26, 1. ſeqq.

9. Ex

9. Ex ipsius Christi, Filij Dei, cohonestatione; is enim hunc ordinem peculiariter ornavit hodieque ornat;

Christus conjugium ut ornet.

1. ex desponsata Virgine-matre prodeundo: Maria enim non fuit Monialis, nec votum fecit castitatis perpetuæ, sed copulæ conjugalis cum Josepho ineundæ:

2. conjugatos amando, & collegio Apostolorum adjungendo:

3. conjugium muniendo & renovando:

4. nuptias αὐτοπροσώπως accedendo:

5. spiritualiter Ecclesiam sibi desponsando: D. Bald. p. 612.

10. Ex solemni Christi testificatione, facta per hanc miraculorum πρωτοπείραν.

II. Consolatorius.

Profluit ex prædictis, ex quibus ad oculum liquet esse conjugium *1. Ordinem Deo gratissimum:*

2. Ordinem honoratissimum: Christus honorat suâ tùm præsentiâ, tùm munificentiâ:

3. Ordinem quidem adflictissimum, solatiô tamen suavissimè plenissimum, de quo vide dispos. prim.

III. Monitorius.

Conjugii legitimè ineundi ratio.

Quid faciendum junioribus & omnibus in universum aliis, qui bonis, lætis & faustis auspiciis matrimonium & contrahere & inire desiderant. Observent nimirùm illi sequentia conjugii auspicati præparatoria, de quibus Dn. D. Salomon Gesnerus p. m. pro concione olim, anno 1603. monebat. Horum verò

1. est honesta de conjugio sententia, exemplô τ̃ νεογάμων & hospitum in nuptiis Canaæis præsentium, 1. Tim. 4, 3. Hebr. 13, 4. Gen. 2, 18.

2. Numinis divina reverentia, quod observâsse videmus præsentis Evangelii νεονύμφες, Christum præ reliquis omnibus ad convivium nuptiale invitantes. Ita in timore Domini peraguntur omnia. Proverb. 18, 22. & 19, 14. Psal. 128, 1. seqq.

3. Ordinis observantia. Ordo iste requirit vel maximè cautam in contrahendo matrimonio circumspectionem: providendum enim initio, ut sponsalia fiant εὐσχημόνως ϗ̀ εὐτάκτως, ne sint

Sponsalia.

1. jo-

1. *jocularia*;
2. *angularia*;
3. *clancularia*; sed   1. *pia & honesta*;
2. *aequalia*, quia ἴσον πόλεμον ἐ ποιεῖ, aequale non facit bellum. Sir. 25,30.31.32. Postmodum
1. *nube vel contrahe tempestivè*; sed festina lentè:
2. *vive castè*; 1. Thess. 4,4. Hebr. 13,4. 1. Cor. 6,18.
3. *parentes quare*; Deut. 7,3. Jud. 14,2. Jer. 29,6.
4. *mores respice*.
5. *sumtûs tacito parcè*.

Convivas nuptiales decet 1. *pia gratulatio*;
2. *honesta γαμηλίε oblatio*;
3. *modesta in timore Domini conversatio*.

C. vivae nuptiales.

IV. Refutatorius.

Omnium tàm veterum, quàm recentium τ̃ μισογάμων, qui satanae κακέργε instinctu foedissimè ordinem istum tàm sanctum Deoque auctori earum deturpârunt. Ausus est satanas hanc Dei ordinationem defoedare

Conjugii defoedatio.

1. *per πολυγαμίας introductionem*, de qua vide prolixè & nervosè disserentem Dn. D. Gerh. T.7. L.C. p.260. usq; ad 344
2. *per multiplicem scortationem*;
3. *per promiscuam commixtionem*;
4. *per conjugii prohibitionem*;
5. *per ejusdem condemnationem*, & cum scortatione adsimilationem, quae Tatianorum & Encratitarum fuit haeresis;
6. *per nuptiarum secundarum interdictionem*, quod Montanistae olim fecerunt: cum quibus omnibus in dehonestando & diffamando conjugio hodieque certant in regno Pontificio Jesubitae & Papistae;

1. *Conjugium ut statum carnalem calumniantes*; Rom. 8,8. Hebr. 5,4. Vide D. Gerh. d.l. pag. 49.
2. *Ex matrimonio Sacramentum*, propriè & verè ita dictum, *facientes*; ita decernente Conciliabulo Tridentino sess. 24. can. 1. Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, anathema sit. Falsitatem hujus canonis ac doctrinae h. e. conjugium non esse Sacramentum operosè demonstrat D. Gerh. T.7. L.C. à pag. 19. usque ad 79. Meelführ.

Papistae μισόγαμοι & quomodo.

Conjugium non est Sacramentum.

in Vindic. th.29. & seqq. Dn. Eckard. pand. controv. part. 2 pag.645. Chemn. Exam. p.2. 415. seq.

3. *Conjugio clericis suis interdicentes:* 1.Tim.3,2.Gen.2,18.Dan.11,37 Delirat Papa propriaque vineta cædit, conjugium vituperando & prohibendo; interim verò illud ipsum Sacramentum constituendo ac proclamando. Impuros ergò oportet esse homines Sacrificulos & Clericos Pontificios, qui Papæ sui decretis à re tàm sacra arcentur. Mantuanus de Hilario pulcrè:

Non nocuit tibi progenies; non obstitit uxor,
Legitimo conjuncta thoro; non horruit illâ
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas.

Vide D. Chemn. part.3. Exa. p.69. seqq.

4. *Johannem Evangelistam sponsum in nuptiis Cananæis fuisse sine somno somniantes*, eamque ob causam ad nuptias venisse Christum fabulantes, ut sponsum à sponsa abduceret, atque ita conjugium initum dirimeret. Vide Harm. D. Chemn. & D. Theodor. anal. p.312.

5. *Conjugium contumeliosè dictis nefariè & impiè conspurcantes*; vide emblemata Papistarum nonnulla apud D. Theod. pag.309. vocant illud abominationem maximam, adulteriô & incestu teтriorem. Vide D. Chemn. part.3. Exam. p.54. D. Gerhard. T. 7. p.10.

6. *Cœlibatum cum contumelia conjugii laudantes & extollentes:* D. Gerh. d. l. pag.761. seqq. à personis etiam, ad eam rem inidoneis, exigentes. Ib. p.801. seqq.

7. *Concubinatum & vagas libidines in personis Ecclesiasticis potiùs tolerantes*, quàm honestum ipsis conjugium permittentes. Huc referenda est vox flagitiosa Campegii, Hosii, Eccii & Costeri, quòd Sacerdos uxorem ducens graviùs peccet, quàm si fornicetur, aut domi concubinam alat.

8. *Lupanaria publica in conjugii dedecus tolerantes & defendentes.*

PARS II.

In secundæ partis διασκέψει attende miraculi

I. Antecedentia, nimirùm

1. Matris pro afflictis νεογάμοις intercessionem. Ipsa enim præsentem cognatorum inopiam vinique defectum tantùm non notorium animadvertens, ex piâ quadam συμπαθείᾳ Filium suum, quem Filium etiam Dei noverat, accedit, & maternô quodā (quod falsò sibi h.l. imaginabatur) jure compellat, ut præsentem vini defectum virtute suâ divinâ compenset, & confusionem Sponsi antevertat; verbis; *vinum non habent.* 2. Du-

2. *Duriorem Christi responsionem*, temeritati, πολυπραγμοσύνῃ & curæ præposteræ oppositam. Incepit jam Christus munus Doctoris adire, cujus major, quàm matris ratio habenda; quæ cùm intempestivè rogâsset, mirum non est, illam tempestivè cohiberi & objurgari. Inquit igitur: *Quid mihi tecum est mulier?* Mulierem adpellat, respectu sexûs & communi loquendi modi more; quia habebatur ex partu mulier. Ph.19,26. Gal.4,4. & quia septa materni officii transilierat, præscribere Filio volens in re ejusmodi, ad quam imperium ejus sese non extendebat, ideoq; ne matris quidem titulô ipsam dignabatur. Addit autem facti sui rationem istam; *nondum venit hora mea:* q.d. Quid mihi jam tecum est negotii? Scio quid facto opus sit, etiamsi tu nihil moneas: scio rectiùs, quando tempus sit revelandæ potentiæ & ferendi auxilii. Oportet vini defectum populariorem fieri, ut tantò beneficium sit gratius. Durior quibusdam hæc videtur Filii responsio, justæ petitionis repulsam quandam præ se ferens; sed ita respondet,

Mariam cur mulierem dicat Christus.

1. ut Deum se esse testaretur;
2. ut sine intercessoribus & patronis se rogandum esse fateretur:
3. ut à Mariæ invocatione dehortaretur. Facessat enim illa Papistarum precatio: *Roga Patrem, jube natum, & jure matris impera: tu ipsius es Domina: nam jus habet & ratio, matrem præesse Filio: Ergò ora suppliciter, & præcipe sublimiter.*
4. ut quousque parentibus obtemperandum sit, ostenderetur: quia *amandus est generator, sed præponendus Creator.* August. Vide D. Pelarg. d.l. fol 20. confer quoque præced. dispos.

Christus cur matri duriùs responderit.

Papistica ad Mariam oratio.

3. *Ministrorum instructionem.* Mater erratum simul & repulsam sentiens, tacitè præcipitantiam & incogitantiam agnoscit; de successu interim & auxilio non planè diffidens, ministros monet, ut faciant studiosè, quicquid Jesus esset mandaturus, etiamsi fortè nonnihil absurdum videatur. Hæc miraculi antecedentia: succedunt

II. Concomitantia, sive miraculum ipsum, descriptum juxta causarum seriem: habet enim

1. *causam efficientem*, Jesum Christum Θεάνθρωπον: actiones enim ejus omnes post factam Incarnationem sunt θεανδρικαί; & una natura agit cum communicatione alterius, quòd suum est. Si humana natura proprias & distinctas haberet ἐνεργείας à λόγῳ, haberet etiam propriam & distinctam ab ipso personam, quod à fide Catholica alienum, quæ humanam Naturam credit non ἰδιοσύστατον,

Actiones Christi θεανδρικαί.

sed ἐνυπόστατον. Hinc actiones & passiones sunt totius suppositi, uti Scholastici loquuntur.

2. *Causam materialem*, in cujus descriptione tria occurrunt:

1. *Subjectum* recipiens, quô nomine veniunt hydriæ sex; quales illæ fuerint, conjicere quidem licet, certò autem scire non licet, ait D. Hunn. in Joh. p. 109. Johannes Evangelista præter numerum addit, fuisse illas lapideas, ab aqua nomen adeptas, q. dicas vasa lapidea, aquæ infundendæ & adservandæ destinata. Adjicit etiam finem vel usum, quòd positæ fuerint, secundum purificationem Judæorum, h.e. eô fine aderant, ut deservirent lotionibus & purgationibus Judaicis, non quidem Leviticis & ordinariis, sed superstitiosis & curiosis, extra & præter Legem Mosaicam introductis, & ob id Pharisæis exprobratis. Matth. 23,25. Marc. 7,4. Luc. 11,39 Joh. 3,25. Confer dispos. prim.

2. *Mandatum* ministros urgens, hydrias istas implere aqua, ne quis putet vini aliquid, vel fecium de vino in hydriis fuisse.

3. *Effectum* subsequens; ministri enim memores verborum Mariæ illicò faciunt, quod Christus jusserat, implentes hydrias aquâ usque ad summum. Laudabilis hæc est in famulis obedientia, digna quæ ab omnibus verè-piis ad imitationem proponatur. Ceterùm quid causæ fuerit, quòd aquam haurire & infundere Christus voluerit, cùm ex nihilo vinum producere potuisset, à quibusdam quæritur; & respondent nonnulli, factum hoc esse

1. ob facti evidentiam, ut quod magis visibile, magis esset credibile.
2. Alii ad divinitatis ἔνδειξιν sive demonstrationem referunt:
3. Alii ad annuam generationis vini ex vite ἐπίδειξιν trahunt; quia ipse, Augustinô teste, tract. 8. in Johan. fecit vinum illô die in hydriis, qui omni anno hoc facit in vitibus.
4. Alii ἀνάδειξιν esse volunt duorum Sacramentorum, ut præfiguraret aquâ Baptismum; vino Cœnæ Sacramentum. Vide D. Pelarg. in Johan. fol. 21. M. Tungerl. part. 1. promt. p. 259.

3. *Causam formalem*, in conversione sive transmutatione aquæ in vinum consistentem. Christus enim, dum ministri in implendis hydriis sunt occupati, divinâ interim suâ potentiâ efficit, ut ex aqua fiat vinum, non subtrahens aquas, & in earum locum vinum aliunde substituens, sed illas ipsas aquas, de fonte haustas, & hydriis in-

fu-

fusas immutans, ut substantia aquæ in substantiam vini converteretur, quod opus est soli Deo Creatori proprium. Fuerunt concomitantia, restant

III. Consequentia miraculi, quæ nobis contemplandum sistunt.

1. Christum haurire jubentem. Ut enim miraculum aquæ in vinum conversæ innotesceret, mandat Christus ministris, ut vinum illud novum ex hydriis singulis hauriant, (graviora enim & grandiora erant vasa, quàm ut deferri plena potuerint) h. e. ex hydriis in minora vasa transfundant, & deferant, gustandi gratiâ, ad Architriclinum, totum convivium nuptiale moderantem & dirigentem, ut judicium ferat de hoc vino, ex aqua per miraculum facto. Cui mandato famuli promtè parent.

2. Architriclinum de vini bonitate testificantem. Testimonium autem de vino perhibet,

1. gustando; dicitur enim Architriclinus gustâsse non aquam, sed vinum: noluit enim judicium ferre ex colore vel odore, sed ex sapore, quod prudentiæ est.

2. Commendando; Ignarus quidem ille erat facti, h. e. aquæ infusæ; unde verò vinum esset, ignorabat: ministri autem (quod per ἀντίθεσιν majoris βεβαιώσεως ἕνεκα inseritur) sciebant, unde esset hoc vinum, nim. ex aqua illa fontana, quam jussu Christi intulerant, & iterum ex hydriis eodem præcipiente hauserant: præstantiâ autem vini gustu deprehensâ candidè judicat, & ut vinum optimum commendat.

3. Cum Sponso de præpostera ratione expostulando, his verbis ipsum increpans: *Omnis homo*, qui convivium nuptiale adornat & celebrat, *primùm bonum vinum adponit* &c. Conqueritur de actione sponsi inversâ, hoc usus, à recepta Judæorum consvetudine desumto, argumento:

Optimum vinum, ex communi omnium hominum consvetudine, primò locò est adponendum; secùs qui facit, meritò culpandus:

Hoc vinum est optimum:

Ergò primò locò fuerat adponendum; & per consequens culpandus est sponsus, qui ultimo loco, ordine qui consvetus, inverso, adposuit. Optimum ergò & generosissimum ex aqua Christus fecit vinum, nullis hominum sensûs præstigiis deludens, sed pro divina sua creandi virtute substantiam aquæ immutans, & vino hoc honorario νεογάμοις liberaliter donans.

3. *Evangelistam calculum suum adjicientem*, de insigni hac
1. Christi θαυματοποιήσει; tria antè indicata repetendo,
1. *authorem* miraculi, Jesum:
2. *tempus*; dicit enim miraculorum primum, in comparatione cum ceteris ab ipso factis; vide dispos. prim. & B. Aret. in Joh. p.792. D. Tarnovium in Joh. p.202. & 206. & D. Pelarg. quæst. in Joh. fol.21. b.
3. *Locum*, quòd factum fuerit in Cana minori.
2. De gloriæ Christi φανερώσει, ex miraculo isto consecuta.
3. De fidei discipulorum στερεώσει, quod de augmento fidei est accipiendum; hic finis miraculi ultimus; ille subordinatus.

USUS I. Informatorius.

Christus adjutor opportunus. I. De Christi in ferendis suppetiis opportunitate. Hab.2,3. Esa.49,4. Philo: *Ubi desinit auxilium humanum, incipit divinum.*

Crucis conjugalis causæ. II. De adflictionis & calamitatis conjugalis causis,
1. *protoplastorum prævaricatione;*
2. *amoris divini erga conjuges pios manifestatione;* Tob.12,13. Heb.12,6. Apoc.3,19.
3. *fidei speiq; conjugum probatione;*
4. *ardentioris orationis excitatione;* Os.6,1. Es.26,16.17
5. *libidinis ad peccandum refrenatione;* Ps.118,17. 1.Cor.11,32. 1.Pet.4,1.

Nuptialis hilaritas. III. De concessa moderata conviviorum nuptialium hilaritate; cum in finem (licèt subordinatum) donat vinum νεονύμφοις Salvator. Tob.11,21. Sir.31,32. seq. Eccl.3,13. & 9,7.

Miraculi in Cana & nuptiis causæ. IV. De causis præcipuis, quibus adductus Dominus Jesus, in oppido tàm vili, inque nuptiis miraculum hocce primum edere voluerit? Causæ sunt,
1. *Benignitatis suæ erga contemta & objecta coram mundo declaratio:* Ps.113,5.6. 1.Cor.1,27.28.
2. *Conditionis Ecclesiæ notatio:* Cana arundinem significat: Esa.42,3. & 54,11. Joh.16,20.
3. *Amoris Christi erga Ecclesiam adumbratio;*
4. *Conjugii legitimi adprobatio:*
5. *principii nativitatis nostræ sanctificatio:*
6. *maledictionis mulierum ablatio:*
7. *piorum conjugum in defectu consolatio.* Habet Tungerl. d.l. pag.861.862.

V.

V. De miraculis eorundemque natura, distinctione, necessitate in Ecclesia primitiva & aliis huc pertinentibus vide præter Tungerl. p. 864. 865. etiam Calixtum in Concord. Evangel. qui locum hunc ex professo tractat pag. 115. 122. De fine & usu miraculorum vid. D. Hunn. in Joh. p. 113. 114. Meelf. th. 97. & seqq. — Miracula.

VI. De personæ Christi sublimitate: Ostendit enim hoc miraculo Christus, se non modò ut Deum, sed etiam ut hominem, esse Dominum cœli & terræ, atque habere omnes creaturas in sua potestate, ut ex illis; & cum illis, quicquid velit, agat & efficiat. — Persona Christi.

II. Consolatorius.

Conjugali cruci ac calamitati opponenda — Cruci conjugali opponendum solatium.

1. *Conjugii excellentia & dignitas*; vide part. 1.
2. *Christi præsentia & humanitas*; Ps. 91, 15. Matth. 18, 20. & 28, 20
3. *Christi providentia & caritas*: Ps. 33, 18. 19. Jer. 31, 20.
4. *Crucis clementia & brevitas*: hora est; Ps. 30, 6. Esa. 54, 7.
5. *Auxilii beneficentia & ubertas*: aquam hodieque Christus in vinum mutare potest: Ps. 65, 10. & 132, 15.

III. Monitorius.

De conjugatorum officio, quos decet — Conjugatorum officium.

1. *in cruce patientia*: Est enim Schola crucis conjugium:
2. *precum fragrantia*, exemplo Mariæ, Christum de auxilio νεογάμοις ferendo sollicitantis; Ps. 145, 19.
3. *Moræ tolerantia*: Ps. 130, 6.
4. *Oeconomica vigilantia*, quæ tàm in sponso, quàm in Architriclino contemplanda proponitur:
5. *sumtuum temperantia*:
6. *pietatis perseverantia*, exemplo discipulorum.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum 1. Mariam Mediatricem, Advocatricem & Adjutricem in omnibus necessitatibus falsò prædicantium. Errant: — Papismus de Maria Mediatrice, Adjutrice &c.

1. *In statu* exinanitionis ferre noluit Christus matrem, in officii sui partibus curiosam & intempestiviùs interpellantem.
2. *Ipsa est* ignara calamitatum nostrarum. Esa. 63, 16. 1. Tim. 2, 5. Ps. 16, 4.

2. Ma-

2. Mariam repulsam hoc loco passam, aut à Filio reprehensam negantium. Schererus in postill. pag. 129. ita: Sie ist reichlich erhöret vnd gewähret worden / ihr Sohn hat ihr nichts versagt oder abgeschlagen/ sondern allein die Bitt eine kleine Zeit auffgeschoben &c. Verùm res ipsa loquitur,(verba refero Meelführeri th. 49. vindic.) secundum circumstantias ab Evangelista notatas, Mariam ratione facti halucinatam esse in sua petitione, etiamsi illam ab omni malitia intentionis voluntariæ absolvas. (1) Formula verborum Christi satis durâ interrogatione exasperata. 2. Cor. 6, 14. 15. (2) Denegatio expressa ad minimum, quoad circumstantiam temporis & modi, à Maria intenti, nondum venit hora mea. (3) Admonitio Mariæ ad ministros instituta ex humilima solicitudine, ne illi quoque, vel ad monita tergiversarentur, vel Christo quidpiam præscriberent, potiùs autem ipsius purum & absolutum arbitrium cum paratissima subjectione recognoscerenr. (4) Ostendant Papistæ rationem, cur illam formulam: quid timidi estis modicæ fidei? unanimiter pro increpatione interpretentur; in hac verò nullum increpationi locum relinquant. Vide plura d. l.

Mariæ error in interpellando.

3. Transsubstantiationem vel essentialem transmutationem panis & vini, in corpus & sangvinem Christi ex hoc miraculo stabilire præsumentium. Errorem vocat Tonsor Jesuiticus, si quis negare velit, inquiens pag. 130. Viel verneinen die wesentliche Verwandlung Brots vnd Weins in den Leib vnd Blut Jesu Christi/ als ob es von Gott eine vnmögliche Sache were. Resp. 1. *De aqua* in vinum conversa certum exstat Scripturæ testimonium; de pane & vino in cœna nullum. 2. *A Dei* potestate, ad sacrificuli Missatici potestatem, nulla sequela valet. 3. *Quæstio* est non de possibilitate vel omnipotentia, sed de voluntate Testatoris Christi. Vide Meelf. vind. th. 84. & seqq.

Papismus de transsubstantiatione.

4. Ex Maria Prophetissam facientium. Tonsor noster ita pag. 143. Dieser Text zeiget klärlich an/ daß die Mutter des HERRN eine Prophetin gewesen/ vnd gewust hat/ was sich künfftig zutragen werde. Resp. 1. *per inficiationem*; verbe anim illa; quicquid dixerit vobis, facite; nullam futuri scientiam, sed piam saltem Mariæ solicitudinem inferunt, & ministrorum sunt informatoria. 2. *Si scivit* Maria, aliquo indiciocognovit: quomodo autem ista notitia omnibus hominibus communis; vel illa quoque, quâ ex Dei revelatione Prophetæ gaudebant, militat ad destruendam talem notitiam, de qua controvertitur, necessariam scil. ad exauditionem omnium

Papistæ Mariam Prophetissam faciunt.

omnium adflictorum? Quid multis, prophetissam fuisse Mariam nec Lucas, nec alius Evangelistarum quisquam refert.

II. Calvinianorum, Christum eam in miraculo gloriam manifestâsse contendentium, quam habuit ut Deus sive essentialiter. Falsum hoc; nos dicimus eam gloriam, quam habuit ut homo personaliter. Eam enim manifestavit, quam habuit occultatam. Plura vide apud Tarn. in Joh. p. 207. p. 208. Nos hîc receptui canimus, & ad tertiam quoque dispositionem properamus.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Quid attendendum tùm matrimonium inituris, tùm maritatis, ut aqua calamitatis ipsis vertatur in vinum hilaritatis, paucis dispiciemus.

Aqua ut vertatur in vinum.

Ἐξήγησις.

Ante contrahendum vel contractum matrimonium regulæ potissimùm quinque τοῖς μελλογάμοις in conspectu esse debent. Sciant enim illi

Regulæ pro νεογάμοις.

I. *Conjugium magni esse æstimandum:* Ps. 111, 3. 1. Sam. 2, 30. Heb. 13, 4. Dignitatem ordini huic insignem conciliat

Conjugii dignitas.

1. *antiquitas:* Gen. 1. 2. 24. 29. Jud. 14. Tob. 8.

2. *ordinis bonitas:* Gen. 1, 30. 1. Cor. 14, 33. 40.

3. *necessitas;* omnia sanctificantur per verbum & preces. Danda autem opera, ut nuptias honestè inchoemus, non in angulo, sed publicè; unde sponsalia saltem publica in Ecclesiis nostris probantur; & nuptiæ fiunt publicè, tùm in conjugii testimonium; tùm ut congressûs honestos amemus. Vide supra plura.

II. *Ordinem in omnibus decentem esse observandum.* Ut autem ordine omnia fiant ac decenter, quin & feliciter, σὺν Θεῷ, procedant, initio bono opus est; quia

Ordine in conjugio ineundo.

dimidium facti qui benè cœpit habet: Incipe igitur 1. *devotâ precatione;* Matth. 7, 7. 8. Joh. 16, 24. Jac. 1, 6.

2. *parentum consultatione:* prudenter virgo illa Euripidea ad procum, nuptias suas ambientem;

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἕξει, κ' οὐκ ἐμὸν σκοπεῖν τάδε.

3. *Bonorum internorum magis, quàm externorum, attentione.* Prov. 11, 22. & 19, 14. & 31, 10. 30.

4. *Paris electione:* Tu tibi sume parem. Prov.15,16. & 17,1. & 31,30.

III. *Christum præ ceteris esse invitandum*; ubi Christus, ibi solatium, ibi auxilium. Prov. 18,22. & 19,14. Psal.3,8. & 128,4. Es.51,13: Sir.26, 3.4.

Mariolatria & hagiolatria.

IV. *Ecclesiæ adhærendum.* Maria est imago Ecclesiæ, quæ non negligenda, sed & ipsa invitanda, non ut intercedat pro nobis, sed exemplo suo nos instruat. Hoc dum dico, Mariolatriam & hagiolatriam saltem Papisticam rejicio; publicas autem Ecclesiæ proces magni facio. Ergò &

V. *Ministerium venerandum*, ut negotium hocce tàm arduum Deo commendet. Non simus osores, sed amatores & promotores ministerii.

Sponse voca Christum, non est sine munere Christus,
Ille merum tardè, dat tamen ille merum.

Conjugatorum regula.

Conjugio verò jam devincti sciant

I. *Crucem esse ferendam*; 1. Corint.7,28. non murmurando, fugiendo vociferando, stationem deserendo; sed

1. *ad Christum adcurrendo;*
2. *auxilium ipsius patienter exspectando;* Ps.27,14. & 55,23.
3. *correptionem æquó animó sustinendo;*
4. *mandatis Christi parendo.*

II. *Verbum Christi esse attendendum.* Sir.7,16. Psal.128,2.

III. *Bonitatem Christi esse prædicandam.* Tob. 4, 23. Cetera ex prædictis sunt manifesta: nos cum Ecclesia oramus: *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrestria moderaris, supplicationes nostras clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus, per DOMINUM nostrum JESUM CHRISTUM, Amen.*

DO-

DOMINICA III. POST EPIPHANIÆ DOMINI, EVANGELIUM

Matth. 8. à verſ. 1. ad 14.

1. Καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί.

2. Καὶ ἰδοὺ λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

3. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· θέλω, καθαρίσθητι· καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα.

4. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὅρα μηδενὶ εἴπῃς· ἀλλ᾽ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον, ὃ προσέταξε Μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

5. Εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ εἰς Καπερναοὺμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος, παρακαλῶν αὐτόν.

6. Καὶ λέγων· Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.

7. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν.

8. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος ἔφη· Κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς, ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

9. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ᾽ ἐμαυτὸν στρατιώτας, καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται· καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται· καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.

---

1. *Cùm deſcendiſſet autem de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.*

2. *Et ecce leproſus accedens, adorauit eum dicens: Domine, ſi velis, potes me mundare.* Marc. 1, 40. Luc. 5, 12.

3. *Protenſaq; manu tetigit illum Jeſus, dicens: Volo, mundus eſto, ac protinus mundata fuit illius lepra.*

4. *Et dicit illi Jeſus: Vide, ne cui dixeris: ſed abi, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer munus, quod juſſit (offerri) Moſes, in teſtimonium ipſis.* Levit. 14, 34

5. *Porrò cùm ingreſſus fuiſſet Jeſus Capernaum, adiit eum Centurio, obſecrans eum;*

6. *Et dicens: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus, ac graviter discruciatur.*

7. *Et dicit illi Jeſus: Ego cùm venero, medebor illi.*

8. *Et reſpondens Centurio dixit: Domine, non ſum idoneus, ut tectum meum ſubeas; imò tantùm dic verbum, & ſanabitur famulus meus.*

9. *Nam & ego ſum homo (alterius) poteſtati ſubditus, & habeo ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alteri, veni, & venit: & ſervo meo, fac hoc, & facit.*

10. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασε, καὶ εἶπε τοῖς ἀκολουθοῦσιν· Ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

10. Hæc autem cùm audisset Jesus, admiratus est, & ait sequentibus se: Amen dico vobis, ne in Israël quidem tantum fidei reperi.

11. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

11. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venturi sunt, & accumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cælorum.

Matt. 22, 13.

12. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς ὀδόντων.

12. Filii verò regni ejicientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium.

13 Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ· ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι· καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.

13. Et dixit Jesus Centurioni: Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi: Et sanatus est famulus ejus in hora illa.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Lectionem præsentis Evangelii reducimus ad genus causarum ἀποδεικτικόν: habet enim narrationem historicam duorum miraculorum, à Christo Servatore editorum; unum in homine Judæo, alterum in homine gentili. Absolvitur ejus tractatio tribus potissimum partibus, quarum

- I. *Leprosi sanationem;*
- II. *Servi Centurionis paralytici restitutionem;*
- III. *Fidei in Centurione deprehensæ commendationem*, seu de fide Centurionis gentiumque vocatione *post concionem*, continet.

PARS I.

Ad primæ partis explicationem quatuor potissimùm spectare videntur membra.

I. Temporis notatio: Accidit nimirùm Christo descendente de monte illo, in quo prolixam concionem de vera tùm beatitudine, tùm Legis divinæ interpretatione, Matth. 5. 6. & 7. capp. descriptam, habuerat; turbâ multâ, quæ concionem illam catecheticam audierat, eum concomitante. Aliam esse hanc historiam ab ea, quæ Marc.

Marc.1,40. Luc.5,12. & seq. describitur, ex ipsis textûs visceribus operosè probare Dn. D. Chemn harm. Evang. cap. 42. pag. 525. & cap 51. p. 374. conatur; quæ tamen sententia ab aliis Theologis improbatur; vide D. Theod. p. 335. cum quo nos litem istam non faciemus nostram.

II. Miraculi occasio, quam ipsi præbuit leprosi, ad se accedentis 1 *morbus abominabilis*, inter omnes, quibus homo obnoxius, facilè maximus: est enim incurabilis, contagiosus, & tantopere detestabilis, ut homo propterea à reliquorum consortio excludatur Levit.13,46. Verisimile est, seorsim stetisse hunc leprosum, exspectaturum, quando Christus progrederetur, ut tutò eum alloqui posset. Fides autem ex concione accensa, ad ipsum usque Christum penetrat. Leprosum hunc, inquit p. 529. D. Chemn. aliquâ fuisse fide imbutum, vel inde constat, quòd non, sicut moris erat leprosis, à longè stet, sed accidit ad genua Christi.

Lepra morbus abominabilis.

2. *Gestus humilis & commendabilis*; adorabat eum, non exteriori tantum & politica quadam veneratione, quæ corporis modestâ inclinatione & prostratione perficitur; (uti tepidè nimis Calvini interpretantur sectatores) sed interiori quoque illâ ac religiosâ λατρείᾳ, quæ uni & soli Deo debetur. Græci enim Hebræum שָׁחָה, quod totius corporis prostrationem in faciem significat, & plerumque in divino cultu usurpatur, per προσκυνεῖν reddiderunt, quod annotat Chemn. p.877. Habes signum reverentiæ & humilitatis, ex agnitione indignitatis propriæ, & Divinitatis Christi veræ.

Adoratio.

III. Leprosi oratio, patientis præ se ferens humilitatem & ipsa, nec non fidelem ac obedientem totius negotii, sub benigna Domini εὐδοκίᾳ, subjectionem. Continet autem precatio isthæc tria:

1. προσφώνησιν, compellationem ad Christum directam, quâ eum vocat Dominum, quæ vox est fidei sinceræ.

2. ὑπόθεσιν, sive conditionem annexam: si vis; ipsum sanationis beneficium in manus Christi resignantem.

3. πεποίθησιν, h.e. leprosi fiduciam, quæ in quæstione de Christi potentia satis deprehenditur firma; licèt in quæstione de voluntate ejus non exiguam haberet infirmitatem. Ex multis enim miraculis hanc conceperat fiduciam, quòd Christus posset se sanare; sed consideratione miseriæ & indignitatis suæ nonnihil dubitat, utrum velit. Raro enim fides utramque quæstionem fiduciâ æquè firmâ complectitur. *Hoc verò non ita accipiatur* (quæ verba sunt

D. Chemnitii pag. 531.) *quasi credentes non debeant petere, aut quasi Deus non velit dare vel mitigationem vel liberationem a (quam in miseriis hujus vitæ: leprosus petit, & Christus summâ voluntate largitur sanationem, ita tamen, ut bonæ voluntati Salvatoris resignetur, si judicet ad profectum credentium, & gloriam nominis divini prodesse: si minùs, non existimabit fidelis, se ideò non esse beatum, si relinquatur incolumitate. Et pulcerrima est veterum precatio, quæ in corporalibus calamitatibus docet, Deum ita invocandum esse: vel mitiga, vel libera, vel salva.* Hæc ille.

Tribuit itaque leprosus suâ hac oratione Christo,

1. *virtutem divinam & potentiam* juvandi;
2. *providentiam*, sapienter externa bona dispensantem, pro
   1. gloria Nominis divini; &
   2. salute piorum: q. d. scio, quòd possis me sanare; sed an mihi futurum sit salutare, hoc ignoro: quare fac, quod bonum videtur in oculis tuis. Licèt autem ipsum opus in manûs Christi resignet; ita tamen orationem informat, ut manifestè deprehendamus, declinare ipsum in alteram partem, quòd cupiat mundari. Adversativam enim omittit; nec dicit: si non placet, volo manere, qualis jam sum. Fatetur nihilominùs, se de gratia Dei nullatenus dubitare, si vel maximè lepram ab se non tollat. Orat autem benè,
      1. *humiliter, sine elatione;*
      2. *fideliter, sine hæsitatione;*
      3. *sapienter, cum distinctione;* si vis: fiat bona Domini voluntas.

IV. Christi responsio, cum præsentissimo conjuncta auxilio. Considerandum hîc venit miraculum ipsum, in quo dextrè explicando notetur,

1. Causa organica duplex, manus & verbum. Sanat πρεσβύμως

Manus Christi.

1. manum extendendo; est enim manus ejus liberalis & aperta. Mundus habet manûs clausas; vel rapaces; non nisi aurô & argentô delibutas succurrentes, atque ita δωροδόκους; hinc Papa solùm *dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.*

Tactu lepram cur Christus sanârit.

2. Tangendo eum, qui plenus erat leprâ. Potuisset sanè absque hoc contactu, solo verbo, lepram mundare; sed placuit ipsi tangendo sanare,

1. ob hostium calumniam, ne ipsis ansam calumniandi præberet, qui vel casu, vel aliis de causis sanationem factam calumniari poterunt;

2. ob

2. ob officii præstantiam, ut sese Dominum ac impletorem Legis ostenderet, qui lepræ etiam contactu non polluatur, ut in Lege, sed qui contactu suo lepram & omnem immunditiem tollere venisset:

3. ob carnis assumtæ ἐνεργείας sive efficaciam, cujus usum, dignitatem & utilitatem demonstrare voluit, quòd scil. per eam, naturam nostram corruptam restituere debeat, non solâ suâ Divinitate, sed operâ etiam & ministerio assumtæ humanitatis, quæ ex hypostatica cum Λόγῳ unione facta est ζωοποιός.

3. Loquendo; nam & verbum ejus est vivificum; Johan. 6, 68. Loquitur autem Christus, quoad præsentem actum, verbum

1. misericordiæ, volo: quo verbo bonitatem suam & benignam ad subveniendum promtitudinem declarat, nec non fidem leprosi, de potentia quidem Christi certam, sed quæstione de voluntate, ex collatione majestatis Christi & indignitatis suæ, turbatam, erigit.

Verbum Christus loquitur triplex.

2. Potentiæ, imperativè enim loquitur, inquiens, καθαρίσθητι, esto mundus; lepræ ergò præcipit, ut sanitati cedat.

3. Disciplinæ, docens, quid fugiendum, quid faciendum, quod manifestat jam secundo loco.

2. Effectu seu forma miraculi, quæ consistit in extemporaria leprosi purgatione: Quamprimùm enim Christus diceret; volo, mundus esto; confestim lepra ab illo discessit & mundatus est.

3. Consequentia miraculi, cujusmodi sunt,

1. Miraculi evulgandi prohibitio, facta non simulatè, quod nonnulli censent: rectè itaque D. Chemnit. p. 534. *Quicquid fit contra mandatum Christi, non est bonum opus seu cultus Dei, sed peccatum. Et in præceptis divinis non est fingenda simulatio* Seriam rem Salvatorem egisse, arguunt verba Evangelistarum emphatica: Lucas cap. 5, 14. utitur verbô παραγγέλλειν, quod est, edicto q. publicô promulgato aliquid prohibere: Marcus c. 1, 43 habet verbum ἐμβριμᾶσθαι, quod est cum austeritate & adhibitis minis aliquid mandare, cum ira loqui. Cur autem prohibet?

παραγγέλλειν. ἐμβριμᾶσθαι.

Miraculi divulgationem cur prohibuerit Christus.

1. ut fidem leprosi mundati probaret:

2. ut obedientiam ipsius exploraret:

3. ut privatæ gloriæ adfectationem declinaret:

4. ut invidiam Sacerdotum ac Pharisæorum evitaret:

5. ut commodiorem miraculi evulgationem insinuaret: quia vidit sine dubio Christus & animadvertit leprosum sanatum mira-

cu-

culum ac beneficium illud non rectè usurpaturum, nec legitimè prædicaturum, antequam Sacerdoti sese ostendisset: sequitur ergò

Leprosus ad Sacerdotes cur ablegatus.

2. *Leprosi ad Sacerdotes Leviticos ablegatio.* Cur hoc?

1. ut ostenderet, se venisse, non ad destruendam, sed implendam Legem; jubet igitur τὰ τ̃ νόμου observave;
2. ut moneret, beneficium mundationis ad solum Deum cum vera gratitudine esse referendum:
3. ut sese Messiam verum demonstraret, qui verbo & contactu lepram posset sanare:
4. ut sanabiles inter Sacerdotes converterentur; contumaces verò ἀναπολόγητοι redderentur: ideò addit; in testimonium ipsis:
5. ut publicum exstaret verè sanatæ lepræ testimonium:
6. ut debita offerret sacerdotio dona, & Deo sacrificia: Christus enim nondum cessare fecerat sacrificia & oblationes, victimâ corporis sui oblatâ. Singulari utitur numero, ostende te τῷ ἱερεῖ; unde liquet, summum Sacerdotem solemnem illum inspiciendi & purificandi leprosi ritum sibi reservâsse,

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Miraculis doctrina confirmata

I. Christus insignioribus concionibus illustria plerumque subjunxit miracula, ut per illa doctrina Evangelii præmissa confirmaretur.

Miracula desierunt.

II. Doctrina sufficienter confirmatâ, nihil ampliùs miraculis opus est. August. l. 22. de C. D. cap. 8. *Cur, inquiunt nunc, illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* 1. Cor, 14, 22.

III. Hominum vita variis est exposita ærumnis & molestiis. Job. 7, 1. & 14, 1. Psl. 39, 7. 13. & 90, 11.

Peccatum morborum causa.

IV. Peccatum omnium malorum & morborum causa est. Deut. 28, 22. Job. 33, 19. Psal. 39, 13. & 107, 17. 18. Sir. 10, 23. & 37, 32. Matt. 9, 2. Marc. 2, 5. Luc. 5, 20. Joh. 5, 14. 20. 1. Cor. 10, 30.

Lepra pœna peccati.

V. Lepra cumprimis est peccatorum atrocium pœna. Num. 12, 10. 2. Reg. 5, 28. 2. Par. 26, 20. 2. Sam. 3, 29.

VI.

VI. Lepra igitur corporalis moneat nos de lepra spirituali peccati. Nam

Lepræ cum peccato collatio.

1. lepra est morbus omnium facilè maximus: Ita peccatum inter omnia mala existimare debemus longè maximum. Esa. 1, 6. & 59, 2. Job. 14, 4.

2. Lepra totum hominem deformem reddit: Peccatum quovis vel monstro, vel cadavere hominem turpiorem & deformiorem efficit. Prov. 14, 1. Esa. 1, 13. Rom 3, 4.

3. Lepra est omnium maximè contagiosa: ita peccatum facilè inficit suâ malitiâ alios. 1. Joh. 5, 19. 1. Cor. 5, 6. Sir. 13, 1. Prov. 13, 16.

4. Halitus leprosorum ob fœtorem aliis est molestissimus; Ita fœtor peccati Deo & Angelis. Ps. 5, 11. Matth. 15, 19.

5. Lepra hominem corrumpit, & in vivum quodammodo cadaver convertit: Sic peccatum, si in consvetudinem maximè abeat, omnem sensum spiritualem homini adimit. Eph. 2, 1. Job. 15, 14.

VII. Fides vera perruptâ Lege ad Mediatorem Christum sese confert. Gal. 3, 24.

IIX. Calamitates hujus seculi ad Christum ire compellunt. Os. 6, 1. Esa. 26, 19. Sap. 12, 1. 19. Psal. 107, 19. & 77, 34.

IX. In miseriis ad Christum est confugiendum. Psal. 50, 15. Esa. 65, 25. Hebr. 4, 16. Matth. 11, 28. D. Theod. anal. Evang. p. 338.

X. Auxilium in omnibus necessitatibus apud solum Deum quærendum. Psal, 95, 6. Esa. 65, 24. 26. & 30, 19. Joh. 14, 14. Sir. 2, 11. Heb. 4, 16.

Auxilium à Deo.

XI. Leprosus Christum agnoscit Deum, aliàs de lepra depellenda, nunquam interpellâsset. Semper enim in populo Dei æqualis potentiæ, h.e. divinæ, fuit habitum, vivificare mortuos, & lepram curare, quod patet exemplo Naami.

Lepram curare divinitatis op9.

XII. Gestibus externis in precatione uti, devotionis signum est. Marc. 1, 40. Luc. 22, 4. 1. Tim. 2, 8. D. Theodor. p. 338, 339

XIII. In Christo adorandum τὸ συναμφότερον, h.e. divina & humana natura. Ps. 99, 5. Ib. 341.

Christus totus adorandus.

XIV. Caveant ergò veri adoratores errorem calvæ cohortis, humanam Christi naturam non aliter adorandam esse blasphemantis, quàm ut purpurâ, quâ Rex indutus est, adoratur.

XV. Ab exclusione leprosorum à populo, ad exclusionem à Deo, non valet consequentia. D. Finck. cent. 4. can. 19.

XVI. De modo rectè orationem informandi. D. Theod.p. 340.341. 342.343.344.

Fides velle & posse Dei conjungit.

XVII. Fides in oratione duo hæc debet conjungere, potentiam & voluntatem juvandi. Alterutrum horum si divellatur, nec fides nec oratio plena est. Marc. 9,22. Num.11,21. Joh.16,24.

XIIX. Humilitas in oratione accendit miserationes Domini. In petitionibus enim corporalibus hæc est regula, ut Dei voluntati eas resignemus, nec tamen ideò de potentia Dei, immò nec de bona ejus in nos voluntate dubitemus. D.Chemn.p.531.

Jesus Messias.

XIX. Christus est verus Messias, θεάνθρωπος; quia lepram sanavit, morbum omnibus Medicis planè incurabilem. Matth.11,5. Ps.86,10.

XX. Verba Christi non sunt nuda & inefficacia verba, sed sunt potentia Dei. Rom.1,16. 2. Cor. 3,8. Joh.6,36.

XXI. Christus sanatione lepræ ostendere voluit liberationem à peccato. Chemn. p. 529.

Doctrina Christi miraculis confirmata.

XXII. Christus miraculis illustribus doctrinam suam satis superque confirmavit, ut de ejusdem certitudine dubitare amplius non possimus. Johan.3,2. & 5,36. & 10, 37.38. & 14, 11. Actor, 2,22. & 10,38.

Papistæ miracula postulantes.

XXIII. Stolidè faciunt (ne quid gravius dicam) Esawitæ, miracula hodieque à nobis exigentes, ut veritatem sanæ doctrinæ iisdem confirmemus. Si enim novam, à Christi & Apostolorum doctrina alienam, profiteremur doctrinam, tùm sanè opus haberemus miraculis confirmantibus. Inter ἀπίστους ergò mirabiles illos, & ad miraculum usque stupidos homines, meritò eos referimus, de quibus 1.Cor.14,22. agitur.

XXIV. Nemo est tàm abjectus, cui Jesus opem suam neget. Matth.11,28. Joh.6,37. Rom.10,13. Nam indignitas & miseria nostra, etiam quando à Lege divina damnamur, non alienam reddit Christi à nobis voluntatem, modò indignitatem nostram seriò agnoscamus, & verâ humilitate ad ipsum confugiamus.

Christus Jesus.

XXV. Christus verus Deus demonstratur; qui solus miracula facere & lepram curare potest, Ps.72,18. & 136,4. Num.12,11.12 2.Reg.5,7. Matth.11,5. D. Theod.p.344.

Communicatio majestatis.

XXVI. De communicata humanæ naturæ in Christo divina majestate. Sanctissima enim illa Domini caro, divinâ inuncta potentiâ, in, cum & per humanam naturam edit miracula. Act.10,38 Joh.3,34. D.Theod.p.345.

XXVII. φιλανθρωπίας est, quòd non dedignatur Christus leprosam nostram naturam purissimâ suâ carne contingere.

XXIIX. Potentia Dei descriptá in sacris literis, non pendet ab instrumentis. D. Finck. cent. 2. can. 41.

XXIX. Consolationi inservit verbum; Volo: inde enim certi reddimur, Christum & posse & velle nos juvare in adflictionibus. Potest, quia Deus est: vult, quia Homo, tentatus per omnia, Heb. 4, 14.

XXX. Christus solus lepram peccati potest sanare: Exod. 15, 26. Sanat autem remittendo nos ad ministerium verbi, cujus ministri sunt quasi manus Dei, per quam adplicantur media, purificationi nostræ destinata. 2. Cor. 3, 8. & 5, 19. Matth. 18, 18. Luc. 10, 16.

Peccatores ad ministerium remittuntur.

XXXI. Christus non venit solvere Legem. Matt. 5, 17. Rom. 10, 4. Gal. 4, 4. 5.

XXXII. Captatio inanis gloriæ fugienda. Vide D. Theod. p. 345.

XXXIII. Ridiculi sunt Ponttificii, necessitatem enumerationis omnium peccatorum in confessione hinc probare præsumentes. Non enim ad curandam lepram, sed ad ostendendam factam jam mundationem, ad Sacerdotem mittebatur leprosus.

Papistæ peccatorũ enumerationem flagitantes.

XXXIV. Christus eos, qui ad se convertuntur, mittit ad ministerium Ecclesiæ. Act. 9, 11.

XXXV. Qui à communione Ecclesiæ exclusi fuerunt, si rursus conversi fuerint, examinatâ pœnitentiâ eorum, per ministerium publicè rursus sunt recipiendi, & communioni Ecclesiæ restituendi.

Conversi recipiendi.

XXXVI. De obedientia ministerio Ecclesiæ debita. 2. Cor. 5, 20. Heb. 13, 17.

XXXVII. Deo pro beneficiis acceptis gratiæ sunt agendæ, quas insinuat lex de leprosis. Psal. 107, 1. & 103, 20. 1. Thessal. 5, 18. Col. 3, 17.

XXXIIX. Reprobi tot habebunt contra se testimonia, quot modis Dei voluntatem spreverunt. Matth. 11, 20. Johan. 5, 45. & 12, 48.

PARS II.

In secundæ partis enarratione observanda veniunt tria:

I. Centurionis pro servo intercessio. Hîc occurrit

1. Locus; Capernaum, civitas illa Christi. Matth. 9, 1.

Centurio.

2. Persona agens; Centurio, Græcè ἑκατόνταρχος, præ-

fectus sive Capitaneus super centum milites, quos Romani ibi in præsidiis habebant, ut Judæorum rebellioni resistentes, in officio ipsos, ad seditiones proclives, retinerent. Fuit autem homo gentilis, proselytus ex Ethnico factus, conditione miles, præsidiariorum in Capernaum Capitaneus. Convenit hic Christum, vel per se, vel per alios, seniores sc. Judæorum, uti ex Luc. 7, 5. colligitur.

3. Ipsa petitio; cujus observetur

1. Objectum; compellat enim Jesum, eumque Dominum adpellat.

2. Persona patiens, puer vel famulus: quem enim Matthæus vocat παῖδα, hunc Lucas expreßè dicit δοῦλον, & quidem ἔντιμον, domino suo pretiosum, h.e. carum; unde pater, propter probitatem, virtutem, obedientiam & industriam, in magno pretio & gratia singulari apud Centurionem hunc fuisse servum. Infra dicit ἐξοχικῶς, servum suum, seinen Leibknecht.

3. Fortuna servi adversa; ægrotat, δεινῶς βασανιζόμενος. Verbum βασανίζεσθαι propriè significat cruciatûs & tormenta, quæ in quæstionibus & suppliciis reorum adhiberi solent. Acerbissimos itaque cruciatûs ipsum sensisse consentaneum est; ἤμελλε γὰρ τελευτᾶν, ait Luc. 7, 2. jam jam erat moriturus, die Seel sas ihm schon auff der Zungen.

βασανίζεσθαι.

4. Species morbi fuit παράλυσις, non propriè ita dicta, simul & motum & sensum in illis corporis partibus, quas occupat, auferens; sed illa, quæ aliquando in quibusdam tantùm partibus hæret, aliquando totum corpus tormentis acerbissimis excruciat. Nos vocamus, die reissende Gicht. Vide D. Chemn. p. 886. Aliàs definitur paralysis, quòd sit morbus, ortus ex lentis & crassis humoribus, primaria cerebri vasa obstruentibus, nervos & musculos resolvens, & in aliqua corporis parte sensum & motum auferens. Quando autem omnes nervi resolvuntur, dicitur apoplexia; sicut paralysis hemiplexia.

Paralysis.

II. Benigna Christi ad ἔντευξιν factam responsio, quâ promittit duo Salvator:

1. Præsentiam sive comparitionem αὐτοπροσωπικὴν, quam non rogaverat: Ego veniam: Veniam, dicit Christus, non ibo; quia ire in malo sonat, venire in bono, ut Matth. 25. Venite benedicti, ite maledicti. Hugo Cardin. Sed hoc discrimen non est

per-

perpetuum, ut in illo Matt. 28. ite in orbem universum: Matt. 11. Venite ad me omnes &c.

2. *Sanitatem vel restitutionem* servi: & curabo, sanabo eum.

III. *Centurionis recusatio sive deprecatio*, cujus

1. *propositio* est: Domine, non est necesse, ut domum meam ipsus ingrediaris: vel, nolo te sub tectum meum venire.

2 *Confirmatio* duplici constat ratione:

1. *Ab indignitate*, velut adjuncto, quia οὐκ εἰμὶ ἱκανός. Seniores Luc. 7, 4. pro ipso intercedentes dicunt; ἄξιός ἐστιν, dignus est, cui hoc præstes: ille contrà, non sum dignus. Orta fuit hæc humilitas, ait D. Chemnit. p. 888. ex consideratione imperfectionis in fide & bonis operibus, præcipuè verò cum maceries illa Ephes. 2, 14. nondum esset destructa, agnovit gentilem indignitatem. Ideò enim meminit tecti & congressûs, profitens se indignum esse, qui vel colloquiô, vel communi tectô utatur cum tàm sanctô Dei Propheta. Hæc ille. Nota obiter,

1. quod ἱκανὸς & ἄξιος sint synonyma, quod idem ostendit Chemn. d. l. ex locis parallelis Matth. 3, 11. & Joh. 1, 27. Act. 13, 25. monstratâ simul ἐμφάσει alterius vocis, ἱκανός.

2. Quod tectum dixerit per synecdochen, idq; ideò factum ait,

1. quia Judæi putabant, se contaminari, si sub tectum hominis gentilis ingrederentur: Joh. 18, 28.

2. Quia olim magni beneficii locô habebatur, si sancti viri ad aliquem diverterentur. Gen. 18, 3. & 19, 2.

2. *Ab infinita Christi virtute & potestate*, verbi potissimùm efficacia, sumtâ similitudine, ab edictis Magistratûs politici, per comparationem minorum, hoc sensu:

Si Magistratûs politici verba, mandata & edicta, propter ordinationem Dei timentur & observantur; multò magis Messiæ (quippe Filij Dei) verbum habebit virtutem efficiendi & præstandi ea, quæ promittit:

Atqui verum est prius:

Verum ergò etiam posterius.

Sub umtio probatur exemplo proprio, sive experientia Centurionis ὑπ' ἐξουσίαν τεταγμένου, inferioris Magistratûs locum obtinentis; hoc sensu:

Si ego experior verba mea, propter Dei ordinationem habere multiplicem efficaciam; multò certior & validior erit potentia verbi Messiæ:

Constat antecedens; quia militum meorum alius me jubente vadit, alius venit, alius agit aliquid: *Ergò stabit etiam consequens*. Ratio consequentiæ in copulato est; quia

1. Ego nudus homo; tu θεάνθρωπος.

2. Ego sub alterius potestate: Tu omnia potestati tuæ subjecta habes. Hinc emergit directum Centurionis petitum, πορισματικῶς ex dictis illatum, hoc sensu: Talis ergò ac tantus cùm sis, age sana verbo servum meum; dic tantùm verbum, (unicum) & sanabitur famulus meus. Certus enim est Centurio, ad unum Christi verbum sanitatem servo suo restitutum iri. Atque hoc inprimis ex Reguli exemplo Joh. 4. potuit addiscere, qui hanc informationem ante omnia à Domino acceperat, quòd oporteret credere, etiamsi coràm oculis corporis non videamus. Ipse autem Centurio rei hujus certitudinem ex eo petit, quòd in hoc mundo ex ordinatione Dei omnia per verbum regantur, & verbum sit potens & efficax in iis, quæ cujusque potestati sunt subjecta. Sic enim Imperator præcipit Præsidi, Præses Tribuno, Tribunus Centurioni, Centurio militibus, in sua quisque domo imperat servis, qui porrò, quæ imperata sunt, faciunt. Ad hunc modum agnoscit & credit Centurio, Jesum, tanquam Messiam, habere potestatem in morbos, ac sanitatem & vitam, ut illos quidem verbo abigat, hanc autem redire jubeat & restituat. Hoc igitur potestate ut utatur, petit, & verbo rem omnem expediat.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Militaris vita Deo non adversa.

I. Vita etiam militaris Deo non improbatur, Luc. 3, 14. quod contra furores Anabaptistarum tenendum; modò ἐπιεικῶς καὶ δικαίως administretur. Vide D. Theodor. pag. 350. 351. 352. 353. 354. 355. ubi Christianismi speculum in Centurione invenies.

II. Magistratus etiam politicus fautorem habet Christum. Matth. 22, 21. Rom. 13, 1. seqq. Speculum boni Magistratûs vide ibid. p. 357. seq.

Evangelii cursum Deus tuetur.

III. Deus mirabiliter cursum Evangelii sui adversus tyrannos tueri ac provehere novit. Nuper conspiratio facta fuerat contra Christum, Marc. 3, 6. inter Pharisæos & Herodianos: Jam mirabiliter Ecclesiæ Christi adjungitur Centurio, cui accedit Regulus, Joh. 4, 53. & Jairus Archisynagogus, præcipua civitatis Capernaum

sive

five capita, five ornamenta: atque ita in fumos abit impia illa conspiratio. Esa.8,1.2.

IV. Christus homini Israelitico & gentili benefaciens, ostendit, ad Judæos & gentes se suamque doctrinam pertinere.

V. Speculum regiminis quoque œconomici in hoc Centurione monstrat D. Theodor. pag. 360. 361. 362. Speculum œconomicum.

VI. Magistratus politicus curet Ecclesias & Scholas. Esa. 49,23. Mich.4,13. Deut.17,18. Joh.1,7. Esa.60,16. Magistratus curet Ecclesias.

VII. In Scriptura sacra omnis potestas principibus à Deo tributa est. Joh.19,11. Rom.13,1.2.4. Psal.82,6. 1.Sam.24,7. 2.Sam. 19,21. Es.45,1. Confer D. Finck. cent.3. can.4. ubi potestatem Magistratûs justis limitibus circumscribit.

IIX. De officio dominorum in servos, quorum curam habere debent. Coloss.3,26. & 4,1. Ephes. 6,9. Matth.18,29. Job.31,13. Sir. 33,31. Officium dominorū.

IX. De officio servorum, quorum est, jussa dominorum suorum libenter & diligenter capessere. Eph.6,5.8. Col.3,22. Tit.2, 10. Luc.12,47. Gen.24,10. & 29,29. & 39,8. 2.Sam.15,15. Consule de utroque tabulam œconomicam in Catechismo. Servorum officium.

X. Noteturexemplum disciplinæ militaris ac domesticæ; quòd Centurio prædicat obsequium suorum militum & servi, eaq; in re ipse præluxit eis exemplo, obedientiam præstans superiori Magistratui, sub cujus potestate sese esse fatetur.

XI. De morbis aliisque calamitatibus ita judicare discamus, quòd à Deo immittantur, tanquam ipsius satellites, & ad ejus imperium nos rursum relinquant. Sir. 40,34. seq. Matth.4,39. & 8, 24.

XII. Centurio est speculum humilitatis quoque veræ. Gen. 18,3 & 32,10. Psal.115,1. Dan.9,7. Joh.1,27. Luc.1,48. Phil.2,5. 1.Petr. 1,2. & 5,5.

XIII. Centurio præclaris ornatus virtutibus & operibus, ἐπιεικείᾳ & moderatione in officii militaris administratione; cultûs & religionis veræ dilectione; caritate erga proximum; indignum se judicat Christi gratiâ & beneficiis; quod inservit doctrinæ de bonis operibus eorundemque mercede. Matth.25,37. Centurionis virtutes.

XIV. Veræ quoq; fidei exemplar habemus in eodem Centurione: est enim ipsius fides, Fides Centurionis.

1. fides Christum ejusque verbum adprehendens;
2. fides caritatem exercens, tùm in synagoga exstruenda, erga Deum; tùm in juvando servo, erga proximum:

3 fides

3. fides verè sese humilians ac dejiciens.

Verbi vis.

XV. De efficacia, virtute & potentia verbi; magnificiamus itaque illud, & de eo, quod promittit, nequaquam dubitemus. Roman. 1,16. Psal. 33,4.9. Vide part. 1.

Fidei natura.

XVI. Fides deprehenditur h. l. esse

1. notitia; agnoscit enim Christum Deum, cujus præsentia non sit dignus Centurio: 1.Cor.1,21. & 2,2. Rom.16,25 Eph.3,3. Heb.11,3. Act.17,23.
2. certa fiducia: Matth.8,8. & 9,22. Luc.5,20. Rom. 4,21. & 10,10. Eph.3,12. Jac.1,6.
3. ἐνεργουμένη δι᾽ ἀγάπης: Gal.5,6. Eph.3,12. Rom.14,22. Heb.11,4.
4. suis distincta gradibus: est magna, Matth.15,28. Rom. 4,18. & parva. Matth.8,26. Marc.9,24. Luc.17,5. Es.42,3.

Verbo Dei omnia reguntur.

XVII. In societate politica & œconomica omnia stant & peraguntur, immò gubernantur etiam verbo Dei. Psal.82,1. & 148,8 Esa.55,10. D. Chemnit. harm. pag. 890.891.

XIIX. Pro nobis invicem oremus. Matth.18,20. Jac.5,16.

Magistratus sit pius.

XIX. Magistratus studeat & ipse præ ceteris veræ pietati, considerans

1. præcipientis Dei majestatem;
2. rationis reddendæ necessitatem;
3. statûs sui dignitatem;
4. summam pietatis utilitatem;
5. impietatis perniciem & detrimentositatem.

PARS III.

Tertia pars tractat post-concionem, ad cujus διέξοδον faciunt quatuor:

I. Occasio, ex reliquorum Evangelistarum collatione petenda; unde intelligitur,

1. Centurionem seniores Judæorum intercessores ad Christum misisse. Ipse enim, tanquam homo militaris & gentilis sanctum huncce virum ac Prophetam compellare subverebatur. Jam milites nostrates servos Dei verberare, vulnerare, excarnificare, spoliare, quin neci tandem tradere non verentur. Diaboli veriùs incarnati, quam humanam naturam induti. Insontes mea non tangit oratio. Expertus loquor & scribo, & Solis radiis scriptum publicè exstat.

Militum nostratium erga ministerium sævitia.

2.

2. Cùm audiret, esse in procinctu Dominum Jesum, amicos in occursum ejus misisse, qui accessum deprecarentur. Ipsô verò progrediente,

3. Tandem ex ædibus suis, quibus vicinus factus fuerat Christus, prorupisse, & hæc, quæ jam modò parte secundâ audivimus, plena fidei verba prolocutum esse: Domine, non sum dignus &c. Atque inde post- Concionis hujus instituendæ ἀφορμὴν quandam Salvatorem arripuisse.

II. Fidei in Centurione commendatio. Ubi

1. Christus cum stupore quodam fidem Centurionis admiratur. Admirari secundum aliquos est celebrare; quæ etiam causa fuisse videtur, quòd Lucas c.7,9. addat relativum, inquiens; ἐθαύμασεν αὐτὸν, admiratus est ipsum. Græci enim Deut.10, 17. & 28, 50. τὸ honorare reddiderunt per θαυμάζειν; unde & 2.Reg.5,1. Naaman audit vir τεθαυμασμένος προσώπῳ, honoratus facie, auctoritate præ aliis conspicuus. Admiratur autem Christus in Centurione, non nobilitatem, non potentiam, non opes, non reliquas virtutes, sed ipsam solam fidem, secundum Origenem.

Admirari pro celebrare.

2. Publicè erga universam sequentium turbam fidem istam prædicat, adjectâ consvetâ in re ardua jurandi formulâ: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Quibus verbis opponit, immò manifestè præfert hanc Centurionis fidem omnium Israëlitarum (Israël per meton. causæ pro posteris Israëlis, qui postmodum à Juda Judæi dicti fuerunt) fidei; & quidem

Centurionis fides quomodo major.

1. *Ratione agnitionis.* Judæi sacris literis innutriti talem de Christo notitiam non habebant, qualem Centurio, homo gentilis & militaris.

2. *Ratione fiducialis adplicationis.* Nam & discipuli Christi, aliiq; ab ipso instructi, fiduciam suam longiùs non extendebant, quàm visus & reliqui sensûs permittebant: hic verò etiam absentis verbo tantam tribuit efficaciam, ut sanando servo sufficere facilè posse credat unicum Christi verbulum. Vide plura apud D. Chemnit. harm. pag.895.

III. De gentium vocatione concio, cui alteram huic adfinem, de Judæorum reprobatione admiscet. Hic primus locus est, in quo Christus disertè vocationem gentium & Judæorum rejectionem futuram prænuntiat. Vocationem autem gentium fore universalem significat phrasi, venient ab Oriente & Occidente, h.e. ex gentibus longissimè dissitis, non quidem omnes sed multi. Non enim

Gentium vocatio universalis.

Pauci qui multi.

omnes obedient Evangelio. Rom.10,16. In scriptura autem sacra nonnunquam iidem pauci vocantur, qui & multi: e. g. pauci dicuntur fideles & electi, Matth.7,13. Luc.13,14. Matth.20,16. Es.1,9 Luc.12,32. & tamen vocantur multi, Matth.8,11. Rom. 9,29. Apoc. 5,11. quod August. ita interpretatur, *multi vocantur per seipsos considerati, pauci in comparatione iniquorum*. D. Finck. cent.1. can.23.

Ceterùm felicitatem istam explicat Salvator similitudine metaphoricâ; *multi venient & discumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum*: quia usitatum est Scripturæ, sub imagine convivii seu mensæ, beneficia regni cœlestis proponere; Psal.23,5. Prov.9,5. Matth.22,1. seq. Luc. 14,16. Intelligendum verò est

Vita æterna convivium.

1. vel de gaudio vitæ æternæ, Luc.22,29.

2. vel de beneficiis regni cœlorum, quæ in hac vita verbo offeruntur & distribuuntur, fide verò adprehenduntur.

Præcipuum in regno cœlorum locum adsignat Patriarchis,

Patriarchæ primarii in regno cœlorum.

1. propter promissionem de semine benedicto, ipsis singulariter factam. Illud enim solum est, quod convivium regni cœlestis instruit & mensam ornat. Non dicit discumbent cum Mose & Aarone, ut Judæorum de Lege supercilium dejiciat.

2. Ad retundendam Pharisæorum calumniam, qui titulo antiquitatis simpliciorum oculos præstringentes, novitatis Christum insimulabant. Christus itaque regnum suum comparat mensæ, in qua primum locum occupant Patriarchæ & reliqui ex Judæis fideles: inde autem non repudiabuntur gentes, sed venient & ipsæ, & cum Patriarchis discumbent, h. e. eadem promissio de benedicto semine, quæ Patriarchis facta est, gentibus proponetur, fidei adprehendenda. Act.2,39. & 15,11. Ad hunc itaque modum gentes participes erunt tùm gratiæ, misericordiæ & υἱοθεσίας, tùm lætitiæ & gloriæ, quâ nunc Patriarchæ in regno cœlorum fruuntur. Chemn.d.l. pag.896.897.

Regnum cœlorum mensa.

Amplificatur hæc gentium felicitas ἀντιθέτως, contrariâ Judæorum infelicitate, qui filii quidem regni dicuntur, ex intentione nimirùm Patris cœlestis; sed minatur illis abjectionem Christus, metaphoricâ itidem locutione, à carcere tenebricoso circumscriptâ; ad designandos horrendos damnatorum cruciatûs: Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Quibus verbis describitur damnatio infernalis, & horrendi damnatorum cruciatus, qui verbis exprimi haut valent. Fletus enim denotat tribulationem, dolorem & mœrorem: stridor verò dentium,

Judæi filii regni.

Damnatio.

tium, horrorem ex conſcientiæ ſtimulis. Rom.2,15. Eſa.66,24. Vide de hac phraſi plura Dom.20.poſt Trin.

IV. Benigna Centurionis dimiſſio, habens

1. promiſſionem, fidei Centurionis attemperatam; Vade, & ſicut credidiſti, ita fiat tibi. Vide D.Chemn. p.894.

2. Eventum ſive effectum fidei ac petitionis, h. e. promiſſionis factæ impletionem. ἀμα ῥεχθὲν, ἀμα πεαχθὲν: ſanatus enim dicitur ſervus in illa hora. Et ſic demonſtratum fuit, & fidem Centurionis non aberrâſſe, & verè Chriſtum ejus eſſe potentiæ, quam ei Centurio fide indubitatâ attribuerat, h.e. potentiæ divinæ, atque ita verum Dei Filium, Salvatorem mundi, & Opitulatorem in neceſſitatibus unicum, quæ agnitio potiſſimus eſſe debet finis ac fructus omnium Chriſti miraculorum.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Apud Deum nulla eſt προσωποληψία. Act.10,34. Rom.3,23

II. Deus cum Evangelio & verbo ſuo ad nullum locum populumvè eſt alligatus. Act.13,46. Matth.21,43. Joh.12,25. Rom.11,21. *Verbum nulli loco alligatum.*

III. De vocatione gentium & Judæorum reprobatione, vide Dom.Epiphan. Gen.17,6. & 22,15. Deut.32,43. Pſal.2,8. & 22,28. & 77,8. Eſa.9,2. & 49,6. Oſe.1,10. & 2,23. Mich.4,2. Amos 9,11. Hag. 2,7. Eſa.6,9. Jer.3,16. Oſe.13,19. Matth. 22,5. & 23,37. Act.13,8. Roman.11,20. *Gentium vocatio.*

IV. Gentium vocatio in Scriptura ſacra eſt perverſitatis Judæorum indicatio. D.Finck. cent.4.can.2.

V. Habetur hic deſcriptio vitæ æternæ, quæ quidem non conſiſtit in cibo & potu externo; Rom.14,17. ſed in ſempiterna ſummi boni perfruitione. 1.Cor.15,28. *Vitæ æt. deſcriptio.*

VI. In Scriptura ſacra à deſcriptione felicitatis, dignitatis, jucunditatis, quæ eſt in terris, ad eam, quæ ſupereſt in cœlis, valet conſequentia: quia Spiritus Sanctus συγκαταβαίνει ad noſtrum captum. D.Finck.cent.2.can.19.

VII. Habetur etiam hoc loco deſcriptio æternæ damnationis, Eſ.66,24. Rom.2,9. 2.Theſſ.1,8.9. Apoc.14,11. *Damnationis æt. deſcriptio.*

IIX. Preces in fidei veritate factæ nunquam cadunt irritæ, Matth.18,19. Joel.2,32. Jac.5,17.

IX. Doctrina principalis eſt de fide, quæ (1) non eſt cogitatio; (2) non opinio; (3) non βαττολογία inanis; (4) non notitia *Fides quid.*

tantùm; sed adsensus cum fiducia animi plena conjunctus. Consule locos & libellos methodicos.

Fidei distinctio.

X. Fides est quidem una; Eph.4,5. sed ratione subjectorum est, vel vera & salvifica; vel falsa & hypocritica. Est etiam fides alia firma, alia infirma, quæ tamen & ipsa vera. Es 42,3.

XI. Fides non recipit magis & minus, sed majus & minus. D. Finck. cent.2. can.74.

Fidei proprietates.

XII. Fidei proprietates sunt,

1. firma Christi verbiq; ipsius adprehensio: Psal.27,8.
2. manifesta per caritatem operatio; Gal.5,6.
3. vera animi humiliatio. Genes.32,10. Psal.115,1. Mich.6,8. Apoc.4,11.

Fidei effectus.

XIII. De effectibus vel operationibus fidei distinctis. Operatur enim illa,

1. justificationem; Genes.15, 6. Rom.3,22.
2. filiationem; Joh.1,12.
3. conscientiæ pacificationem seu tranquillationem; Rom.5,1.
4. animæ vivificationem; Hab.2,4. Joh.11,25.
5. cordium purificationem; Act.15,9.
6. precum exauditionem; Marc.11,24.
7. bonorum operum virtutumq; Christianarum exsuscitationem; Gal.5,6.
8. vitæ æternæ possessionem. Joh.3,6. 1.Pet.1,9. Reliqua ad doctrinam de fide spectantia pete ex locis.

Abjectio Judæ. duplex.

XIV. In Scriptura sacra duplex est Judæorum abjectio, una *temporalis*, 2.Par.15,3. altera *finalis*, Os.3,4. Luc.19,42. & seqq. Rom. 11,25. Qui verò putant eos ante novissimum diem universim iri conversos, suo abundent sensu, inquit D.Finck. cent.2.can.81.

Fidei dignitas.

XV. Magna est fidei dignitas, quòd Deus totum se tradat voluntati, desiderio, fiduciæ & spei credentium, si ex verbo & secundum verbum Dei formantur, ait Chemn.p.894.

XVI. Quando ex verbo & secundum verbum Dei cor concipit fidem, spem, vota, desideria, non ingrediendus est abyssus consiliorum & judiciorum Dei. Hoc enim ipso Filio Dei revelante, est decretum Dei, quòd illud vult, & tantum vult, qualem & quantam fiduciam, spem, vota & desideria cor credentis ex verbo Dei per Spiritum S. concipit. Ps.21,3. & 145,19. Joh.15,7. Ibid.

XVII. Patet ex verbis istis, sicut credis, ita fiat tibi, cur Deus interdum minùs liberalis erga nos videatur: quia tantum accipimus,

mus, quantum credimus. Fides enim est manus vel ὄργανον ληπτικόν, si contrahitur, minùs accipit, non dantis, sed accipientis culpâ. Ergò ô bone Jesu, adauge nobis fidem! Luc. 17, 5.

XIIX. Exemplum hic habemus ejus, quòd dicitur Jer. 5, 3. Domine, oculi tui fidem respiciunt; & alibi; sine fide impossibile est placere Deo. Heb 11, 6. Oramus ergò cum D. Chemnitio p. 898. harm. *O bone Jesu, qui solus es Medicus noster*, Exod. 15, 26. Matt. 9, 12 *licèt indignissimus, sub quorum tectum intres; te tamen humili fide invocamus, ut ex gratia id præstare, & domum pectoris nostri Spiritu tuò per verbum & Sacramenta visitare digneris, quò expulsis omnibus infirmitatibus langventis animæ in te ad æternam felicitatem confirmemur & corroboremur. Amen.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO δημερής.

CONsiderabimus hac vice distinctis duabus partibus distincta duo Christi miracula, quorum

I. Unum sanati leprosi;
II. Alterum curati servi Centurionis paralytici.

PARS I.

In sanatione leprosi quatuor observanda veniunt membra:

I. Temporis lociq; circumstantiæ; tempus indicat descensus Christi de monte; contigit enim statim, post prolixam illam in monte quodam Galilææ, coram discipulis & magna populi turba, habitam concionem, quam legere est cap. 5. 6. 7. Matthæi. Locum innuit comitatus; turba enim ingens, quæ in monte ipsum convenerat, sermonemque ejus audiverat, concionatorem suum comitabatur. Iter autem sumserat in Capernaum; in via itaque publica, antequam Capernaum attigisset, ad radices forsan montis illius accidit.

II. Hominis leprosi miseria & indigentia, veluti ἀφορμὴ occasio, aut causa προκαταρκτική, quâ ductus miser ille homo Christum accessit. Fuit enim æger corpore, morbo laborans tàm insanabili, quàm abominabili. Dicitur leprosus, à lepra, tetrâ illâ scabie, de qua mandatum dedit Deus, ut qui illa tenerentur ex castris hominumque conversatione seclusi seorsim habitarent, ut est in Mose Levit. 13. & 14. Porrò vir iste non leviter infestabatur hoc morbo,

sed qui Matthæo est λεπρὸς, apud Lucam vocatur πλήρης λέπρας, plenus leprâ, ut significetur magnitudo morbi, qui totum corpus, & non aliquam saltem cutis partem, occupaverat. cap.5,12. Miserabiliter igitur defœdatus, mundo pridem videbatur mortuus, nil nisi larvam hominis putidumque cadaver circumferens. Et quanquam lepra, ἀνίατος & desperatus planè morbus, 2.Reg.5,7. spem sanitatis omnem misero abstulisset: desiderium tamen inest sanitatis, quod fide alitur ac spe eandem recuperandi, cùm præsertim de Christi non solùm doctrina, sed factis etiam & similibus miraculis audivisset.

III. Precationis elegantia & fragrantia, quippe in qua plena & ardens sese exerit fides. Continet illa

1. *fiducialem accessionem:* peccatum dividit inter Deum & hominem: Esa.59.1. fides autem omnibus remotis obstaculis Christum μετὰ πολλῆς πληροφορίας accedit.
2. *Profundam humiliationem*, cujus signum est προσκυνήσεως; ad terram enim supplicum more prostratus Christum adorâsse leprosus legitur. Adoravit autem Christum, non sensu Calvinistico, quem Ben. Aretius in Matth. p. 134. prodidit his verbis: προσεκύνει, non de adoratione, sed reverentia civili intellige, q. d. reverentiam illi exhibuit, γονυπετῶν αὐτὸν, genu illi flexit: aut procumbens in genua. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, in faciem cadens, h. e. corpore sese humiliavit & animô: Sed adoravit, non politicâ tantum reverentiâ illum prosequendo, sed colendo eum veneratione religiosâ solique Deo congruâ & debitâ, uti D.Hunn. in Matth.p.233 exponit, ubi plura.
3. *Submissam compellationem*, comprehensam voce, Domine: Est enim hic Dominus dominorum, cui omnis debetur subjectio; Psal. 136,3. Joh.13,13. &, de qua jam modô diximus, adoratio, non tantùm quâ Deus, sed & quâ Homo. Totum enim Christum & compellabat, & adorabat, quia totus Christus adstabat. Danæus, si adstitisset, dixisset: *Humana natura prorsus removenda est à religiosa Dei divinaq; naturæ, etiam in ipso Christo, adoratione.* Sed nos cum Concilio Ephesino adoramus μιᾷ λατρείᾳ, τὸ τοῦ Χριστοῦ συναμφότερον. Caro enim Christi est ὁμόθεος, Θεῷ σύνθρονος, μέτοχος τῆς θείας δόξης. Quando autem Dominum profitetur, inquit D.Hunn.p.234. edit suam de persona hujus Jesu confessionem, quòd illum

Adoratio Christi Calvinistica.

Danæus removet ab adoratione Christi H. N.

agno-

agnoſcat Dominum ejusmodi, qui deſperata mala profligare nutu potentiæ ſuæ queat.

4. *Calamitatis ſuæ expoſitionem*, quãdo petit mũdari, ſc. à lepra ſua, morbo humanâ aliàs arte atque induſtria incurabili.

5. *Fidei profeſſionem*, quòd ſciat & credat, Chriſtum poſſe petitum præſtare, quæ eſt manifeſta divinitatis confeſſio; ſiquidem proprium eſt Dei, facere quæcunque vult, Pſal. 115,3. hinc etiam ſtatuit, rem Chriſto eſſe facilem, quæ aliis eſt impoſſibilis.

6. *Annexam conditionem*; Domine, ſi vis, potes me mundare; de voluntate nimirùm Chriſti nondum eſt certus; de re enim agitur corporali vel temporali, ubi neſcit, utrum faciat ad gloriam Dei, ſalutem ſuam & proximi commodum. Ita adjunctam habet petitio declarationem humilis ſubjectionis, ſi Domino aliter videatur. Omninò enim agnoſcit, nihil ſibi deberi, & habet contra ſe judicium Legis divinæ, quâ leproſi ab hominum conſortio ſegregabantur, nec extabat ullum ſanati leproſi exemplum, ſed erat ipſe primus, qui hoc audebat à Chriſto petere. Implorat autem nihilominus Chriſti gratiam, de qua fides ipſum benè ſperare adhuc dum jubebat.

IV. *Medici in ſanando leproſo clementia.* Sanat enim *remediator omnium valetudinum*, prout Tertullianus Chriſtum nominat, leproſum, magnâ libertate divinam potentiam agnoſcentem, veraque humilitate voluntati ejus ſeſe ſubjicientem, ut teſtaretur ſe verum eſſe Deum, vitæ, mortiſque Dominum, verum Meſſiã, cujus dicere eſt facere. 1. Sam. 2,6. Pſal. 33,9. & 68,21. Eſa. 35,5. Ezech. 17,24. Occurrit in mirabili hac cura

1. *Factum*; ſanat manûs protenſione, & attactu leproſi, quod benevolentiæ eſt & φιλανθρωπίας indicium: quia fœdam leproſi carnem tangere, miſericordiam (quam Marcus cap. 4, 41. inſinuat) & affectum benignum præſupponit. D. Polargus attactûs iſtius ex Theophylacto tres adſignat cauſas, quæſt. in Matth. fol. 101. b.

Leproſum cur tangat Chriſtus.

1. ut oſtendat, Legi ſe non eſſe obnoxium, quæ leproſum tangere vetabat; ſed potiùs Dominum ſe eſſe Legis.

2. Quia mundo nihil ſit immundum:

3. Quòd ſancta ejus caro ſanctificationem communicet.

2. *Dictum*, loquitur enim Chriſtus σπλαγχνισθεὶς verbum partim gratiæ, partim potentiæ: Volo, mundus eſto: quo verbo & lepra increpatur & abigitur, ex adverſo ſanitas omniumque virium integritas ſuccedere jubetur.

3. Effe-

3. Effectum; de quo verba Evangelistæ sonant; ac protinùs mundata fuit illius lepra: q. d, Vocem istam Salvatoris continuò secuta est totius corporis valetudo recta, quæ universum habitum immutavit, & ex miserrimo cadavere præstitit virum sanum, integrum, validum, cunctisque membris rectè habentem, expulsâ & radicitùs exterminatâ leprâ, quæ priùs nullam non partem corporis veneno suo infecerat, uti παραφράζει D. Hunn. p. 234. in Matth.

4. Mandatum, sanato leproso datum. Est verò illud geminum.

1. Unum prohibitorium; dimittitur cum impositione silentii. Injungitur enim ei, ne cui dicat, quod actum sc. erat: h. e. non intempestivè jactet, se mundatum esse; nec statim sese ingerat conversationi aliorum, contra præscriptum Legis. Causas injuncti silentii, vide apud D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 102. D. Calixt. pag. 176. Ben. Arct. pag. 135.

2. Alterum informatorium; ibi erat τὸ φυλακτὸν, hîc τὸ πρακτόν. Jubet nim. ipsum abire ad Sacerdotem, ut ordinis istius, sacerdotalis nimirùm, cognitioni se subjiciat; quo illos habeat testes plenariæ suæ restitutionis; & patiatur se expiari oblato sacrificio, & reliquis ritibus Leviticis, de quibus Levit. 14, 3. & seqq. Cessurum enim hoc erat

1. in ipsorum Sacerdotum confusionem, quod Evangelista dicit, in testimonium ipsis: quia inde divinam Christi potentiam agnoscere poterant, ut, si sanabiles essent, adducerentur & ipsi ad agnitionem Messiæ; aut, si essent contumaces, redderentur inexcusabiles.

2. In fidei confirmationem.

3. In ministerii conservationem & promotionem; vide de oblatione leprosorum Levit. 14.

4. In Judæorum commonitionem, ut scirent, adesse Messiam.

USUS I. Informatorius.

Lepra peccati pœna. I. Quòd lepra, ut alii morbi omnes, peccati pœna sit, tantoque gravior, quantò insanabilior. Admonet etiam de lepra animi, quæ multò est nocentior externâ. Ps. 107, 17. Rom. 6, ult.

Fiducia precum anima. II. Quòd in oratione magna cordis fiducia ad orandum accedere debeamus, non attendentes quantum verborum fundamus, sed quantum spiritûs adferamus.

III.

III. De implorando auxilio Christi, cujus beneficio hic leprosus mundatur. Exod.15.26. Matth.9,12.

IV. De rectè formanda & informanda precatione; fiat in vera humilitate; in reverentia divinæ majestatis; in agnitione propriæ indignitatis; in fiducia divinæ potentiæ, & paternæ erga nos voluntatis; & denique, si corporalia sint bona, quæ petimus, in subjectione desideriorum nostrorum sub voluntatem Dei, scientes, exaudiri nos iri, si non ad voluntatem, certè ad utilitatem.

Orandi modus.

V. De potentia Christi, ejusque ad opitulandum promtitudine. Psal.145,19. Esa.65,24.

VI. De gratitudine, Deo præstanda, post accepta beneficia: hæc consistit

Gratitudinis requisita.

1. *in beneficiorum Dei confessione;* Psal. 50, 15. & 107,7.8. Tob.12,7.
2. *in justa retributione,* debita iis, qui nobis inservierunt; Sir.38,1.
3. *in pauperum observatione,* benefaciendum egenis, & ad conservationem ministerii aliquid erogandum:
4. *in aliorum invitatione,* ut & illi ad agnitionem divinæ bonitatis, & gratiæ in Christo nobis exhibitæ deducantur.

VII. Quid homini adflicto faciendum, ut Christi ope & auxilio fruatur. Sequere, ô bone, quisquis es, leprosum,

Calamitosis quid agendum.

1. *Christum accedentem,* Esa.28,16. & 63,1. Ps.68,21. 2.Par.15,2.
2. *Culpam agnoscentem,* Es.66,2. Jud.10, 15. Thr.3,42.
3. *Ministerium non spernentem,* Hebr.13,17. Luc.10,16. 2.Par. 20,20. Qui Christo non credit Sacerdotem facienti, posteà credet Sacerdotem vindicanti.

II. Consolatorius.

I. Consolatio efficacissima fluit ex promtissimo Christi ad juvandum animo: Volo. Taulerus: *Promtior est ad dandum, quàm nos ad accipiendum.* Confer Jer.31,20. & 32,41. Psal.10,17. & 50,15. & 91, 15.

II. Ex salutari verbi divini effectu; est enim præsentissimum morborum omnium remedium.

III. De lepræ spiritualis purgatione, tùm per salutarem aquæ Baptismi adspersionem; tùm per gratuitam peccatorum remissionem; tùm per salvificam verbi prædicationem. Sap.16,12. Media hæc prosunt, etiam contra mortis ictum, & portarum inferni rictum. Es.38,9. Ps.116,3.

Peccati purgatio.

III. Refutatorius.

Papismus de sanctorum invocatione.

I. Pontificiorum,

1. Non ad Christum πρώτως καὶ ἀμέσως, sed δευτέρως καὶ ἐμμέσως, mediantibus nim. sanctorum demortuorum suffragiis, accedentium. Crudelem enim, μισάνθρωπον & rigidum Christum Judicem suis hominibus depingunt. Frustrà ita Deus colitur. Leprosus nullis intercessionibus usus, immediatè Christum accessit, & ipsum felicissimè exoravit. Invocationis sanctorum, deprecationis & intercessionis illorum, nullum in sacris literis habemus vel mandatum, vel promissum, vel exemplum: unde Eccius dicebar: *Explicitè non est praecepta Sanctorum invocatio in sacris literis*, in Enchir. tit. 15. Laterem itaque lavant ἁγιολατρείας patroni superstitiosi, à viventium precibus vel deprecationibus mutuis, expresso Dei verbo mandatis, ad sanctorum demortuorum argumentantes sive invocationem, sive interpellationem, nuspiam praeceptam, nuspiam concessam. Maneat illud Epiphanii: *Sit in honore Maria, Pater, Filius & Spiritus S. adoretur, Mariam nemo adoret.* Exeat Tonsor ille Jebusiticus cum misera sua pro sanctorum deprecatione structura, quae habetur pag. 170. b. postill. his verbis: Es ist auch zu mercken/daß dieser new bekehrter Hauptmann (Naaman 2. Reg. 5) viel vom Ora pro nobis, von der heiligen Leut Fürbitt gehalten/weil er den heiligen Propheten anspricht/er wolle Gott den HERRN für ihn bitten/daß ihm sein Sünd vergeben werde. Ubi vero? quibus verbis textus? Nihil horum in universa historia. ἀδολεσχεῖ Jesuicida & turpiter petit principium. Confer Vindic. Meelführ. thes. 48. seq. Aret. p. 136.

Eccius de sanctorum invocatione:

Epiphanius de Mariae adoratione.

Papismus de peccati omnimoda sublatione.

2. A leprae purgatione falsò ad omnimodam peccati per Baptismum sublationem concludentium. Sic enim iterum Tonsor noster fol. 153. a. Gleich wie dieser Außsätzig nicht nur für rein gehalten/sondern wircklich vnd warhafftig von allem Außsatz ledig worden: Also werden in der Tauff alle Sünden abgewaschen / daß keine bey dem Menschen bleibet. Concil. Trid. sess. 5. ita decrevit: per Baptismum tolli reipsà id omne, quod habet in homine rationem peccati. Verùm sciendum breviter; (1) *manere* post Baptismum peccatum actu propter naturae statum; tolli verò reatum, propter statum personae, Deo per fidem in Christum reconciliatae. (2) *Distinguo:* Peccatum enim consideratur dupliciter, vel absolutè, in praedicamento qualitatis, ut est ἀταξία, inordinatio & vitiositas; vel relatè, ut est damnabile quid, reos nos faciens coram Deo. Respectu po-

ste-

steriori planè tollitur, non priori. Vide D. Gerh. Tom. 4. p. 1056. seqq. D. Echart. in pandect. p. 539. & seqq.

III. Ex Christi ablegatione ad Sacerdotes, carnificinam conscientiarum suam, h. e. auricularem omnium in specie peccatorum confessionem, extorquentium; vide impietatis & ἀνακολουθίας istius refutationem apud Dn. Meelf. in vind. th. 57. & seqq. & D. Echart. pand. cap. 24. quæst. 10. p. 302. seq.

Papismus de confessione auriculari.

II. Calvinianorum, Christum in carne adorandum negantium. Vide Meelf. vind. th. 88. seq. & dispos. 1.

PARS II.

Secunda pars complectitur miraculum aliud, cujus enarratio duarum sibi personarum διακονίαν vendicat;

1. Centurionis, sanationem servi orantis;

2. Christi sanationem præstantis.

I. In Centurione notetur

1. Oratio pro famulo intercessoria, membris constans sequentibus:

1. Temporis notatione; facta sunt hæc, quæ Evangelista refert, post concionem montanam, cùm jam de monte descendisset, leprosum sanâsset, & civitatem Capernaum, metropolim illam & emporium Galilææ non incelebre, ingressus fuisset. Quòd autem in descensu illo de monte non declinaverit Salvator aliorsum, sed rectà ingressus est civitatem; hoc saluti & commodo ægrotantis & decumbentis servi Centurionis factum est, ut ille sanitatem recuperaret. Ita enim Dominus, qui nostras novit necessitates, in tempore venire & præstò esse solet, maximè quando adsunt, qui auxilii divini desiderio flagrant. Ps. 9, 10.

2. Petitoris conditione; persona intercedens fuit Centurio, & miles & Dominus. Præfectus erat seu tribunus militaris, qui militibus præsidiariis in urbe ista præerat. Habuit enim Imperator Romanus, necessitate sic exigente, passim per civitates militem in præsidiis, qui populum, novis rebus ac turbis studentem, coërceret. Qualis verò Centurio iste fuerit, Judæus an gentilis, à multis hoc in loco quæritur. Prius negamus, posterius adserimus, ob rationes, quas recenset D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 103. a. D. Hunn. p. 241.

Centurio.

3. Mira ejusdem humiliatione, cujus indicia adparent duo:

1. αὐτοπροσωπικὴ ad Christum accessio, quam operatur in ipso calamitas domestica: *Mala enim quæ nos hîc premunt, ad Christum ire compellunt.* Gregor.

Qq 2 2.

παρακαλεῖν.

2. *Christi obsecratio*; rogans enim Centurio facit omnia. Græcum παρακαλεῖν est, tàm rogare, quam hortari, ut intelligas, non simpliciter exposita esse mala, sed advocatum Christi auxilium præsens. Quod verò apud Lucam cap. 7, 12. amici à Centurione missi Christum compellâsse & obsecrâsse narrantur, id ipse h. l. locutus perhibetur; quia quod per alium quis facit, illud ipse fecisse existimatur. Et præterea ab initio quidem ad Christum ablegavit Synagogæ seniores; cumque Christus interpellatione eorum permotus veniret, & ædibus adpropinquaret, rursum misit amicos, qui hæc præloquerentur.

4. *Ipsa Centurionis petitione*, duabus constante particulis:

1. προσφωνήσει φιλικῇ; compellando enim Christum suum agnoscit Dominum, quod & humilitatis est, & subjectionis habet confessionem, quâ Christum libenter ut Dominum fert & admittit.

2. Διηγήσει ἐκθετικῇ, narratione expositoriâ, qua suam in sinum Christi calamitatem domesticam exonerat, ægroti statum & miseram conditionem describens. Ostendit enim

1. *quis patiens?* is dicitur ὁ παῖς μου, puer meus; apud Lucam δοῦλος ἔντιμος, servus honoratus, in honore apud ipsum habitus, propter fidelitatem puta, & promtum semper obsequium. Ita simul indicat, quanto ardore & quo adfectu famuli sui agat negotium, servi causam & adflictionem ut propriam proponens.
2. *Quid rerum agat?* decumbit; βέβληται, jacet prostratus, q. cadaver.
3. *Ubi decumbat?* ἐν τῇ οἰκίᾳ, domi; quâ loci circumstantiâ propiùs ad caput mali accedit, simulque humanitatem suam declarat, quòd servum ægrum domi suæ retineat.
4. *Quo morbo laboret?* Species nim. morbi exprimitur nomine παραλυτικός; Lucæ dicitur κακῶς ἔχων, malè habens, malè adfectus, h. e. lethaliter decumbens; ἤμελλε γὰρ τελευτᾷν, agebat enim animam, parùm à morte aberat. Matthæus noster dicit, eum laborâsse paralysi, h. e. vel apoplexiâ, vel hemiplexiâ, in quo morbo sensus & motus membris subtrahitur, ob nervorum resolutionem. Amplificatur effectu vel adjuncto morbi, quo differentiam ejus & malum incurabile deplorat; δεινῶς βασανιζόμενος, vehementer inde adfligitur, cruciatûs sentiens graves & tantùm non intolerabiles. Est enim morbus hic interdum curabilis, interdum incurabilis. Hoc loco de-

Paralysis.

desperatum indicatur malum, non nisi divinâ virtute ac ope avertendum. Hæc oratio Centurionis intercessoria: hanc excipit

2. Oratio Centurionis deprecatoria; cujus notetur

1. ἀφορμὴ sive occasio, quam præbuit responsum Christi, breve quidem illud, sed benevolum & ὑποσχετικὸν, duo promittens petitori Centurioni, præsentiam & sanitatem, quòd & venturus, & ægrum curaturus sit. Præsentiam non rogaverat Centurio; offert autem illam Christus, ut & juvandi προθυμίαν sive facilitatem ac promtitudinem significaret, & fidem tàm latitantem, quàm laborantem provocaret: Ego cùm venero medebor illi.

2. Μορφὴ sive forma deprecationis, accessu Christum adventurum prohibens, vel modestè potiùs ejus præsentiam recusans, non ex odio erga Christum aliquo; sed

1. propter sui indignitatem, conjunctam cum personæ qualitate habens τὸ μὴ ἀναγκαῖον; ut enim præsens hoc faciat, quod facturum sese pollicitus fuerat, non judicat necessarium, cùm absens absentem curare valeat: se vero tanto beneficio indignum æstimat. Ita fides incipit sese exerere, inquiens: Domine, non sum dignus, ut tectum meum subeas, quia & homo peccator, (& gentilis) sum.

2. Propter Christi Majestatem & sublimitatem; quem tantæ fatetur potentiæ, ut vel solo nutu, vel ad summum verbo solo possit mortem jam jam servo imminentem depellere, morbum arcere desperatum, atque in ejus locum sanitatem vitamque ulteriorem reducere. Cùm ergò absens solo verbo hoc præstare possit, nihil opus esse hac molestiâ & corporali ipsius præsentiâ, petere sese saltem hoc; *dic tantùm verbum, & sanabitur famulus meus.*

Ceterùm posse Christum id, quod fides Centurionis statuit, præstare illustratur ἀπικατασκευῇ, rationis ratione vel confirmatione, petitâ ab exemplo suo, sive ab effectu verborum suorum apud milites, per comparationem imparium, minora conferendo majoribus, & ex illorum potentia & natura Christi majestatem & potentiam longè majorem ac penetrantiorem ostendendo. Minora sunt Centurio, homo, Romano Imperatori subjectus, milites ipsius dicto obsequentes: Majora sunt Christus, Deus ac Dei Filius essentialis ac substantialis, Messias, superiorem non habens, propriâ usus authoritate, ex se præcipiens & agens omnia; omnium creaturarum auctor, morborum omnium Medicus ἀλεξίκακος. Jam si

hominis nudi, peccatoris, alienæ poteſtati ſubjecti verba tantum valent apud milites, ut faciant, quod ipſe velit; multò magis Chriſti, Dei veri, Meſſiæ & verbum tantum habiturum eſt ponderis, ut ægrotum poſſit ſanare. Vide uberiorem declarationem ſuprà diſp. I. Hucusque de Centurione.

II. *In Chriſto* tria ſunt notabilia:

1. *Centurionis ob fidem inſignem commendatio:* Eam verò Chriſtus admiratus eſſe dicitur, & ad turbam teſtatus, ſe ne in Iſraël quidem h. e. in Judaico ſui ſeculi populo tantam hactenus fidem inveniſſe, quanta eſſet in Centurione; ſicut res admiratione erat digniſſima, hominem natione gentilem, tum militem, potuiſſe tàm præclaram fiduciam concipere in Chriſtum, & tàm divina ac ſublimia de eo ſtatuere, quæ nec in ſenſum, neque in cujusquam hominis rationem veniebant. Exaggerationi rei inſervit, quòd (1) Chriſtus θεάνθρωπος, ipſa veritas; (2) apud turbam fidem hanc commendat; non ſimplici enunciatione, ſed ſub juramenti adſeveratione; (4) omnium Iſraëlitarum fidei præfert.

2. *Prædictio*, de gentium vocatione miſericordiſſima, & Judæorum reprobatione, uti meritiſſimâ, ita juſtiſſima. *Multi* (à Republ. Iſraëlis alieni) *venient* (voce Evangelii excitati) *ab Oriente & Occidente* (ſynecdochicè, ab omnibus terræ partibus magno numero) *& accumbent cum* (Patriarchis) *Abrahamo, Iſaaco & Jacobo* (aliisque fidelibus) *in regno cœlorum*; fruituri cum ipſis regni cœleſtis beneficiis. *Filij* (ex adverſo) *regni*, (Judæi ſc. ad quos pertinebant promiſſiones de regno Dei) illi *ejicientur* (ob incredulitatem Rom. 9,20.) *in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*; quæ eſt expreſſa damnationis infernalis deſcriptio. Plura ſuprà.

3. *Sanitatis* (exauditionis) *promiſſio*, cum effectu exoptatiſſimo conjuncta, fideique, quod exſpectabat ipſo facto repræſentans. Nam & abire ipſum in domum jubet, & fidei ſe reſponſurum pollicetur, & ita eveniſſe Evangeliſta teſtatur.

USUS I. Informatorius.

Militaris ordinis adprobatio.

I. De legitima ordinis militaris conceſſione ac divina ejusdem adprobatione. Chriſtus non jubet Centurionem ſtationem ſuam deſerere. Multa quondam bella juſta, Deo jubente, geſta ſunt. Victoria etiam Deo ſoli transſcribitur. Pſal. 118,16. Prov. 21,31. Habac. 1,11. Judith. 5,19. & 9,16. & 11,4. & 13,13. 1. Maccab. 3,18.19. 2. Macc. 13,15. Modò teneatur regula Johannis Baptiſtæ Luc. 3,14. Mo-

Modò virtutes quoque pii hujus militis imitentur Thrasones nostri. Emicat in ipso

Virtutes militares.

1. pietas, religioni enim favet, eamque suis facultatibus juvat: Jam.

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

2. Erga domesticos & subditos humanitas & lenitas;

3. vera animi humilitas;

4. benignitas sive liberalitas;

5. fidei sinceritas, tùm erga Deum, tùm erga Magistratum suum. Jam novem, immò mille, ubi? *Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est.* August.

II. De fidei salvificæ tùm essentia, Heb.11,1. tùm excellentia, quam conspicuam reddunt quatuor hæc:

Fidei essentia & præstantia.

1. dantis auctoritas; Joh.6,29. 2.Thess.3,2. Rom.12,6.

2. summa necessitas; Heb.11,6. Rom.14,23.

3 elogiorum spectabilitas; Luc.17,6. Matth.8,10.

4. utilitas seu efficacitas; Fidei enim veræ adscribitur hominis

Fidei effecta.

1. justificatio; Gen.15,6. Rom.4,3. & 3,22.28. Gal.2,16.

2 arctissima nostri cum Deo copulatio; Os.2, 19.20.

3. Confusionis coram Deo aversio; Ps.22,5. & 31,2. Sir.2,6. seq.

4 conscientiæ tranquillatio & recreatio; Psal.5,12. Rom.5,1.

5. animæ vivificatio; Hab.2,4. Rom.1,17. Joh.11,25.

6. cordium purificatio; Act. 15,9.

7. filialis adoptatio; Joh.1,12.

8. diaboli fugatio; Eph.6,16. 1.Pet.5,8.9

9. bonorum operum patratio; Matth.7,17. Gal.5,6. Rom. 14,23.

10. Spiritus Sancti donatio; Joh.7,38.39.

11. omnium bonorum à Deo impetratio; Marc.11, 22.23.24. Jac. 1, 5.6. Luc.7,47. Gal.5,6.

12 ex periculis liberatio; Hebr.11,7. seqq. Matth.9, 22. & 15,28. Dan.6,23.

13. victoriæ reportatio; 1.Joh.5, 4.5.

14 Patientiæ in ærumnis excitatio; Esa.26,6.

15. publica confessio; Ps.116,10. 2.Cor.4,13. Rom.10,10.

16. vitæ æternæ possessio; Joh.3, 15.16.

II. Consolatorius.

Ex militiæ adprobatione solatium profuit ad militum pios & verè Christianos, quæ patet ex

Militum solatium.

1. Dei

1. *Dei adprœliandum informatione*; Pſ.144,1. Deut.20,1.
2. *exemplorum contemplatione*; lege bella ſacra:
3. *auxilii contra hoſtes ſubminiſtratione.*
4. *vitæ æternæ participatione*, modò ambulent dignè vocatione ſuâ. Eph.4,2. Luc.3,14.

III. Refutatorius.

Papiſmus de fide:

I. Pontificiorum, qui

1. fidem quoque, ſed falsò & hypocriticè prædicant, falſa quoq; ejusdem προεχείρημα ſive requiſita procudunt, quæ ad amusſim verbi examinavit & refutavit Dn. Meelführ. in Vindic. th.3. usque ad 57. eò te, benevole Lector, remitto.

de Monachatu.

2. Spretis reliquis omnibus, divinitùs etiam ſancitis, ordinibus, ſolum ſuum Monachatum ad aſtra evehunt. Vide Pand. D. Echarti.

de Rom. Eccleſia.

3. Vaticinium Chriſti, de gentium ad Eccleſiæ ſocietatem adgregatione ad ſolam Eccleſiam Romano-Catholicam ſuam reſtringunt, contendentes, impletum eſſe non in ea, quæ Evangelicorum eſt, ſed in Catholica Eccleſia; quia non per Evangelicos, ſed Catholicos miniſtros adhuc dum in America & aliis regionibus exoticis infidelium multi ad Chriſti agnitionem convertantur. Vide quæ longâ ſerie recenſet Tonſor Jeſuiticus, de converſis ſub Leone X. temporibus Lutheri, Paulo III. anno 1537. Julio III. anno 1552 & 1554. Pio IV. anno 1562. Gregorio XIII. anno 1585. Clemente IIX. fol. 159.

Reſponſionem habes in Vindic. Meelf. th. 77. & 78. ubi initiò non negat, per Catholicos interdum quosdam ad Chriſtum adduci, non quâ tales, ſed quatenus Baptiſmum adminiſtrant, & ipſam interdum Scripturam prædicant, quam animæ iſtæ famelicæ adprehendunt avidè, neglectis ſtipulis & paleis Romanenſibus. Deinde ſimpliciter negat, per religionem, quam Evangelici, Lutherani profitentur, talem gentium collectionem non factam eſſe. Factam enim eſſe novimus tùm per Apoſtolos; tùm per eorum ſucceſſores, in Judæis, in locis Septentrionalibus & alibi. Semper autem fieri debere inde negat, quia impletio jampridem facta: Col.1, 6. 23. ultimorum autem temporum nota hæc eſt, quòd ſub regno Antichriſti gentium non tàm adgregatio, quàm defectio ſit futura.

Anabaptiſmus de militia.

II. Anabaptiſtarum, vitam militarem homine Chriſtiano planè indignam æſtimantium. Nos in turbulentiſſimo hoc rerum omnium

omnium ſtatu dies noctesque ingeminamus: Serva Deus Verbum tuum,& frange vires hoſtium,(militum) da pacem Domine in diebus noſtris! *Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.*

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής*.

Vita hominis Chriſtiani in duobus conſiſtit; in patiendo & orando; utriusque igitur ægroti,& leproſi & paralytici, conſideratione, *artem monſtrabimus Chriſtianis geminam, tum rectè orandi, tùm crucem piè & moderatè ferendi.*

Ἐξήγησις.

Artem itaque rectè orandi monſtrat leproſus, in cujus oratione conſpicitur,

Ars orandi.

I. Objecti notabilitas. Chriſtus poſt concionem in monte habitam deſcendit; aderant ipſi multi, inter alios etiam Apoſtoli. Leproſus hos omnes præterit,ad ſolum Chriſtum properat,ejus ſolius opem & auxilium implorans. Actor. 10, 26. Johann. 6, 24. Luc. 4, 8.

II. Vera animi humilitas: Job. 22,29. Eſa. 66,2. Judith. 9,16.

III. Spei ac fiduciæ firmitas, in malis etiam deſperatis. Rom. 14,23. Marc. 11,24. Abſit dubitatio. Jac. 1,6.

IV. Rerum petendarum diverſitas: Spiritualia enim bona ſine conditione; corporalia verò cum conditione ſunt petenda; reſpiciendum ad Dei voluntatem, noſtramque ſalutem & utilitatem. 2. Sam. 15,25. Sir. 35,32. Matth. 26,39. 1. Joh. 5,14.

V. Obediendi ſimplicitas: non diſputat,non contradicit; ſed ut jubetur ita facit. 1. Sam. 15,22.23. Hæc ars orandi.

Ars verò crucem patienter & moderatè ferendi, in Centurionis exemplo accuratè nobis monſtratur. Totum negotium conſiſtit,

Ars ferendi crucem.

I. In Medici veri ac probati inquiſitione. Quis ille? JeſusChriſtus,Dei & Mariæ Filius. Exod. 15,26. Eſa. 26,19. & 28,19. & 63,1. 1. Sam. 2,6 Oſ. 6,12.

II. In benignitatis ac humanitatis Chriſti agnitione. Bonum Dominum habemus. Exod. 13,13.15. Pſ. 77,11. Eſ. 65.24. Matth. 11,28.

III. In indignitatis noſtræ deploratione. Geneſ. 18,27. & 32,10. Non ſum dignus, ait Centurio, ut intres ſub tectum meum. Phariſæus ille, propriâ juſtitiâ turgidus, dignum ſe judicabat regno cœlorum, Luc. 18,11. Papiſtæ ſimiliter faciunt: Chriſtus verò improbat.

IV. In omnipotentiæ divinæ æstimatione, quæ opponenda crucis magnitudini φαινομένη. Pf.77,11.

V. In veræ fidei exsuscitatione & declaratione: dic tantùm verbum. Verbi autem exercitatione assiduâ fides etiam incrementa capit. Rom.10,18. Fides infirma & ipsa Deo grata. Esa.42,3. Christus miratur fidem Centurionis; non itaque res est levicula fides, ut falsò sibi & aliis imaginantur Esawitæ. Est res admiratione vel maximè digna, opus quippe ipsius Dei. Joh.6, 29.

Fides non res est levicula.

VI. In vicissitudinis consideratione: Tob.3,21.22. Ultimi aliquando erunt primi. 2.Cor.4,17. 2.Theff.1,6.

VII. In gloriosa liberatione. Pf.91,15. 1.Cor.10,13.

Thema aliud.

Peccati lepra ut sanetur.

De modo, via ac ratione, qua à lepra peccati liberemur

1. Christi Incarnatione; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlo, & Homo factus est.

2. Nostri purgatione; Esa.4,4. manum extendit, nosq; tangit.

3. Ministerii conservatione. Immundus es? Christum accedito; culpam agnoscito; ministerium ne spernito, sed reverenter habeto,

1. magni illud æstimando: commendet nobis ministerium,

1. necessitas;

2. dignitas, quæ colligitur,

1. ex efficientis vel instituentis majestate;

2. ex subjecti sublimitate;

3. ex objecti præstabilitate.

2. honorificè tractando:

3. obtemperando; obedientia optima reverentia:

4. honestè sustentando:

5. amando;

6. orando;

7. tolerando. Concludimus votô Ecclesiæ: *Omnipotens & æterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atq; ad protegendum nos dexteram tuæ Majestatis extende, per Jesum Christum Filium tuum dilectum, Dominum nostrum. Amen.*

DO-

DOMINICA IV. POST EPIPHANIÆ DOMINI, EVANGELIUM

Matth. 8. verſ. 23. 28.

23. ΚΑὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

24. Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων· αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.

25. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες· Κύριε σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.

26. Καὶ λέγει αὐτοῖς· τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι; Τότε ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ· καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

27. Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν, λέγοντες· ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι, καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ.

23. ET cùm eſſet ingreſſus navim, ſecuti ſunt eum diſcipuli ſui. Marc. 4, 36. Luc. 8, 23.

24. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, adeò ut navis operiretur à fluctibus: ipſe verò dormiebat.

25. Et accedentes diſcipuli excitaverunt illum dicentes: Domine, ſerva nos, perimus.

24. Et dicit illis: quid timidi eſtis, ex guâ præditi fiduciâ? Tunc excitatus increpavit ventos & mare: & facta eſt tranquillitas magna. Marc. 4, 39. Luc. 8, 24.

27. Homines verò admirabantur, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti quoq; & mare obediunt illi.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRopter hiſtoricam expoſitionem facti vel miraculi, quomodo Chriſtus cum diſcipulis in mari navigans, ſubitò exortam tempeſtatem ſola increpatione & verbo cohibuerit, præſentem quoq; pericopen ad genus cauſarum Demonſtrativum referimus. Diſtribuimus autem ejus enarrationem in tres particulas; quarum

I. Chriſti navigationem; vel tempeſtatis obortæ deſcriptionem;
II. Ejusdem cohibitionem;
III. Effectûs conſecutionem conſiderabit.

PARS I.

Primæ partis διέξοδον ingrediuntur tria membra:

I. Circumstantiarum quarundam annotatio. Indicatur enim *1. Tempus*, quando Jesus ingressus fuerit naviculam, vel navigationem hanc suam instituerit; nim. circa vesperam, quod legitur Marc. 4, 35. Lucas c. 8, 22. tempus habet ἀόριστον, indefinitum, factum esse inquiens, ἐν μιᾷ τ̃ ἡμερῶν, quodam die, post habitam concionem parabolicam de semine in agrum sparso. D. Chemnitius censet fuisse primum septimanæ diem, h. e. nostrum diem Solis, qui posteà loco Sabbathi totus consecratus est sacris ministerii exercitiis, & inde Dominicus dies dictus est. Apoc. 1, 10. harm. pag. 1179.

2. Locus, cujus Lucas d. l. meminit, est mare, h. e. lacus Tiberiadis. Hebræi enim quamvis aquarum collectionem mare nominant. Dicitur aliàs lacus Genezareth, & mare Galilææ. Vide Dominica Lætare.

3. Finis, cur vel quo fine navigationem hanc instituerit Dominus: ut Apostoli nimirùm discerent, quantum adhuc ipsis deesset ad perfectionem Apostolatûs. Cogitabant enim se esse bonam terram, nihil autem quicquam vel de via, vel de petra, vel de spinis in corde ipsorum superesse; ideoque ut experimentum sui ipsius haberent, jam deducit eos in mare, tempestatem oriri patitur, atque permittit, ipsos de vita periclitari; ibi demum sentiunt in praxi, adhuc modicam esse suam fidem, siquidem verbum prædicatum nondum profundas radices in cordibus ipsorum egerat.

II. Comitatus significatio, sequuntur enim Dominum Jesum discipuli ejus: sed & aliæ naviculæ erant cum illo, testè Marco cap. 4, 36. h. e. auditores verbi & spectatores miraculorum alii præter Apostolos sequebantur illum. Venerant ad Christum Apostoli, vocati quidem ab ipso, sed pleni haut dubiè spe immensi gaudii & perpetuæ felicitatis. Ipse verò eos ducit, non ad jocos & voluptates, sed ad meras miserias & angustias: per varios vicos & civitates eos circumducendo, unde exulum instar peregrinari, famem & paupertatem ferre, cum adversariis contendere, & alia gravia videre, audire & sustinere coguntur. Jam deducit eos in mare periculosum, ubi adversitas ipsis non levicula, sed cum extremo vitæ discrimine conjuncta imminet: à morte enim non absunt remotiùs, quàm asseris crassities impedit.

III. Tempestatis subitanea concitatio. Censent enim Interpretum non pauci, Satanam, Deo hoc ipsi permittente, tempestatem hanc concitâsse, vel adjuvisse: est enim princeps aëris, Eph. 2, 2. nihil non agens, ut Christum cum comitatu & asseclis submergat, aut periculo involvat. Initiò enim cùm ex littore solverent, mare erat

erat placidum ac tranquillum, nec quicquam mali minabatur; ſed ex improviſo, quamprimùm cum Chriſto in altum provecti ſunt, mare intumeſcit, & inexſpectatam parturit tempeſtatem, uti habet Chemn. p. 1183. Unde conjectura eſt facilis, diabolum excitâſſe hanc in Chriſti & Eccleſiolæ detrimentum directam tempeſtatem. Solet enim diabolus contra filios Dei tempeſtatem movere, ſed ipſe naufragium facit, non ipſi, uti Ambroſius teſtatur. Tempeſtas illa deſcribitur ita.

1. Ponitur attentionis particula ἰδὲ, ecce, ad rei inſolentiam ſubindicandam addita, ut conſtet, malum iſthoc præter omnem omnium exſpectationem accidiſſe.

2. Additur forma tempeſtatis. Non enim vulgarem, ſed inuſitatam & ſupra modum terribilem iſtam fuiſſe tempeſtatem, ex eo patet, quòd Matthæus emphatico vocabulo uſus, σεισμὸν vocitet, quæ vox concuſſionem magnam & vehementiſſimam ſignificat, qualis ἐν σεισμοῖς, in terræ motibus evenire & animadverti ſolet. Marcus c. 4, 37. & Lucas c. 8, 23. annotant, ex aëre deſcendiſſe λαίλαπα, procellam vehementem, turbonem impetuoſum in ſtagnum, qui ſumma imis miſcens, navim adprehenſam raptavit & rotavit, quo periculo nullum in aquis majus eſſe poteſt.

3. Amplificatur, 1. Effectu, tùm σεισμῦ, tùm λαίλαπος: Ventus n. procelloſus fluctûs maris tantâ copiâ in navim projiciebat, ut ipſa fluctibus tantùm non operiretur. Etſi enim hæc tempeſtas reliquas etiam naviculas, quæ unà ibant, concuteret: præ ceteris tamen ea navicula, quæ Chriſtum cum diſcipulis vehebat, periclitabatur. In præſentiſſimo itaque vitæ periculo fuiſſe diſcipulos, per ſe liquet.

2. Eventu vel adjuncto inopinato, quòd evenerit tempeſtas iſthæc, Chriſto in navi dormiente. Laſſus enim erat ex præcedentis diei cõtinuatis laboribus ac cõcionibus; vires itaq; voluit nõnihil proſtratas recolligere. Quæritur hîc de cauſis ſomni Chriſti. Neque n. ignorare potuit, in hujuſmodi difficultates diſcipulos conjectum iri; dormivit autem,

Chriſtus dormit, & cur.

1. in vera humanitatis demonſtrationem; proprium enim hoc eſt hominis πάθος, non niſi vero homini competens; ita Chriſtus etiam eſurivit, ſitivit, defatigatus, contriſtatus lacrymatus eſt; Matth. 4, 2. Johan. 4, 6. 7. & 19, 28. Matth. 26, 37. Luc. 19, 41. Origenes inquit: *Dormiebat corpore, vigilabat Deitate*, demonſtrans, quia verè humanum portabat corpus, quod corruptibile & paſſibile induerat, ut Apoſtolos ſuſcitaret, faceretque vigilare.

2. *In mentis Christi securæ tranquillæq; manifestationem.* Psal. 4,9.
3. *In judicij & fidei discipulorum explorationem*, quæ qualis & quanta fuerit, ex sequentibus patebit. Marc. 4,38. Hinc adposite admodum D. Chemn. p. 1183. *Optimus* (inquit) *palæstræ Magister, hosce suos discipulos, quos orbis athletas constituere decrevit, sic exercere voluit, ne posteà terroribus in periculis vincerentur.* Etsi autem languidam eorum fidem probè perspectam cognitamq; haberet, voluit tamen hoc super eos permittere, ut propria ipsis ὀλιγοπιστία innotesceret; ne ve magnum quid sibi arrogarent, propterea quòd aliis dimissis ipsos secū retinuerit.
4 *In ferventioris orationis excitationē.* Psal. 35,17. & 44,24.25.26.27.
5. *In nostri informationem*; ut & corpora nostra, laboribus officii defatigata, justâ quiete recolligenda esse doceret; & corpori honorem suum ac curam decentem habendam esse argueret: Sir. 40, 1. 6.7. & 31,1.
6. *In somni nostri sanctificationem*, quem hoc suô somnô consecrare voluit. Levit. 26,6. Job. 7,3. Psal. 4,9.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. CHRISTUS mirabiliter ducit, quos ad participationem salutis æternæ vocavit. Psal. 4,4.

Pii cruci obnoxii. II. Pii variis adversitatibus quandoq; obruuntur, etiam cum Christum habent proximum sive præsentissimum. Psal. 34,20. & 91,15.

III. Christus discipulos suos vocat non ad temporalem felicitatem, sed ad regnum cœlorum. Luc. 22,29. & 24,26. Matth. 10, 24. Act. 14,21.

Antichristi nota. IV. Antichristus est, qui suos ducit ad divitias, opimas præbendas, opes ac voluptates hujus seculi. Matth. 7,14. 2. Cor. 4,17.

V. Non opus est, ut Christiani crucem sibiipsis fabricent; sponte suâ pios comitatur, ut corpus umbra. Job. 5,18. Amos. 3,7. Luc. 5,35. 1. Pet. 4,5. Jer. 25,29. Tob. 12,13. Pro. 3,12. Apoc. 3,19.

Media non negligenda. VI. Media ordinaria, si haberi possunt, non sunt negligenda. Sir. 3,27. vide D. Theod, anal. pag. 366.

VII. Monemur exemplo discipulorum, ut Christum in omni fortuna sequamur. Joh. 21,19. Matth. 10,38. & 14,15. 1. Pet. 2, 21. Deut. 13,4. 1. Sam. 12, 14.

IIX. Chri-

IIX. Christi navicula, h.c. Ecclesia, præ ceteris periclitatur. Gen. 4, 8. & 27, 41. & 37, 18. Job. 5, 17. Pro. 3, 11. Heb. 12, 6. **Ecclesia periclitatur.**

IX. Christus omnis generis mala & pericula expertus est. Esa. 53, 4. Hebr. 4, 15. 1. Pet. 4, 13.

X. Unde & sibi dilectissimos cruci ac periculis interdum solet involvere; non quòd eos in periculis perire velit, sed ut ad majora ipsos præparet. 2. Cor. 1, 8. **Christiani cruci expositi.**

XI. Ex adversitatibus ergò non temerè de hominibus judicandum, an placeant Deo Eccl. 9, 1. Act. 28, 4. Joh. 9, 2. Luc. 13, 2. 4.

XII. De rei nauticæ adprobatione, quam confirmat **Nauticæ adprobatio.**

1. *Sacrosanctæ Scripturæ auctoritas:* Psal. 107, 23. seq. 1. Reg. 9, 26. 27. 28. Pro. 31, 14. Sir. 43, 26. Gen. 7, 7. Jon. 1, 3. Act. 27, 2. Sap. 14, 2. seq. Confer. D. Theodor. homilias in libr. sapient. Tom. 2. pag. 564. & seqq.
2. *Exempli Christi spectabilitas.* Matth. 8, 23 & 9, 1. Luc. 5, 2.
3. *Navigationis utilitas*, quæ conspicitur, tùm in mercium peregrinarum advectione; Sap. 14, 2. 3. tùm in novarum regionum & insularum inventione ac perlustratione; tùm in varia vitæ humanæ negotiatione.

XIII. Navigantibus in mari gravissima sunt subeunda pericula Psal. 107, 23. seq. Sir. 43, 26. Act. 27, 9. seqq. Vide D. Theodor. anal. pag. 366. **Navigantium pericula & officiũ**

XIV. Navigaturi igitur Deo se suaq; omnia piis commendare precibus discant. Job. 38, 8. Psal. 107, 28. Esa. 43, 2. Jon. 2, 7.

XV. Vita hominis pelagus est Vide D. Theod. p. 371. 372, 373.

XVI. Veritas humanæ in Christo naturæ inde probatur, quòd hîc dormiisse legitur. Ib. p. 377. D. Finck. cent. 1. can. 80.

XVII. Quamprimùm navim Ecclesiæ ingredimur, nihil certius, quàm varias & grandes tempestatum adversitates, experiri cogimur: Matth. 10, 38. Luc. 14, 27. Joh. 16, 20. Rom. 8, 36. 2. Tim. 3, 12. 1. Pet. 4, 12. Job. 10, 17. Sir. 40, 1.

XIIX. Consolationi nostræ inservit, quòd Christus proximè adfuit discipulis laborantibus, licèt dormivisse videatur. Psal. 91, 20. Matth. 28, 20. Marc. 6, 48. Psal. 94, 9 Scit & videt adversitates nostras. Apoc. 2, 9. **Præsentia Christi.**

XIX. De causis, cur Christus fideles suos cruci, periculis & angustiis involvi sinat, vide D. Theod. anal. p. 374. & Tungerl. promt. p. 1. pag. 944. & seqq. **Crucis causæ.**

XX. Deus in gravissimis quandoque periculis dormire videtur, ut **Deus dormire videtur & cur.**

1. mi-

1. miseriam nostram ejusque causas consideremus; Esa.45,15.
2. peccata, lasciviam & contumaciam nostram deploremus; Gen.42,7. & seqq. Pro.1,24.28.
3. preces tantò ferventiùs urgeamus & reiteremus; Esa 26,19.
4. tantò ardentiùs ad futuram liberationem adspiremus, Psal.35,17.
5. fidem nostram exploremus. Sir.34,10.

Præsentia Dei quintuplex.

XXI. De præsentia Dei apud homines quintuplici; universali; Esa.66,1. Jer.23,24. speciali; personali; sacramentali & æternali, quæ est beatitudinis. Vide locos & libellos methodicos.

PARS II.

In tempestatis obortæ sedatione duo veniunt notanda:

1. Discipulorum status;

2. Christus excitatus, tempestatem componens.

I. In priori occurrit αἴτιον κινητικὸν sive causa impulsiva προκαταρκτικὴ ab extra quasi ad agendum vel succurrendum movens; quam subministrat,

1. Discipulorum ad Christum accessio. Exortâ enim in mari tempestate, atque ita periculo vitæ imminente præsentissimo, non Jonæ nautas imitati, Deum quisque suum invocant; Jon.1,5. non Neptunum, non Æolum, non alios Deos marinos inclamant; non Mariam Christi matrem, non Barbaram, non Christophorum, non Nicolaum, non alios, quibus administrationem aquarum commendatam esse fingunt Papicolæ; non sanctos defunctos, Noachum, Mosen, Jonam, in aquis olim pericula expertos; non, non: sed rectâ ad Christum tendunt, illum inclamant, illius opem poscunt.

2. Ejusdem à somno exsuscitatio; non enim dormientem, sed vigilantem juvare posse putant. ἤγειραν αὐτὸν; Lucas habet compositum, διήγειραν, quod curam & diligentiam infert.

3. Præsentis periculi explicatio, ipsam discipulorum continens petitionem, plenam μικροψυχίας sive pusillanimitatis, cui tamen fidei aliquid adhæret. Precatio est verè jaculatoria, qualis eorum esse solet, qui maximis ex improviso periculis implicati tenentur. *Domine,* inquiunt, *serva nos; perimus.* Apud Marcum c.4,38 oratio est propemodum σχετλιαστική, exprobratoria: *Præceptor, non est tibi curæ, quod perimus?* In Luca c.8,24. cum ingeminatione παθητικῇ clamant: *Præceptor, Præceptor, perimus:* quæ simul juncta desperatæ perculsionis indicia animumque produnt. *Professio*

Precatio jaculatoria.

peti-

petitionis est: serva nos; h. e. fer opem, adjuva nos; succurre rebus perturbatis; agitur de vita nostra & tua. *Rationem* precationi involvunt quadruplicem:

1. prima est *facultatis*, quòd possit auxiliari; unde κύριον ipsum dicunt, Dominum, quod quidem nomen ferè semper respondet πετραγραμμάτῳ Jehovæ, & denotat omnipotentem Dominum, cujus imperio omnia subjacent. κύριΘ.

2. Secunda est *voluntatis*, quòd velit subvenire, quia σωτὴρ est, ἀπὸ τοῦ σώζειν à servando Servator dictus, qui Hebræis est יְשׁוּעַ, Jesus: intelligunt enim discipuli, hunc Jesum sibi à Deo præfectum, seque ipsius curæ commissos esse, ut salutem eorum procuret, cumque in reliquis adeò diligens sit & solicitus, non deserturum ipsos in summo isto vitæ periculo. σωτήρ.

3. Tertia est *necessitatis*, quòd debeat; idque inde eliciunt, quòd sit διδάσκαλΘ & ἐπιστάτης: ἐπιστάτης autem (quo nomine Lucas peculiariter fuit delectatus) non Præceptorem solùm & pædagogum designat, sed & rei alicujus curatorem diligentem significat; in militia, qui commilitoni est substitutus, ut ei succenturiatus succedat, daß er ihn entsetze. ἐπιστάτης.

4. Quarta est *imbecillitatis*, ἀπολλύμεθα, perimus, cui verbo inest periculi metus ac desperatæ salutis; fatenturque discipuli, actum esse de se; majora enim esse pericula, quàm ut per ipsos componi possint. Habes mixturam fidei cum imbecillitate. Fidei est, quod Christum ut Dominum, Salvatorem & Curatorem suum inclamant. Infirmitatis verò indicium est, quòd de vita ac salute sua actum esse putant, præsente in navi Christo; ideoque non modò jamjam sese perituros esse clamant; sed & cum Christo quodammodo expostulant; non est tibi curæ, quòd perimus; q.d. qualis tu es Servator, qui dormis in nostro periculo; Secuti sumus te, tu autem miserè perire nos sines. Quæ fuit plus quàm muliebris trepidatio & pusillanimitas. Hoc unum.

II. In posteriori notetur

1. αἴτιον κύριον, causa efficiens principalis, tempestatem obortam sedans; Jesus Christus, θεάνθρωπΘ, Deus & Homo.

2. αἴτιον ὀργανικὸν, causa instrumentalis, verbum Christi efficacissimum, quod est partim ἐπιτιμητικὸν, *objurgatorium;* partim προστακτικὸν, *mandatorium.* Tandem enim trepidis hisce discipulorum clamoribus Christus excitatus, opem periclitantibus fert & auxi-

 lium

lium, eorumque satisfacit desiderio; ubi duo in considerationem veniunt:

1. *Agendi vel succurrendi modus:* juvat enim discipulos,

1. *objurgando*, non quòd in periculis ipsum excitâssent, ejusq; opem implorâssent; sed quòd timidi essent nimiùm, & modicæ admodum fidei, inquiens: *quid timidi estis, exiguâ præditi fiduciâ?* Quibus verbis duo in ipsis reprehendit:

1. *μικροψυχίαν ἢ δειλίαν, pusillanimitatem* vel timiditatem, h.e. timoris excessum.
2. ὀλιγοπιστίαν, vel potiùs *ἀπιστίαν, incredulitatē*, quòd ex tot illius concionib9 ac miraculis tantum non profecissent, ut crederēt & considerarent, se Magistro præsente fore ipsius præsidio ab omni periculo, adversus omnes etiam diaboli machinationes, tutos & immunes; præsertim cùm ad hoc munus sint delecti, ut post ipsum hanc fidem in toto terrarum orbe prædicarent.

2. *Imperando*, vel potiùs increpando ventos & mare, h. e. fluctûs marinos. ἐπιτιμᾶν, quo vocabulo Evangelistæ utuntur, propriè significat, multis verbis & clamore vehementi invehere in aliquem. Indicatur autem eo virtus verborum Christi, quæ tanta est, ut omnes creaturas penetret. In Marco habentur formalia, per ἀποστροφὴν ad ipsas maris undas & ventos, dicente Christo: *Tace & obmutesce*, quæ verba absolutam imperandi potestatem subinferunt, & arguunt Dominum, cui serviant & militent omnes creaturæ.

ἐπιτιμᾶν.

2. *Verbi effectus*, sive increpationis eventus, tanquam miraculi forma, in eo posita, quòd ad nutum verborumq; Christi auditum, tempestas illicò sedetur, & subsequatur γαλήνη μεγάλη, serenitas seu tranquillitas magna, immò exoptatissima; utrumque enim vox græca notat, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, à ridendo dicta, quasi γελαλήνη, cùm omnia sereno vultu rident. Ita factum est, ut ventus flatum & impetum sisteret, mare autem fluctûs tumentes componeret, quod miraculosum. Secundum cursum enim naturæ sæpè accidit, ut fluctûs semel moti, etiam quiescente vento non quiescant, nisi elapso aliquanto temporis spatio. Voluit igitur Jesus, ut simul & ventus cessaret, & mare sævum quiesceret, idque factum est, jubente ipso, magna tranquillitate, ut non possit naturæ adscribi, sed miraculo, uti habet D. Chemn. p. 1188.

γαλήνη.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Promissiones divinæ corporales, in Scriptura sacra factæ piis & Dei fidelibus, intelligendæ sunt cum exceptione castigationis & crucis. D. Finck. cent. 1. can. 54.

Promissiones corporales cum cruce.

II. Hinc expendendæ veniunt causæ, cur Christus suos in præsentissimum sæpenumerò vitæ periculum incidere permittat;

Crucis causæ.

1. ne in se suisque viribus aut meritis fiduciam ponant; Ps. 30,7.
2. ne donis suis efferantur; Pro. 3,11.12. 1. Cor. 4,7. Sed
3. ut fidem & patientiam eorum probet; Sir. 2,5. Rom. 8,25.
4. ut conformes imagini suæ efficiat; Rom. 8,29.
5. ut veterem hominem crucifigat; Rom. 6,6. 1. Petr. 4,1.
6. ut Deum tantò magis glorificent; Joh. 21,19.
7. ut per multas tribulationes in regnum Cœlorum ingrediantur. Act. 14,22. Cetera pete ex locis.

III. Christus etiam dum simulat interdum somnum, ut precandi ardorem in nobis excitet: Esa. 26,19. Hinc tot periclitantium piorum gemitûs. Psal. 10,1. & 13,1. & 77,10. & 88,5. & 121,4. Esa. 43,2. & 49,25. & 54,7. & 65,25. Matt. 28,20. Marc. 4,38. Joh. 14,18.

Somnus Christi.

IV. In adflictionum & tentationum fluctibus (1) Christus adeundus, ad ipsum solum in omnibus periculis & adversitatibus est confugiendum: Psal. 50,15. & 91,15. Matth. 11,28. Sir. 2,11.12.13. (2) Ex somno confidenter excitandus: Psal. 44,25.26.27.28. Matth. 7,7. Luc. 11,9.10. & 18,1. seqq. Sir. 35,21. (3) status noster calamitosus ipsi exponendus. Vide D. Theod. anal. p. 382.

In cruce quid faciendum.

V. Errant cum gentilibus Papicolæ, in naufragii, incendii vel alio periculo constituti, cœlites & sanctos demortuos compellantes & opem eorum exposcentes. Jon. 1,5. Psal. 96,5.

Papistica ἁγιολατρεία.

VI. Turbæ ob Christum sæpè oriuntur: diabolus enim hac tempestate Christum vel maximè petebatt ejusque verbum & sinceram confessionem subruere cupiebat. Matth. 10,34.

VII. Si Christus secundum humanam naturam verè dormiens, tamen secundum Deitatem pro Apostolis excubavit, & in mediis maris tumultuantis fluctibus eos conservavit; quid nunc non faceret hic sanctus Israëlis Vigil, in dextra Majestatis ab omni humana infirmitate planè liberatus? Psal. 34,16. & 121,4.

IIX. Pacis & tranquillitatis φαινομένης retinendæ causâ, non ejiciendus est è navi Christus, sed solicitè retinendus; ipse enim solus rebus desperatis medicinam adferre potest. Psal. 34,6.

Pacis causâ Christus non rejiciendus.

IX. Periculum ad orationem impellit: discat navigare, qui nescit orare. Psal. 107,23. Sir. 24,26. Act. 20,36. Job. 38,8. Esa. 43,2. & 26,19.

Fides non semper una & eadem. X. Fides non est in omnibus sanctis semper una & eadem. Quæ enim in secundis, instar grandis cujusdam arboris, constans & firma videtur, mox in adversis ita contrahitur & concidit, ut vix instar grani sinapis esse deprehendatur. Psal. 30,7.8. Marc. 9,24. Vide D. Theod. anal. p. 385.386.

XI. Fides salvat, non quantitativè, non qualitativè, non operativè, sed relativè. Ibid.

Securitas absit. XII. Ne ergò simus securi; levicula etiam crux fidem mirè concutere & prosternere, Deo permittente & manum subtrahente, potest. Psal. 73,13. Job. 3,3. Jer. 20,14. 1. Cor. 10,12. Luc. 17.5.

XIII. Consolationi interim subservit, quòd Christus infirmos in fide non abjicit. Esa 42,3. 2. Cor. 12,9. 1. Pet. 5,10. Marc. 9,24.

Est infirma fides, sed tamen illa fides.

Papismus de dubitatione. XIV. Interim non probatur, quod Papistæ volunt, ex illa fidei infirmitate, Stoica de dubitatione doctrina: Ea enim non virtus est, sed peccatum maximum, quod à Christo vituperatur, & remissione indiget. 1. Joh. 5,10. Rom. 4,16. & 8,16. Heb. 11,1. Rom. 4,20.21. Confer D. Chemn. harm. p. 1187. D. Theod. p. 386. præ ceteris D. Finck. postill, à p. 505, ad 514. & Cent. 1. can. 89. pag. 183.

Christus est Deus. XV. Christus est verus Deus; quia excitatus sedat tempestatem maris. Est enim ille Dominus, cui omnis creatura militat. Psal. 104,9. & 188,8. sap. 19,6.

Arma Dei. XVI. Deo & piis in Scriptura sacra non vulgare armorum genus tribuitur: Hinc in Scriptura sacra venti, turbines, tempestates, procellæ, aquæ, simul iram & ultionem divinam describunt. Habet D. Finck. cent. 2. can. 43. & 44. ubi Christum vocat ventisopium.

Majestas Christo communicata. XVII. Majestas & potentia divina etiam Christo - Homini est communicata. Dan. 7,14. Psal. 8,9. Matth. 11,27. & 28,18.

XIIX. Fides non tantùm est notitia & assensus, sed etiam fiducia, cujus absentiam vel infirmitatem in discipulis suis Christus h. l. vituperat. Vide locos Theol.

Verbi vis. XIX. Virtus verborum Christi tanta est, ut penetret etiam in muta mundi elementa. Matth. 8,9. Job. 38,10. Jer. 5,22. Psal. 107,26: unde & creaturæ dicuntur Dei lictores Chemn. d. l. pag. 1188.

XX.

XX. Sixtus Papa dicens mari impetuoso: Si ego sum Vicarius Christi, quiesce, probavit se Antichristum: Mare enim ad mandatum ejus contumax non quievit: Ergò non est vicarius Christi, sed satanæ. Was dürffen wir weiter Zeugnis / der Pabst sagts selber.

Sixtus Papa mari imperans.

PARS III.

Effectus miraculum hoc Christi subsequitur triplex:

I. Discipulorum timor. Emphatica sunt verba Marc. 4, 41. *ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν*, timuerunt timore magno. Memoriâ nimirum repetunt Apostoli, quid audierint in monte à Christo, Matth. 6,30. cumprimis; agnoscunt igitur, se hac suâ pusillanimitate non parùm à sua vocatione deviâsse, se itaque indignos existimantes conversatione Domini tàm majestatici, metuunt sibi, verentes, ne ipsis rejectis alios sibi Christus surroget discipulos, cùm ipsi adeò parùm proficiant. quæ est sententia D. Chemnitii, harm. cap. 64. pag. 1189.

II. Hominum stupor; hic referri potest tùm ad Apostolos, tùm ad reliquos spectatores. Admirantur autem divinam Christi majestatem ac potentiam, in re tàm insolita declaratam. Et sanè fuit opus hoc admiratione vel maximè dignum: Barbarum enim & inhospitale elementum, mare, venti & fluctûs Hominis hujus voci ac imperio parent: ut unico momento, præter morem, subita tranquillitas reducatur in illo lacu, qui modò totus insanis procellis æstuabat.

III. Gratus de Christo rumor, quo de Christi Divinitate non obscuram edunt confessionem, dicentes: *qualis est hic, quia venti quoque & mare obediunt ei?* q.d. Hic est vir, hic Dominus ille, qui potest juvare, ubi omne humanum deficit auxilium! Dignus certè, quem omnes creaturæ revereantur, eique obedientiam præstent. Interrogatio *θαυμαστική* est & *ἐμφατική*. Quærunt homines, *τίς καὶ ποταπός ἐστιν οὗτος*; quis & qualis hic vir est? *ποταπὸς* enim accipitur *ἐπὶ τρόπου*, & est aliquantò significantius, quàm si diceretur *ποῖος*. Perinde enim est, ac si non simpliciter interrogaretur, qualis quis esset, sed simul etiam ex quali regione ortus, inquit Chemn. p. 1188. & respondet quæstioni ex 1. Cor. 15, 47. Exod. 14, 22. Psalm. 106, 9. Jos. 3, 16. Psalm. 65. 8. & 89, 10. Ita autem colligunt cum Apostolis spectatores:

Quicunq; ventorum & maris impetum uno verbo mirabiliter sedare potest, eum verum & omnipotentem esse Deum, consentaneum est:

Jesus Christus Praeceptor & Dominus noster ventorum & maris impetum uno verbo mirabiliter sedavit:

Ergò verum & omnipotentem eum esse Deum consentaneum immò certissimum est.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Timor filialis.

I. Metuamus & nos, sed timore filiali, si quando nimiâ pusillanimitate, aut diffidentiâ aliisque peccatis Christum offenderimus, caventes ne ampliùs peccemus.

II. Opera Dei verâ cordis simplicitate admirantes veneremur, & inde inexhaustam ipsius in juvando & liberando vim atque virtutem agnoscamus & celebremus. Psal. 66,3.5. & 139,6. Apoc. 15,3. Psal. 96,4. Sir. 11,4. & 43,31. Habac. 1,5. Sir. 43, 26. Theod. p. 388.

Miraculorum usus.

III. Usus miraculorum est Christi cognitio, tàm ratione personæ, quàm ratione officii & voluntatis. Vide D. Theod. pag. 388. 389.

IV. Errant itaque Photiniani, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον adserentes: Samosateniani ac Nestoriani communicationem majestatis negantes: Pontificii Christo in sedando mari Nicolaum aliosque sanctos adjungentes. Ibid. p. 389. 390.

Fides crescit.

V. Superatis tentationibus fides magis magisque elucescit, quæ in liberatione augetur. 1. Cor. 1, 6. 7.

Potentia Christi impiis terrori.

VI. Impiis Christi potentia est terrori; habent enim adversantem sibi Dominum, qui in perniciem pœnamq; ipsorum omnes creaturas potest armare. Sap. 19, 6.

Providentia Dei.

VII. Testimonium habemus providentiæ Dei, diaboli conatûs ad gloriæ suæ amplificationem dirigentis. Es 8,1. Gen. 50, 20.

IIX. Omnes etiam irrationales creaturæ obedientiam præstant Creatori suo: solus autem homo hoc non facit, id quod vel sangvineis, si fieri posset, lacrymarum guttis deplorandum. Jer. 5, 2. & 8, 6. Mal. 1, 6. D. Chemn p. 1190.

Dei mirabilia in aquis.

IX. De operum & mirabilium Dei etiam in mari & aquis multis manifestatione, inter quæ non postrema sunt,

1. *viæ in mari & per mare præparatio:* Exod. 14, 21. Sap. 14, 3.
2. *hominum in ligno exiguo conservatio:* Sap. 14, 5.

3. ven-

3. *ventorum vehementissimorum concitatio:* Psal. 135, 7. Jon. 1, 4. Esa. 51, 15.

4. *subita tempestatum immutatio:*

5. *certorum & aliorum animantium productio.* Sir. 43, 27. Psal. 104, 25. 26.

X. De potentiæ Domini Jesu magnitudine, quæ hoc in loco, ut alia ipsius opera jam silentio involvam, elucet ex

Potentia Christi.

1. *periclitantium in mari liberatione;* Gen. 7, 23. Exod. 2, 9. & 14, 22. Act. 27, 44.

2. *procellarum maris sedatione.* Pf. 89, 10. Sir. 43, 25.

XI. Navicula Christi typus est Ecclesiæ in his terris militantis, his potissimùm de causis:

Navicula Christi typus Ecclesiæ

1. Navicula Christi non magni erat pretii; piscatoria enim, non oneraria: Ita Ecclesia est paupercula, spreta, abjecta, respectu nimirùm regnorum hujus mundi: Esa. 54, 11. Soph. 3, 2. Luc. 12, 32.

2. Christus in naviculam istam collegit sibi dilectos, pios & fideles: Ita Ecclesia est collectio sanctorum sub uno capite Jesu Christo.

3. Maris motibus & œstibus se immiscet satanas: sic Ecclesiam per impios, hæreticos & tyrannos nunquam non adfligere conatur, idque eô potissimùm tempore, cùm Christum dormire animadvertit, h. e. cùm nulla manifesta judicii divini exempla adversus malignantium Ecclesiam exstant.

4. Causa permissionis est fidei probatio. 1. Petr. 1, 7. Psal. 30, 7. & 31, 23.

5. Christus suorum precibus excitatus turbas Ecclesiæ sistit, & γαλήνην ad tempus reducit. Vide plura in harm. Evang. D. Chemn. pag. 1190. 1191. 1192. 1193. Vide etiam Ecclesiæ in navi picturam, apud D. Gerh. T. 5. L. C. pag. 607. 608.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

DEscribit præsens Evangelium periculosam Christi navigationem, pro cujus enarratione duo hac vice considerabimus, dicturi

I. *De extrema discipulorum, cum Christo navigantium, periclitatione:*

II. *De grata eorundem ex periculo liberatione.*

PARS

PARS I.

Cum bonis aliàs *bona est navigatio*; uti vetus habet adagium. In hac verò navigatione malè in speciem cum Christo ejusque discipulis agi videtur; sed verè videtur: eventus enim lætam habet καταστροφὴν. Observetur pro primæ partis explicatione;

I. Christi in naviculam ingressus; vires enim ille, concionando non nihil defatigatas, recollectum abit; volebat etiam trans lacum sive stagnum Genezareth (Johan. 6,1. vocatur mare Galilææ, item Tyberiadis, propter adjacentem ejus nominis civitatem:) Evangelium spargere & officium suum complere. Exemplum præbens iterum studii indefessi in cursu ministerii sui.

II. Christi comitatus: navim primus ingreditur Christus; quem præeuntem, veluti Magistrum, sequuntur discipuli, quò vadit, magnâ animi alacritate, nihil cunctantes, non moras & effugia quærentes, aut aliquas sese subducendi occasiones; & quidem in hanc ipsam navim, quam Christus fuerat ingressus, sequuntur & ipsi spontè; communem cum Christo causam & fortunam habere exoptantes.

III. Tempestatis inopinatæ exortus. Cùm enim discipuli rei nauticæ maximam partem, ob artem piscatoriam, periti, aliquamdiu navigâssent; *ecce tempestas magna subitò facta est in mari, ita ut navicula obrueretur fluctibus*. Marco c. 4, 37, dicitur λαίλαψ ἀνέμου μεγάλη, procella venti magna orta; Lucæ c. 8, 23. descendisse in stagnum; finis secundum Marcum, fluctus irruebant in navim, ut illa jam impleretur, in Græco, ὥστε γεμίζεσθαι h. e. haustâ aquâ mergi cœperat: secundum Lucam, συνεπληροῦντο καὶ ἐκινδύνευον, complebantur (sc. homines in navi aquis) & periclitabantur. Matthæus dicit, fluctùs obruisse navim. Procellæ enim impetu ac flatu mare, elevatis in altum fluctibus, mirum in modum intumescebat, ita ut nonnunquam navicula penè videretur obruta marinis fluctibus, parumque crederetur abesse, quin eversa submergeretur, uti D. Hunn. in Matth. p. 260. παραφράζει. Unde verò tempestas illa fuerit orta suprà dispos. t. monuimus, & conferatur D. Palarg. quæst. in Matth. fol. 109. ubi quatruplicem commemorat sententiam, quibusdam naturæ; aliis Christo; aliis præsentiæ Judæ, aliis satanæ illam transscribentibus.

IV. Christi somnus, qui extremam discipulis periclitantibus perniciem minitari atque adferre videbatur. Obdormivit autem Christus ex naturali defatigatione, post labores diurnos; fuit siqui-

Christus dormit:

quidem vespera, quando navim intravit & somnum cepit, ἐν πρύμνῃ, in puppi super προσκεφάλαιον sive cervical reclinatus, uti Marc.4,35.38. habetur. Indicium hoc est veræ Humanitatis Christi, & quòd cum carne nostra etiam passiones naturales omnes adsumserit. Pertinuit autem hac vice somnus Christi etiam ad explorationem fidei discipulorum, quando dormiente Dominô cœperunt periclitari sibique imaginari, quasi Christus, quæ gererentur, nesciret, cùm tamen, quoad protectionem suorum, fidelis hic custos Israëlis non dormiat, neque dormitet, sed vigiles semper excubias pro grege suo agat. Psal. 121,4. Vide plura de causis somni hujus apud Pelarg. d.l.

USUS I. Informatorius.

I. De statu Ecclesiæ, in his terris militantis. Is enim adumbratur in pictura naviculæ hujus.

Ecclesiæ status in navi depictus.

1. In mari jactatur, variis exposita periculis; talis Ecclesia, & viva ejusdem membra. Psal.44,23. & 69,2.
2. In mari servari potest vita, sed non nisi in naviculâ: Ita extra Ecclesiam nulla est salus.
3. Navim ingreditur Christus primus, non carnem saltem nostram indutus, servus effectus & μεσίτης humani generis; sed dux etiam adflictionum factus, non solùm tuendo nos, sed & perferendo eas. Hebr.5,2.
4. Procellarum permissio, est verbi auditi confirmatio, fideique probatio. Verbum autem illud ubi & quomodo fuerit auditum; quomodo ab Apostolis observatum; & quomodo non levi, sed ingenti periculo cor discipulorum probatum fuerit, eleganter explicat D. Gerhard. in post. fol. 62. 6.
5. Procellarum contra naviculam Christi commotio, est odii diabolici demonstratio. Job.41,22.23. Matth. 12,40. Jon.1,4.5. Accommodatur tùm in genere ad Ecclesiam; Esa.54,11. tùm in specie ad fidelium Christianorum quemvis. Psal.42,8. & 69,1.2.
6. Vento secundo lætantur navigantes: sic extra teli jactum securi plerumque, in ipso etiam Ecclesiæ gremio, vivunt homines.
7. Navigantes in perpetuo, &, ut ita dicam, momentaneo vitæ fortunarumque versantur periculo: Sic multæ tribulationes justorum Psal.34,20. & 73,14. Sir.40,1.

Tt 8. Na-

8. Navis non est sine nauclero: Sic Ecclesia suum habet directorem Christum, sedentem ἐπὶ τῇ πρύμνῃ, in puppi, qui locus navis gubernatori est proprius.

9. Navis præclaros continet & importat thesauros: Ecclesia cœlestium bonorum est feracissima. Confer D. Hunn. in Matth. pag. 262. 263. 264. D. Theod. in anal. Evang. pag. 367. 368. 370. 371.

Sequela Christi duplex.

II. Exemplo Apostolorum sequamur & nos Christum. Necessarium hoc est ad salutem. Omnes quidem Christiani videri volunt, sed non omnes Christum sequuntur. Duplex est autem Christi sequela:

1. *generalis*, omnium hominum, fidelium maximè, quorum est sequi Christum, non in operibus miraculosis; non in factis heroicis; sed
 1. in doctrina & fide;
 2. in vita, suique abnegatione;
 3. in cruce;
 4. in morte; mors piorum est vocatio ad Christum.
2. *specialis*, in certa cujusque vocatione. Vide dispos. in festo Andreæ.

II. Consolatorius.

I. Non soli sumus in navicula Ecclesiæ; sed Christus nobiscum. Psal. 91, 15. Matth. 28, 20.

Somnus Christi adparens.

II. Christi somnus non est realis sed adparens; & cum ille videtur dormire, indesinenter, nostri curam gerens, pro Ecclesia vigilat. Psal. 121, 4. Esa. 43, 2. & 54, 7.

III. Navis Christi mergitur quidem, (γεμίζεται) submergi autem non potest, Psal. 46, 1. Consolatio isthæc non labefactatur querelis nostrorum Doctorum, de afflictissimo veræ Ecclesiæ statu sub tyrannide Antichristi Romani, quod solidè demonstrat Dn. Meelführer. in vindic. th. 57. ad 63. usque.

III. Monitorius.

I. Demus operam, ut non nisi in Christi navicula deprehendamur. Joël. 2, 32.

II. Monemur de periculis, laboribus, divinis operibus, tempestatibus & aliis, quæ in mari contingunt. D. Hunn p. 261.

III. De lapsibus sanctorũ non dissimulãdis. V. Meel. th. 2. 3. 4.

Tempestatum causa.

IV. De suprema & absoluta tempestatum potestate apud solum Deũ, vide eundem th. 30. Ubi docetur, quid in tempestatibus cien-

ciendis & movendis possit satanas; quid sagæ; cur illæ supplicio afficiantur; quid causis naturalibus tribuendum; & quid in tempestatibus faciendum.

V. De naviculæ Christi periclitatione, quæ æstimanda venit.

Naviculæ Christi periclitatio.

1. *ex ædificii* (naviculæ) *fragilitate;* navis conficitur, non ex lapide, ebore, auro vel argento, sed ex ligno fragili. Horatius dicebat lib. 1. carm. od. 3.

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Aphricum
Decertantem Aquilonibus &c.

2. *Ex aëris intempestate:* hic concitantur venti fluctusque ingentes: Ecclesiam infestant post satanam tyranni, persecutores, falsi fratres: *jam defensores fiunt devoratores* ejus. Das Evangelische Wesen ist zum teuffelischen Wesen worden.

3. *Ex navigantium dignitate:* ἀντιπάθεια inter semen mulieris & serpentem.

4. *Ex inevitabili navigij necessitate:* extra Ecclesiam nulla salus:

5. *Ex locorum mutabilitate.* Vide D. Schleupn. post.

VI. De dispari conditione, quæ naviculæ Christi cum navi Romani Pontificis piratica intercedit. ratione

Naviculæ Christi & Papæ inæquales

1. *Capitis.* Christi navicula h. e. vera Ecclesia, solum Christum habet Gubernatorem & Patronum: 1.Cor.1.30. & 3,11. Ose. 2,2. Eph.1,22. & 4,15. & 5,23. Col.1,18. & 2,10. Papistarum navicula ipsissimum vehit Antichristum, hominem mendacem, Psal.116,11. hominem peccati. 2. Thess.2,3.

2. *Regiminis:* Christi navicula regitur verbo, cynosurâ illâ fidei morumque infallibili: Papæ navis piratica regitur meris fabulis, traditionibus & adinventionibus hominum fallacibus.

3. *Plebis:* Ibi non multi nobiles &c. 1.Cor.1,26. sed grex pusillus & contemtus: Luc.12.32. Soph.3,12. hic magnates, cum Papa & clero ipsius, purpuratis Cardinalibus & infulatis Episcopis &c. rerum potiuntur secularium.

4. *Mercis:* Ibi merces preciosæ; Verbum & Sacramenta; remissio peccatorum gratuita, pax cum Deo, justitia gratis per fidem donata; pignus amoris divini, Spiritus Sanctus, meritum Christi: hic merces papyraceæ, indulgentiæ Pa-

pales, reliquiæ & merita sanctorum commentitia, opera supererogationis nunquam requisita, nunquam rectè facta, vigiliæ, missæ idololatricæ &c.

Ecclesiæ notæ.

Patet inde, quæ sint notæ veræ Ecclesiæ;

1. Verbum Dei purum;
2. Sacramentorum administratio legitima;
3. Obedientia ministerio debita;
4. Insigne crucis & adflictionum variarum.

Refutatorius.

Papismus 1. de Ecclesiæ visibilitate.

Pontificiorum, quos ex hac Evangelii parte prima errare deprehendimus,

1. Solam Ecclesiæ visibilitatem agnoscentes, invisiblem ex adverso planè negantes: Vide Dn. Meelführ. Vindic. th. 52. 53. 54. Argumenta autem Ecclesiam invisibilem probantia vide apud D. Gerhard. Tom. 5. L. C. pag. 690. & seqq. & D. Echart. in Pandect. part. 1. p. 396. & seqq.

2. de Rom. Ecclesia.

2. Ecclesiam Romano-Catholicam solam Christi esse naviculam affirmare præsumentes; quam temeritatem egregiè refutat D. Theodor. in anal. p. 369.

3. de Ecclesia Romana invicta.

3. Solam suam Romano-Catholicam Ecclesiam esse invictam, insuperabilem, robustam, durabilem. In hac thesi adstruenda integram insumit concionem Tonsor ille Jesuiticus, in post. pag. 172. & seqq. Verùm laterem lavat: ab Ecclesia Christi ad Romanam Antichristianam per turpem principii petitionem, atque ita à vera ad falsam, argumentando. Probet priùs Jesucida, Romano-Papisticam suam esse veram Jesu Christi Ecclesiam, per illas notas, quas verbi divini canon nobis monstrat, & tum reliqua omnia erunt salva.

4. de antiquitate Ecclesiæ suæ, & Lutheranæ novitate

4. Antiquitatem Ecclesiæ Romanæ plenis buccis prædicantes; Lutheranam contrà novitatis nescio cujus insimulantes. Quæ etiam causa est, quod dictus Tonsor concionem suam pag. 177. his verbis concludat: Der Lutherische Glaube ist vor Luthero niemals auff der Welt gewesen/ sondern von Nagelnewen angefangen / als man gezehlet 1517 Jahr. Man kan nicht nennen ein einiges Königreich oder Fürstenthumb/Herrschafft/Schloß/Stadt/Marck/Dorff/Haus/nicht ein einiges Stifft/Closter/Kirchen/Capellen/da vor dieser Zeit ein einiges Exercitium Lutherischer Religion were exercirt vnd gebraucht worden &c. Hæc est illa à Romanæ Ecclesiæ assentatoribus agitatissima quæstio; Ubi fuerit Ecclesia Evangelica ante Lu-

Lutherum? Nimirùm quia Pontificii notitiam,& vix ante seculum natam esse contendunt religionem nostram, quando B. Lutherus contra indulgentias Papales disputare cœpit. Habuit de hac quæstione peculiarem anno 1629. in Academia Lipſ. disputationem Dn. D. Heinricus Höpffnerus,quam Lectori meo h. l. commendatam velim; ita enim os oppilavit Jesuitis, ut intactam hanc materiam huc usque fermè reliquerint. Ecclesiæ enim existentia non spectatur ratione personarum, sed fidei,quam profitetur. Antiquitatem verò non esse genuinam & propriam Ecclesiæ veræ notam eruditè probat D.Gerh. T.5. L.C. pag 805. & seqq. Ego jam nihil addo ampliùs nisi prædicti D. Höpffneri conclusionem, duplici syllogismo apodictico comprehensam. A priori enim argumentatur ita:

Quæcunq; Ecclesia idem divinum suæ existentiæ & conservationis principium habet cum Apostolica Ecclesia, imò etiam cum Romana sub Papatu, quatenus Ecclesia mansit; ea religionem profitetur authenticè antiquam, & ministerio Lutheri non cœptam, sed à Papismo repurgatam:

Evangelica Ecclesia idem divinum principium suæ existentiæ & conservationis habet cum Apostolica Ecclesia, imò etiam cum Romana sub Papatu, quatenus Ecclesia mansit:

Ergò Evangelica Ecclesia religionem profitetur authenticè antiquam, & ministerio Lutheri non cœptam, sed à Papismo repurgatam.

A posteriori verò argumentatur in hunc modum:

Quæcunq; Ecclesia praxin religiosam cum Apostolica Ecclesia, adeoq; cum Romana sub Papatu, prout quodammodò Ecclesia mansit, communem habet; ea religionem tenet authenticè antiquam, & ministerio Lutheri non inchoatam, sed à Papatu reformatam:

Evangelica Ecclesia cum Apostolica Ecclesia, adeoq; cum Romana sub Papatu, prout quodammodò Ecclesia mansit, habet communem praxin religiosam:

Ergo Ecclesia Evangelica tenet religionem authenticè antiquam, & ministerio Lutheri non inchoatam, sed à Papatu repurgatam.

Lege plura de hac materia in ejusdem D. Höpffneri Saxonia Evangelica; & in D. Theod. anal. part. 3. p. 671. & alibi.

PARS II.

Pro secundæ partis enodatione tria perpendenda veniunt:

I. Liberationis occasio, quam subministrat

1. discipulorum in mari periclitatio, orta partim ex grandi illa tempestate, cui satanas κακέργος sese admiscuerat; is ventos ciebat, omnesque potentiæ & malignitatis suæ nervos intendebat, eo saltem fine, ut hanc sibi invisam naviculam everteret, & si fieri posset, Redemtorem mundi cum Apostolis suis suffocaret, à quibus sibi suoque regno plurimùm metuebat: partim ex intempestivo, uti videbatur, Magistri sui somno, qui in navi quidem præsens aderat, in hac verò elementorum confusione suaviter dormiens, planè eos negligere existimabatur.

2. Eorundem trepidatio, quam produnt,

1. factis; Christum dormientem

1 accedendo;

2. de somno excitando. In tanta enim necessitate rerumque suarum desperatione consulere sibi non poterant; quia ita in adversis nobiscum comparatum est, ut sine Dei perpetuo præsidio & ope, ne ad horam quidem possimus subsistere. Interea mare tumultuatur, & nullo humano vel consilio, vel auxilio potest compesci, sed omnem humanam sapientiam excludit, secundum illud Psal. 107, 26. 27. & 124, 4. 5. 2. Par. 20, 12.

Fides modica Apostolorum.

2. Verbis μικροψυχίαν καὶ ὀλιγοπιστίαν summam indicantibus, cum impatientia non mediocri conjunctam: *Domine serva nos, perimus.* Quæ verba, quamvis timoris magni desperatæque salutis argumenta continent; fidei tamen adhuc exiguæ documenta arguunt. Ostendunt enim (1) verum invocationis in adversis objectum, ad solum videlicet Christum esse confugiendum: (2) medium ipsum excitandi vernaculum, orationem; dormit enim, ut nos oremus, vigilantes & animos nostros spe exauditionis atque opis subsecuturæ obfirmantes: (3) miserias & calamitates Christo excitato esse explicandas. Vide elegantissimam verborum horum παράφρασιν apud D. Hunn. in Matth. p. 260. 261. & confer superius disp. 1. à nobis dicta.

II. Ipsa liberatio, h. e. ventorum marisque sedatio, facta

1. increpando, sc. discipulos, ob nimiam timiditatem. Apud Lucam plus fidei ab ipsis requirit, inquiens: ubi est fides vestra?

Non

Non arguit ipsos, quòd dormientem excitaverint, nec quòd territi fuerint periculo; sed quòd nimis indulgendo timori, omnem statim spem abjecerint, nec confisi in Domini præsentia fuerint. Ita enim illi trepidant, ac si planè desperatum sit, sicut dicunt: *Præceptor, præceptor*, ἀπολλύμεθα, *perimus*, quasi jam in abyssum maris decidentes. Hoc autem modo se gerere, est fidem abjicere, quod est peccatum primi præcepti, in quo Deus vult, ut ei confidamus in omni, quantumvis magna, necessitate.

2. *Mandando*, sive silentium imponendo ventis & mari. Expergectus enim ventum quoque ac tempestatem aquæ objurgat, jubens quiescere; & subitò cessant, fitque tranquillitas magna. Inde sequitur.

III. *Effectûs commemoratio*, qui animadversus fuit

1. *in mari & ventis*, dicto obtemperantibus, quæ est ipsissima miraculi forma. Hic demum experiuntur discipuli, verum esse illud Psalmistæ, Psal.107,29.30.

2. *In hominibus* 1. *admirantibus*;

2. *Christum prædicantibus*. Fuerunt enim in navi Christi etiam alii, præter discipulos, & aliæ etiam insuper naviculæ cum illo, teste Marco. Hi videntes, quòd uno Christi verbo tempestas tanta sedaretur, correpti sunt timore, intuitu sc. majestatis & auctoritatis Christi, & cum admiratione inter se dixerunt: quis putas hic est, quia ventis quoque & aquæ imperat, & obediunt ei. Ita effectus miraculi in istis hominibus fuit, agnitio personæ & potentiæ Christi; inde enim collegerunt, oportere eum esse aliquid supra hominem, uno verbo, ipsum Dei præpotentis Filium. Mari enim & vento imperare, omninò opus est omnipotentis naturæ: nec enim in ullius hominis potestate situm est, sed soli Deo competit, quod scriptum est. Psal.89,10. & 65,8. & 93,4.5. Job.38,8.seqq. Jer.5,22.

USUS I. Informatorius.

I. De cordis humani perversitate. Calamitatibus enim obrutum, variè de Deo cogitat. Psal.13,1.2.3. & 69,2. Cogitationibus verò illis opponendæ sunt promissiones verbi: Psal.12,6. & 121,4. Esa.54,7.8. Luc.18,7. Job.5,9. Jer.31,20. Diffidentiæ verò non est indulgendum, nec admittendæ voces eorum, qui statim clamant; actum, desperatum est. Hac enim ratione mens avocatur à fide, & *Cordis perversitas.*

ab

ab invocatione, quam vult Deus in urgentibus necessitatibus maximè esse ferventem. Et fides non est vacillatio, sed robur & fiducia. Rom.4,20.21. Hebr.11,1.Matth.9,2.

II. De fidei infirmitate vide dispos. prim.

Providentia Dei

III. De admiranda Dei providentia, quæ in eo se luculenter prodit, quòd ea, quæ satanas μυριότεχνος in perniciem Ecclesiæ machinatus fuerat, ita intervertere solet, ut piis omnia cedant in bonum. Vide D. Hunn. in Matth. p. 266.

Christi potentia.

IV. De divina Christi potentia & majestate: Est enim Dominus.

1. maris, ratione naturæ tùm humanæ, cui subjecta sunt omnia; Psal.8,7.8.9. tùm divinæ, per quam creata sunt omnia & determinata.

2. hostium suorum:

3. cordis humani, quod ille solus potest tranquillitare.

II. Monitorius.

I. De Christi conditione, quâ alium se exhibet, quàm homo imaginatus fuerat; *1. dormiendo:*
2. clamores negligendo, οὐκ ἀληθῶς, ἀλλὰ φαινομένως.

II. De Christo per preces excitando. Psal.3,7. & 7,7. & 10,12. & 35,23. & 44,24.25.26.

III. Consolatorius.

1. Quòd Christus adjutor in opportunitate. Psal.9,10.
2. Quòd intuitu omnipotentis virtutis Christi, non modò in simili casu, h. e. quando exigente vocatione mari nos committimus, præsidio Filii Dei plenâ fide nos commendare; sed etiam in genere, h. e. in quibusvis Ecclesiæ periculis & persecutionibus, ad eundem verâ fiduciâ respicere debeamus; orantes conservari Ecclesiam, & compesci fremitum satanæ, ac violentiam tyrannorum & hæreticorum, qui naviculam Christi pessumdare conantur. Psal.46,1.seqq.
3. Quòd licet ad tempus dormire videatur Dominus, vigilet tamen in nobis, & pro nobis, nec salutem nostram negligat. Psal. 78,65. Jer.31,26. Psal.121,4. Esa.54,7.

IV. Refutatorius.

Papismus de dubitatione & fiducia in fide.

Pontificiorum, 1. de gratia Dei dubitare hominem jubentiũ: Christus fidem, non dubitationem in Apostolis suis requirit. Vide Dn. Meelführer. th.10. & seqq. & confer dispos.1.

2. Ve-

2. Veram fidem per fiduciam definire manibus pedibusque recusantium; quam impietatem in ipsis falsi convincit idem th. 15. & seqq. usque ad 30.

3. Bonis operibus Christum esse excitandum, fingentium; puta jejunio, corporis castigatione, eleemosynis &c. Castigat hunc crucem idem th. 69.70.

De bonis operibus & fidei amissione.

4. Fidem per peccatum mortale amitti negantium: Ib. th.73. usque ad finem disputationis.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Navigatio spiritualis in vitam aet.

ACturi sumus hac vice *de modo rectè in navicula Christi, per mare mundi hujus impetuosum, navigandi, ut portum vitæ æternæ tandem consequi promtum sit.*

Ἐξήγησις.

Periculosa est isthæc, de qua loquimur, navigatio; sequentia ergò capita, ad quorum ductum, velut gnomonem infallibilem, cursus navis unicè dirigendus, accuratè attendenda.

I. Nostra cum Christo conjunctio. Noah servatur, mundo aquis *κατακλυσμῷ* universalis suffocato; sed non nisi in arca: sic.

arcam quæro Noæ, quæ me atro servet ab orco.

Extra Ecclesiam non est salus. Esa. 43, 2. 3. Psal. 91, 15. 1. Sam. 21, 23. Discipulos secum habet & ducit Christus. Id autem (quæ verba sunt Chrysostomi Tom. 1. oper. fol. 63. b.) non frustrà, neque casu fecit: verùm ut futuri signi miraculo ipsos corroboraret. Nam ut palestræ Magister optimus ad utrumque eos exercebat; ne aut terrore vincerentur, aut honoribus efferrentur. Ita ne magnum quid sibi arrogent, quoniam aliis omissis ipsos tantùm secum retinuit, ut in tempestatem incidant permittit, & simul in ferendis adversis fecit meliores.

Christi somnus.

II. Christi naucleri dormitatio. Idem nobis in ærumnis videtur. Sed sint in conspectu promissiones. Psal. 30, 6. & 121, 4. Esa. 54, 7 8. Thr. 3, 24. 25. 31. 32. 33. 34. Chrysostomus fol. 64. a. *Dormit, ut & timoris causa ipsis major præberetur, & sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur.*

III. *Ardens invocatio*, directa non ad Deos Deasvè gentium marinas; non Papistarum Deastros tutelares, Nicolaum, Christophorum &c. Esa.64,16. sed ad Christum, salvationum Magistrum unicum. Esa.63,1.

IV. *Fidei inflammatio*; Hebr.11,6.Rom.14,23. Infirma etiam fides non abjicitur: erigitur autem ac confirmatur illa in discipulis severâ increpatione. Jer.31,19. 1.Cor.11,31.32.

V. *Rudentum excitatio.* Nullum est dubium, quin discipuli quoque, in vitæ discrimine constituti, strenuè remigando, laborârint: Sic quisque nostrum,quod sui est muneris, studiosè faciat. Esa.58,1. Ezech.3,17.18.1.Timot.3,13. 2.Tim.4,5. Rom.12, 8. & 13,4. Eph.6,5. Psal.73,3.

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora.

VI. *Patientiæ recordatio.* Navigantibus multa incidunt adversa: Psal.107, 26. sic vita hominis Christiani perpetuis scatet adversitatibus. Job.7,1. & 14,1. 2.Cor.7,5.

VII. *Commeatûs procuratio.* Cave fermentum peccati.Matt. 16,6. Joh.6,33. & 4,14. & 7,38.

IIX. *Christi naucleri glorificatio.* Si prosperè succedat navigatio,nihil nostris viribus,nihil nostris meritis tribuamus;sed omne momentum acceptum feramus nauclero Christo, Domino κτ᾽ τὸ συναμφότερον potentissimo. Matth.28,20. Psal. 8,7. 8.9. & 72,8. & 89,10.26. Somnus enim & statura, quâ videtur,hominem ipsum declarat; at verò maris tanta per eum subitò facta tranquillitas Deum exclamat, Chrysostomus ait. Orabimus cum Ecclesia: *Deus,qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris nos adfligunt, te adjuvante vincamus, per JESUM CHRISTUM Filium tuum dilectum, DOMINUM nostrum.*
AMEN.

DO-

DOMINICA V. POST EPIPHANIÆ DOMINI,

EVANGELIUM

Matth. 13. à vers. 24. ad 31.

24. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, λέγων· ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ.

25. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν.

26. Ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος, καὶ καρπὸν ἐποίησε, τότε ἐφαίνη καὶ τὰ ζιζάνια.

27. Προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι τοῦ οἰκοδεσπότου, εἶπον αὐτῷ· Κύριε, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια;

28. Ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς· ἐχθρὸς ἄνθρωπος τοῦτο ἐποίησεν. οἱ δὲ δοῦλοι εἶπον αὐτῷ· θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά;

29. Ὁ δὲ ἔφη· οὔ· μήποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια, ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον.

30. Ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερον μέχρι τοῦ θερισμοῦ· καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς· συλλέξατε πρῶτον τὰ ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δέσμας, πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.

24. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Adsimilatum est regnum cœlorum seminanti bonum semen in agro suo.

25. Sed dormientibus hominibus, venit illius inimicus, & seminavit zizania inter triticum, abiitque.

26. Cùm autem germinâsset herba, & fructum fecisset, tunc adparuerunt & zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamiliâs, dixerunt illi: Domine, nonne bonum semen seminaveras in agro tuo? Unde igitur habet zizania?

28. Ille verò dixit illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi: Vis igitur abeamus, & colligamus ea?

29. At ille dixit: non; ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum.

30. Sinite pariter crescere utraque usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primùm zizania, & colligate ea in fasciculos, ad comburendum ea; triticum verò congregate in horreum meum.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

MIxtum eſt hoc Evangelium; unâ enim ſui parte eſt generis Didaſcalici, quatenus de vero veræ Eccleſiæ, in his terris militantis ſtatu nos erudit: alterâ verò parte eſt generis Deliberativi; ſervis enim zizaniorum eradicationem ſvadentibus, ſapienter pater familiâs diſſvadet. Inſtituemus autem Evangelii hujus διάσκεψιν ſecundum conſvetam τριχοτομίαν, dicturi

I. de ſeminis bonitate;
II. de zizaniorum pravitate;
III. de colloquii, inter patrem familiâs & ſervos inſtituti ſvavitate.

PARS I.

Primæ partis explicationem quod ſpectat, conſideranda veniunt ſequentia membra:

I. Concionis parabolicæ ſive occaſio ſive opportunitas. Deprehenderat nimirùm acutiſſimus ille καρδιογνώστης Jeſus, concione parabolicâ alterâ, de ſemine diverſimodè inter ſeminandum lapſo, vel juxta viam, vel in loca ſaxoſa, vel inter ſpinas, vel in terram bonam, piorum quorundam animos eâ curâ tangi & angi, quòd viderent in Eccleſia bonis eſſe permixtas malos; cui offendiculo obviam eundum ratus Salvator, aliam parabolam ejusdem penè cum præcedente argumenti, proponit, ut ita & attentioni & ſolicitudini auditorum faceret ſatis. Quandoquidem verò prima hîc occurrit parabola ſciendum, parabolam eſſe nomen origine græcum, ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν, quod eſt duas diverſas res ſimul collocare aut conferre, ut ſit παραβολὴ item quod comparatio, quam Cicero, Quintiliano, teſte lib. 5. c, 9. collationem vocat. Hebræis eſt מָשָׁל à Rad. מָשַׁל, h, e. dominari & cum imperio regere, ut ita parabola denotet prægnantem & dominantem ſententiam, κρείαν γνώμην, celebre aliquod & authenticum dictum, adeoque vitæ regulam, uti annotat Dn. D. Chemn. harm. Evang. pag. 1087. cap. 61. Huc refert illud Num. 23,7. 18. & 24,3. 15. Job. 27,1. Pſal. 49,5. Et addit, parabolicè loqui, interdum eſſe obſcurè loqui: Ezech. 20, 49. & 24,3. Joh. 16,29. Utramque autem vocis uſurpationem huic loco convenire. Nam doctrinas ſpirituales & res quidem graves ac ſerias, externarum rerum ſimilitudine pictas, Chriſtum hîc auditoribus ſuis proponere, ita ut aliud verba

Parabola quid.

ſonent

ſonent & exprimant, aliud ſub illis ſignificetur & doceatur; quæ etiam cauſa ſit, ut hæc ipſa doctrina auditoribus ſit obſcura & quaſi ænigmatica, explicatione opus habens. Plura qui cognoſcere cupit de parabolis & parabolico dicendi genere, is conſulat D. Pelarg. in Matth. fol. 154.b. & 155. a. b. D. Theodor. in anal. Evang. pag. 461. ubi quadruplicem nominis ſignificationem inveniet. D. Calixtum in Concord. Evang. p. 219. 220. 221. 222. ubi parabola in Scripturis ſumi dicitur vel latè, vel ſtrictè, pro ſermone, quo res ignotior, ſive à ſenſibus remotior, per aliam notam, familiarem, & quam ſæpè contingere novimus, explicatur. Confer etiam Tungerl. part. 1. promt. pag. 974. 975. 976. Parabolis verò vel parabolico dicendi genere cur frequentiùs uſus ſit Salvator explicat D. Chemn. d. l. p. 1087. 1088. D Pelarg. in Matth. fol. 156. 157. D. Calixt. p. 223. Tungerl. p. 977. 978. novem hujus rei adfert rationes, quas legat qui volet. Dixi hac de re aliquid decad. 7. diſpoſ. & meditat. Pſalterialium, ſuper Pſal 78,2.

Parabola duplicitet ſumitur.

II. *Seminantis nobilitas ſeu majeſtas*, cauſam nobis efficientem principalem monſtrans. In προτάσει parabolæ dicitur Homo; in ἀποδόσει, Filius-Hominis. Quâ quidem adpellatione, φράσει Scripturæ, Novo cumprimis Teſtamento, uſitatâ, notatur Jeſus Chriſtus, Dominus ac Servator noſter θυμηρέστατος. Rationem adpellationis quidam adferunt iſtam, quòd in terris non habuerit patrem, ſed matrem tantùm, vocari itaq; ipſum Filium hominis, quaſi unius. Non autem dubium eſt, quin adpellatio iſthæc deſumta ſit ex Dan. 7,13. Unde Meſſiæ nomen hoc quaſi peculiare inter Judæos inditum tradunt. Verus enim factus eſt Homo. Plura qui deſiderat, videat Dn. D. Chemnit. harm. pag. 360. & 1130. Breviter, vocat ſe plerumque non Dei, ſed hominis Filium, ad oſtendendam

Chriſtus homo & filius hominis dicitur.

1. *veram ſuam humanitatem;*
2. *unionis perſonalis veritatem;*
3. *Filii hominis in opere redemtionis efficacitatem.*

Eſt enim Humana Chriſti natura ὄργανον συνεργόν: Et Chriſtus eſt Redemtor, Mediator, Salvator, Paſtor, Sacerdos κατὰ τὸ συναμφότερον, ſecundum utramque naturam. Ceterùm huic Filio-Hominis ſimile eſt regnum cœlorum; quod ſignificat, non ſtatum futuri ſeculi, ſeu vitam cœleſtem: ibi enim nec ſationi, nec zizaniis erit amplius locus: ſed Eccleſiam Jeſu Chriſti, qualis quidem in hoc ſeculo illa colligitur. Appellatur autem auguſtiſſimo hoc nomine, quia Deus per verbum Evangelii, in cordibus hominum

Regnũ cœlorum quid

regnum suum cœleste, quod est intra nos, Luc. 17, 21. inchoatur: nec definitur cibo & potu, sed justitiâ, pace & gaudio in Spiritu sancto. Rom. 14, 17.

III. Subjecti qualitas. Subjectum est ager. Ager est mundus, ipso Christo interprete infallibili: non quidem μετωνυμικῶς, uti Cinglio-Calviniani est per significat falsò exponũt; (falsitatē ejusmodi interpretationis ostendit & nervosè refutat D. Finck. in post. pag. 554. & seqq. hoc præmisso & præsupposito Canone: *Ubi τὸ ῥητὸν non parit absurditatem, non est recurrendum ad tropos & figuras*; lege, non pœnitebit, omnia enim Calvinianorum exempla producit, examinat & refellit, in quibus est per significat explicari debere contendunt:) sed μεταφορικῶς καὶ συνεκδοχικῶς. Ager enim non significat mundum, sed est ipse mundus remotè, proximè verò Ecclesia è mundo & in mundo collecta, in mundo degens, & per mundum dilatata: ideoque dicitur ager Christi, qui in agrum suum spargit semen.

IV. Seminis generositas, tanquam materia ex qua. Dominus agri spargit καλὸν σπέρμα, bonum semen. Quanquam enim semen aliàs significet Verbum Dei; Luc. 8, 11. Hoc tamen in loco semen bonum de filiis regni exponit Salvator: denotat autem fideles & electos Dei filios, qui per illud verbum, veluti semen incorruptibile sunt regenerati. 1. Pet. 1, 23. Ratio adpellationis videtur gemina; quia

Semen bonum filii regni.

1. hîc sunt per fidem in regno gratiæ, cujus beneficiis perfruuntur.
2. in altero seculo heredes sunt futuri regni gloriæ.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Discant exemplo Christi fideles Verbi præcones, ut in habendis concionibus ad populum simplicitati studeant. 1. Cor. 2, 1. & 4, 20. Psal. 25, 8. 9. 21.

Simplicitas in concionibus.

Simplicitas verbumq; tuum me Christe gubernet!

II. Ecclesiam suam vocat Christus regnum cœlorum, propter

Ecclesia cur regnum cœlorum.

1. *regiam Majestatem*, tàm fundatoris, quam inhabitantis eam: Ps. 46, 6. & 48, 2. 4. Esa. 66, 1. & 48, 2. 4. Ezech. 43, 7 1. Tim. 6, 15. Esa. 31, 9. Ps. 26, 8.
2. *collectionis identitatem*; per homines: Esa. 51, 16.
3. *bonorum cœlestium sublimitatem*; quæ redundant ad omnia vera Ecclesiæ membra: Luc. 17, 21.

4. *An-*

4. *Angelorum societatem:* Pſ.34,8. Matth.22,30. & 18,10.
5. *pulcritudinem & venuſtatem;* cœlo nihil pulcrius:
6. *collaudationis Jehovæ aſſiduitatem:* Pſ.146,2. & 149,1.
7. *civium vel ſubditorum proprietatem*, quorum eſt non terrena, ſed cœleſtia ſapere: Phil.3,20. Col.3,1.2.3.

III. De ſapientiæ Chriſti profunditate, quam in eo exſeruit, quòd vulgaribus ſimilibus ſumma expreſſit myſteria. Pſal.49,4. & 78,2. Col.2,3. *Sapientia Chriſti.*

IV. Patet inde, Chriſtum eſſe ſummum, à Deo miſſum, Eccleſiæ Doctorem ac Prophetam. Deut.18,18. Joh.6,14. & 3,2. Pſ.110,4 Heb.9,11. Joh.1,1.2.18. Rom.16,25. Eph.3,9. Col.1,26.

V. De agricultura corporali non incommodè h. l. diſſeritur: Ea autem eſt vitæ genus *Agricultura corporalis.*

1. *vetuſtum:* Deus enim ipſe inſtituit; leges etiam populo ſuo de agricultura peculiares ſancivit & præſcripſit. Gen. 3,23. Sir.7,6. Exod.22,5.6. Levit.19,3.9.10.19. Deut.22,9.10. & 24,19.
2. *Honeſtum*, à viris quippe ſanctis, religioſis & præcipuis, quin & Deo caris uſurpatum atq; excultum. Gen.9,20. & 26,12. & ſeqq. Judic.6,11. 2.Reg.4,18. 2.Par.26,10. Zach.13,5. Eccl. 2,5.ſeq.
3. *Tranquillum* & pacatum; procul enim à forenſi ſtrepitu abſunt agricolæ. Vide Horat.lib. Epod.Od.2.
4. *Maximè neceſſarium;* ſine illo enim vita humana conſiſtere nequit.
5. *Jucundum* & utile. Prov.12,11. Sir.20,30.

VI. De agricultura ſpirituali. Totus mundus poſt lapſum, eſt veluti ager incultus & ſterilis: Epheſ.2,5. Matth.7,16. Hebr.6,8. Deus autem ex immenſa bonitate agrum iſtum incultum ſibi delegit colendum, ſementem faciente Chriſto, per miniſtros Evangelii ordinarios, qui vel inde dicuntur ϑεȣ̃ συνεργοὶ. 1.Cor.3,9. Confer Dn.D.Hunn. in Matth. pag.445. *Agricultura ſpiritualis.*

VII. Definitio Eccleſiæ obſervanda: Eſt enim illa ager Domini, in quo ex ſemine Verbi regenerati fideles, fructum adferunt in hoc ſeculo; in æterna tandem Dei horrea colligendi. *Eccleſia quid*

IIX. Filii regni cœlorum non naſcuntur, ſed ex gratia fiunt. Confer D. Theodor. anal. p.395. Joh.1,12.13. & 3,5.6. ſi hoc, ſequitur 1. falſum eſſe Calvinianorum dogma, de ſanctitate parentum in ſobolem hæreditaria; vide faſcicul. controv. D. Eckard. p.470. ſeqq. D.Theod.p.395. *Filii Dei nō naſcuntur, ſed fiant.*

2. er-

2. erroneam esse Pontificiorum de operum prævisione sententiam; D. Theod. p. 396.
3. gratâ mente hanc Dei gratiam esse agnoscendam;
4. pro cordis nostri agricolatione diligenter orandum:
5. cavendum ne cor nostrum in terram salebrosam convertatur. Ibid.

Discrimen inter Ecclesiam V. & N. T.

IX. Agrum dicendo mundum, ἀντίθετον sive discrimen potiùs manifestum constituit Christus, inter Ecclesiam V. & N. T. Ibi Ecclesia inter angustos conclusa erat Palæstinæ terminos: hic per totum terrarum orbem est dispersa, & ad eam colliguntur omnium nationum fideles. Matth. 8, 11. & 28, 19. Marc. 16, 15. Ps. 72, 8. & Zach. 9, 10. Gen. 28, 14.

X. Errabant itaque olim Donatistæ, Ecclesiam angusto Aphricæ termino concludentes: Errant etiam hodieque Anabaptistæ, intra suos solummodò cœtûs Ecclesiam inveniri somniantes: Errant demum & Pontificii, Ecclesiam veram sedis Papæq; Romani jurisdictione metientes, deque necessitate salutis esse dicentes, ut omnis anima Romano Pontifici sit subjecta. Ager est mundus, non pars mundi, non Aphrica, non Italia, non Hispania.

Christus nō vult hominum interitum.

XI. Christus bonum tantummodò semen in agrum Ecclesiæ spargens, nullo planè respectu hominum interitum vel velle, vel promovere, vel ad eundem homines occulto quodã quasi fune ducere, non nisi per insignem, & inferni saltem igne vindicandã, blasphemiam dici potest. Ose. 13, 9. Matth. 23, 37. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9

Christus agricola vel seminator.

XII. Agricolæ seu seminatori sese confert Filius Hominis propter
1. despicientiam; vilioris enim conditionis sunt agricolæ, quàm nobiles vel cives primarii: Job. 12, 4. Esa. 53, 3. Psal. 22, 7. 8. Luc 18, 32. & 23, 35. 36.
2. Diligentiam, eamque exerit agricola
1. servos conducendo & labori destinando; 1. Cor. 3, 9. Eph. 4, 11. Matth. 20, 1. & seqq.
2. agrum stercorando; Christus mentes humectat; Gal. 5, 22. 23.
3. per agrum ad defatigationem usq; incedendo; Joh. 4, 6.
3. Prudentiam, quam adhibet,
1. agri naturam indagando; Joh. 2, 25.
2. bonum semen terræ committendo;
3. manè & vesperi opus faciendo. Eccl. 11, 6. Joh. 1, 40. & 3, 2.
4. Providentiam, quam declarat agricola
1. agrum sepibus muniendo; Psal. 34, 8. Zach. 2, 5.
2. rivos aquarum hinc inde ducendo. Psal. 68, 10.

Pars II.

PARS II.

Dictum fuit de seminis bonitate; sequitur de zizaniorum malitia & pravitate. Notetur hoc loco

I. hominum somnolentia, ἀφορμὴν & occasionem, immò causam quodammodò adjuvãtem suppeditans inspergendo lolio. Per homines intelliguntur (1) tùm ministri Ecclesiæ, quorum est vigilare pro grege Domini, ne quid damni illi inferatur, non stertere altumque dormire, oviculis maximè periclitantibus; (2) tùm homines securi, de salute sua parùm admodum soliciti.

II. Adversarii vigilantia: significatur autem ipse diabolus, zizaniorum vel seminis mali causa efficiens principalis. Hujus verò observetur

1. odium est ἐχθρὸς hostis illius, Christi videlicet, & notat propriè invisum, quem odio habemus, ἀπὸ τῆς ἔχθους, ab odio, simultate & invidia. ἐχθρός.
2. Studium; venit, non vocatus, in omnes quippe nocendi occasiones intentus.
3. Materia; zizania seminavit. Vocabulum ipsum, extra Scripturas patrumque paucissimos, Græcis aliàs interpretibus ἄχρηστον. Varinus, annotante D.Chemnitio pag.1125. dictum putat, quasi σιτοζάνιον, παρὰ τὸ τῷ σίτῳ παρεδρεύειν καὶ συναυξάνεσθαι, quòd amet triticum simulque adcrescat. Alii dictum volũt ζιζάνιον quasi σιτόνιον, παρὰ τὸ τὸν σῖτον σίνειν, quòd tritico ceu pestis noceat. Zizania autem sunt filii illius τῆς πονηροῦ, mali Filii Belial; intelligunturque omnes hæretici, schismatici, hypocritæ & Epicuræi, qui partim doctrinæ falsitate, partim vitæ morumque pravitate Ecclesiæ plurimùm detrimenti adferunt. Zizania. Zizania filii Belial.

Amplificatur hæc adversarii malitia

1. circumstantiã loci; spargit inimicus Zizania sua in medio tritici; h.e. in ipso Ecclesiæ gremio errorum vitiorumq; seges subinde suppullulat.
2. Adjuncto discessus: hostis lolio disseminato abit, h.e. in priores suas tenebras redit, sese occultans, & quasi nullus adfuisset, simulans, quod Paulo est, in Angelum sese lucis transformare. 2.Cor.11, 14.
3. Temporis notatione, quando adparuerit zizanium, crescente scilicet tritico
4. Effectu consequente gemino;

1. crescit instar tritici;
2. fructûs adfert & ipsum, non quidem bonos, sed malos, uti dictum.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Ecclesiæ admixti sunt mali.

I. In Ecclesia; quæ est domus Dei, 1.Tim.3,15. ipsumque regnum cœlorum, semper bonis quidam admixti sunt mali, increduli, impii, hypocritæ, seductores Joh.6,70.Act.6,5. Apoc.2,15. & 8, 23. 2.Tim.3,5. Esa.8,18. Matth.13,53.& 15,1.Joh.10,1.1.Cor.11,19. Confer D. Theodor.anal.pag.404.405.406.

II. Errant Donatistæ, Cathari & Anabaptistæ, omnes promiscuè cætûs damnantes, in quibus vitiorum vel scandalorum aliquid hærere animadvertunt. Joh. 13,10. Psal. 45.15. Ezech. 2,6. 2.Tim.2,20.

Ecclesia mũda.

III. Mundata est quidem Ecclesia, sed (1) *in hac vita imputativè & inchoativè*, ubi quicquid sanctitatis à nobis non præstatur, illud propter Christum remittitur; Psal.32,1.2. (2) *In altera verò vita consummativè*; ibi enim, quia vetera transierunt, & nova facta sunt omnia, 2. Cor.5,17. sancti in perpetua puritate coram Deo comparebunt, & tanquam stellæ firmamenti lucebunt. Dan.12,3.

IV. Non offendamur scandalis & vitiis, quæ in vera sæpiùs Ecclesia inveniuntur. Matth.3,12.1.Tim.3,15. 2.Tim.2,20.

Nomen Christiani non sufficit.

V. Sola nominis Christiani professio externa ad salutem non sufficit: non enim triticum duntaxat, verum etiam Zizania in agro Dominico deprehenduntur. 2.Tim.2,19.

VI. Satanas nunquam cessat spargere Zizania. Luc.11,24. 1.Pet.5,8.Job.1,6.Apoc.12,12.

VII. Ignavia doctorum Ecclesiæ multis modis est perniciosa. Esa.58,1. Ezech.3,17. seqq.

IIX. Caveant itaque Verbi tùm doctores, tùm auditores, ne ipsorum somnolentiâ, vel aliâ culpâ thesaurus vitæ pereat, sicq; aliqui ex bono tritico in lolium infelix commutentur. Matth. 26, 45. Eph.6,11.1.Pet.5,9.

Securitas.

IX. De spirituali securitate diligenter vitanda; quâ regnante diabolus spargit Zizania. Matth.26,45.1.Pet.5,9.Eph.6,11.Jac.4,7.

Somnus Spiritualis doctorum & auditorum.

X. Spiritualis iste somnus variis homines invadit modis. Concionatores indormiunt

1. In-

1. lupum non inclamantes, sed tacentes; Esa.56,10.
2. ad vitia conniventes;
3. lectioni non diligenter attendentes;
4. officium segniter & perfunctoriè facientes.

Auditores *1. non diligenter verbo prædicato attendentes*;
2. non orantes;
3. nauseam verbi concipientes. 2.Tim. 4,4.

XI. Scandala & eorum in Ecclesia auctores, fautorem atque auctorem non habent Deum, sed satanam; non seminatorem Christum, sed interseminatorem diabolum. Psal.5,5. Sap. 2,24. Joh.8,44. 1.Joh.3,8. Sir.15,20. **Sacndala à satana.**

XII. Notandum hoc, non modò contra priscos illos hæreticos, quos à Caino denominatos scribit Augustinus, statuentes, Judam pio quodam consilio Christum prodidisse; & Deum zizaniorum in mundo esse seminatorem: Sed & contra Cinglio-Calvinianos, lapsum Adæ occulto Dei decreto ordinatum; (quæ Cinglii est blasphemiâ) & sine Dei decreto nihil uspiam fieri à quoquã, neque universaliter, neque specialiter, ne iis quidem exceptis, quæ mala sunt, ac proinde detestanda, (quæ Bezæ est impietas) blasphemantes. **Cainitæ. Calvinismus de lapsu Adæ.**

XIII. Diabolus iis potissimùm insidiatur, quibus Evangelium est prædicatum: Zizania enim non priùs, nisi semente factâ, interspergit. Marc.13,37. Luc.22,31. 1.Pet.5,8.

XIV. Impii filii satanæ dicuntur, non generatione, nec creatione, sed imitatione; quod contra Flacii delirium notetur. **Impii filii satanæ.**

XV. Impii non sibi tantùm nocent, cordis & vitæ suæ perversitate, sed aliis etiam sunt scandalo; sicut zizania succum detrahunt tritico. Luc.6,39. 1.Cor.15,33. Sir.13,1.2. Psal.1,1.2.

XVI. Ita ingenium impiorum hac quoque ratione latet in Zizaniis: Quemadmodum illa segetibus nocent, & si farinæ admisceantur vertiginem & vomitum pariunt: Ita improbi pestes sunt Ecclesiæ, piis scandalum, Christoque nauseam concitantes. Apoc.3,16. **Impii pestes Ecclesiæ**

PARS III.

Vidimus secundâ quoque parte zizanium; restat tertiâ parte servorum cum Patrefamiliâs de illo colloquium. Est autem illud duplicatum: prius quærit de lolii origine vel causa efficiente; posterius de ejusdem eradicatione vel causa destruente.

I. In priori colloquii parte observanda venit,

1. *Servorum circumspectio*: animadvertentes enim illi in agro zizania, Dominum accedunt, tempestivè de periculo inde oborituro monituri. Paterfamiliâs est ipse Deus, à quo omnis in n[illegible] paternitas, familiæ suæ Creator, Provisor, Gubernator ac Conservator perpetuus. Servi non sunt soli Ecclesiæ ministri, quod Jesuitarum est placitum; sed omnes in genere Christiani, verè fideles, qui ferventiori zelo ad purgandam Ecclesiam rapiuntur. August.

Deus pater familiâs.

Servi Christiani.

2. *Lolij detectio:* Servi enim quamprimum zizania in agro promicare sentiunt, rem illicò ad Dominum deferendam esse haut immeritò censent.

3. *De origine ejusdem quæstio*, quæ amplificatur contrario vel ἀντιθέσει, quâ patrem familiâs excusant, zizaniorum proventum ipsi nequaquam transscribentes. Laudabilē hanc vocat D. Chemn. p.1122. modestiam. Tu, inquiunt illi, semināsti bonum semen in agrum tuum: Ergò non malum, non lolium, non zizania. Quæritur ergò, unde in agro zizania?

4. *Patris familiâs responsio*, servorum ἀπορίαν diluens, mōstrando verum lolii auctorem, vel causam mali efficientem principalem; *Inimicus homo non fecit*, Quæ verba tacitam continent securitatis accusationem. Porrò per inimicum intelligit Satanam, κακοῦργον illum, malique omnis δημιουργικὴν αἰτίαν. Is dicitur ἐχθρὸς, quia inimicitiæ in Paradiso, inter semē mulieris Christum, & serpentem seu diabolum cœptæ, non dēsinent in omnem æternitatem. Homo vocatur inimicus, quia Ecclesiæ non semper nocet ἀμέσως, sed ut plurimùm ἐμμέσως, mediantibus organis suis, per quæ in orbe hæreses, schismăta, idololatriam & omnem adeò impietatem dissеminat. Πονηρὸς denique nominatur h. e. malus κατ' ἐξοχὴν, quia in veritate non stetit; Joh. 8, 44. maloque gaudet, ita ut ipse & sibi & aliis solus sit omnium malorum inter homines auctor. Filii τοῦ πονηροῦ sive mali istius dicuntur impii, non quòd ipsos creârit, sed (1) quòd ei potiùs quàm Deo obtemperando, mali suâ sponte facti sint; (2) & mala ejus opera faciant. Hæc prior colloquii pars, ostendens fontem mali.

Satanas inimicus.

Satanas vocatur homo

Πονηρὸς.

Filii mali.

II. *In posteriori* colloquii parte notanda, tùm secunda servorum quæstio; tùm patris familiâs responsio.

Quæstio est in genere Deliberativo: status, ποιότης λογικὴ πραγματικὴ, qualitas rationalis negotialis, instituta de re futura, εἰ δεῖ φυτεύεσθαι τόδε, ἢ μὴ φυτεύεσθαι, an oporteat eradicare zizania nec ne? Produnt servi hac quæstione suâ

1. pro-

5. Propriam oscitantiam, quod non majori diligentia observaverint inimici conatûs & studia.

6. Animi impotentiam; non enim sine stomacho causam agunt, valdè acrem exercere volentes reformationem.

Propositio vel θέσις eorum est: Eradicanda sunt zizania; illam verò proferunt ἐρωτηματικῶς, indultum vel permissionem Patrisfamiliâs non tàm petentes, quàm expetentes. Militare pro ipsis videbatur,

1. τὸ δίκαιον, justum;
2. τὸ σύμφερον, utile;
3. τὸ ἀναγκαῖον, necessarium;
4. τὸ ἐκβησόμενον eventurum, vel imminens periculum.

Responsio Domini est dissvasoria, habens:

1. simplicem ἄρνησιν sive inficiationem, vel potius κώλυσιν, prohibitionem: Non.

2. Negationis vel prohibitionis rationem, sive confirmationem κατ' αἰτιολόγησιν; Justum, necessarium & utile quidem videtur; sed verendum, ne εἰς τὰ χαλεπώτερα incidamus: cavendum, ne evellendo & colligendo zizania, simul & triticum eradicemus.

3. Decisionem, quâ definit tempus eradicationi zizaniorum magis idoneum: finite crescere usque ad messem, quâ extremum judicium, in die novissimo futurum innuitur; huic reservabitur:

1. zizaniorum collectio: Ecclesia enim in hac vita scandalis nunquam carens, plenè tandem in consummatione seculorum perpurgabitur.

2. Utriusq; & lolii & tritici separatio.

3. Lolii combustio;

4. Tritici in horrea cœlestia congregatio. Tractatur in ἀπόδοσι parabolæ καθ' ὑποτύπωσιν, cum adjuncta τῇ αἰτίᾳ ἐνδείξει, vers. 39. 40. 41. 42. Confer D. Theod. pag. 407. 408

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Culpa peccati non in Deum transferenda, qui bonum semen in agrum suum spargit. Induratio autem diversimodè tribuitur in sacris literis hominibus, diabolo & Deo, qua de re vide differentem D. Chemn. harm. p. 1124.

Induratio.

II. Fideles Dei servi in omnibus statibus dolent de zizaniorum in agro Dominico proventu. Esa.27,4. & 33,7. Gal.5,12.

III. Magistratui politico non adimitur jus gladii, quando dicitur; sinite zizania crescere. Gen.9,6. Rom.13,4.

Zizania Magistratus eruat.

IV. Eruat Magistratus zizania, disciplinam publicam adserendo; pœnas impiis civiles irrogando; capitali etiam supplicio facinorosos adficiendo, ob causas, quas profert in medium D.Theod. p. 415.416.

Disciplina Ecclesiastica.

V. Sed neque ministris verbi adimitur disciplina Ecclesiastica, sive potestas arguendi in Ecclesia peccata. Matth. 18,17. Tit. 2,15. & 3,10. Es.58,1. Ezech.3,17. & seqq. 2.Tim.4,2. Verba enim Christi sunt permissoria saltem, non zizaniorum adprobatoria. Voluit autem zelum Apostolorum intempestivum cohibere. Luc.9,54.

Zizania ut evellenda in Ecclesia.

VI. Evellant zizania etiam Ecclesiæ ministri, verbo, purè scilicet & sincerè illud prædicando; hæreses, errores & corruptelas arguendo; cum imperio increpando, ob causas quas habet idem Theodor. p.415. Idem facere licet parentibus, eo quem p. 416.417. præscribit modo.

VII. Impiorum conversatio periculosa. D.Theod. p.408.

Zizania crescunt.

IIX. Deus zizania cum tritico crescere permittit,

1. in gratiam bonorum, ne cum malis eradicentur & ipsi:

2. in utilitatem bonorum, ut à malis exerceantur:

3. in correctionem malorum, ut convertantur: Idem p. 409. seq.

Zizania toleranda & quomodo.

IX. Quo respectu & quâ ratione zizania sive impios Deus in Ecclesia tolerari velit, idem explicat p. 413. ubi distingvit inter zizania occulta sive ambigua, quæ adhuc sunt in fieri; & manifesta, de illis præcipuè hic agi docet, aliàs in manifestè impiis non eradicationem ipsam, sed ejusdem saltem modum prohiberi & ostendit & probat.

Zelus non sit intempestivus.

X. Zelus autem Ecclesiæ Doctorum non sit intempestivus, nec immoderatus. Luc.9,54. Matth.26,52. Rom.16,17. Non ergò gladio est sæviendum in hæreticos, multò minùs in sinceros & constantes Evangelii confessores. Tit.3,10. Gal.6,1. 2. Timot.2,24. Confer D.Chemnit. pag.1128.1129. D.Theodor. p. 417.418. & alios. Tit.3,10. Gal 6,1. 2.Tim.2,24.

XI. De malitia conqueri licet servis Domini: sed ferendum tamen est, quod mutari nequit: h.e. si zizania humanâ providentiâ, curâ & diligentiâ præcaveri atque averti nequeant; Psal.12,1. 1.Reg. 19,10. Esa.33,7. & 53,1. 2.Corint,11,29. Eccl.1,15. orent, clament & gemant

manr contra zizania; sed si impedire nequeant, Deo & tempori permittant.

XII. Dei patientia & longanimitas quam longissimè hominum patientiam exsuperat. Jer.31,20. Os.11,9. Rom.2,4.5.

XIII. Consolationi inservit, quòd zizaniorum isthæc cum tritico permistio non in perpetuum sit duratura, sed cessatura effrenata illa peccandi libido, tempore messis adventuræ. Psal.49,20. & 52,7.

XIV. Testimonium habemus evidens, de futuro die & judicio novissimo. Matth.26,64. Johann.5,22, Actor.10,47. & 17,31. 2. Thess.1,7.

XV. De sorte futura in altera vita, tùm piorum, tùm impiorum respectu. Dan.12,3. Ps.126,5. 1.Pet.4,12. 1.Cor.2,9. Phil.3,21.1.Johan.3,2. Apoc.6,16. & 7,17. & 9,6. & 14,11. Gal.6,8. Esa.30,33. & 66,24. Marc.9,43. Luc.16,23. *Vitæ futuræ sors.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

PRæsentis Evangelii parabola exhibet quidem nobis speculum divinæ bonitatis; diabolicæ malignitatis; divinæ iterum tùm longanimitatis, tùm justitiæ & severitatis, & hac methodo posset textus enarratio disponi; nos verò per διχοτομίαν enarrationem ejus instituemus, acturi

I. de tritici & zizaniorum in agro Domini commixtione;
II. de subsecuta consultatione, quæ zizaniorum exstirpationem concernit.

PARS I.

Quoad primam textûs Evangelici partem, duo potissimùm in considerationem veniunt:

1. Parabolæ πρότασις, sive *parabolica concio*, quæ contemplandum præbet

1. seminatorem geminum; bonum & malum;
2. agrum Dominicum;
3. semen purum;
4. interspersum lolium; vers. 24. & 25.

2. Parabolæ ἔκθεσις sive *expositio*, quam ingreditur

1. Co-

1. *Coloni sive patrisfamiliâs industria*, qui de sua in colendo agro diligentia nihil quicquam remittit, nihilque intentatum relinquit. Officium enim facit seminando, quo omnes complectitur labores, sationem partim præcedentes, partim subsequentes. Non enim oportet esse ociosum Dei œconomum, sed semper aliquid operis facere.

2. *Recta terminorum simplicium intelligentia.* Videat benevolus Lector rationem interpretandi sive accomodandi parabolas apud D. Calixt. p. 227. 228. 229. 230. 231. in Conc. Evang. Nos brevitati studentes præcipua saltem capita notabimus.

Regnum cœlorum Ecclesia.

1. *Per regnum* itaque cœlorum intelligitur, non status alterius seculi, sive vita cœlestis: ibi enim non seminatur amplius, post completam die novissimo messem; nec locum habebunt ulla ibidem zizania, sive dogmatica, sive moralia; sed Ecclesia in hoc mundo militans, & adpellatur splendido regni cœlestis nomine, quia Deus per verbum Evangelii in cordibus hominum inchoat regnum suum cœleste, quod est intra nos. Vide dispos. 1.

Seminator bonus & malus.

2. *Homo seminans* vel seminator est, vel bonus, vel malus. Bonus est Filius-Hominis, Jesus Christus, agrum sibi deligens & plantans, h. e. Ecclesiam ex genere humano colligens. Ib. plura. Malus, qui & inimicus homo vocatur est diabolus, hostis Christi certissimus, in Angelum quandoque lucis sese transformans. 2. Cor. 11, 4.

Triticum.

3. *Semen* purum vel triticum sunt homines pii ac fideles quivis, quos in sua Christus parabolæ explicatione dicit filios regni, qui Evangelion verâ fide amplectuntur, & fiunt hæredes regni cœlestis, uti D. Luc. Osiand. interpretatur.

4. *Ager* est mundus, non metonymicè vel significativè, uti nugantur doctores Calvinistici; sed partim metaphoricè, partim synechdochicè, quatenus in mũdo Ecclesia colligitur. Filius n. hominis, quæ verba sunt D. Hũnii p. 443. in Matt. seu Christus est, qui bonum semen seminat, h. e. qui & verbum suum prædicari sinit, & per id regenerat homines, ut fiant semen bonum, & usibus cœlestis agricolæ accommodum. Dicit enim, semen bonum esse filios regni, h. e. fideles & electos, ita ut seminis vox non simpliciter hic ad prædicatum verbum referatur, ut in priore parabola; (sc. de quadruplici agro vel terra) sed ad personas sive homines, ex isto cœlesti semine verbi regeneratos, quas regni filios nuncupat, quia & hic sunt per fidem in regno gratiæ, cujus beneficiis perfruuntur; & in seculo altero heredes erunt regni gloriæ. Zizanianorum quoque vocem ad homines, sed alterius generis accommodat. Hinc ergo

Filii regni.

5. La-

5. *Lolium* vel Zizania sunt filii τ̃ πονηρῦ, illius mali h. e. diaboli, qui ἐξοχικῶς dicitur malus, quoniam & sibi (persisto in recensendis D. Hunnii verbis) & aliis & fuit & est auctor & caput omnis mali, cùm culpæ, tùm consequenter etiam pœnæ, quæ culpam peccati, per satanam introducti; tanquam condigna merces sequitur. Filii diaboli dicuntur impii, non quòd ipse genuerit ipsos aut condiderit: sed filii adpellantur & evadunt satanæ, quando sese ad ipsius perversam & malignam voluntatem conformant, operaque illius imitantur. Hunc in modum redduntur filii diaboli, sine essentiali quidem destructione substantiæ suæ, non autem sine horribili ejusdem depravatione. Ceterum filii illi mali sive impii sunt in triplici classe:

Zizania.

Filii diaboli

1. prima est τ̃ ἑτεροδόξων;
2. secunda τ̃ ὑποκριτῶν;
3. tertia τ̃ ἀσεβῶν;

Alii ad διχοτομίαν reducentes, dicunt Zizania alia esse dogmatica, in religione, alia moralia, in vita hominis.

3. *Hostis astutia*, quam μυριότεχν☉ ille prodit

1. *in occasionis*, quam solerter & studiosè venatur, *observatione*. Huc spectat illud, quòd non tantùm venisse dicitur, non vocatus, post factam à patrefamiliâs sationem; sed ipse quoque, ut Christi simia, seminâsse.

2. *In temporis animadversione*; seminat enim hominibus dormientibus in utramvis aurem; qui autem dormiunt, nocte dormiunt; 1. Thess. 5, 7. Somnum itaque hominum captat ipse vigilans, vult enim latere & clàm decipere. O miseram ergò Ecclesiæ sortem! Homines stertunt, hostis vigilat: illi, tàm ministri verbi, quàm auditores, sunt securi & otiosi; hic summâ cura partes suas obit & vel noctu est negotiosus, Zizania spargendo, agrum vastando, noxam tritico inferendo, omne itidem studium in satione sua pestifera ponendo.

3. *In mali seminis emissione*; Zizania sparsisse dicitur; hic scopus, hæc meta τ̃ πανέργυ καὶ πονηρῦ; errores in doctrina, scelera & scandala in vita serere, ut ex tritico fiat lolium infelix.

4. *In loci adsignatione*: seminat lolium ἀνὰ μέσον per medium, vel in medio tritici, atque ita non in proprio regno, sed in alieno agro, quod pessimum, quod dolendum, quod deplorandum.

USUS I. Informatorius.

I. De summa Dei bonitate, ex mera gratia agrum sibi in mundo h. e. Ecclesiam plantantis. 1. Cor. 3,6.

Ecclesiæ militantis conditio.

II. De militantis Ecclesiæ conditione & qualitate, quæ nunquam ab omnibus scandalis libera, sed semper admixtos habet impios, tanquam zizania, quod probant

1. *Scripturarum testimonia:* 1. Cor. 11,19. Mat. 7,21. & 18,7. & 20,16. & 22,14. Joh. 8,39. Rom. 2,28.29. & 9,6.8.
2. *Exempla,* quæ suppeditat nobis Ecclesia Adæ, Noæ, Patriarcharum, Prophetarum; Esa. 5.2. Christi, Joh. 6,70. Apostolorum. Joh. 15,2. 1. Cor. 1,12. & 5,1.
3. *Typorum præludia:* 1. Pet. 3,21. in arca Noæ erant omnium animalium genera. 2. Tim. 2,20.
4. *Egregia similia:* 1. Tim. 3,15. Cant. 4,12. Esa. 61,11 Psal. 1,3. Matth. 3,10. Luc. 13,7. Huc faciunt omnes parabolæ hujus capitis: præsens hæc nihil est aliud, quàm descriptio militantis, quæ hypocritas & improbos passim habet admixtos, non secus ac tritico adnasci solent lolia. Confer D. Gerh. T. 5. L. C. p. 635. seqq. Monradum p. 185.

Boni cum malis & vice versâ cur in Ecclesia permisceantur

III. De causarum, cur Deus permittat in Ecclesia malos cum bonis permisceri, gravitate. Causæ respiciunt vel bonos, vel malos.

Boni 1. in fide & patientia sunt exercendi;
2. humilitati adsuefaciendi; Psal. 106,42.
3. tandem glorificandi. Gen. 6,12. Phil. 2,15.16.

Mali sunt 1. corrigendi; Esa. 30,18.
2. ἀναπολόγητοι reddendi; Sap. 5,7. Rom. 1,20.
3. pœnarum prorogatione emolliendi. Gen. 18,32. 2. Pet. 3,9.

Diaboli malitia.

IV. De extrema diaboli malignitate; Est enim is ex professo Dei & electorum ejus inimicus abjuratissimus; geritque bellum contra semen mulieris ἄσπονδον, μνησίκακον, ἀδιάλλακτον in æternum, propter septem, uti veteres dixerunt, causas:

1. *ob naturæ dignitatem,* à qua delapsus erubescit Deo supplex fieri:
2. *ob peccati firmitatem,* in quo penitùs obriguit:
3. *ob superbiæ immensitatem,* quâ Deo non vult cedere:
4. *ob regni & principatûs singularitatem:*
5. *ob sapientiæ subtilitatem:*

6. ob

6. *ob malitiæ nobilitatem*, quâ sibi gratulatur de eo, quòd Deo & hominibus obesse possit:
7. *ob superioritatem*, quâ Deo vult æqualis, immò superior haberi, quod est Matth. 4.

V. Est autem diabolus ἀνὰ μέσον, in medio tritici, h.e. inter homines, quos vexat, adfligit & lædit variè;

Diabolus ut homines lædat.

1. tum ipsis perpetuò *adversando*; Gen.3,15. 1.Pet.5,7.8.
2. tùm *ut triticum illos cribrando*; Luc.22,31.
3. tùm *mendacia suggerendo* pro veritate; 1. Reg. 22, 22. 2. Thess. 2, 10. 11.
4. tùm *avaritiam inspirando*; Joh.13,2.
5. tùm velut equos & mulos filios incredulitatis *trahendo*: Psal. 32, 9. Et quis omnes illius μεθοδείας enumeret, aut cogitatione saltem adsequi se posse confidat?

VI. Insidiatur homini satan, tribus eum circumveniendi commoditatibus (Vortheil) instructus:

Diabolus quid pensi habeat in homine decipiendo.

1. Est callida diu multumque exercitata *nequitia*; habet experientiam:

2. *temporis vicinia*; novit enim tempus consummationi seculi destinatum imminere; Apoc. 12,12.

3. *voluptatum appetentia*, facilisque hominum consensus, qui ad rerum temporalium magis propendent amorem, quàm ut animam curent. Hi sunt, qui dormire dicuntur, h.e. nullam pietatis & virtutis actionem seriò exercent; nihil minùs vel cogitantes ac diligentes, quàm Deum. Dormit in illis fides, spes, caritas &c.

II. Consolatorius.

1. Christus passim per mundum universum spargit semen suum, in εὐδοκίας suæ testificationem; 2 Sam.14,14. 1.Tim.2,4. 2.Pet. 3,9. Zizania tolerat, in μακροθυμίας significationem. Ezech. 33, 11. Rom.2,4. Luc.15,7.

2. Manebit Ecclesia aliqua; est enim (1) articulus fidei, verbum autem Dei manet in æternum: Esa.40,8. & 54,10. & 59,21. Ergò etiam cœtus id recipiens. (2) Christus nobiscum est usque ad seculi hujus consummationem. Matth.28,20.

Ecclesia manebit.

III. Monitorius.

Præparemus sulcos cordis nostri, ad recipiendum semen sanctum, & fugienda omnia offendicula. Orandus etiam Deus, ut qui naturâ sumus lolium, meliores evadamus, Matth. 15, 19. 1.Pet. 1,23. Joh.15,5.16. 1.Cor.3,6.

IV. Refutatorius.

Anabaptismus de Ecclesia.

1. Anabaptistarum, ejusmodi requirentium in hac vita Ecclesiam, quæ non nisi piis & sanctis constet hominibus; quem errorem cum Donatistis & Catharis habent communem. Verum angelica ejusmodi Ecclesiæ facies in hac vita speranda est nunquam. Prov. 24, 17. Job. 14, 4. Ps. 32, 6. Rom. 7, 21. seq. Comparat h. l. Ecclesiam Christus cum agro, in quo inter triticum sunt zizania, filii sc. Belial.

Papismus de Ecclesia V. T.

2. Pontificiorum; 1. Ecclesiam V. T. regnum cœlorum fuisse negantium; quem Costeri errorem refellit Dn. Meelf. in Vindic. th. 4. & seq.

de zizaniis.

de causa peccati.

2. Solam Papisticam doctrinam esse bonum semen, Lutheranam zizania, contendentium: refellit dictus auctor th. 14. usq; ad 50.

3. Erroris crassi B. Lutherum & arguentium, ac si uterque Deum causam peccati constituerit, hunc in modum in ipsos denotante Scherero Jesucidâ. p. 189. a. postill. Zu unsern Zeiten seynd Martinus Lutherus und sein Gespan Philippus Melanchthon, mit dieser gotteslästerlichen Lehr bald im Anfang auffgezogen. Dann Luther hat ausdrücklich gelehrt: Gott wircke und thue das Böse in den Gottlosen/das ist/(ita per glossam blasphemam verba Lutheri interpretatur sycophanta, in Luthero nullibi exstant:) Gott breche die Ehe in den Ehebrechern/ Gott stele in den Dieben/ Gott verrahte in den Verrähtern/Gott schlage zu todt in den Todtschlägern/ Gott treibe die Hoffart in den Hoffärtigen/Gott lüge in den Lügnern ꝛc. Si quæras ex Jesuvita, ubi locorum ita docuerit Lutherus? In margine addit: Luth. in assert. art. 39. Habentur illæ Tom. 1. Lat. Jen. fol. m. 293. usque ad 314. ubi articulo 36. qui agit de libero arbitrio fol. 311. b. hæc leguntur verba: Nam & mala opera in impiis Deus regit. Vides quâ fide referant & allegent Esawitæ Lutheri verba: aliud certè est regere, aliud est operari & facere. Præterea concurrit Deus ad malas actiones ut causa remota, non proxima, quatenus motum à Deo habent etiam mali homines. Adhæc agit Lutherus de libero arbitrio, prout consideratur in causis salutem concernentibus. Facilè itaque animadvertit quivis rectè sentiens, manifestâ hanc esse injuriam, ex mero maledicendi, calumniandi ac detrahendi studio profectam. Et ex eodem fonte accusationem etiam Philippi profectam esse, habemus persvasissimum, quâ ex loco quodam commentarii in epistolam ad Romanos, ejusdem illum blasphemiæ reum peragere conatur. Opponimus sycophantæ nihil aliud,

aliud, quàm verba A. C. ex art. 19. quæ sic habent: tametsi Deus creat & conservat naturam, causa tamen peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo avertit se à Deo. Sed satis jam de prima parte.

PARS II.

Sequitur jam secundâ parte accurata de Zizaniis exstirpandis deliberatio, in qua occurrit

I. *Utriusque & lolii & tritici adparentia*; utriusque præcessit seminatio; utriusque sequitur in crescendo felicitas: prior autem est tritici felicitas; prius fuit tempore sationis; prius est etiam proventu emergente: posterior est lolii proventus; tritico enim jam enato adparet demum. Et quanquam in prima germinatione agnosci nequeat, imitatur enim boni seminis colorem: tandem tamen utrumque crescere deprehenditur; agnoscitur autem ad frugem ubi est perventum, h. e. quando spicam concipere & emittere cœpit.

II. *Servorum cura & diligentia*, in observando lolio adhibita. Studium enim, fidem & industriam erga patremfamiliâs probant, tùm *accedendo*, pertinent enim ad familiam ejus; tùm *revelando*, non reticendo ea, quæ minùs recta & utilia in agro deprehenderunt; tùm *inquirendo* in ea, quæ non intelligebant satis, Zizaniorum puta originem; dormierant enim serente illa hoste, unde in probabili sese ignorantia versari existimabant. Tractatur hæc particula διαλογιστικῶς, per formam colloquii, quod constat duplici servorum interrogatione, ac duplici patrisfamiliâs responsione. Observare hîc est

1. *servorum ἀγανάκτησιν, indignitatem*, quâ non sine stomacho quærunt, unde in agro Zizania? ἀπορία sive ratio dubitandi est ista; quia bonum semen in agrum tuum, itidem bonum, seminâsti. Collectio est talis:
   Ex bono semine in bono agro non potest nisi bonus etiam fructus enasci:
   Tu verò bonum semen in bonum agrum seminâsti.
   Ergò non nisi bonus fructus inde debebat enasci. Corrigitur argumentatio canone Logico: positis causis naturalibus, & non impeditis, sequitur effectus.
2. *Vera causæ ἔνδειξιν, ostensionem sive demonstrationem*, verbis: *inimicus homo hoc fecit.* Quibus verbis & paterfamiliâs excusatur & culpa transfertur in veram causam efficientem, inimicum hominem, de quo vide dispos. 1.

3. βȣλἑυσιν καὶ βȣ́λησιν; *fervorum confultationem & voluntatem*, h. e. ftudii & fervitii oblationem: nam & tritici fortem dolent, & fuam contra zizaniorum felicitatem operam offerunt famuli, parati radicitùs evellere lolium: Vis igitur abeamus, & colligamus ea? Petentes his verbis veniam five permiffionem, & ftudium fimul fuum prolixè promittentes; quin & *συμπάθειαν* conteftantes, quâ condolent adverfæ, quam ager bonus experiatur, fortunæ.

4. ἐπίκρισιν, *decifionem* patrisfamiliâs, meliùs & conducibilius proferentis confilium; neutiquam enim confultum fore cenfet, in zizaniis eradicandis jam occupari; hac adjectâ ratione, quia fieri facilè poffit, ut evellendo zizania, fimul & eradicetur triticum, atque ita damnum majus, quàm commodum emergat. His tandem fubjicitur

III. Finalis Patrisfamiliâs de lolio fententia, verf.30. comprehenfa: Cujus enarrationi inferviunt duo:

1. *Propofitio*, confilium proferens patrisfamiliâs de ζιζανιοφορία his verbis: *Sinite pariter crefcere utraque, usque ad meffem.* Confilium hoc vim habet mandati: (1) jubet lolio fpacium ac locum crefcendi concedere; συναυξάνεσθαι, fimul crefcere vult utrumque & triticum & lolium; utrumque enim in agro Dominico; utrumque fub illius patrocinio; cùm aliàs confilio fervorum paratum effet zizaniis exterminium, ut hoc vel tritico incommodum fuiffet ac damnofum. (2) Tempus determinat, quousque tolerantia illa & crefcendi facultas durare debeat, nim. usque ad meffem, per quam intelligitur feculi confummatio; quia tunc omnes homines futuri funt maturi, ad percipiendum præmium, five bonum, five malum; eo tempore fiet refectio. Apoc.14,14.

Meffis feculi.

2. *Propofitionis vel confilij ratio*, defumta ab effectu vel fortuna utriusque futura. Defcribitur eventus vel effectus ille fecundum feriem caufarum. Oftenditur enim

1. *Caufa efficiens principalis:* Dicam ego, Filius ille Hominis, ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν, Actor. 10, 42.

2. *Caufa inftrumentalis*; dicam mefforibus, Angelos intelligens bonos, de quibus verf.39.41. pronunciat, quòd mittendi fint, collectum è regno Chrifti omnia fcandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Promittitur ergò purgatio Ecclefiæ à zizaniis do-

Angeli meffores.

doctrinæ, vitæ ac morum, & ab omni scandalo, h.e. quicquid unquam & uspiam offendit pios, ut est, hypocrisis impiorum, successus malorum, misera bonorum sors ac conditio, mortis metus, fames, bellum, in summa, quicquid piis fuit offendiculo

3. *Causa materialis*, comprehendens ambitu suo bonos & malos; illi tritici, hi lolii vel zizaniorum nomine veniunt. Boni, qui & filii regni suprà dicti, vocantur triticum, cui conferuntur ratione

Boni triticum sunt, & cur.

1. *adcretionis*, nascitur in paleis, sicut pii inter impios:
2. *dilectionis* seu magnæ æstimationis; triticum est finis ultimus laboris sive agricolationis, propter quem omnia:
3. *triturationis* & ventilationis; innuitur crux & calamitas, Act.14,22. 2.Tim.3,12. Matth.3,12.
4. *mundationis* sive ablutionis, per regenerationem; Johan. 3, 3.5.
5. *adsimilationis*; exteriùs est rubicundum, interiùs candidum: Matth.5,8.
6. *confortationis*, Luc.22,32.
7. *repositionis*, de qua paulò pòst.

Lolio ex adverso vel zizanio comparantur impii, filii τοῦ πονηροῦ, propter

Impii sunt zizania, & cur.

1. *floris amœnitatem*; Psal.37,35.
2. *vitiositatem*, quæ consistit in
   1. *frugum suppressione*; 1.Cor.15,33.
   2. *succi subtractione*; Ps.14,4.
   3. *capitis & oculorum læsione*.
3. *levitatem*; Ps.1,4.
4. *inutilitatem*, nihil præter florem profert;
5. *vilitatem*.

4. *Causa formalis & finalis*; ea autem variat, ob varietatem subjectorum, lolii & tritici. Lolio vel zizaniis adjudicatur

1. *resectio & demersio*, quam Evangelista dicit collectionem, è numero videlicet tritici:
2. *segregatio* vel separatio, de medio justorum, & à visione Dei eos secludendo: Esa.26,10. ut quemadmodum naturâ & auctore differunt; ita loco deinceps etiam distingvantur:
3. *Colligatio* in fasciculos, quod hodiè spinis & sentibus fieri solet. Gregor. *Fasciculos*, inquit, *ad comburendum ligare, est eos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut quos similis culpa coinquinat, par etiam pœna constringat.* Cogitemus, secun-

cundum S. Vincentium, quomodo ibi erunt (1) in uno fasciculo Imperatores, Reges, Principesque mali; (2) in alio erunt omnes Ecclesiastici prælati mali; (3) mali religiosi; (4) quartus fasciculus habebit malos judices, advocatos, notarios &c. (5) quintus malos presbyteros & cleros; (6) sextus superbos; (7) septimus avaros & usurarios; (8) octavus luxuriosos, & sic de aliis peccatis.

4. *Combustio* & in ignem æternum præcipitatio; mittent enim illos in caminum ignis; ibi erit ploratus stridorque dentium. Esa.66,24. Apoc.9,6. Vide infrà Domin. 20. post Trinit. Ita Deus (juxta August. in Ps.92.) ad præsens habenas laxat, sed posteà adstringit. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exsultat, nondum traxit hamum piscator. Et in Ps. 94. *Ad tempus laborat bonus, & ad tempus floret malus.*

Jam quoad triticum vel filios regni, illi communem quidem cum zizaniis habebunt demessionem & segregationem: ut propria autem illis adsignatur *1. diligens adservatio.*

2. in horreum Domini comportatio, h. e. in locum tutum & securum, ubi tria habebunt;

1. sanctorum communitatem;
2. à malis securitatem;
3. Divinæ visionis felicitatem.

USUS I. Informatorius.

Præter testimonia de die novissimo, de mundi interitu, extremo judicio & vita æterna, de quibus omnibus videantur loci Theologici, & libelli methodici, examinanda hoc loco præ ceteris venit doctrina

Impiorum pœna in inferno.

I. De æterno impiorum cruciatu vel supplicio, quod augebit & acerbius efficiet

1. ignis inferni inexstingvibilis; Esa.30,33. & 33,12. & 66,42. Matth.25,41. Apoc.21,8.
2. caligo horribilis; Ps.49,20, Job.10,22. Matth.22,13.
3. cohabitatio diabolorum terribilis; Es.34,9. seq.
4. sitis indelebilis; Luc.16,24.
5. spes misericordiæ consequendæ in æternum inanis & fallibilis; Prov.11,7. Sap.5,11.8.
6. inquietudo incessabilis. Apoc.14,11.

II. De

II. De tolerandis malis, in gratiam bonorum, ne & ipsi periclitentur. Finis enim ministerii est ædificatio, non destructio. Differt etiam ipse Deus pænam tribus potissimùm de causis:

Mali tolerandi.

Pœnam cur Deus differat.

1. ut sit impiis spacium pœnitentiæ; Rom. 2, 4.
2. ut perficiatur eorum malitia, & justior sit illorum, nisi resipiscant, condemnatio;
3. ne eradicetur simul triticum, quod solus Deus dignoscit, qui novit, qui sint futuri sanabiles.

III. De non persequendis vel tollendis religionis causa hominibus; conscientiis enim Magistratus secularis non dominabitur. Svadeat hoc

Religionis causa nemo persequendus & necandus.

1. *debita Christi imitatio*, qui non vult eradicari lolium;
2. *fallax hominum dijudicatio*: Vera Ecclesia non persequitur, sed persecutionem patitur;
3. *Certa in futuro judicio separatio.* Vide horum omnium deductionem, apud D. Schleupn. post. p. 220. seq.

II. Consolatorius.

I. Messis brevi adpropinquabit, ubi pii ab impiis separabuntur. Matth. 25, 32. Johan. 16, 22. Psal. 126, 2. Apoc. 14, 14. 15. 16. Johann. 4, 36.

II. Etsi inimicus homo, h. e. interprete Christo, diabolus, filios hujus seculi, quos Paulus υἱὲς τ̃ ἀπειθείας, incredulitatis filios vocat; Eph. 2, 2. in agrum mundi seminet: Deus tamen conservat semen sanctum, filios regni, velut oves in medio luporum. Esa. 10, 21. Rom. 9, 27.

III. Quòd licèt instar fragilis culmi, inter lolium & carduos aculeatos, in agro mundi aliquamdiu nobis sit commorandum in die tamen novissimo congregabimur in horreum Dei ibique mirificè in æternum recreabimur. Psal. 126, 5. 6. Esa. 30, 26. Phil. 3, 20. 21.

IV. Horreo comparatur vita æterna ratione

Vita æterna horreū:

1. *puritatis*; Apoc. 21, 27.
2. *securitatis*; Apoc. 21, 4.
3. *voluptatis & jucunditatis.* Psal. 16, 11. & 17, 15.
4. *liberalitatis & satietatis.* Apoc. 2, 17. & 7, 16. 17. Esa. 49, 10. & 66, 1.

III. Monitorius.

Monemur 1. ut licet evelli non possint zizania ante novissimum diem, quod intempestivi Zelotæ vellent; unusquisque tamen in suo statu enixè ea reprimere & avertere allaboret. 2. Tim. 4, 2. Gal. 5, 12. Devt. 13, 5. Rom. 13, 3. 4. Levit. 19, 17. Luc. 17, 3. Interim monemur.

II. De patientia, in lolio tolerando declaranda. Luc. 21, 19.

Pœnitentia maturanda

III. De pœnitentia studio serio maturanda, ne inter zizania deprehensi in furnum ardentem projiciamur Matth. 3, 7. 2. Corrint. 6, 14.

IV. Refutatorius.

Papismus de fide non servanda hæreticis.

Pontificiorum, 1. fidem hæretico servandam esse non tàm verbo, quàm facto negantium: vide contrariam adsertionem defensam à Dn. Meelf. in Vindic, th. 66. 67.

De hæreticis è medio tollendis.

2. Existimantium etiam, hæreticos esse è rebus humanis tollendos, à Magistratu etiam capitali supplicio adficiendos; & sub hoc prætextu falso immane quantum sævitur in veros & constantes Evangelii confessores, quos dicunt zizania, sive verum, sive falsum. Cum pontificiis, quoad hanc impietatem, amicè conspirant ex Calvinianis non pauci. Tonsor noster Jebusiticus postill. p. 189. in hunc modum scribit: Etliche misbrauchen das heutige Evangeli dazu / daß sie daraus vermeinen zu erhalten vnd zu erzwingen / der Obrigkeit sey verboten / vberzeugte vnd verdamte Ketzer vnd Sectenmeister (Benè! quis nos convicit hæreseos! quis nos damnat? Papa ex ore Christi & Pauli ipse judicatus & damnationi adjudicatus:) in gebührliche Straffe zu nehmen: dann der Haußvater hab jeseinen Dienern vntersagt / das Vnkraut außzurauffen vnd außzujetten. Et rectè quidem. Ego quoad hanc controversiam remitto Lectorem ad Dn. D. Gerh. qui Tom. 6. L. C. p. 1051. & seqq. prolixè ex hac parabola refutat Pontificios. Confer Dn. Meelf. th. 68. & seqq. D. Theodor. anal. Evang. part. 1. p. 414. & seqq. & alios passim. Augusti. *Nemini*, inquit, *bono unquam placuit, in hæreticum sævire usque ad sanguinem.* Lactantius: *Defendenda est religio, non occidendo, sed moriendo* (al. legunt, moriendo) *non sævitiâ, sed patientiâ, non scelere, sed fide. illa enim malorum sunt, hæc bonorum.* Lib. 5. divinarum institut. pag. m. 229.

DIS-

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

ECclesia in hac vita comparatur agriculturæ; 1. Corrint. 3, 9. Gallat. 6, 8. quæ fert triticum & zizania. Nostra autem plurimùm interest scire, an bonum, an verò malum simus semen. Videbimus igitur ex hodierno Evangelio, *quid potissimùm spectare debeat is, qui instar tritici crescere, & fructum in vita æterna manentem, vel (uti textus habet) intra horreum Domini congregari exoptat.*

Ἐξήγησις.

Propositum est Salvatori, filios regni erudire, quo nimirùm pacto in agro Ecclesiæ, in bonum triticum feliciter adcrescere, & tandem in horrea cœlestia congregari possint. Eo vero fine ut piorum quivis potiatur, considerandam nobis proponit.

I. Seminantis benignitatem. Quis ille? Filius hominis, inde usque à primo mundi exordio agrum Ecclesiæ studiosè colens. Non enim est currentis, neque volentis, sed solius miserentis Dei. Romanor. 9, 16. Esaiæ 1, 8. 9. Johann. 15, 5. Matth. 15, 13. Hodiè ἐμμέσως agrum colit, benedictionem laboribus ministrorum verbi desuper adspergens. Psalm. 68, 34. Esaiæ 55, 10. 1. Corrin. 3, 6. & 15, 58.

II. Agri bonitatem & fertilitatem. Ager est mundus. Nulli enim loco alligatur Ecclesia, quod à Pontifice Romano ejusque adulatoribus factitari novimus. Act. 10, 34. 1. Cor. 1, 12. seqq. Marc. 16, 15 Rom. 10, 19. Col. 1, 6.

Ecclesia loco non alligatur.

III. Seminis generositatem. Semen sunt filii regni, hoc est, omnes fideles. Non pugnat hæc interpretatio cum altera illa parabola, Luc. 8. quâ verbum Dei semen nuncupatur. Semen enim dupliciter consideratur: (1) in se, ante sationem: (2) in agro, quatenus crescit. Eadem est ratio verbi. 1. Pet. 1, 23. 2. Pet. 1, 19. Psalm. 119, 105.

IV. Patiendi longanimitatem, ad quam hortatur famulos ipse Paterfamiliàs. Nimis rigidi & frivoli olim fuerunt Novatiani, qui Catharos sese supercilio plus quàm Pharisæico nominare solebant; post Baptismum semel lapsos Ecclesiæ suæ communione prorsus excludentes; cum quibus faciunt hodieque Anabaptistarum factiones. Necesse est ut veniant offendicula;

Novatianorum rigor.

Matth. 18,7. oportet esse hæreses ἐν ὑμῖν; 1. Corint. 11, 19. non auctore Deo, sed impulsore satanâ, zizania hominibus dormientibus spargere nunquam cessante. Ferendum itaque, quod mutari non potest: sed & orandum, ut eripiamur ab absurdis & perversis hominibus. Chrysost. in Matth. fol. m. 93. a. Rursus eos verbo Johannis commonefacit, quibus judicem ipsum fore adserebat dicens, parcendum esse zizaniis, quousque unà cum frumentis in agro sunt: quia possunt in frumenti statum commutari. Si verò nihil hac longanimitate Domini lucrabuntur & recesserint, tunc inevitabilis pœna necessariò eos suscipiet.

V. Crescendi facilitatem; non cœpisse sat est, sed crescere & fructum ferre oportet Christi fideles. Johann. 15, 16. Ephes. 4, 13.

VI. Ministrorum sedulitatem. In zizaniis observandis requiritur & Concionatorum, & Magistratûs studium indefessum, cum pio & ardenti zelo conjunctum. Ezech. 3, 17. & seqq. Esaiæ 58, 1. 2. Timoth. 4, 2. Romanor. 12, 8. Vide autem, inquit d. l. iterum Chrysost. & ipsorum servorum diligentiam. Nam etsi non prudenter, sedulò tamen ad evellenda zizania festinant, quæ res solicitudinem ipsorum ac diligentiam erga satanam ostendit; quodque ad unum solummodò respiciant, non ut pœnas inimicus luat, sed ut jacta semina non depereant. Hieron. in Matth. Tom. 9. oper. fol. m. 20. a. *Non dormiat, qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania*, h. e. hæreticorum dogmata.

VII. Messis hilaritatem, quâ fiet divortium bonorum & malorum sempiternum. Sap. 15, 15. 10. Psalm. 126, 2. seq. Matth. 13, 45. Dan. 12, 3. Hieron. d. l. Quòd autem dixit, zizaniorum fasciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea, manifestum est, hæreticos & hypocritas quosque fidei gehennæ ignibus concremandos, sanctos verò, qui adpellantur triticum, horreis i. e. mansionibus cælestibus suscipi. Concludimus orantes cum Ecclesia: *Familiam tuam quæsumus Domine continuâ pietate custodi, ut quæ sola spe gratiæ cælestis innititur, tuâ semper protectione muniatur: per Jesum Christum, Filium tuum dilectum, Dominum nostrum. Amen.*

DO-

DOMINICA SEPTUGESIMÆ,

EVANGELIUM

Matth. 20. à verſ. 1. ad 17.

1. ΟΜοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

2. Συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

3. Καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς.

4. Κἀκείνοις εἶπεν· ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα· καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, δώσω ὑμῖν.

5. Οἱ δὲ ἀπῆλθον. Πάλιν ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην ὥραν, ἐποίησεν ὡσαύτως.

6. Περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἐξελθὼν, εὗρεν ἄλλους ἑστῶτας ἀργοὺς, καὶ λέγει αὐτοῖς· τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί;

7. Λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. Λέγει αὐτοῖς· ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, λήψεσθε.

8. Ὀψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ· κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων.

9. Καὶ ἐλθόντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον.

1. NAm ſimile eſt regnum cœlorum homini patrifamiliàs, qui exiit primo ſtatim diluculo, ad conducendos operarios in vineam ſuam.

2 Conventione autem factâ cum operariis in ſingulos dies denario, miſit eos in vineam ſuam.

3. Et egreſſus circiter horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos.

4. Et illis dixit: Ite & vos in vineam: & quodcunq; juſtum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Rurſum autem exiit circiter ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter.

6 Circa undecimam verò horam exiit, & invenit alios ſtantes ocioſos, ac dicit illis: cur hic ſtatis totum diem otioſi?

7. Dicunt ei; quia nemo nos conduxit. Dicit illis, abite & vos in vineam, & quicquid fuerit juſtum, accipietis.

8. Cùm autem veſpera facta eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à poſtremis uſq; ad primos.

9. Et cùm veniſſent qui circa undecimam horam, acceperunt ſinguli denarium.

10. Ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν, ὅτι πλείονα λήψονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον.

11. Λαβόντες δὲ ἐγόγγυζον κατὰ τοῦ οἰκοδεσπότου.

12. Λέγοντες· ὅτι οὗτοι ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας, τοῖς βαστάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν καύσωνα.

13. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν ἑνὶ αὐτῶν ἑταῖρε, οὐκ ἀδικῶ σε· οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;

14. Ἆρον τὸ σὸν, καὶ ὕπαγε· θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοί.

15. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;

Matt. 19, 30 & 22, 14 Marc. 10, 31 Luc. 13, 30.

16. Οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι· καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi; & acceperunt ipsi quoque singuli denarium.

11 Et cùm accepissent, murmurabant adversus patremfamiliás;

12. Dicentes; Hi novissimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstum.

13. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, nõ facio tibi injuriã: nonnè denario pactus es mecum?

14. Tolle quod tuum est, & abi: volo autem huic novissimo dare, sicut & tibi.

15. Annon licet mihi quod volo facere in rebus meis? An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sim?

16. Sic novissimi erunt primi: & primi novissimi: . Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

PEricope præsentis Evangelii duum est generum, didascalici nimirùm & judicialis. Ad didascalicum genus pertinet parabolica similitudo de patrefamiliás, operarios in vineam suam conducente, & pro labore inæquali mercedem æqualem distribuente, ut doceat, gratis conferri denarium in vinea Domini laborantibus. Ad judiciale verò genus, ejusque statum juridicialem spectat id, quod primi operarii quæstionem movent, an justè fecerit paterfamiliás, primis novissimos in mercedis distributione exæquans, necne? Partes Evangelii iterum tres constituimus, quarum

I. *Vineæ descriptionem;*
II. *Operariorum in vineam vocationem vel conductionem;*
III. *Mercedis conditionem* considerabit.

PARS

PARS I.

Ad primæ partis enarrationem spectat

I. Πρότασις *sive propositio* ipsius parabolæ, istis verbis expressa: *Regnum cœlorum simile est homini patrifamilias, qui exiit ad conducendos operarios in vineam suam.*

II. Ἐξήγησις, *parabolæ expositio*; ubi

1. Per regnum cœlorum iterum non intelligit regnum venturi seculi; sed Ecclesiam in his terris, sub duce Christo, contra peccatum, satanam, mundum, mortem & infernum militantem, sumtâ metaphorâ à regno terreno. Dicitur autem Ecclesia, N.T. cumprimis regnum cœlorum, non quòd fidelibus V.T terrena saltem bona fuerint promissa, quod Anabaptistarum est delirium; sed

Regnum cœlorum Ecclesia.

Cur Ecclesia N.T. regnum cœlorum dicatur.

1. Respectu habito ad vaticinia V.T. de regno Messiæ: 2. Sam.7,12. 1.Par.17,11. & 28,7. 2.Par.7,18. Ps.89,30. Dan. 2,44. &c.
2. Quia est regnum gratiæ, quod per prædicationem Evangelii sibi Christus colligit, & cives ejusdem per verbum & Spiritum S. regit, illosque contra omnes adversarias potestates tuetur; vicissim subditi ipsi, ut Regi obsequia debita præstant; atque ita hac adpellatione omnia Christi beneficia comprehenduntur. Luc.11,20. Col.1,13. Matth.9,15. & 13,38. & 16,19, Ps.45,4. 1.Pet.2,9.
3. Quia non est temporale aut politicum, nec more mundano administratur, nec adfert bona terrena, sed cœlestia. Luc.17,20. Joh.18,39.
4. Quia sonat in eo doctrina cœlestis, & Deus in verè fidelium cordibus auspicatur regnum suum, operando in ipsis lætitiam, justitiam & pacem in Spiritu S. Roman. 14,17.
5. Quia ad regnum cœleste nemini patet aditus, nisi per regnum & ex regno gratiæ. Matth.5,20. & 8,11. & 18,3. Eph.5,5. Jac.2,5. Patet inde non terrena, sed cœlestia hoc loco tractari mysteria.

2. Paterfamiliâs est Deus ipse, Pater ille cœlestis, magnus familiæ suæ (Angelorum & generis humani) Pater summè φιλόστοργος: Ps.24,1. & 103,13. Joh.17,1. domus ejus generaliter est mundus, specificè Ecclesia. 1.Tim.3,15.

Deus Paterfamiliâs.

3. Vinea est Ecclesia, quam cœlestis ille Paterfamiliâs inde usque ab orbe condito plantavit, & ex humano genere per certa media col-

Ecclesia vinea.

collegit. Frequens est hæc in sacris literis comparatio, uti videre est. Deut. 32,32. Psal. 80,9. Esa. 5,1. seq. & 27,2. Matth. 21,33. Johann. 15,1. seqq.

Vitis Christus. 4. *Vitis* optima, propter quem omnia, est Jesus Christus: palmites viti huic inserti, sunt omnes baptizati; Galat. 3,27. Joh. 15,1.2. ab illo fructum ferentes.

Vineæ h. e. Ecclesiæ cultura. 5. *Cultura vineæ* fit ab ipso Patrefamiliâs Deo, & quidem quadrupliciter:

1. *Exeundo*; exit Pater miserendo; Filius descendendo; vel incarnando; Spiritus S. docendo.
2. *Operarios conducendo*;
3. *In vineam illos mittendo*;
4. *Mercedem promittendo*.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

BonitasDei I. Initiò spectanda proponitur ineffabilis Dei bonitas, eligentis & plantantis sibi in genere humano vineam, h. e. Ecclesiam. Esa. 5,2. Jer. 2,21. Matth. 21,33. Confer D. Finck. post. p. 576.

II. Beneficia itaque Dei sunt merè gratuita, & sine ullo nostro merito nobis contingunt. Eph. 1,4. & 2,8. Rom. 3,27. & 8,2. & 9,13 2. Tim. 1,9. Gal. 2,3. Tit. 2,5.

Ecclesiæ cum vinea collatio. III. Ecclesia non incongruè confertur cum vinea;

1. *propter Scripturæ evidentiam*; usitatissimum enim est in V. T. describi Ecclesiam sub nomine vineæ. Deut. 32,32. Psal. 80,9. Cant. 2,12. & 6,10. & 7,12. Esa. 3,14. & 5,1. seqq. & 60,21. Jer. 2,21 & 12,10. Ezech. 17,6. Joel. 1,7. & alibi.
2. *Propter typorum elegantiam*; Noacho plantante vineam, Gen. 9,20. Nabotho vineam suam sibi eripi dolente, & ipsius causâ mortem ferente: 1. Reg. 21,13. Cant. 8,13. his similia habentur.
3. *Propter vinearum in Palæstina frequentiam*: Deut. 8,8
4. *Propter mutuam utriusq; convenientiam*; ita conditio Ecclesiæ ob oculos nobis statuitur. Consistit autem illa sive collatio, sive convenientia,
   1. *in nobilitatis æstimatione*. Vitis nobilissimum & generosissimum inter arbores germen: Psal. 104,15. Ita Ecclesia est cœtus hominum, quem Deus singulari amoris adfectu prosequitur, nihil enim carius ac preciosius habet Ecclesia, quam sangvine Filii sui acquisivit, Act. 20,28.

2. *In*

2. *Infirma cohæsione.* Palmites tenaciter adhærent viti, atq; ita fructum ferunt: Christiani Christo implantantur, planè aliàs ἄκαρποι futuri. Joh.15,3.4.

3. *In aliena fructificatione.* Vitis aliunde habet fructificationem; succum enim, humectationem, calorem, omnemque adeò proventum cœlitùs accipit: Pro.20,22. Hebr.6,7. Ita omnis nostra in bono fructificatio non nostrarum est virium, sed auctorem habet Deum, fontem omnis boni abundantissimum. 1.Cor.2,14. 2.Cor. 3,5. Eph.2,3. Rom.3,13.

4. *In cultura duratione.* Vineæ labor actus redit in orbem: Sic cœlestis Paterfamiliâs totus in Ecclesiæ plantatione, conservatione, ædificatione videtur & est occupatissimus. Esa. 5,3.4. & 65.2. Matth.23,17.

5. *In accuratâ amputatione.* In vite quotannis luxuriantes rami cum lignis & racemis superfluis solent resecari, qua in parte summa requiritur vinitoris prudentia, scientia & dexteritas, ne malum amputando bono noceat: Consimilem in modum resecandæ sunt de corpore Ecclesiæ pravæ carnis illecebræ, concupiscentia mala, & reliqua veteris Adami scandala, ut vetus homo crucifigatur, corpusque peccati destruatur, Romanor. 6, 6. novus contrà homo subinde exsurgat, vires & incrementum capiat, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Ephes. 4,14. Confer Romanor. 8,5. & 13,12. seq. 2.Corint.5,17. Gal.5,24. Colos.3,5.

6 *In sustentatione:* Sicut ergò palis adfiguntur vites: Ita nos ad verbum sumus alligati. Ezech.20,19.Ps.119,105.

7. *In foliis collustratione:* ideò enim certo anni tempore folia vitibus decerpta removentur, ut radii solares tantò faciliùs ad justam maturitatem perducere uvas queant: haut secùs omnia obstacula pio homini sunt removenda, ne soli justitiæ obicem figere velle deprehendantur.

Vide de elegantissima hac similitudine D. Theodor. in anal. Evangel. pag. 428. 429. ubi vineam Ecclesiæ comparari ob quatuor adserit.

1. *Ob Scripturam:* 2. *ob structuram:* 3. *ob culturam:* 4. *ob pressuram.*

Beneficia Dei in vineam h. e. Ecclesiam.

IV. De beneficiis, quæ Deus in vineam suam & contulit olim, & hodieque conferre solet. In horum censu sunt

1. plantatio; vites post lapsum insertæ corruptioni subjacent; ante diluvium tantùm sylvestres fuisse, quidam censent, Noachum igitur invenisse artem insitionis & transplantationis, ut agrestes vites mitescerent; homo initiò bonus creatus; postmodum corruptus; Devt. 32,31. Jer. 2,21. Deus artem invenit transplantandi in Christum. Joh. 15, 1. Rom. 11,14. Vide de hoc beneficio D. Gerh. part. 1. harm. Chemnitio Lyser. p. 873. 874. 875.

2. Vineæ munitio, per sepis circumductionem, Psal. 80,13. Esa. 5,2. 5. Vide d. l. pag. 877. 878. 879. 880.

3. Torcularis effossio: Esa. 5,2. pag. 881. & seqq.

4. Turris exædificatio. Ib. p. 885.

5. Vineæ elocatio: Matth. 21,33. Ib. p. 887.

6. Vineæ visitatio. D. Chemn. harm. cap. 132. p. 229.

V. Christianorum est, de vinea animæ curanda adprimè esse solicitum; modum culturæ monstrat D. Theod. p. 430. 431.

VI. Danda est opera omnibus, ne palmites sint vel fiant arescentes. Devt. 32, 32. Esaiæ 5, 2. Matth. 21,41. 43. Johann. 15,6. Hebr. 6, 8.

PARS II.

Vidimus vineam Dominicam; sequitur operariorum sive vocatio, sive conductio, quam summâ diligentiâ confectam esse arguit egressus quinquies repetitus.

Primus egressus hunc in modum describitur: habet is

1. causam efficientem vel auctorem, diciturque Paterfamiliâs; quis ille sit, jam modò parte primâ diximus, Deus videlicet, creaturarum omnium Dominus. Usitatum autem fuit Christo, in parabolis adpellationem hominis addere Deo: Matth. 18, 12. 14. 23. 25. & 21, 28. 33. & 22,2. tùm propter Dei φιλανθρωπίαν; quia enim homines amat, hominis adpellationem non renuit; tùm propter Filii ἐνσάρκωσιν sive incarnationem; tùm propter hominis ad imaginem Dei ποίησιν; tùm propter nostri consolationem. Devt. 33, 3. Heb. 2, 11. Neque hoc solùm, sed Patrem etiam nominat;

Deus cur homo dicatur.

Deus Pater dicitur.

1. propter paternam dilectionem; Esa. 63,16. Sap. 11,25.

2. propter creationem; Esa. 64,8. Mal. 2,10.

3. propter sustentationem; conservationem, gubernationem, & beneficiorum in filios collationem; Devt. 32, 6.

4.

1. *Propter hereditatis æternæ oblationem.* Rom. 8, 17. Neque hoc tantum, sed patremfamiliâs etiam dicit, vel ut Syrus habet, Dominum domûs, respectu totius mundi, quem gubernat, & omnia in eo administrat. Triplicem enim nonnulli Deo familiam adsignant, triumphantem in cœlo militantem in terra, & trepidantem in gehenna. Sed quamvis Dæmones & animæ damnatorum pertineât ad familiamDei, ratione potestatis & jurisdictionis; Phil. 2,10. videntur tamen à familia Dei exclusi, sicut servi immorigeri & contumaces subditi, ad perpetuos carceres damnati, à familia domini domûs excluduntur. D. Gerh. part. 1. Harm. Chemnitio-Lyser p. 870.

Deus Pater familiâs.

FamiliaDei triplex.

2. *Temporis circumstantiam,* exiit ἅμα πρωῒ, summo mane bald mit dem Morgen. Intelligunt non pauci vocationem Patriarcharum antediluvianorum, ab Adamo usque ad Noachum, ut primo loco in vineam h. e. ad Ecclesiam vocatorum: sed hi contradicentem habent B. Lutherum, eò quòd de Patriarchis dici nequeat, quòd ingratè contra Deum murmurârint. Alii igitur exponunt de illis, qui ab ineunte statim ætate vocati & conversi sunt.

3. *causam finalem.* exiit ad conducendos operarios in vineam suam; quo nomine veniunt non concionatores saltem, sed omnes in universum homines, Christiani cumprimis. Modus conducendi consistit. 1. *in sanctorum prædicatione*;
   2. *in beneficiorum largitione vel communicatione*;
   3. *in interna inspiratione*;
   4. *in peccatorum correctione*.

Græcum συμφωνεῖν proprium est Musicorum, cùm ex diversis vocibus unus conficitur concentus harmonicus; hoc loco pro consensione, quæ in contractibus bonæ fidei requiri solet, accipitur.

συμφωνεῖν.

4. *Causam formalem* conductionis: pactus est cum operariis in singulos dies denario, qui valet duos bacios cum dimidio, vel secundum alios, grossum angelicum, ein Schreckenberger.

5. *Effectum,* misit eos in vineam suam.

Secundus egressus describitur & ille

1. *à temporis circumstantia,* quòd factus sit circiter horam tertiam, quæ est nostra nona antemeridiana. Judæi enim abortu Solis usque ad occasum horas suas numerare solebant; quo respectu apud Judæos prima hora fuit ea, quæ ab exortu Solis erat prima; undecima, quæ proximè occasum præcessit.

Horæ Judd.

2. *A situ & loco*, quòd invenerit operarios ſtantes in foro otioſos.

3. *A forma* conductionis diſſimili; paciſcitur enim cum illis mercede indefinitâ & incertâ, juſtâ tamen.

4. *Ab effectu* vel conſequente: illi autem abierunt.

Tertius egreſſus, cui ſtatim connectitur etiam quartus, notatur

1. *à temporis circumſtantia;* factus enim dicitur circiter horam ſextam, noſtram duodecimam, in ipſa meridie; & nonam, cui noſtra tertia pomeridiana ferè reſpondet.

2. *Ab effectu*, ſimili nempè patrisfamiliâs diligentia.

Quintus egreſſus ſuam habet delineationem

1. *A tempore*, circa horam undecimam, quæ noſtra eſt pomeridiana quinta, circa veſperam, vel veſperæ proxima.

2. *Ab operariorum conditione* vel poſitu; invenit eos ſtantes otioſos. Illuſtratur διαλογισμῷ, quo paterfamiliâs ſocordiam eorum acriter perſtringit; quam ita excuſant operarii, quòd non ſint à quoquam conducti.

3. *A forma conductionis indeterminata.* Hæc parabola ſecundæ partis, quam plerique ita exponunt:

Operarii Dei.

1. *Operariorum* nomine veniunt, uti dictum, omnes homines, voce Evangelii ac Eccleſiæ communionem vocati, certoque vitæ generi in ſacris ἱεραρχίαις mancipati & alligati.

2. *Exire*, conducere, mittere in vineam dicitur, non immediatè, ſed mediantibus verbi divini miniſtris; quibus ſuccenturiatam præſtant operam pii Magiſtratûs & patres, ac matresfamiliâs. Confer D. Chemn. Harm. Evang. d. l. pag. 229.

3. *Diſtincta conductionis temporis* ita communiter explicant Eccleſiarum Doctores; quòd Deus ſummo manè vocârit, ſtatim à creatione mundi, quosdam per Patriarchas, ab Adamo usque ad Noham. Horâ tertiâ patres poſtdiluvianos, à Noha usque ad Abrahamum; qui deprehenduntur otioſi in foro hujus mundi, h. e. operibus & oneribus legis Moſaicæ, nondum latæ, non impliciti. Dn. Chemnit. d. l. pag. 230. ait: invenit eos ſtantes otioſos, i. e. ſine bono. Horâ ſextâ vocatus dicitur in vineam Domini populus Iſraëliticus, per Moſen & Prophetas: horâ nonâ per Chriſtum & Apoſtolos. Circa horam undecimam, h. e. mundi hujus veſperam facta eſt vocatio gentium promiſcuè omnium, quæ & ipſæ ſtant otioſæ in foro hujus mundi, extra Eccleſiam, alienæ à Republ. Iſraëlis & teſtamentis promiſſionum. Epheſ. 2, 12. Verùm enimverò hanc ſententiam Dn. D. Lutherus in poſtill. domeſt. improbare videtur: de

de patribus enim antediluvianis, initiò vocatis, dici nequit, quòd contra Deum aut procuratorem ejus Christum murmurârint. Dn. Chemnitius d. l. ita: *Quoad universum mundum, exiit Deus inde ab initio mundi per omnia tempora & secula. Item, quoad singulos, exit mox à nativitate nostra, ad finem usq; vitæ.* Hæc ille. Patet verò inde, intelligere ipsum per distinctas horas, vel ætates mundi, vel ejusdem hominis distinctas ætates, pueritiam, juventutem, virilem ætatem & senectutem decrepitam. Omnibus enim temporibus ad Ecclesiæ societatem vocavit homines. Esa.65,2. Expandi manûs meas totâ die ad populum contumacem: citiùs tamen hi, tardiùs illi vocantur. Sed omnes & singulas parabolæ partes scrupulosè examinare, supervacaneum foret.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Nemo per se est in vinea Domini; nec quisquam sponte suâ venit ad patremfamiliâs, & ambit locum in vinea, sive ut sit vitis, sive ut sit operarius; sed paterfamiliâs omnes quærit, & in vineam ablegat. Joh.6,44. & 15,3.

II. Deus itaque omnem nostrum conatum & voluntatem suâ vocatione prævenit. Esa.65,1. Jer.9,23. Rom.9,16. & 10,20. 2.Timot.1,9.10.

Deus vocatione suâ nos prævenit.

III. Nostra ad vitam æternam electio, vocatio, justificatio & salvatio, merè est gratuita. Eph.1,4.5.6. & 2,8. Rom.3,27. & 8,30. & 9,11.13.15.16. & 11,35. Gal.2,3.16. Tit.2,5.11. 2.Tim.1,9. 1.Joh.4,10. Deut.10,15. Confer D.Theodor.p.432.433.

Gratuita omnia.

IV. Errant Pelagiani, opera hominis prævisa causam electionis statuentes. Ib.

Pelagianismus.

V. Naturâ sumus sine bono, pleni peccatis & judicandi: neque nos quærimus Deum, ut ipse nos emendet, & in gratiam recipiat: sed si velit is nos salvari, quærit nos, & invenitur postmodum à nobis, ipsum non quærentibus. Esa.65,1. 1.Joh.4,10.

VI. Liberum nostrum arbitrium, in rebus salutem concernentibus, nullum: quia Deus omnes otiosè stantes egressu & vocatione suâ prævenit, & ad operandum in vineam conducit. Ps.51,12. Phil.1,6. & 2,13. Ezech.36,26. 1.Pet.5,10. Gen.6,5. Rom.8,7. & 9,17. 1.Cor.2,14. 2.Cor.3,5. 1.Timot.3,8. Eph.2,1. Coloss.3,13. Actor.10,14. Joh.15,15.

Liberum arbitrium nullum.

VII. Deus non simulatè, sed seriò vocat omnes homines ad sa-

Deus seriò agit.

salutem. 1.Tim.2,4. Marc.16,16. Luc.24,47. Matth.23,37. Esa.65,2.11 Prov.1,24. Actor.17,30. 2.Petr.3,9. Confer D.Theod.in anal.Evang. p.436.437.

IIX. Medium, per quod otiosos & malos in vineam compellere solet Deus est concio Legis.

IX. Hodieque vocamur in vineam Domini per verbi prædicationem. 2.Cor.5,20. Matth.3,2. & 11,28.

X. Nostrum est vocationi morem gerere, & non tergiversari, nec procrastinare. Ps.95,8. Luc.10,10. Matth.22,5. Esa.65,2.

Christianorum officiũ

XI. Officium Christianorum est, in vinea Domini non otiari, non ferias agere, nihil ibi turbare vel destruere, non fabulando tempus terere, non protervè glebis alios petere, vel in opere faciundo impedire; sed laborare strenuè. Genes.3,19. Esa.5,3. Johan.15,16. Job.5,7. Ezech.16,49. 1.Cor.15,58. Galat.5,6. Eph.4, 28. 2.Thess.3,10. Theodor.p.439.

Manè surgendum.

XII. Patresfamiliás decet manè surgere, & peractis precibus rem suam familiarem curare. Prov.26,14.

Otium fuge.

XIII. Nemo stet in foro otiosus; nulla enim major est jactura, quàm temporis Hinc Cato nihil gravius, nihil acerbius tulit, quàm si diem inutiliter transegisset. Quid ergò illi respondebunt Deo, qui inutiliter annos vitæ suæ consumserunt? Quàm graviter illi aliquando dolebunt, cùm conscientiâ evigilante dicent:

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

XIV. Summum Dei beneficium est vocatio gentium, de qua alibi.

XV. Consolationem habemus contra tentationem particularitatis, ex vocatione universali, Matth.11,28. Joh.3,16.

Hominis status ante vocationẽ.

XVI. De misero hominis statu ante vocationem in vineam, h.e. ante conversionem: naturâ omnes sumus extra vineam; stamus otiosi ante regenerationem; quæ consideratio facit

1. ad superbiæ innatæ medicamentum:

2. ad gratitudinis incitamentum; Angeli etiam lapsi sunt; sed in gratiam non recepti:

3. ad peccati avocamentum. Restauratio fit per regenerationem & renovationem.

Bona opera non prohibemus.

XVII. De studio bonorum operum: quid statis? Requiritur ergò labor in bono. Calumnia est tripode Esawitico digna, de prohibitione bonorum operum. Vide D. Finck. h. l.

Operariorum officium.

XIIX. De operariorum conditione ac vocatione, qui meminerint,

1. vo-

1 vocationi esse obtemperandum;
2. laborandum;
3. non superbiendum;
4. Dei promissioni esse fidendum.

PARS III.

In ultima parte quatuor potissimùm membra in considerationem veniunt:

I. *Mercedis distributio*, facta
1. vesperi, intelligitur vel seculi consummatio; vel ultima cujusque hominis hora.
2. Mandato & auctoritate Domini sive Patrisfamiliâs, jubentis vocare operarios.
3. Per ἐπίτροπον, tanquam causam mediam vel organicam: significaturque Christus, cui Pater omnia tradidit in manus.
4. Ordine inverso; Curator distribuere jubetur mercedem, sed incipiendo ab ultimis (gentibus) ad primos (Judæos.)
5. Effectu, quoad postremos, bono; illi enim accepto denario contenti sunt.

Denarius quid notet.

Quæritur hîc, quid denarii nomine veniat? Papicolæ per denarium intelligi volunt vitam æternam, quam Deus mercedis loco promiserit fideliter in vinea ipsius laborantibus. Verum hac ratione murmurantes, invidiâ & oculo nequam infames, & ob id extra numerum electorum positas, in æternam adducunt beatitudinem. Absurdum autem foret & planè inconveniens, murmurantibus contra Deum vitam adsignare æternam; pios insuper, integrum diem laborantes, majus aliquod operum suorum postulare præmium, quàm est vita æterna; quin & iis dari vitam æternam, qui non sunt electi: iidem enim sunt primi in parabola, qui non electi. Taceo jam scopum parabolæ, ipsâ Christi adplicatione satis manifestum. Ostendit enim, illos, qui sese existimant primos, h. e. qui confidunt, se perfectè implevisse legem, ac suis operibus vitam æternam promereri posse, coram Dei judicio esse novissimos; ac proinde hanc parabolam meritis operum directe opponit, tantùm abest, ut eadem stabiliri hac parabolâ judicandum sit. Dn. D. Chemnitius per denarium intelligit Christum, redemtionis & solutionis nostræ denarium, siclam, ἀντίλυτρον l. d. l. pag. 231. Illum enim Judæi gentibus semper inviderunt.

Vita æt. nō est denarius.

Denarius Christus.

Quæ

Quæ tamen ſententia minùs probari videtur Dn. D. Gerhardo, qui conſulatur de hac controverſia in poſt. fol. 68. & Tom. 4. L.C. pag. 287. & ſeqq. Lutherus in poſt. dom. per denarium vult intelligi bona hujus vitæ temporalia, quæ ſunt gratuita Dei dona. Alii intelligunt, vel dona Dei gratuita, vel gratuitam vitæ æternæ compenſationem. Vitam autem æternam non poſſe intelligi, exinde etiam manifeſtum eſt, quod denarius detur omnibus operariis, illud verò de vita æterna dici nequit. Sed uti dicebam, conſulatur D. Gerhardus, qui ad ſcopum parabolæ quàm proximè collineare videtur. D. Theodor. diſplicem facit piorum denarium, corporalem & ſpiritualem. Vide anal. pag. 444. 445. D. Schleupn. in harm. p. 111. duplex conſtituit præmium; (atque ita denarium) *1. conductitium*, quod eſt denarium, & intelligitur de externis commodis, corporis incolumitatem & jura Eccleſiæ concernentibus. Deus enim divitias, ſanitatem corporis, dotes animi, inſuper & verbum & uſum Sacramentorum indignis & malè utentibus largitur, immò virtutes etiam in non renatis remunerare ſolet. *2. Gratuitum*, (quod eſt) favor patrisfamiliâs, quo complecti ſolitus fuit etiam poſtremos, bonitati ſuæ unicè confidentes; &, quæ illius favoris & clementiæ effectus eſt, vita æterna.

Bona temporalia.

Denarius duplex.

II. *Primorum operariorum conqueſtio.* Attende eorum

1. πρᾶξιν, ab effectu petitam: murmurant, h.e. de injuria conqueruntur, tùm intra ſe, tùm apud herum; cujus cauſa προκαταρκτικὴ eſt præſumtio vel falſa perſvaſio.

Murmurare.

2. κατασκελιν, à proportione vel collatione laborum ac temporis. Ita enim colligere videntur:

Qui plùs laborant, illis plùs mercedis jure debetur, ut qui minùs laborârunt, minùs mercedis accipiant:

Atqui nos plùs laboravimus ceteris, cumprimis ultimis:

Ergò plùs nobis mercedis jure debetur.

Minor probatur per collationem imparium, quia ultimi iſti unam tantùm horam in opere fuerunt: nos contrà portavimus diei pondus & æſtum. Perſtringuntur h.l. hypocritæ & juſtitiarii omnes, opera & merita ſua immane quantum jactantes; ægrè ex adverſo ferentes, publicanos & meretrices pœnitentiam agentes, ipſos impœnitentes in regno cœlorum præceſſuros, eisque tàm largè gratiam Dei offerri: quales tum temporis erant Phariſæi Luc. 18,19. & Judæi Eſa. 58,9. onere illo & jugo legis Moſaicæ, non moralis tantùm ſed & Leviticæ, de variis iisque difficilibus præceptis ac ritibus, preſſi; ex ejusdem autem obſervatione umbratili,

Hypocritæ & juſtitiarii

tili,juſtitiam quærentes propriam. Expoſtulant igitur, non ſine rancore,fremitu & indignatione cum patrefamiliâs,quem injuſtitiæ & προσωποληψίας manifeſtæ inſimulant.

III. Apologetica patrisfamiliâs reſponſio. Illa autem habet,

1. Loco περιστάσεως ſimplicem ἀπόφασιν: non facio tibi injuriam.

2. Confirmationis loco aliquot argumenta,quibus probatur,præter omne meritum murmuratorem iſtum curatori vel patrifamiliâs ἀδικίας litem denunciare: horum

1. deſumitur *à pacto*; figuraturque ἐρωτήσει καὶ ὁμολογίᾳ, hoc ſenſu:

Quicunq; ſolvit operario mercedem ex pacto & jure contractûs debitam,is nullam eidem facit injuriam:

Ego ſolvo tibi mercedem ex pacto jureq; contractûs debitam:

Ergò nullam tibi facio injuriam; niſi propriam conventionem, quam ratam ipſe ab initio contractûs ſive conductionis habuiſti,juſtitiæ & iniquitatis, adeoque te ipſum accuſare velis.

2. *Ab adjuncta liberâ voluntate*, faciendi quod libet in bonis propriis,mutuatur, hoc ſenſu:

Unicuique licet liberè in bonis ſuis diſpenſare, prout ipſe vult: Utique ergò & mihi licebit idem in bonis meis facere, prout ipſe volo; huic nempè dare ex gratia,quod alteri datur ex pacto,nulla iterum eſt injuria; atque inde jam emergit etiam

2. argumentum, petitum *à bono*: quia ſi ex bonitate vel miſericordia poſtremo do denarium, nulla planè primo fit injuria: eſt enim iſthoc meræ opus miſericordiæ,quæ inter homines etiam nemini vitio,cuivis potiùs laudi datur:

Amplificatur confirmatio iſthæc ἀντικατηγορίᾳ, quâ accuſationem in hominem murmurantem, hoſtem gratiæ retorquet, hoc ſenſu: Tu ipſe injurius es, & mihi miſerenti,& illis miſericordiam exſpectantibus. Oculus tuus malus eſt, quòd ego bonus ſum. Malum oculum per metonymiam ſigni vocat invidum & illiberalem, qui dolet de felicitate aliena, quales tùm temporis erant Phariſæi, Judæis, gentilibus & publicanis converſis ſalutem invidentibus: q. d. an mea benignitas tuos excruciat oculos? Utrum invidiâ commoveris ob id, quòd ego benignus ſim, & liberalis erga tuos συνεργούς? Pudeat te,malevolæ iſtius invidentiæ. Sed dum proxi-

Oculus malus.

mo felicitatem invides gratuitam, næ certissimum in teipso manifestas reprobationis indicium.

IV. Epiphonematica parabolæ conclusio, quæ est instar sive ἀποδόσεως, sive adplicationis: *Sic ultimi erunt primi, & primi ultimi.* Denunciat nimirùm hac clausulâ Servator Judæis & omnibus justitiariis, operum suorum æstimatione turgidis, & contra bonitatem cœlestis Patrisfamiliâs murmurantibus, pœnam rejectionis commeritam: Ultimis autem, h.e. iis, qui nihil in se sentiunt meriti, propriæ saltem sibi infirmitatis sunt conscii, prærogativam in regno cœlorum pollicetur, additâ ratione à subjectis contrariis, vocationis & electionis: quia multi (intelligitur collectivè tota hominum multitudo) sunt vocati; pauci verò (non vocantis Dei, sed propriâ ipsorummet vocatorum culpâ) sunt electi. In Scriptura autem sacra nonnunquam iidem pauci vocantur, qui & multi, inquit D. Finck. cent. 1. can. 23. Et notetur simul, vocationem esse duplicem: *1. unam simplicem*, respectu solius Dei, ad quam non semper sequitur effectus seu obedientia hominum:

2. alteram compositam, respectu Dei & hominum simul; cùm homines vocanti Deo obediunt. Rom 8,30. prior hic locum habet, non posterior.

Ultimi.

Multi h. e. omnes.

Vocatio duplex.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Deus est largissimus laborum nostrorum remunerator. Vide D. Theodor. pag. 444.

II. Merces vitæ æternæ non ex laborum dignitate, sed ex mera Patris cœlestis bonitate distribuitur. Roman. 6,23. Ephes. 2,8. Col. 3,24.

III. Mercedis vocula bifariam, secundum communem Theologorum nostrorum sententiam accipitur:

1. strictè & propriè, pro compensatione laboris debita vel ἰσοῤῥόπῳ.

2. latè & impropriè, pro compensatione gratuitâ, ut Genes. 15,1. Psal. 127,3. Matth. 6,1. Luc. 6,32. Et posteriori hoc significatu etiam in præsenti parabola accipitur, quod contra Pontificiorum justitiam ex operibus notandum. Sed alii rectiùs dicunt; mercedem in genere denotare omnem compensationem, quæ sive gratis, propter solam promissionem, sive ex debito, post exactum laborem datur. Rom. 4,4. Ps. 127,3. Matth. 6,1. Luc. 6,32.

Merces gratuita.

Mercedis vocabulum dupliciter capitur.

IV.

IV. Deus itaque nihil nobis jure debet; merces siquidem est compensatio indebita ac gratuita. Rom.9,30. seqq. & 11,35. Exod.33,19.

Deus nihil debet.

V. Hinc strictè vita æterna merces dici non potest. Eph.2,8 Tit.3,5. Rom.6,23. Luc.17,10. Rom.3,24. & 8,18.

Vita æterna non merces

VI. Falsum proinde Pontificiorum dogma, vitam æternam deberi nostris operibus ex condigno. D.Theod.p.446.

VII. Falsus est etiam Petrus Martyr Calvinista, propter datam ex æquo omnibus mercedem, gradûs præmiorum in vita æterna negans. Dan.12,3. 1.Cor.15,41. Gradûs erunt pœnarum: Ergò etjam præmiorum. Matth.10,15. & 11,21. Luc.12,47.

Petrus Martyr.

IIX. Scripturæ enim est consvetudo, ut ἀνταποδοῦναι dicat pro δοῦναι, & ἀνταποδοῦναι, pro δοῦναι. D. Finck.cent.2.can.93.

IX. Qui per denarium Christum intelligunt, ita concludunt: quando Paulus Eph.1,4. scribit, nos in Jesu Christo electos esse, non absolutè est accipiendum, ac si electio tantùm esset actus in Deo; sed cogitandum, quòd Deus nobiscum pactus sit de Christo, quem firmâ fide adprehendere debemus, ut per fidem in nobis habitet, & nos in ipso inveniamur. D.Chemn.p.231.

X. Commodè hoc loco dissleri potest de bonis operibus. Requiritur autem, ut (1) is, qui vult facere bona opera, sit in vinea, Christo nim. per fidem, ejusque Ecclesiæ per Baptismum insitus, Patri reconciliatus, & per Spiritum S.renatus: (2) sciat qualia opera sint facienda. Matth.15,9. Col.2,23. Consule locos: (3) quacunque horâ Deus vocat, sequatur: (4) in labore & studio bonorum operum non sit ignavus: Jerem.48,10. Rom.12,11. (5) tandem dicat, si omnia fecerit, servus sum inutilis. Luc.17,10. Cetera passim in libellis methodicis sunt obvia. Chemn.p.232.

Bonorum operum requisita.

XI. Infidelium etiam bona opera temporalibus compensari beneficiis consentaneum est. 1.Tim.4,8. 1.Reg.21,29.

Opera infidelium.

XII. Piis etiam ac fidelibus denarium suum confert Dominus, tàm corporalem, quàm spiritualem. Hebr.6,10. Apoc.2, 10. & 14.13. 2.Thess.1,5. Jac.1,12. 1.Tim.4,8.

XIII. Denarium corporalem largitur

Denarius corporalis datur.

1. *salutem ac incolumitatem corporis subministrando*, Exod.23,25.
2. *valetudinem adversam sublevando*; Ps.41,4.
3. *opes, honores ac dignitates conferendo*; Prov.4,7.8. Sir.1,19.21.
4. *Christianam αὐτάρκειαν atq; sufficientiam inspirando*; 1.Tim.6,6,18. 1.Cor.3,22. 2.Cor.6,10.
5. *favorem ac benevolentiam inter homines conciliando*; Prov.3,1.4. & 16,7.

6. Angelorum præsidio ipsos muniendo; Pſ.91,4.11,15. Sir.33,1.Eſ.57,1 2.Petr.2,9. 1.Cor.10,13.

7. dies vitæ prolongando, Prov.10,27. Pſ.128,6.Gen.25,8.

Denarius ſpiritualis ut detur.

XIV. Denarius ſpiritualis eſt vel præſentis, vel futuræ vitæ: dat enim denarium *1. renovationis*, ſanctificationis, illuminationis in fide; Rom 5,1. & 14,17. Luc.17,22.

2. confortationis, in patientia puta, ſub onere crucis: Jac.5,7. Sir.2,3. Proverb. 3, 11. Tob. 4, 20. Rom.5,3.

3. firmæ in fiducia vel confidentia adplicationis: Rom.4,21. & 8,35 38.

4. divinæ conſolationis; 1.Cor.1,5. Jac.1,2.Heb.12,2

5. futuræ retributionis, Pſ.55,23. Matth.5,11,12. & 10,30. & 19,21. Luc.18,29.30.

Denarius poſt vitam.

Poſt hanc vitam verò daturus eſt illis denarium

1. honeſtæ memoriæ; Pſal. 112,6.Prov.10,6. Sir.44,14.15.

2. benedictæ proſapiæ; Pſ.112,2.3. Sir.44,12.13.Exod.20,6.

3. ſempiternæ vitæ ac gloriæ. Apoc.2,10. & 7,17. & 21,4. Jac.1,12. 2.Tim.1,12.

Laborandum in vinea.

XV. In vinea Domini ſtudioſè laborandum eſſe meminerimus: Sic enim mundus labores non agnoſcit, qui reddit pro labore odium; Deus agnoſcet. 1.Corint.9,24. 1.Pet.1,4. Vide Theod. p.449.

Ignavi.

XVI. Caveant otioſi & deſidioſi operarii; nam & illis merces digna labore dabitur. Ibid.p.450.

XVII. Operariis merces ſine mora ſolvenda. Levit.19,13. Deut.24,14. Jac.5,4.

Juſtitiarii.

XIIX. Nunquam deſunt hypocritæ & juſtitiarii, qui labores ſuos & merita ſua immanè quantum exaggerare nôrunt. Luc. 18,9. Eſa.58,3. Mich.6,6.

XIX. Oculis in Scriptura ſacra ſumma amaritudo, attenuatio, defectus, dolor, pœna, triſtitia, malitia &c. (h.l. invidentia) adſcribitur. D. Finck. cent.4. can.16.

XX. Nemini autem vita æterna eſt invidenda. Gal.5,15. Jac. 3,16. 1.Pet.2,1.

XXI. Non eſt de cujusquam converſione, antequam ex hac vita decedat, deſperandum. Luc.23,40. Rom.11, 23. 25.

Vocatio diſtincta in vineam.

XXII. Deus nonnullos vocat manè in vineam ſuam, h.e. maturè, in ipſo juventutis flore, culturæ vel cuſtodię vineæ ſuæ, adhi-

hibet, & ſinit eos pondus atque æſtum diei portare, i. e. aliquibus imponit durum & laborioſum ſtatum; ut vix magno labore pauca apud ſuos efficiant: aliis imponit gravem crucem, infirmitates & morbos, conjugii incommoda, rei familiaris diſpendia, & varia infortunia, ut nihil ipſis feliciter ſuccedat. Aliis feliciter procedunt omnia.

XXIII. In regno Dei ſæpè ex ultimis fiunt primi. Matth. 8,11. & 21,31. Luc. 7,29.30. & 18,14. Contrà — *Ultimi primi.*

XXIV. Ex primis poſſunt fieri noviſſimi: h. e. qui multa fecerunt & paſſi ſunt, propter regnum Dei, poſſunt favorem & gratiam Dei perdere, ut non accipiant (βραβεῖον) 1. Cor. 9,24. ſi nimirùm fidant ſuis operibus, & de obedientia ſua mutila nimirùm glorientur. D. Chemn. cap. 132. pag. 227. & 233. — *Primi ultimi*

XXV. Qui in primis ſunt, h. e. qui in Eccleſia, tàm ratione donorum, quàm ratione laboris aliis prævalent, ſtudeant modeſtiæ, ne ſi inſoleſcent, in poſtremis ſtare cogantur. Rom. 11, 20. 1. Cor. 4,7. — *Primi ſint modeſti.*

XXVI. Doctrina de prædeſtinatione ex libellis quoque methodicis & locis Theologicis huc transferatur.

XXVII. Signa electionis ſunt, — *Electionis ſigna.*

1. *vocatio*, ut ſis in vinea; electi enim extra cœtum vocatorum non ſunt quærendi:
2. *fidei in Chriſtum inflammatio*; Deus enim ita nobiſcum pactus eſt: Joh. 3,16. Marc. 16,16.20.
3. *boni operatio*, h. e. ſtudium bonorum operum, quæ de fidei veritate teſtantur. Matth. 7,18. Rom. 14,23. D. Finck. cent. 4. can. 6.

XXIIX. Vocati in vineam non uno modo ſunt adfecti; quibusdam verbum vocationis audire renuentibus; Pſal. 58.5. & 95, 8. Rom. 10,16. Matth. 23,34. nonnullis tantùm ob bona temporalia Evangelii doctrinam amplectentibus; Phil. 3,19. non paucis in vinea ſtantibus otioſis; vel aliorum labores turbantibus, impedientibus, ridentibus; aliquibus demum ſuperbè murmurantibus. Hinc mirum adeò non eſt, vocationem quidem multorum, electionem vero paucorum eſſe.

XXIX. Electio enim ad vitam æternam non eſt univerſalis, quod Huberus ſomniabat, ſed particularis. D. Theod. p. 454. — *Huberianiſmus.*

XXX. Particulæ univerſales in Scriptura ſæpè in infinitum non extenduntur, ſed ad materiam ſubjectam reſtringuntur; non autem ſemper. D. Finck. cent. 1. can. 36.

XXXI. Sic oblatione gratiæ, ad ejus collationem non valet consequentia. Ibid can. 58. Item à Dei decreto, ad electorum paucitatem, non V. C. Ib. can. 83.

XXXII. Operam autem demus omnes, ut in numero simus paucorum electorum. D. Theod. p. 455.

XXXIII. In externo Ecclesiæ cœtu sunt quidam non sancti; quia pauci electi. Vide D. Gerhard. Tom. 5. L. C. p. 635.

XXXIV. Ecclesia vocatorum latiùs patet Ecclesiâ electorum. Ib. pag. 686.

XXXV. Unde sciri possit, esse aliquem in numero electorum; signa infallibilia sunt,

Electionis signa,

1. vocationis necessitas;
2. operationis assiduitas;
3. vera animi humilitas. Vide Poll. in post. fol. 267.

XXXVI. Colophonis loco notetur, murmuratores gratiam omnem perdere *1. laboribus h. e. operibus propriis fidendo;*
2. patrifamiliâs sese opponendo;
3. reliquis invidendo.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

HAbetur in prælecta parabola concio dulcissima; ob oculos nobis statuens, tùm elegantissimam Ecclesiæ sub imagine vineæ *picturam:* tùm diligentissimam vineæ istius *culturam.* Nos duo ex præsentis Evangelii περικοπῇ tractanda nobis proponemus κεφάλαια, contemplaturi

I. Operariorum in vineam missionem vel conductionem;
II. Justam mercedis sive distributionem, sive solutionem.

PARS I.

Quoad prioris διέξοδον, diligenter attendendum, tùm (1) ad personas contrahentes; tùm (2) ad ipsum contractum.

1. Personæ contrahentes sunt ex una parte paterfamiliâs; ex altera operarii. Quantum ad patremfamilias, commendatur in hac parabola ipsius

1. Oeconomica vigilantia, quam declarat ille
summo manè exeundo; temporis nota sedulitatem exprimit.
2. Operarios diligenter inquirendo & conducendo: non semel ex-

exiisse sat est, aliquoties egressus iteratur: nec frustrà sibi vult labores fieri, constituitur merces labori respondens. Additur igitur finis egressûs, conducere operarios in vineam.

2. *Justitiæ æquitatisq; observantia*; dignum enim judicat mercede operarium. Luc.10,7. Et præterea justum est, ad certos labores destinare homines; non sine vocatione prævia vineam ingredi; ex pacto bonæ fidei cum aliis, etiam inferioribus agere; occasiones querelarum præscindere; non cogere invitos; non spe inani lactare alios; rebus suis omni loco & tempore prospicere.

Ex altera contrahentium parte sunt *operarii*, quorum occurrit

1. *misera conditio*; deprehenduntur enim in foro stantes otiosi, quo nomine vituperantur meritò.
2. *Lacrymosa conquestio*, quòd à nemine conducti; cui exceptioni ita occurrit, ut omnes operarios, distinctis licèt diei horis quæsitos & inventos, sub unâ laboris conditione ac conventione, h. e. mercedis promissione, tùm certæ, tùm indefinitæ, in vineam suam vocaret & ad operandum ablegaret.
3. *Promta vocationis susceptio*: Operarii enim non detrectâsse leguntur vocationem, sed abiisse in vineam.

II. *Contractum* quod spectat, consistit ille

1. *in laboris impositione*;
2. *in mercedis promissione*. de qua secundâ parte dicendum nobis veniet.

Parabolica hæc sunt omnia; explicationis itaque indiga.

1. *Regnum itaq; cœlorum* est Ecclesia, seminarium illud divinarum plantarum & sangvine vinitoris protrudens quotidiè vites & palmites, vinea Dei, quæ (uti Bernhardus loquitur) *in fide plantata, in caritate radices mittit, defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis, exuberante vino, in quo est lætitia non luxuria.* — Regnum cœlorum.

2. *Occasionem* parabolæ præbuit quæstio Petrina de præmiis, de qua videre est clausula capitis præcedentis; in quorum perceptione multi ex primis futuri novissimi, & ex novissimis primi. Scopus autem principalis parabolæ est iste, indebitam omnibus conferri gratiam & multimodæ vocationis varietatem ad unam restringi gratiam, uti ex Ambrosio & Augustino demonstrat D. Pelarg. quæst in Matth. fol. 213. b.

3. *Paterfamiliâs* est ipse Jehovah, vineam spiritualem per verbi ministerium in mundo plantans. Es. 5,2. & seqq. Ps. 80,9. confertur autem patrifamiliâs Deus, & sui & nostri respectu, & quidē ratione — Deus paterfamiliâs, & cur.

1. *ani-*

1. *amplæ possessionis*; Domini est terra & omnis plenitudo ejus. Psal. 24,1.

2. *accuratæ domûs dispositionis*, qua officia distinctè constituit, ablegans operarios suos in vineam tùm prædicationis, tùm politicæ gubernationis, tùm œconomicæ administrationis:

3. *paternæ erga familiam suam adfectionis*; Psal. 103,13.

4. *providæ circumspectionis*;

5. *largæ domesticorum nutritionis*;

6. *debitæ subjectionis & venerationis*: 1. Pet. 2, 17.18. Psal. 29,1.2. & 123, 2. 3. 4.

Vitis Christus.

4. *vitis* generosa est Dei unigenitus Filius, Gigas ille geminæ substantiæ, cui per Baptismum inserantur Christiani. Joh. 15,5. Viti autem se confert, non labruscas ferenti sed viti

1. *Odoriferæ*; Christus enim optimum de se spargit odorem tùm Evangelium prædicando; 2. Cor. 2,16. tùm pro mundi peccatis Patri sese offerendo: Eph. 5,2.

2. *Fructiferæ*; Ipse enim fert fructus gloriæ, gratiæ & opulentiæ; per hos autem intelliguntur omnia Christi beneficia, quæ acquisivit nobis moriendo, & offert ea in Evangelio, ut sunt corona gloriæ, remissio culpæ, imputatio justitiæ, collatio gratiæ, donatio vitæ, & quæ ad illam prætereà spectant.

Operarii in triplici statu.

5. *Operarij* sunt omnium ordinum Christiani, qui distinctis horis vocantur; considerantur autem ratione statûs triplicis; quorum

1. est *corruptionis*; de omnibus n. narratur, quòd (1) steterint, (2) otiosi, (3) in foro hujus mundi; (4) proprium deploraverint fatum vel infortunium. Chrysost. *otiosi stant, qui mundo, carni & diabolo, non Deo laborant.*

2. *Vocationis & operationis*, ubi distincti occurrunt operariorum ordines & genera.

3. *Æternæ remunerationis*, quæ & ipsa ratione subjectorum, hypocritarum, justitiariorum & fidelium, distingvitur.

Horæ Dei in vinea.

6. *Horæ* distinctæ respiciunt potissimùm continuam Ecclesiæ collectionem, inde usque à primo mundi exordio, ad finem usque seculi conservandam & continuandam. Esa. 66,2. Psal. 50,1. Quod autem operarii à luce prima in vesperum conducuntur, tripliciter solet explicari:

1. de sex mundi millenariis, qui singuli duas horas continent, in quibus operarii sunt conducti: 2. De

2. De quinque hominis ætatibus, infantia, pueritia, adolescentia, virili ætate & senectute.
3. De donorum diversitate. Vide Monradum pag.195. 196. Confer de locis distinctis D.Pelarg.fol.214.a.b.

Vocatio hominum.

7. Vocat autem Deus homines in vineam, tùm αὐτοπροσώπως καὶ ἀμέσως, tùm ὀργανικῶς καὶ ἐμμέσως. Exod.4,12. 28. Num.18,1. Act.16,3. & 20,28.

Operarii

8. Operarij sunt partim primarii, docentes in Ecclesia; partim secundarii, in Scholis, Politia & Oeconomia, suam patrifamiliâs industriam, suo quisque loco probantes.

USUS I. Informatorius.

Vocatio ad vitam æt. gratuita.

I. De gratuita nostri ad vitam æternam vocatione. Naturâ enim sumus ad fructificandum planè ἀνεπιτήδειοι, sive inidonei. Esa.5,4. Jer.2,21. Matth.3,10. & 7,16. seq. Eph.2,3.Deus autem nos vocat ex gratia: 2.Tim.1,9. nostrum est parere vocationi. 1.Pet.2,9.

II. De misera hominis ante conversionem conditione. Est extra vineam, alienus à vita Eph.2,12.& 4,18. Ezech.16,4. & seqq. Esa.59,2.Gen.6.5.Rom.3,23.1.Cor.2,14.

Dei erga nos φιλανθρωπία.

III. De paterna Dei ac benevola erga nos miseros homines adfectione, quam declaravit.
1. *vineam plantando*, h. e. Ecclesiam sibi in genere humano colligendo.
2. *per verbi ministerium ad Ecclesiæ communionem nos vocando:* Esa.9,1.Luc.1,79. Eph.5,8.
3. *præmium laboris gratuitum promittendo.* Eph.2,8.1,Tim.4,8.

Ecclesiæ cũ vinea comparatio.

IV. De Ecclesiæ cum vinea, & Christi cum vite collatione. Convenit Ecclesia cum vinea
1. *in nobilitate vel pretiositate:* nulla possessio vineâ preciosior, inquit Cato de re rustica: Act.20,28.Esa.62,4.Cant.4,13.
2. *in plantationis necessitate;* non spontè profert fructus, ut prata.
3. *in deformitate*, sive externa speciei vilitate: Esa.53,2.3. & 54, 11. Soph.3,12.Luc.12,32.
4. *in ligni inutilitate:* Ezech.15,2.3.4.
5. *in palmitum duplicitate* vel qualitate; sunt boni & mali: Vide D.Gerh.part.1.harm. Chemnitio Lyser.pag.872.
6. *in laboris varietate & perpetuitate:* Joh.15,2. Vide ibid.& Monrad.p.201.)
7. *in pressuræ gravitate;* venit hoc nomine crux & adflictio:

8 in fructûs jucunditate:

9. in palorum firmitate; fixurâ opus est propter ventum; sublimitas in vitibus bona: ita non sapiamus terrena; τὰ ἄνω πρὸς καλλίω. Col. 3, 1. 2.

Christus vitis. Sic Christus viti comparatur, propter

1. fœcunditatem; Psal. 128, 2. Joh. 1, 12.

2. durationis longævitatem; Esa. 53, 8.

3. fructûs suavitatem; Sir. 24, 23.

4. adcretionis sublimitatem; Psal. 80, 12.

5. vini salubritatem; Psal. 23, 5. Cant. 5, 1.

6. debilitatem; Esa. 53, 3. Psal. 22, 7. Ezech. 15, 2.

7. loci caliditatem;

8. foliorum proprietatem, repræsentant quinque vulnera Christi. Vide de his plura apud Tungerl. in promt pair. 1. p. 121. 122.

D. Calixtus in Concord. Evang. de hac similitudine p 436. in hunc modum differit: Adpositè vitem se dicit potiùs, quàm aliam quandam arborem. Vitis enim (1) cum lignum habeat despectissimum, præstantissimum tamen & dulcissimum præ reliquis omnibus profert fructum: Ita quoque Servator contemtus & abjectissimus virorum; Esa. 53, 3. cujus adspectus corruptus inter viros & forma ejus præ filiis hominum; Esa. 52, 14. morte suâ vitam mundi & salutem æternam promeruit. (2) Deinde ut circa vites colendas maximum & præcipuum est agricolarum studium: ita quoque æterni Patris in exornando & glorificando Filio suo. Denique (3) ut vitis est putari: ita à corpore Christi inutilia & infrugifera tolluntur sarmenta. Hæc ille.

II. Consolatorius.

Deus seriò vult hominum salutẽ. 1. Consolatio insignis fluit ex operariorum in vineâ vocatione: inde enim constat, Deum seriò velle hominum salutem. Ezech. 18, 23. 1. Tim. 2, 4. Tit. 2, 11. 1. Tim. 4, 10. 1. Joh. 2, 2. 2. Pet. 3, 9. Hic commodè dissertatio potest institui,

Vocatio Dei universalis. *1. de universali Dei vocatione;* Impiam quidem hanc vocitat sententiam, impius ille Piscator Herbornensis; cui opponitur

1. maximè seria Dei voluntas;

2. mortis Christi universalitas

3. verbi & Sacramentorum generalitas. Vide libellos methodicos.

2. *De particulari hominum electione*, quæ facta κατὰ πρόθεσιν: Rom, 8,28. & 9,11. Joh.6,39. Eph.1,5.9, 11. κατὰ πρόγνωσιν. Rom.8,29. 1. Pet.1,23. Act. 2,23. & tamen etiam κατὰ τάξιν. Joh.3,15,16. Matth.28, 18. Marc. 16,16.

Electio particularis

3. De certo, respectu Dei, electorum numero. Luc. 10,20. Joh. 10, 14. 15. & 13,18. 2.Tim.2,19. Sequuntur inde duo πορίσματα:

1. Electio non est absolutè universalis, quemadmodum Huberus dicebat, omnes homines esse electos; cui opinioni reclamat

Electio nō absolutè universalis

1. ipsa vox electionis, quæ particularitatem arguit:
2. infallibile Christi testimonium: Matth.20, 16. & 24,24.
3. Pauli suffragium: Rom.9,11.12. Act. 13,48. 2.Tim 2,19.
4. inscriptionis in librum vitæ beneficium: Dan.12,1. Phil. 4,3. Apoc.21,27. Luc.10,20. quod impiis denegatur. Apoc. 13, 8. & 17.8. & 20,17. Vide August. de C.D.lib. 20.cap.15.

Hubertianismus.

2. Electi possunt amittere gratiam Dei & Spiritum Sanctum; idque manifestè probant tùm exempla lapsorum Angelorum ac hominum, Adæ & Evæ, Lothi, Davidis, 2 Sam. 11,4.16. quæ cum fide & SpirituS. non possunt consistere: Eph.5,3.19. Psal.51,13, Ezech.18, 26. Matth. 18, 32. & 25,29. Luc.11,24. Matth.26,69. Joh.18,26. Rom.11, 20. 1.Tim. 1, 19. 1. Cor.9,27. Heb.6,4 & seq. & 10,19 seqq. 2. Pet. 2,20. seq: tùm distinctio inter renatos & electos.

Electi possunt excidere gratiâ.

2. De immensa cœlestis Patrisfamiliâs erga homines tàm bonitate, quàm caritate, quam exerit, tùm manum totâ die ad populum rebellem extendendo; tùm amicè, cùm in nullo nostri indigeat, ut adsimus, compellendo; tùm reluctantes etiam vocando; tum profugas & perjuros recipiendo; tùm infantes, senio confectos, ægros & infirmos, laboribusque ferendis insufficientes, non adspernando; tùm serò venientes de vinea non excludendo. Quod ergò in terreno patrefamiliâs facit cupiditas, amor lucri & necessitas; hoc sola in Deo facit caritas, nostri amor & bonitas; unde nostra sic curat, nosque sic amat, ac si ipsius salus à nobis & nostra non ab ipso pendeat.

Dei bonitas & dilectio.

III Monitorius..

1. Ut sedulò & subitò, absque ulla tergiversatione vocantem Deum sequamur: ubi venit nox, nemo operari potest. Psalm. 95, 8.

Laborandū 2. Ut unusquisque in suo statu diligenter operetur; quia in Ecclesia non regnabit ignavum ocium, sed bonorum operum exercitium. Job.5,7. Psal. 128,2. Benè a. operandum est propter tr causas:

1. Dei mandatum, sive honestum:
2. Pœnam vel supplicium: Exod.30,5. Matth. 7,19. & 25,2
3. necessarium; nostra enim regeneratio requirit, ut bona opera sequantur justificatum, veluti arbor fructum profert.

IV. Refutatorius.

Papismus de propria ad gratiam adplicatione. 1. Pontificiorum, qui de hominis ad gratiam sese adplicand facultate plurimùm deblaterant. Ajunt enim illi, voluntatem e suis naturalibus posse se disponere, faciendo quod in se est, ad gratiæ susceptionem, quod figmentum parabolicâ hac concione to tum prosternitur. Quod enim Bellarm. lib. 6. c.10. de grat. & lib arb. dicit: Homo est Operarius, est rigator & plantator; Erg habet liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus; facil concederemus, si loqueretur de conatibus, pertinentibus ad externam pædagogiam, in usurpandis mediis divinitùs propositis jam verò de illa quæstione nulla ferè est dubitatio; potest enim homo ex se & ex propriis viribus templum accedere, Scripturam legere discere, literaliter intelligere, aliis proponere; etiamsi ipse fidelis non sit, 1.Cor.9,27. Matth. 6, 20. Adversarius autem longius progreditur, & viribus naturalibus cooperationem ad intellectum spiritualem, ut & ad obsequium fidele attribuit, quod est ἀντίχρ... 1.Cor.2,14. 2.Cor.3,5. plus etiam in consequente infert, quam antecedens permittit: neque enim sequitur; homo est operarius: Ergò ex propriis viribus. Rom.9,16. 1.Cor.3,7.

Calvinismus de vocatione. 2. Calvinianorum, Deum seriò omnes omninò vocare homines negantium. Nugas enim agunt, quando in duplici Dei voluntate, revelata & abscondita, signi & beneplaciti, morbidæ suæ causæ patrocinium quærunt, contendentes, voluntate revelatâ vel signi vocare quidem Deum omnes homines, non autem absconditâ vel beneplaciti. Sic homines isti

1. Deum faciunt hypocritam;
Scripturam reddunt dubiam & incertam
3. voluntati divinæ contrarietatem haut obscurè adfingunt. &;
4. desperationi demum portas bipatentes adaperiunt.

PARS II.

PARS II.

Posterioris partis explicationi inservit.

I. Æquitatis & justitiæ observatio; mercedem enim ex æquo omnibus jubet distribuere paterfamiliâs. In textu notetur

1. *temporis ratio*, quando mercedis facta fuerit solutio; vesperâ nimirùm ingruente:
2. *Personarum intimatio*, quæ triplices; una (1) mandans, Dominus vineæ seu Paterfamiliâs ille cœlestis: (2) altera dans seu distribuens, ἐπίτροπος, procurator, Dei & Mariæ Filius, cui Pater omne dedit judicium, Joh. 5, 27. (3) tertia accipiens, operarius quivis.
3. *Ordinis præscriptio*; ordiatur ab ultimis, & procedat ita ad primos in præmiis distribuendis.
4. *Falsa imaginatio*; primi enim operarii spem sibi majoris sive meriti, sive mercedis fecerant; quâ tamen excidunt, eò quòd ex pacto laborârint pro denario; reliqui nihil habebant spei de merito, sed ex gratia & liberalitate Domini & vivunt, & præmium accipiunt. Ita merces datur æqualis, licèt impares fuerint labores.

II. Operariorum primi ordinis obmurmuratio, orta tùm ex superciliosa superbia & *jactantia*; tùm ex proximi *invidentia*. Omnes sunt contenti, soli primi murmurant, h. e. de injuria conquæruntur, tùm inter sese, quàm apud herũ. Πρόφασις sive prætextus causæ desumitur à proportione Arithmetica, sive collatione laborũ ac temporis, per deductionem ad τὸ ἄδικον; illi unâ saltem horâ laborârunt; nos totum diem in opere fuimus, καύσωνα h. e. æstum & onus diei portantes, quod adversatur justitiæ distributivæ: imparia autem merita, imparia præmia; impares labores, imparem mercedem accipiunt. Duplici itaque sibi injuriâ adfecti videntur; tùm quòd ultimi illis præferantur ordine, tùm quòd æqualia dentur præmia.

III. Murmuris repressio, factique herilis apologetica defensio, petita

1. *à forma pacti*, quòd laborârint ex pacto pro denario, qui ipsis datur cùm sit, non habeant ullam querelas movendi causam.
2. *A jure dominii*; quia in propriis bonis liberè agere cuivis licet: ex gratia uni dare, quod altero datur ex pacto, injuria non est.

3. Reprehensione vitij, κατὰ τὸ βίαιον, injuriam in obmurmurantem retorquendo, qui arguitur
   - *1. injustitiæ*; ultra pactum aliquid postulare, injustum est.
   - *2. immodestiæ*; leges aliis præscribere indecorum est & incivile.
   - *3. invidiæ*; ea veriùs nominanda est injuria, quàm gratia & misericordia; quia alienæ invidet felicitati.

IV. Sententiosa conclusio, ad parabolæ scopum principaliter directa.

V. Concionis parabolicæ declaratio, ex dictis manifesta: Curator enim (1) est Christus, cui Pater etiam secundum humanam Naturam omnia in manûs dedit. Joh.13,3. (2) Operarii in duplici sunt differentia; alii mercedem solùm respiciunt; alii promittentis gratiæ confidunt. (3) Denarius quid notet ex dispos. prima constat; dona Dei gratuita, singulis in hac mortalitate collata. Vide D. Pelarg. quæst. in Matth. fol.215. a. & Dn. Meelf. vindic. th.9.10.11.12. Merces inde sequitur duplex, temporalis & æterna; illa datur primis, hæc ultimis. (4) Judæi, quippe Legis φορτοφόροι, existimabant, deberi sibi ex merito vitam æternam: gentes gratis accipiunt Evangelium de Christo, quibus invident Judæi; illæ verò gaudent & plus accipiunt.

USUS I. Informatorius.

Vita æt. datur ex gratia.

I. Vita æterna à Deo datur, non ex merito operum; sed ex mera dantis gratia & misericordia. Rom.6,23. & 9,16.30. Eph.2,8. Mercedi comparatur, non respectu nostri, sed Christi. Esa. 43,24. promeruit cœlum, non sibi, sed nobis. Vide Vindic. Meelführ. th. 68.

Electi hominis γνωρίσματα.

II. Γνωρίσματα hominis, ad vitam æternam electi sive prædestinati, sunt,

1. vocationis firmitas, quæ confirmatur ex
   - *1. Baptismi susceptione*; Marc.16.16. Gal.3,27.
   - *2. Verbi studiosa auscultatione & meditatione*; Luc.11,28. Johan. 8,51. Ps.1,2.
   - *3. fidei in Christo cohæsione*; Joh.1,12. & 3,16. & 6,40. fides autem intelligitur δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Gal.5,6.

2. Laboris assiduitas; Operarios enim requirit Deus, non stationarios; laborem autem intellige
   - *1. bonorum operum*; Ephes.2,10. Tit.2,14. Tugend-Arbeit: electio enim cum peccandi proposito consistere nequit:

2. *pœnitentiæ*, in qua electi quotidiè exercentur; Bus Arbeit.
3. *patientiæ* in cruce. Rom.8,29. Confer D. Gerh. de electione & reprobatione Tom.2.L.C. pag.306. & seq.

3. *Vera humilitas*, exemplo operariorum ultimorum. Melior est humilis in malefactis confessio, quam in rectè factis superba gloriatio.

II. Consolatorius.

I. Ne sub laboris onere vel pondere succumbamus, erecti spe retributionis, circa vesperam subsecuturæ. Genes.15,1. Apocal. 2,10.

II. Dominus Jesus ad se venientes non ejicit foras, sed nec serò venientes despicit. Joh.6,37.

III. Confidentibus Domino & in bonitate ejus sperantibus, militiam interim bonam militantibus, præmia ad vesperam æterna dabuntur. Matth.19,29. Esa.65,21.

IV. Gentes etiam fideles habebunt suam mercedem, rumpantur utilia primis h. e. Judæis invidis. Luc.15,28. Rom.9,30.

Tam benè postremus, quàm benè primus habet.

III. Monitorius.

I. Ne de ullius hominis salute desperemus; quia vera pœnitentia nunquam nimis sera, si vel maximè peccando quis similis factus sit Caino, Herodi aut Judæ, Esa.1,18. Confer Johan. Monrad. pag. 198.

Pœnitentia vera nunquam sera.

II. Ne pœnitentiam procrastinemus; verè enim instat vespera, singulis in morte, omnibus in judicio, & unusquisque mercedem accipiet prout credidit, fidemque benè operando testatam fecit. Joh.5,29. Act.17,31. 2.Cor.5,10.

Pœnitentia non procrastinanda

III. De fugienda impietate, incredulitate, invidia, avaritia, temeritate, jactantia & oculo nequam. Vide Monrad. p.202.203.

IV. Operam ex adverso det unusquisque, ut in numero electorum reperiatur, Matth.7,13. id quod fiet,

Electi ut simus, operam demus

1. *vocationi obtemperando*;
2. *nihil quicquam procrastinando*; hodiè resipiscam, cras de me fiat voluntas Domini:
3. *ante vesperam laborando*; vide D. Bald. post. p.873.
4. *pœnitentiam seriam agendo*, & peccatis renunciando;
5. *humilitati operam dando*;

6. pre-

6. proximo non invidendo ;
7. fideliter omnia curando ;
8. in labore suo non superbiendo ;
9. Dei promissioni fidendo ;
10. in bono ac fide ad finem usq; perseverando.

IV. Refutatorius.

Papismus, de operibus vitæ æt. meritoriis.

Pontificiorum, bona renatorum opera constituentium vit[æ] æternæ meritoria: hinc Tonsor Jebusiticus ita scribit pag. 195. po[st]ill. a. Wir Catholischen sagen/ daß die guten Werck/ die von Sün[dern] Gottes im wahren Glauben vnd durch die Gnad Christi ge[schehen]/ nicht nur etwas zufälliges/ sondern das wahre Himmelre[ich] vnd die wesentliche ewige Frewde vnd Seligkeit selber verdienen v[nd] erobern. Verùm quod datur ex gratia ; donum est Dei in Jesu Chri[sto] merè gratuitum ; salutem non confert homini ; fit à servo inu[ti]li ; vel à servo, faciente ea, quæ Dominus imperavit ; non est cond[i]gnum ad futuram gloriam ; est potiùs κληρονομία ; non habetis pro[]prietates & conditiones meriti, in negotio salutis est σκύβαλον ; i[l]lud nullo modo dici potest meritorium : Vita æterna datur ex gra[]tia ; Eph. 2, 8. Tit. 3, 5. 2. Tim. 1, 9. Act. 15, 11. est donum Dei merè gra[]tuitum ; Rom. 6, 23. bona autem opera salutem homini non confe[]runt ; Eph. 2, 7. Tit. 3, 5. fiunt à servis inutilibus ; Luc. 17, 10. à servis facientibus imperata ; Luc. 17, 9. non sunt condigna ad futuram glo[]riam ; Rom. 8, 18. vita quoque æterna est κληρονομία ; Gal. 3, 18. Co[l.] 3, 24. Matth. 25, 34 Rom. 8, 17. Tit. 3, 7. Jac. 2, 5. bona verò opera no[n] habent proprietates & conditiones meriti ; neque enim sunt opu[s] indebitum, ex propriis viribus hominis profectum ; quod pro[]illi, cui præstatur, præmio denique adæquatum ; tandem haben[]tur in negotio salutis ut σκύβαλα ; Phil. 3, 7. 8. Quâ ergò ratione dici possint meritoria, dispiciat Jesucida, qui Sycophantam & So[]phistam agit, à nostratibus quoque operibus meritum tribui loc[o] citato fingens. Quo enim respectu meriti nomen in hac controver[]sia non abhorreamus, ostendit D. Chemnit. in Exam part. 1. pag. 33[] & seq. Videat, qui volet de hac materia D. Echart. in pandect. par[t.] 2. pag. 449. & seqq. pag. maximè 454. ubi ὁμωνυμίαν vocabuli me[r]cedis evolvit. Totam verò controversiam de bonis operibus fals[ò] à Pontificiis super hoc Evangelio superstrui, prolixè demonstrat Dn. Meelf. in Vindic. à th. 13. usque ad 71. eò Lectorem remitto.

DIS

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

DIcendum nobis veniet, *de indefesso studio vigiliã, cura, quam vinea sua Ecclesiastica cœlestis ille colonus impendere solet.*

Dei in vinea colenda studium.

Ἐξήγησις.

Contemplamini mecum, ô charissimi, præsentis Evangelii περισκοπήν, fatabimini sat scio uno ore omnes, nihil planè de sua diligentia, in curanda vinea Ecclesiastica, facere reliquum cœlestem nostrum Vinitorem. Toti nimirùm ille terrarum orbi conspiciendam præbet suam, quam vineæ culturæ adhibet, industriam,

I. ad operarios quinquies exeundo. Fruimur hodieque insigni isthoc Dei benignissimi beneficio,

1. in misericordiæ divinæ perceptione, de qua Luc.1,78. Ose.11, 8. & aliis in Scripturæ locis penè infinitis:

2. in Filii ad nos missione, cujus Incarnatio ingressus in hunc mundum dicitur; Hebr.10,5. Psf.40,5. Gal.4,4. Luc.19,10. Johann. 16,28. 1.Tim.1,15.

3. in verbi concione. Heb.1,1.

II. Operarios in vineam vocando & conducendo. Vocatio ista partim est *generalis*, ad societatem Ecclesiæ, quæ est communio sanctorum; Coloss.1,13. *specialis*, secundum tres hierarchias.

III. Mercedem operariis destinando & distribuendo. Ab omnibus requiritur fidelitas; 1. Corint.4,2. quam si patrifamiliâs probaverint, accipient illi ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον, immarcessibilem gloriæ coronam, 1.Petr.5,4. audituri jucundissimum illud fidelitatis testimonium, Matth.25,21. Euge serve bone! quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Posset ad præsentis Evangelii declarationem uberiorem, (ut ἐκ περιουσίας illud quoque subnectamus) haut incommodè huc quoque accommodari locus de Ecclesia, quæ vineæ, tùm hoc loco, tùm alibi in Scriptura passim, comparatur, propter

1. Domini certitudinem; vinea habet certum possessorem vel Dominum; Ecclesia Christum. 1.Pet.2,25. Mat.21,33.37.

2 Domini solicitudinem; Zach.2,5. Cant.8,11. Esa.5,2.

3. laboris magnitudinem;

4. amplitudinem; Psal. 80, 12.

5. *vitium tùm multitudinem, tùm dissimilitudinem:* Ecclesia habet Judæos & gentes;

6. *amœnam pulcritutinem;*

7. *odoris & fructûs plenitudinem.* Occurrit autem in hac Ecclesiæ cum vinea collatione

Ecclesia quid

1. *Vera Ecclesiæ vera definitio*, quòd illa sit regnum cœlorum. Intelligendum hoc est non de terreno aliquo mundi regno; sed de spirituali Christi regno, quòd in his terris per Evangelii ministerium instaurat, ædificat, stabilit, munit, defendit. Ecclesia itaque Romano-Catholica, cùm secularia potiùs, quàm spiritualia tractet curetque, & jus sibi utriusque gladii, quo jure quavè injuriâ, violenter quodammodo arroget, de veræ Ecclesiæ titulo frustrà omninò gloriatur. Luc. 22,25. Joh. 18,36,

Ecclesiæ fundamentum.

2. *Recta fundatoris fundamentiq; cognitio.* Fundator Ecclesiæ suæ est Paterfamiliâs cœlestis. Fundamentum vel lapis fundamentalis, super quem exstructa, contra portas Erebi firma stat & manet Ecclesia, est Christus, lapis ille preciosus, lapis angularis, de quo Psal. 118,22. Act. 4,11. Matth. 21,42. 1. Pet. 2,7. 1. Cor. 3,11. Papa econtrà Ecclesiam suam pseudo catholicam non super petram, Matth. 16,8. sed super Petrum exstruere volens, ruinosum hoc & arenosū esse fundamentum, suamque Ecclesiam malignantium esse colluviem, manifestè nimis prodit.

Antiquitas Ecclesiæ veræ.

3. *Antiquitatis præscriptio.* Antiquissimum enim quodque verissimum. Antiquitas porrò Ecclesiæ veræ ab ipsa usque mundi origine repetenda. Hic certè ἅμα πρωῒ, summo statim diluculo, h. e. in Paradiso exiens Paterfamiliâs noster, è genere humano sibi Ecclesiam colligere cœpit: inde quoque progressus continua serie, per idem doctrinæ cœlestis genus, Legem puta & Evangelium, eandem propagavit. Dicat jam mihi aliquis, ubi temporibus V. T. & primitivæ in N. T. Ecclesiæ Papa Romanus? cui fidelium cognitus? Certè ante aliquot secula parum admodum, nec nisi in mysterio, 2. Thess. 2,7. de sede Romana, Ecclesiæque isto ψευδοθεμελίῳ constitit Christi fidelibus. Circa annum demum Christi 590 Gregorius, cognomento Magnus, primus Papa Romanus, tanquam ἔκτρωμα aliquod intempestivum, prodiit: purgatorii ille fabulosi (cujus veritas D. Augustino semper suspecta fuerat) propugnator acerrimus. Vide plure apud D. Osiandr. Centur. V. lib. 4. cap. 6. & seq.

4. Ope-

4. Operariorum vocatio. Operæ ipsorum, ad normam & voluntatem Patrisfamiliâs, unicè ordinandæ & distribuendæ veniunt. Qui enim fecerit voluntatem Patris cœlestis, is demum regni cœlorum heres futurus perhibetur, Matth. 7,21. Ezech. 20,19. Pontificii ex adverso putant, si modo totum diem sint in opere, & diei pondus atque æstum Papisticarum traditionum tolerent, suo se fecisse officio satis, & deberi sibi vitam æternam ex condigno, uti loqui illi didicerunt. Verùm quandoquidem voluntatem, non Christi, non Patris cœlestis, sed suam Papæque Romani faciant, quid quæso dicemus aliud, quàm esse illos ἐργάτας δολίους, μετασχηματιζομένους εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. 2. Cor. 11,13.

5. Loci determinatio, Quæritur, ubi locorum quærenda sit Ecclesia? Audimus, Patremfamiliâs prodire in forum, conductum operarios, quos pariter omnes ibi invenit otiosos. Forum istud universum denotare mundum extra omnem controversiæ aleam positum esse judico. Sparsa itaque est Ecclesia Christi per totum terrarum orbem. Psal. 72,8. & 110,1. Quo stante, fallunt & falluntur Papicolæ, certe Ecclesiam suam Pseudo Catholicam loco alligare magno conatu adnitentes. Phocas olim Dominicida nefarius, e medio sublato Imperatore Mauritio, primus Romanorum Episcopo, qui tum erat Bonifacius III, Oecumenici vel universalis in orbe Christiano Episcopi titulum obtulit, oblatum Bonifacius avidè, diu quippè quæsitum, arripuit: nihil pensi habens, quòd ante annos aliquot ejus in officio sedeque Romana antecessor, Gregorius M. palàm universalis Episcopi titulum aversatus & abominatus fuerat, immò notam Antichristi certissimam constituerat. Vide Osiandr. Cent. 5. lib. 4. cap. 16. & Cent. 7. lib. 1. cap. 7.

Ecclesia nulli loco alligata.

6. Operariorum distinctio; alii enim sunt mercenarii, alii voluntarii: qui posteriores in vineam vocati abeunt, de mercede subsecutura planè interim ἀμέριμνοι.

7. Denarij distributio, facta per ἐπίτροπον Christum. Pontificii variâ utuntur monetâ, maximam partem suspectâ, Prophetis & Apostolis planè incognitâ, & ob id adulterinâ. Quid verò denarii nomine veniat, ex præcedentibus peti potest. Hieron. in Matth. fol. 29. a. Denarius, inquit figuram Regis habet, recepisti ergò mercedem, quam tibi promiseram, h. e. imaginem & similitudinem meam; quid quæris ampliùs? In cœlis autem merces piorum erit copiosa; Matth. 5,12. donum enim Dei vita æterna, Roman. 6, 23. Ambros. *Hac constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere; solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.*

Idem ad Rom. a. 3 ait: *Justificati sunt gratis, quia nihil operant neq; vicem reddentes. sola fide justificati sunt.* Subjicio votum Eccl *Preces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui justi peccatis nostris adfligimur, pro tui nominis gloria misericordia lib mur, per Jesum Christum, Filium tuum dilectum, Dominum strum Amen.*

DOMINICA SEXAGE SIMÆ,

EVANGELIUM

Luc. 8. à vers. 4. ad 16.

Matth. 13, 3. Marc. 4, 3

4. Συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, εἶπε διὰ παραβολῆς.

5. Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ· καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό.

6. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα.

7. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν· καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό.

8. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, καὶ φυὲν ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα· Ταῦτα λέγων ἐφώνει· ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

9. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες. τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη.

Esa. 6, 10. Matt 13, 14 Marc 4, 12. Joh. 12, 40. Act. 28, 26. Rom. 11, 8.

10. Ὁ δὲ εἶπεν· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.

4. *Cùm autem turba plurim convenirent, & è singul vitatibus properarent ad eum, per similitudinem:*

5 Exiit qui sementem facit ad seminandum semen suum: ter seminandum, aliud cecidi ca viam, & conculcatum est, & lucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cedit super petra enatum aruit, quia non hab humorem.

7 Et aliud cecidit inter spi & simul enatæ spinæ suffocave illud.

8. Et aliud cecidit in terram nam. & enatum fecit fructum tuplum. Hæc dicens clamabat, habet aures ad audiendum, diat.

9. Interrogabant autem e discipuli ejus, dicentes; qua ista parabola.

10. At ille dixit: Vobis dat est, nosse mysteria regni Dei, ce autem per parabolas: ut vide non videant, & audientes no telligant.

11. Ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή· ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ.

12. Οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, εἰσὶν οἱ ἀκούοντες· εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν.

13. Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἳ ὅταν ἀκούσωσι, μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον, καὶ οὗτοι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν· οἳ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται.

14. Τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν, οὗτοί εἰσιν, οἱ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι.

15. Τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ οὗτοί εἰσιν οἵτινες ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον, κατέχουσι, καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ.

11. Est autem hæc parabola: Semen est sermo Dei.

Matth. 13, 18
Marc. 4, 15.

12. Qui autem juxta viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit sermonem de corde eorum, ne credentes serventur.

13. Nam qui super petram, (hi sunt) qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt sermonem; & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt & à solicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ euntes suffocantur, nec referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde honesto ac bono audientes sermonem retinent, & fructum adferunt per patientiam.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Didacticum est hoc Evangelium, tractans quæstionem conjunctam, de verbi prædicatione, apud multò maximam hominum partem infructuosa, & in paucissimis ad justam maturitatem succrescente, idque genere doctrinæ parabolicô. Parabola verò est de semente, in terram quadruplicem cadente. Partes constituimus hoc loco tres, quarum

1. est πρότασις; seu parabolica Christi concio;
2. Discipulorum ζήτησις, sive de sensu parabolæ quæstio;
3. ἀπόδοσις, luculenta parabolæ expositio.

PARS I.

Parabolicam Christi concionem quod spectat, notetur in ea

I. Concionis præsentis occasio, tanquam causa ejusdem impulsiva, tùm προκαταρκτική, tùm προηγουμένη. Προκαταρκτική est, turbæ

multæ concurſus. Lucas, amplificandæ frequentiæ causâ, addit circumſtantiam

1. *Loci*, unde convenerint; è ſingulis nimirum civitatibus Galilææ, per ſynecdochen generis pro ſpecie. Confer Matth. 13, 2. Marc. 4, 1.

2. *Modi*, quòd properârint ad eum, civitatum iſtarum ſc. incolæ: hoc ipſo autem tàm ſtudium, quàm deſiderium turbæ, cum ardore audiendi conciones, & videndi miracula conjunctum, ſignificat Evangeliſta flagrantiſſimum.

Προηγουμένη colligitur ex ſcopo; viderat nimirùm Salvator καρδιογνώστης diſſimilitudinem auditorum ſuorum, quorum pleriq; non vero diſcendi ſtudio aderant; ſed quidã erant petulantes, qui animo curioſi audiendi Doctorem novum venerant; quidam calumniandi & cavillandi pruritu ardentes ipſum obſervabant; alii acceſſerant ocíantes, temporis fallendi gratiâ auſcultaturi; alii erant inconſtantes; alii verò conſtantes, diſcendi ſtudio accenſi. Singulos concione hac parabolicâ perſtringere erat animus.

II. Concionandi ratio; dicit per ſimilitudinem. Uſus enim eſt Salvator plano aliàs docendi genere; aliàs obſcuro & parabolico. Rationes iſtius inſtituti requirat, qui volet, ex Dn. D. Chemnit. harm. Evang. cap. 61. fol. 1087. In Scriptura autem N. T. ſicut Chriſtus in parabolis dixit multa, ita nonnulla in pabolis facere ſolitus eſt. D. Finck, cent. 3. can. 11.

III. Parabola commemoratio, continens

1. *cauſam efficientem*, quæ eſt ὁ σπείρων, quidam ſeminator, colonus vel agricola exiens,
2. *Cauſam finalem*; ad ſeminandum:
3. *Cauſam materialem*, ſemen ſuum:
4. *Eventum ſeminationis diſſimilem*. Semen enim quadrifariam cadit (ſemen falsò à quibusdam dicitur quadruplex; eſt enim unum ſaltem, effectus autem ſive profectus ejus diverſus, pro diverſitate ſubjecti ſive agri, qui quadruplex:) idque contingit ratione quadruplicis ſubjecti vel terræ.

1. Prima eſt *calloſa*, attrita, aratro non ſubacta, ideoque excipiendo ſemini prorſus inhabilis. Effectus itaque conſequens eſt, quòd

1. pedibus tranſeuntium *conculcatur*;
2. à volucribus cœli *devoratur*.

2. Se-

2. Secunda terra est *lapidosa*, saxosa vel petrosa; semen in illam cadens
1. enascitur quidem, sed
2. statim iterum exaruit. Additur αἰτιολογία, à causæ conservantis privatione, quia non habebat ἰκμάδα, humorem adcretioni necessarium.

3. Tertia terra est *spinosa, cujus*
1. effectus consequens est, seminis progerminantis suffocatio;
2. causa efficiens sunt spinæ συμφυεῖσαι, simul enatæ, quæ omnem terræ succum præripiunt, densitate suâ radios solares avertentes, aculeis suis semen undique pungentes, aërem refrigerantem arcentes, ut crescere, & ad justam maturitatem fructus pervenire nequeat.

4. Quarta demum terra est *bona & fructuosa*, benè nempè exculta & præparata, ut in gremium suum semen excipere, exceptum fovere, forum vegetare & remotis impedimentis maturare queat. Hujus igitur
1. effectus adnotatur bonus, quòd bonos produxerit fructûs;
2. adjunctam ubertatis adjicitur, quòd fructum tulerit centuplum. Confer Matthæum cap.13,8. & Marcum cap.4,8. ubi dicitur, quòd aliud semen trigecuplum, aliud sexagecuplum, aliud centuplum produxerit fructum.

IV. Epiphonematica parabolæ conclusio, facta κατ' ἐπιφώνημα, quod habet vim excutiendi torporem, & excitandi προσοχὴν sive attentionem, ad diligentiorem parabolæ meditationem. Quia enim auditorum plerique putabant, Christum rusticam quandam historiam commemoràsse; hac exclamatione tanquam cœlesti tonitru, socordiam istam excutere, & intellectum parabolæ longè sublimiorem innuere voluit.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Studium audiendi verbum Dei in populo imitatione vel maximè dignum est. Matth.7,24. & 12,42. Esa.55,6 10. Psal.95,8. Act.1,7.44. & 17,11,32. *Studium verbi.*

II. Conciones itaque sacræ frequenter à nobis sunt adeundæ. Luc.10,16. Joh.17,20. Rom.10,17.

III. Meminerint verbi divini præcones, (1) conciones suas & tempori & personis sive auditoribus, etiam in individuo, sine- *Concionum habendarum ratio.*

ces-

cessitas requirat, accommodare; Matth. 5, 13. & 13, 52. 2. Tim. 4, 2. (2) Familiari & usitato sermonis genere proponere ea, quæ ad salutem auditorum faciunt, non adfectato & grandi dicendi genere uti. 1. Cor. 2, 4. & 3, 1. 2. & 4, 20. & 14, 3. 9. 19. Matth. 6, 5.

Verbi audiendi modus

IV. Verbum Dei, ut fructum optatum pariat, hisce conditionibus est audiendum, ut (1) adferatur attentio animi in auscultando, ita ut verbum auditum in cor hominis descendat: (2) accedat fidelis custodia verbi, ne deseratur ejus confessio tempore persecutionis: (3) adhibeatur quotidiana cautio in vita, ne prædominentur solicitudines ac divitiæ, & voluptates carnis quæ fructum verbi impediunt.

Costerus de parabolis Christi.

V. Errat Costerus errore & fallacia causæ, ideò per parabolas locutum esse Christum, contendens, ne verba Dei nimium vulgaria ac communia faceret. Matth. 10, 26. 27. Ephes. 3, 8. 9. Colloss. 3, 16.

VI. Segnities hominum in audiendo Dei verbo multoties & graviter reprehendenda. Devt. 18, 19. Amos. 2, 4. Matth. 21, 43. Act. 3, 22. Hebr. 12, 25.

Concionatorum officium.

VII. De officio concionatorum, quod consistit

1. in exeundo; sint ordine & legitimè vocati:

2. simplicitati studendo; August. non subtiliter, sed utiliter:

3. omnibus sese accommodando, hominum etiam iram & indignationem non metuendo: August: *Charissimi fratres, emendate vos vestros mores, & nos emendabimus nostros sermones.*

IIX. Exclamatio Christi ad verbum Dei attentè audiendum nos exstimulet. Quisque itaque suo loco videat, quomodo verbum Dei audiat & tractet, ne ipse suo se indicio prodat, quòd non sit ex munero electorum, qui verbo prædicato credunt; Rom. 10, 17. Luc. 8, 18. reprobis in pejus subinde proficientibus. 1. Cor. 1, 21. 2. Cor. 4, 3. 4.

Agricultura.

IX. De agricultura commodè hoc loco disseri potest, quòd sit vitæ genus

1. antiquum & honestum, idque liquet ex

1. Dei ordinatione; Gen. 3, 23. qui certas ea de re leges & regulas præscripsit, qualem ille velit esse arationem; Devt. 22, 10. Sationem; Levit. 19. 19. Devt. 22, 9. messem; Levit. 19, 9. 10. Devt. 24, 19. damni segetibus illati restitutionem. Exod. 22, 5. 6.

2. Dei adsimilatione; Joh. 15, 1. Luc. 8, 5. Matth. 13, 24.

3. Vi-

3. Virorum summorum adprobatione; Gen. 9, 20. & 26, 12. Jud. 6, 11. 2. Reg. 4, 18. 2. Par. 26, 10. Ruth. 2, 2. 3. seqq. Job. 1, 14. Zach. 13, 5. Eccl. 2, 5. 6. 7.

4. magnâ æstimatione;

5. honorum & dignitatum oblatione: Jud. 6, 14. 1. Reg. 19, 19.

6. egregiâ aliorum commendatione.

2. Pacatum & optatum:

3. Necessarium;

4. Jucundum.

5. Fructuosum & usibus hominum accommodatum. Pro. 12, 11. Sir. 20, 30.

PARS II.

Secundâ Evangelii parte continetur.

I. Laudabile discipulorum studium, parabolæ propositæ explicationem à Salvatore Christo potentium. Marcus c. 4, 10. addit, non solos discipulos, de vero parabolæ sensu solicitos, interrogâsse Christum, quæ esset ista parabola? sed discipulis etiam sese adjunxisse alios communes auditores, qui reliquis abeuntibus conjunctim verum parabolæ intellectum, & in quem finem illam proposuisset, petierunt.

II. Memorabile Christi responsum, Perspiciens enim ille in Apostolis suis, de germano parabolæ sensu inquirentibus, serium proficiendi conatum, ἐξήγησιν sive declarationem parabolæ luculentam illico subjungit. Complectitur autem illa

1. egregiam discipulorum commendationem, desumtam ab effectu, quòd ipsis percontantibus, quærentibus & discendi cupidis datum sit, nosse mysteria cœlestia, deque salute hominum & regno Dei, sive vita æterna, veram habere intelligentiam ac cognitionem.

2. Contrariam contemtorum redargutionem, gravissima cum comminatione conjunctam; *vobis*, inquiens, *datum est nosse mysteria regni cælorum*, ut mentes vestræ aperiantur, ad regni mysteria cognoscenda & firmiter credenda: vobis, ait, intelligens pios & discendi cupidos, electos Dei homines: his datum esse adseverat, non ex necessitate, nec casu aliquo, uti D. Chrysostomus exponit, sed aperit donum & gratiam Dei. 1. Cor. 4, 7. Quid verò ipsis est datum? quærit D. Chemn. harm. pag. 1089. Resp. In hac vita à Deo accipimus duplicia dona; naturæ & gratiæ. Ex natura ipsis datum erat, quòd poterant audire, videre: ex gratia autem, quòd

Dona Dei duplicia.

audirent verbum Dei, viderent miracula Christi. Hæc Dei dona quoniam reverenter excipiunt, & de audito verbo apud Christum humiliter atque modestè inquirunt, datur insuper ex gratia, ut etiam possint mysteria regni nosse. Hæc non potest percipere animalis homo, 1.Cor.2,14. ex naturæ suæ viribus: sed datur per Spiritum Christi. Vide d.l. plura. *Ceteris autem*, pergit Salvator (apud Marcum vocantur οἱ ἔξω, exteri, qui foris sunt) qui nimirùm e curiositate quadam audiverant, nec explicationem parabolæ petierant, *per parabolas* loquor, h.e. obscurius proponuntur regni mysteria, si forsan eo ipso adhuc excitari possent, ad inquirendum & investigandum verum hujus doctrinæ reconditum sensum, ut exponit Dn. D.Chemn. pag. 1092, ubi illud etiam pag.1091. adnotat: τοὺς λοιποὺς ceteros vocari non tantùm eos, qui per omnem vitam à regno Dei prorsus sunt alieni, quales sunt gentes feræ, immansvetæ & idololatriæ à pueris deditæ; sed & omnes eos, qui ad tempus fuère filii regni, sed impietate suâ meruerunt, ut repudium ipsis daretur, utque ex regno ejicerentur, Matth. 8,12. adeoque penitùs reprobarentur.

λοιποί.

Ceterùm verba hæc Salvatoris responsoria depravare conati sunt & Romanenses, & Calvinianæ hæreseos sectatores nonnulli. Illi inde probare moliuntur φορτικὸν illud suum, laicis non esse Scripturarum lectionem concedendam, quia Apostolis h. e. clericis saltem datum sit nosse mysteria regni. Ita verò nulli ex laicis crederent & salvi fierent. ἄτοπον. Hi absolutum suum decretum ex hoc dicto fabricare præsumunt, quasi solis electis (ex absoluto Dei decreto) detur fides. Sed (1) decretum ejusmodi universa Scriptura ignorat: (2) non datur Apostolis τὸ γνῶναι absolute, sed sciscitantibus & meditantibus. Vera enim mysteriorum divinorum notitia sive etiam fides non datur, oscitanter saltem verbum audientibus illudvé contemnentibus, sed scrutantibus & in corde bono custodientibus.

Scripturæ lectio laicis non deneganda.

Decretum absolutum

Additur in textu ἀπόδειξις, mysteriorum istam divinorum ignorantiam confirmans, testimonio Esaiæ, cap. 6,9. Ut videntes (oculis corporis Christi facta) non videant; (verum illorum finem & fructum, qui est, ut credant in Christum) & audientes, (externis auribus verbum, nullo adhibito discendi studio) non intelligant (mysteria illa salutis.) Absit, ut cum Calvinianis quibusdam Doctoribus statuamus, Deum contumaciæ istius auctorem; justam enim tantùm per Prophetam pœnam contemtoribus denunciat, quam incurabili suâ contumaciâ jampridem erant commeriti

Deus non est auctor cõtumaciæ.

ut ostendat, veterem hanc & avitam esse gentis Judaicæ (quæ perverso suo exemplo alios quoque ad similem pervicaciam contemtumque abripuit:) malitiam, quòd semper voluntariâ potiùs ignorantiâ & contumaci improbitate laborare, quàm Dei illuminationem & emendationem admittere maluerit. Confer Dn. D. Chemn. p.1093. harm. D.Winckelm. in Luc. p.443.444.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Semper futuri sunt aliqui, qui verbum Dei cum fructu audient. Esa.55,10. Joh.6,68. 1. Cor.15,58.

Auditores tædiosi. II. Plerisque auditoribus omne tempus, quod sacris impenditur concionibus, fastidiosum & longum nimis videtur. Joh. 8,47. Psal.1,2. & 25,4. & 26,9. Luc.24,32.

Auditores boni. III. Apostoli de genuino parabolæ sensu inquirentes speculum vel imago sunt bonorum verbi prædicati auditorum, quos
1. non pudet ignorantiam σύμφυτον confiteri; 1.Cor.2,14.
2. non nisi apud Christum in sacris proficere juvat. Matth.23,8. 1. Cor. 1,30. Deut. 18,15. Matth.17,5. Joh. 1,9. Confer D.Theodor. pag. 467.

IV. Discipuli Christi privatim quæstionem moventes, modestiæ specimen præbent, ne instar Anabaptistarum in publico obloquamur docentibus, aut importunitate nostra turbas demus, vel etiam aliis in publico intempestiviùs aliquid agendi ansam præbeamus.

Christus omnes quærit salvare. V. Christus quidem omnes homines, si mentis humanæ depravatio id ferret, libenter vllet lucrifacere: sed quia non omnes obediunt Evangelio, convincit eos, quòd non Dei, non verbi, sed propriâ culpâ pereant. 1. Thess. 5, 9. 1. Tim. 2, 4. & 4, 10. Matth. 11, 28.

Media salutis. VI. Quâ ratione & quibus mediis Deus electos ad æternam adducat beatitudinem: non raptu puta violento aut Enthusiastico; non per αὐτεξούσιον aut liberi nostri arbitrii vires; sed per & propter Filium Redemtorem lapsum genus hominum restituere ab æterno decrevit, ut quotquot veram in ipsum fiduciam collocarent, salvarentur, idq; decretum per verbi prædicationem nobis revelavit, quâ fides excitatur. Rom. 10, 18. Matth. 5, 6. Col.1,9. 1. Cor.15,58. 1. Pet. 1, 5. 9. Joh. 6, 44.

Voluntas antecedens & consequens. VII. Deus ratione intentionis benevolæ (quæ voluntas est antecedens sive misericordiæ) vult omnibus hominibus doctrinâ

Evangelii innotescere; quia verò hoc non vult absolutè & simpliciter, sed cum conditione hac, ut mediis eam ad rem ordinatis legitimè utantur, qualia sunt, sedula verbi divini auditio, studiosa lectio, devota meditatio, fervens oratio; ea cùm plerique non admittant, sed negligant, contemnant & rejiciant, hinc adeò fit, ut justo Dei judicio (quæ voluntas est consequens sive justitiæ) eadem ipsis innotescere nolit; idque operosiùs probat & deducit D. Theodor pag. 469. 470.

IIX. Rectè igitur ex Chrysostomo observavit p. 1092. Dn. D. Chemnit. quòd Christus hîc non simpliciter dixerit, eos nec videre, nec audire; sed videntes non videre, audientes non audire, h. e. scientes & volentes obstinatè oculos suos claudere & aures obturare. Huc refer illud Paulinum Act. 13, 46. 2. Cor. 4, 3. 4.

Laici à Scripturæ lectione non arcendi.

IX. Non excluduntur hoc Christi responso laici à sacræ Scripturæ lectione, uti Pontificii asininâ quadam ruditate ineptiunt: quia hac ratione non à Bibliis tantùm sacris, sed universa mysteriorum salutis cognitione arcerentur: & iniquè egisset Christus, vulgo auditorum suorum parabolam proponens: injustè etiam fieret ab ipsis Pontificiis, parabolam hanc auditoribus suis prælegentibus: nulli denique laici verè crederent & salvi fierent, sed omnes essent audientes, ut non intelligant, & videntes, ne videant.

Decretum absolutum Calvinistarum.

X. Nihil etiam quidquam patrocinatur hic locus absoluti decreti architectis, de absoluta & simplici quorundam hominum reprobatione. Abscondita enim esse nonnullis regni cœlestis mysteria, non ex absoluta Dei voluntate, sed ipsorummet hominum culpa, per hanc parabolam ὀφθαλμοφανῶς demonstratur. Culpam enim non in semine, nec in seminante, sed in terra, h. e. in hominibus unicè residere, tertia jam patefaciet particula.

Deus non est auctor cõtumaciæ.

XI. Propheticum dictum Deum non constituit contumaciæ humanæ auctorem; sed Deum modò ostendit justam ipsis per Prophetam pœnam denunciare, quam incurabili suâ malitiâ & cõtumaciâ erant promeriti. Vide plura apud D. Chemn. p. 1093.

Induratio.

XII. Excæcatio & induratio diversimodè tribuitur, modò diabolo, modò hominibus, modò Deo. Diabolo πρώτως καὶ καθ' αὑτὸ, primariò & per se; 2. Cor. 4, 4. hominibus δευτέρως, secundariò, quatenus diaboli suggestionibus locum concedunt; Exod. 8, 15. Deo ἑπομένως, ratione pœnæ, quatenus justo judicio antegressam & inexpugnabilem contumaciam punit, & diabolo & sibi ipsis relinquendo eos, qui oblatum salutis beneficium repudiàrunt. 2. Thess. 2, 10. Ose. 13, 9. Rom. 9, 22. & 11, 22.

XIII.

XIII. Nullum hic inveniunt liberi arbitrii patroni suffragium: quia nulla planè militat consequentiæ ratio: Qui habet aures audiendi, audiat: Ergò homines per se habent aptas aures, ad verbum Dei cum fructu, ad sui conversionem ac salutem, percipiendum. Quia à mandato ad fieri vel posse non valet consequentia. Et distingvendum præterea est, inter auditum verbi externum & internum: illum homo etiam non renatus potest præstare; Amos 8,11 2 Tim.3,7. hunc nostris viribus prorsus derogat Scriptura; & dicitur aliàs obsequium fidei. 2.Cor.3,5. 1.Cor.2,14.

Liberi arbitrii nullitas.

XIV. Deus licèt nullius hominis sit debitor; antecedente tamen voluntate verbum suum revelat omnibus hominibus, & per illud unam & eandem salutem cunctis indiscriminatim offert. Psal. 19,5. Marc.16,15. sed voluntate consequente, culpâ hominum, illud ipsum verbum quibusdam fit odor mortis ad mortem. 2.Cor.4,16. Joh 8,37. Rectè Augustinus epist.105. *Obdurat Deus, non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.*

XV. *Nihil magis apud nos auditur, quàm Dei verbum & Dei Evangelium; nihil tamen minus videtur, quàm vivere secundum Dei verbum & Dei Evangelium.* August.

XVI. De modo audiendi verbum; auribus nim. audientibus, h.c. audiamus

Verbum audiendi modus.

1. *attentè & diligenter;*
2. *adsiduè & frequenter;* requirit hoc ipsum
   1. *Scripturæ majestas;*
   2. *intellectûs nostri cæcitas:*
3. *devotè & ardenter:*
4. *submissè ac reverenter;*
5. *piè & obedienter.*

PARS III.

Complectitur hæc pars ἀπόδηλωσιν ἢ ἔκθεσιν parabolæ, quam speciatim certis membris Lucas describit. Explicatio enim à Christo facta est, tùm seminis, tùm agri. Semen est Verbum Dei, ipso Christo interprete, cœlestis nimirùm illa Spiritûs sancti doctrina, quam Deus vel ἀμέσως immediatè, proprio ore, vel ἐμμέσως, mediatè per Patriarchas, Propheras, Evangelistas & Apostolos tradidit, stupendisque illam miraculis confirmavit: in qua voluntatem suam revelavit, æternæ salutis viam aperuit, atque simul tradidit, quid tàm sibi, quàm proximo præstare debeamus, ut & ipsi grata, & nobis salutaria faciamus.

Verbum semen.

Seminator est Deus. In parabola zizaniorum Matth.13,37. dicitur: qui seminat bonum semen, est Filius hominis: opera enim Trinitatis ad extra sūt indivisa. Seminator iste exiit. Sed unde exiit? quærit Chrysostomus; qui ubiq; præsens est? & qualiternam exiit? Certè nō loco; sed Incarnationis dispensatione propinquior nobis factus est. Sed ad quid exiit? Non ut terram, urticis & vepribus repletam, perderet, & malos ejus colonos puniret; sed ut verbum suum per colonos & agricolas, ad id destinatos, Ecclesiæ ministros, spargeret in agrum, h.e. in corda hominum, ut fructum ferat in auditoribus, sicque animus hominum, ceu arva & campos Deo frugiferos reddat. D.Chemn. p. 1098.

Ager vel ἄκαρπος vel πολύκαρπος.

Ager porrò, h.e. omnis verbi auditor est vel ἄκαρπος, vel πολύκαρπος. Ἄκαρπος iterum est triplex:

I. Ἀσύνετος, imprudens, insipiens, & continet Epicuræos & securos, vel incogitantes verbi auditores; qui verbum prædicatum aliter non excipiunt, quàm si semen cadat in viam: auribus externis audiunt; sed in corde non meditantur. Hinc diabolus, corvus ille infernalis, tollit semen verbi, eo fine, ne verbo audito credant, & salventur, immò salutis suæ dispendium non magnoperè curent. Atque ita isti homines thesaurum Verbi & Sacramentorum pedibus conculcant, haut secùs, ac si in adversum parietem semen sparsisses. Hic semen perit, quia

1. sicut semen in viam sparsum, pedibus transeuntium proculcatur: ita isti sanctum & venerandum verbum adspernantur, & præ carnalibus vanisque suis cogitationibus respuunt. Adhæc

2. sicut semen in viam sparsum, ab avibus devoratur, ne fructum ferat: ita satanas infernales volucres immittit, quæ sermonem auditum ex cordibus hominum ita eximunt, ut ne memoria quidem ejus maneat, nedum ut per illud ad fidem salvificam excitentur. Vide D.Chemn.p.1099.

Primum hoc auditorum genus est inane & vacuum, qui fidei mysteria rationis suæ trutinâ examinant, & quæ non præcipiunt, rident, vel in sensum falsum atque alienum detorquent, ut & illi, qui ptopter longam consvetudinem in errore hærere malunt, quàm illum agnoscere & rejicere; (Pharisæi & Papistæ) causæ fructificationem impedientes sunt, σκληροκαρδία, & diaboli πονηρία, qui astu & insidiis rem agit, tùm peregrinas cogitationes inter seminandum h.e. concionandum, immittendo; tùm soporem conciliando; tùm mentem variis superstitionibus & præconceptis opinionibus obnubilando; tùm pravis adfectibus explendo; tùm memoriam ob-

Causæ verbi impedientes.

obfuscando; tùm corda impietate & vitiis obdurando. Tales homines audiunt quidem verbum, Ezech.33,30. sed sine intelligentia & observatione, animo à diabolo aliò detorto, qui instar viæ publicæ patet, vel instar viæ tritæ indurescit, ut quales advenerunt, tales recedant, interdum etiam deteriores evadant. Illustratur primum hoc genus

1. causâ efficiente; verbis: deinde venit diabolus, verbi prædicati hostis accerrimus, semen sparsum vel intercipiens, vel devorans, h.e. verbi prædicationem multis ac variis modis impediens.

2. causâ finali, vel damno emergente; dicitur enim hostis ille κακῦργος (1) sermonem tollere vel furari; der Wortdieb: (2) hac ratione impedire, ne credant auditores, & per fidem, unicum salutis respectu hominum ὄργανον sive medium, salventur. Hæc de primo agro infrugifero.

II. Secundus ager est πρόσκαιρος, temporarius, instabilis, per terram petrosam adumbratus; estque apostatarum & eccebolorum levium atque inconstantium proprius. Hi enim verbum quidem Dei extra teli jactum sive periculum cum gaudio excipiunt, & de eo loquuntur magnificè, quanquam ostentationis magis, quam sinceræ pietatis studio; Verùm Sole ac fervore crucis, tentationis ac persecutionis exoriente, & quasi urente, à verbo & agnita veritate subitò resiliunt. Ut enim semen inter medios lapides subitò enatum, & profundiore radice destitutum, diu durare non potest, sed Solis æstu aduritur, ut in ipsa herba pereat: Ita hi fiunt πρόσκαιροι, temporarii, quos Marcus nominat, partim tempori servientes & seculi hujus moribus sese accommodantes; partim ad tempus saltem credentes, ingruentibus autem adversitatibus iterũ deficientes. Defectionis causa non est æstus per se: ille enim segetes justas non exurit; sed ad maturitatem perducit: verùm quando segetes radice destituuntur, tunc ipsis hoc accidere solet: Ita auditores isti vera radice, h.e. necessario verbi intellectu, fundamentali veritatis cognitione, & efficaci Spiritûs Sancti obsignatione carent: mirum itaque non est, cùm verbum prædicatum non usque adeò altas in cordibus eorum egerit radices, si Solis æstu exurantur, h.e. si crux, tribulatio & persecutio propter verbũ ferenda, atq; res ad tentationẽ jam ac probationem pervenit, ipsos abnegatâ iterum veritate recedere, & antequam ad frugem perveniant decidere. Hi nullos dignos fructûs faciunt, quin potiùs insensissimi quandoque ho-

hostes efficiuntur, qui paulò antè acerrimi veritatis propugnatores videri volebant. Confer D.Chemn. p.1099. & 1100.

III. Tertius ager est φιλήδον@ καὶ φιλάργυρ@, hypocritarum, filiorumque hujus seculi proprius, per terram spinis obsitam depictus. Hi enim tantùm τὰ πρὸς ἄλφιτα curantes, spinis curarum, opum & voluptatum semen verbi divini suffocant, ut ad bonam frugem pervenire nunquam possit. Adpositè tertium hoc auditorum genus spinis confertur:

1. Qui enim inter spinas ambulant, difficulter progrediuntur, hinc inde spinis ipsos detinentibus & retardantibus: Ita qui vel curis victûs dediti, vel divitiis accumulandis addicti; vel voluptatibus mancipati, facilè detinentur, ne verbum audiant & observent.

2. Spinæ foliis & floribus homines alliciunt; si incautiùs tangantur, gravissimè pungunt & lædunt: Eadem planè est rerum curarumque, divitiarum & cupiditatum secularium conditio; primâ fronte blandè invitant, postmodum conscientiam periculosissimè vulnerant, pungunt, conficiunt. Vide plura D.Chemn. harm. p. 1100. & 1101. Rectè Chrysostomus observavit, quòd Christus hic non ipsas divitias taxat, sed tantùm fraudem & deceptionem divitiarum. Nihil enim ferè in ipsis, ut & in delitiis atque voluptatibus est, quàm deceptio; nomina sine re. Et quid sunt voluptas & gloria? quid ornatus & pompa, præterquam inania phantasmata, nisi virtute & pietate tanquam re ipsâ decorentur? Hactenus de agro ἀκάρπῳ triplici, unde colligitur, tria hæc auditorum verbi genera perire.

IV. Quartus demum ager solus est πολύκαρπ@, verorum Christianorum, & auditorum verbi genuinorum ideam, sub imagine bonæ terræ nobis repræsentans. Hi certis quibusdam sive notis, sive proprietatibus, describuntur; cujusmodi sunt,

1. ἀκούειν, audire promptè verbum Dei, & quidem cum singulari discendi studio. Qui enim sermonem prædicatum vel audire recusant, Jer. 44,16. Psal. 58,5. vel verbi præcones odio prosequuntur Vatiniano; 1.Reg. 22,8. vel revelationes Spiritûs illius exspectant, qui se in Angelum lucis transfigurare novit, 2.Corinth. 11,14. hi miserè decipiuntur, seducuntur & intereunt.

2. Συνιέναι, verbum auditum intelligere, Matth. 13,3. h. e. intrinsecùs in intellectu discernere & penitiùs considerare. Ad talem

talem intellectum consequendum requiritur, ut quis Legem Dei die ac nocte meditetur. Psal.1,2. Græcum συνιέναι notat insignem industriam, accuratam & gnavam considerationem, animumque rei intentum & diligens studium. Chemn. p. 1102.

συνιέναι.

3. παραδέχεσθαι, verbum auditum & intellectum suscipere. Usus est hoc verbô Marcus cap. 4,20. & exprimit illud, uti d. l. D. Chemnitius habet, adfectum diligentium & credulorum auditorum. Nam quod gratum est, illud utraque manu suscipere dicimur, & cupidè, benignè, comiterque excipere, atque more candidatorum ambire, amanter complecti, atque singulari humanitate ac comitate prosequi, non aliter, quàm si quis amicissimum & charissimum hospitem in domo sua suscipiat. Act.17,11. 1.Thess. 2,13.

παραδέχεσθαι.

4. Κατέχειν καὶ Φυλάττειν, verbum susceptum retinere & conservare sive custodire fideliter. 1.Thess.5,21. 1.Cor.15,2.

5. Καρποφορεῖν, fructum ferre, & quidem in patientia: plurima enim & maxima impedimenta perferenda sunt iis, qui fructum ferre ad vitam æternam cogitant. Quid fructûs nomine veniat, Apostolus explicat Rom. 6,21.22. Gal.5,6.22. Eph. 5,9. 2.Pet.1,5. Additur ἐν ὑπομονῇ, propter luctam cum carne, mundo & satana adsiduam, in qua magnâ opus est patientiâ, ne fructus in flore ipso pereat, antequam ad justam maturitatem perveniat.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Verbum Dei comparatur semini varias ob causas: Sicut enim

Verbum semini collatum.

1. Semen est res vilis & contemtibilis, illud cumprimis, de quo non constat, qualem fructum ferat: Ita verbum Dei à mundo negligitur. 1.Cor.1,23.
2. Semen in se habet latentem vim crescendi & sui simile proferendi: Ita verbum habet vim vivificam homines regenerandi, 1. Pet. 1, 23. h. e. efficiendi ex cæcis videntes, ex impiis Dei timentes, ex lurconibus temperantes, ex terrenis spirituales.
3. Semen verò non nisi in terram projectum fructificat: ita nisi verbum in aures & animos hominum disseminetur, sterile manet, nec hominem regenerat, fideique fructûs ullos profert. Rom. 10, 14.

4. Utrobique autem & in semine, & in verbo, Dei requiritur vel maximè benedictio: 1,Cor.3,7.

5. Ager multo labore ad fructificandum præparandus: sic animi auditorum indefessum postulant concionatoris studium. Vide de his prolixiùs disserentem Dn. D. Chemn. p. 1097. & D. Theodor. p. 470. 471. Tungerlarium item par. 2. promt. p.173. ubi verbum Dei semini conferri dicit ob 20 rationes; nim. seminationem, susceptionem, conculcationem, suffocationem, attractionem, cœlicam influxionem, purgationem, penetrationem, accretionem, nutritionem, promotionem, multiplicationem, fructificationem, manifestationem, renovationem, medicationem, delectationem, illuminationem, conservationem, viliorem æstimationem.

Verbi vis.

II. Est ergo verbum prædicatum & auditum efficax ad hominum salutem ὄργανον. Hebr.4,12. Psal.19,8. & 119,105. Joh. 6, 68. & 17,20. 1.Cor.1,21. Act.10,44. 2.Pet.1,19. Jac.1,18.

Schwencofeldiani.

III. Errant Schwencofeldiani, qui scriptum verbum literam dicunt mortuam, prædicatum strepitum ἄεργον. Rom.1,16. 1. Cor 4,15. Act.10,14. Vide D. Theodor. p. 472.

Papismus de verbo Dei duplici.

IV. Errant etiam Pontificii, duplex Dei verbum ἔγγραφον καὶ ἄγραφον, scriptum & non scriptum comminiscentes; illud extenuant cum Anabaptistis; hoc mirificè extollunt, eum saltem in finem, ut traditiones Papales stabilire queant. Confer D. Chemn. harm. p.1096.

Papa non est vicarius Christi.

V. Falsò se Papa Romanus Christi Vicarium jactitat: ille enim in spargendo per prædicationem verbi semine admodum est parcus, immò ignominiosum sibi suisque purpuratis putat, prædicare verbum; prodigus interim exsistens nimiùm suarum traditionum. Christus verò quàm fidelissimè ad seminandum exiit omnibus temporibus. Gen.3,15. Jer.1,10. Ezech.3,17. Eph.4,11. Mirum proinde non est, Papam exiguum Deo gratum fructum proferre. Ib. p. 1098.

Papismus de multitudine, Ecclesiæ nota.

VI. Errant iterum Pontificii, multitudinem veræ Ecclesiæ notam constituentes; cùm vix quarta auditorum pars fructûs dignos ferat. Luc.12,32. 1.Cor.1,26.

VII. Nihil inde subsidii redit ad Calvinianorum dogma, de propositionum sacramentalium διανοίᾳ veroque intellectu. Semen enim non significat, sed est verbum Dei; ubi neque tropus est in verbo; neque semen sumitur pro signo verbi; sed sermo est de incorruptibili Dei verbo, quod per metaphoram semen dicitur,

tur, eidemque adsimilatur ob causas modò productas. Confer D. Hunn. de Cœna.

IIV. Diabolus freqrenter solet interesse concionibus sacris, & verbum à cordibus vel planè auferre, vel prædicationem ejus infrugiferam efficere; Luc.11,24. seqq. 2.Cor.11,3. Job,1,6. Laterem ergò lavant Pontificii superstitiosi, consecrationibus & exorcismis suis satanam à templis abigere præsumentes.

Diabolus concionibus sacris interest.

IX. Caveamus, ne nostrâ culpâ, astu diaboli circumventi, verbi divini fructificationem in nobis ipsis impediamus, vel cor viæ conculcatæ instar habendo; vel ἀποστασίαν à fide faciendo; vel curis ac solicitudinibus hujus mundi nos intricando; vel divitiis cor adponendo; vel voluptatibus ac delitiis seculi hujus indulgendo Jac.1,25. 1.Pet.5,9. Vide D. Theod.p.478.479.481.484.

Verbi fructificatio non impedienda

X. Christus enim simili ab agro (1) pervio & conculcato taxat odiosam verbi despicientiam, desidiosam negligentiam, & obliviosam observantiam; (2) petroso, vituperat cordis duritatem, frigiditatem, sublimitatem; (3) spinoso, avaritiam & luxuriam perstringit, quæ omnia adversus animæ salutem pugnant. 1. Pet. 2, 11.

XI. Multi rebus secundis pro Christianis sese venditant, qui tempore persecutionis & adversitatis resiliunt. Luc.2,35. Hebr. 3,6.14. & 10,32. seqq.

Christiani inconstantes.

XII. Verbum cum piis precibus est audiendum, tùm ob diaboli conatum, tùm ob ejusdem fructum, qui sine Dei benedictione vel nullus, vel certè exiguus. 1.Reg.22,19. 2. Par. 34, 27. Job. 12, 24 Act.16,14. & 26,4.

Verbum cũ precibus audiendum.

XIII. Caveamus ne simus πρόσκαιροι verbi auditores. Mat. 10,22. 1.Cor.15,58. Gal.1,6. 1.Pet.4,12. Apoc.2,20. Hebr.10,23. 2.Pet. 2,20. Exempla apostatarum punitorum sunt, Exod.32,1. Jud.2,11. 1. Reg.11,4. Joh.6,66. Matth. 26,14.

XIV. Πρόσκαιρος seu temporaria fides, & ipsa vera est fides, quod ex præsenti parabola demonstrat Dn Meelführerus in Vindiciis, quas vocat, Evangelicis, thess.67 & seqq. Confer D. Finck. cent. 4. can. 92.

Fides temporaria.

XV. Possunt itaque verè regenerati verè excidere Dei gratiâ & fide. Ezech.18,24. Luc.11,24. Rom.11,20.22. 1. Cor. 10,12.

XVI. Orandus Deus, ut, quod in nobis cœpit, opus bonũ confirmet. 2.Thess.3,3. 1.Pet.1,5. Phil.1, 6. & 2, 13.

XVII. Eadem est divitiarum, quæ spinarum conditio; eas enim si quis acquirere conetur, sive retinere cupiat, sive amittere

Divitiæ spinæ.

cogatur, ferè ubique læsiones experiatur acerbissimas. 1. Tim. 6, 9. 17, Col. 3, 5. Confer D. Theod. p. 481. 482.

Avaritia saluti officit.

XIIX. Vix quidquam adeò officit hominum saluti, quàm studium cumulandarum divitiarum. Observavit D. Chem. p. 1101. quòd Christus divitiis præmisit solicitudines, subjunctis voluptatibus. Nam ut habeantur opes, præcedunt curæ; obtentæ homines pertrahunt in voluptates, ut utrinque anima & vulneretur & crucietur. Matth. 6, 19. 25. & 16, 26. & 19, 22. Luc. 21, 34.

Avaritia & voluptates fugiendæ.

XIX. Fugienda ergò avaritia; carnis quoque voluptates summo vitandæ studio. Psal. 62, 11. & 119, 36. Pro. 30, 8. 1. Tim. 6, 6. 9. Col. 3, 5. Sap. 2, 1. seq. 1. Cor. 7, 4. seq. Eph. 4, 19. 1. Pet. 2, 11. 1. Joh. 2, 15. Rectè autem observavit Chrysostomus, non ipsas hoc loco divitias, sed fraudem & deceptionem divitiarum taxari. Propter vitiosum enim & accidentalem abusum, legitimus rei usus non tollitur.

Voluptates nocivæ, ut fugiendæ.

XX. Voluptatibus carnis nihil esse stultius, nihil fallacius, nihil turpius, nihil vanius, nihil nocentius, ostendit D. Theod. p. 484. 485 486.

XXI. Avertere verò eas, & præcavere damnum inde emergens possunt fideles

1. eas abscindendo;

Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas:

2. occasiones vitando:

3. non à fronte, sed à tergo eas contemplando: Sir. 7, 40.

4. Dei gratiam implorando: Rom. 14.

5. Usurpando, non amando:

6. Deum summum bonum summamq; voluptatem eligendo: Luc. 10, 42. Matth. 13, 45. 1. Cor. 10, 31.

7. diem ultimum semper considerando.

Papistæ Magistratum spinis conferunt.

XXII. Spinis digni sunt Pontificii, Politicos & Magistratûs etiam pios (tyrannos impios, Pseudopoliticos, pauperumque oppressores iniquos toto corde detestamur nos ipsi) cum spinis h. l. comparantes; quod in Costero meritò vituperat Dn. Meelf. d. l.

XXIII. Verbo Dei prædicato communiter hoc accidit, quòd vix quarta ejus pars fructum ferat, in mentibus etiam eorum, qui verbum audiunt.

Causa paucitatis salvandorum.

XXIV. Causa paucitatis salvandorum non residet in Deo seminatore; non in Verbi præconibus & ministris, non in verbo ad salutem efficaci; sed in ipsis hominibus, fructificationem multis modis impedientibus: aliis sanctum & salvificum verbi semen

ob

ob cordis duritiem non admittentibus: aliis admissum æstu tentationem ac tribulationum exuri patientibus: aliis denique spinis curarum, voluptatum & divitiarum illud suffocantibus. Confer locum de prædestinatione.

XXV. Veræ quoque Ecclesiæ mali & hypocritæ semper sunt in hac vita admixti, quod contra Novatianos & Anabaptistas notandum. 1. Cor. 11,30. Matth. 13,24.47.

Ecclesiæ mali sunt admixti.

XXVI. De verbi divini studio & auditu. Audiendum est autem verbum.

1. *attentè, benignè;*
2. *suscipiendum devotè;*
3. *conservandum solicitè;*
4. *demonstrandum fructuosè.* Vide D. Theodor. p. 487. 488.

Verbum ut audiendum & cur.

XXVII. Moveat Christianos omnes ad isthoc verbi studiũ,

1. *seminantis auctoritas;*
2. *seminis efficacitas ac dignitas;*
3. *summa necessitas.* Ibid. p. 489.

XXIIX. Nota verorum Ecclesiæ membrorum est audire verbum Dei: in hunc enim finem Ecclesiæ ministerium est institutum. Matth. 28,19. Joh. 8,47. & 10,27. Rom. 10,17.

Auditus verbi nota Christianorum.

XXIX. Habet verbum Dei, tanquam preciosissimus thesaurus, hostes quàmplurimos, mundum, hæreticos, infernales harpyias, propriæ carnis & rationis concupiscentias: Apoc. 2,15. patientiâ itaque multâ opus. Luc. 21.19. Rom. 5,3.

Verbi hostes.

XXX. Inter bonos verbi divini auditores alii aliis majores in pietatis studio progressûs faciunt, atque inde est, quòd quidam plus, quidam minùs ad communem Ecclesiæ ædificationem momenti conferunt. 1 Cor. 15,10. Matth 25,14. 1. Cor. 12,4.

XXXI. Deus verbum suum humano generi revelavit, per Filium enarrari curavit, & huc usque conservavit, eum solummodò in finem, ut in cordibus auditorum fructûs pietatis idoneos excitet. Tit. 3,14. Joh. 1,18. & 15,16. 1. Cor. 3,9. & 9,7 Matth. 21,34.

Verbi conservatio.

XXXII. Danda est nobis omnibus opera sedulò, ut spinis ac sentibus aculeatis ex corde eradicatis, simus bona terra, & fructum multum faciamus in patientia. Jer. 4,3. Ose. 10,12. 1. Cor. 7,31. Gal. 5 ::. Rom. 13,14.

XXXIII. Bona terra semel facti in id enitantur sedulò, ut bona etiam terra maneant; illud quo pacto fieri debeat, ostendit Dn. D. Chemn. p. 1106. 1107. 1108. 1109.

Verbum custodire.

XXXIV. In Scriptura sacra phrasis, servare vel custodire ver-

verbum Dei omnia complectitur, quæ ad veram fidem pertinent. Luc. 11, 28.

Auditus verbi necessarius. XXXV. Auditus verbi divini ita est necessarius, ut absque peccato intermitti nequeat. Probat D. Bald. in Cas. Consc. pag. 363. seq.

XXXVI. Quid sit faciendum, ut verbi auditus sit salutaris & fructuosus, ante, in & post concionem egregiè & nervosè monstrat idem D. Bald. p. 367. & seqq. in C. C.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

PArabolam proponit Salvator populo ad se confluenti de seminante, ut doceat, quomodo oporteat audire verbum Dei, cujus summa breviter hæc est; quòd verbum Dei vult (1) attentè audiri; (2) intelligi, h. e. ut accedat meditatio eorum, quæ dicta sunt, ut adsequamur verum intellectum, quod fecerunt circa hanc parabolam discipuli, quorum diligentiam Dominus laudat. (3) Verbum intellectum oportet recipi sive suscipi cum alacritate; Act. 17, 11. tanquam verbum sc. ipsius Dei & non hominum; & (4) insuper custodiri, tanquam pretiosus thesaurus, in corde honesto, bono ac puro, quod verbum Dei præferat omnibus mundi divitiis. Nos enarraturi præsentis Evangelii pericopem, ad duo potissimùm capita animos cogitationesque nostras dirigemus, dicturi & audituri

I. de parabola ἀφηγήσει sive commemoratione;
II de ejusdem ἐξηγήσει vel interpretatione genuina.

PARS I.

Primæ partis pertractationem quinque ingrediuntur membra:

I. Turbæ multæ adpropinquatio, quæ quandam quasi ἀφορμὴν parabolicæ huic concioni præbuit. Viderat utique Salvator, magnus ille καρδιογνώστης, non idem esse omnium auditorum suorum propositum, non intentionem eandem, non idem discendi studium: Aderant enim quidam *1. novitatis studiosi;*
2. alij otiosi:
3. nonnulli vertiginosi
4. quidam malitiosi;
5. non pauci curiosi; sed &
6. aliqui circa pietatem studiosi ac negotiosi.

Ista

ista auditorum diversitas facit, ut sub allegoria seminantis, qui semen suum bonum spargit in terram naturâ & ingenio differentem, omnes hortetur, ad diligentem verbi auscultationem, ut non solùm externè audiant, sed & cum fructu & studio intelligendi, ac cura emendandi mores & vitam. Subjungitur ergò statim

II. Christi de variis auditorum generibus concio, petita ex loco similium. Comparat enim quosvis verbi auditores agro

1. pervio & trito, & ob id callosо & duro;

2 lapid bus obsito & referto;

3. spinis denso & operto;

4. fertili frugibusq; ferendis idoneo, qui solus (ut Poëta loquitur,

læto proventu beat agricolam: reliquus ager

- - - *flore caduco*

Arridens, blandâ dominum spe lactat inanem. Buchan. Ps. 1.

Ob oculos autem similitudine isthac parabolicâ ponere voluit Salvator, diversos prædicationis Evangelicæ successûs, auditorum item in omni Ecclesiæ statu qualitatem, id quod ex sequenti parte secunda mox patebit dilucidiùs, Ne verò quis contemnat hanc concionem simpliciorem paullò, subnectitur itaque

III. Παθητικὴ καὶ παρεξωτικὴ *exclamatio*, eò unicè directa, ut attentos efficiat auditores. Mysteriis enim sacris plena erat concio parabolica, quam non satis sit audire, sed adferri necessum esse animos attentos, & mollia pectora, in quibus sermo prædicatus altas possit agere radices. Hæc ergò dicens clamabat: qui habet aures audiendi, audiat: q. d. qui habet hoc donum à Deo, ut possit capere & intelligere, quæ dico, is memori mente hæc omnia reponat.

IV. Effectûs consecutio, tùm in populo, tùm in Christi discipulis. Populus maximam partem incuriosus sive interpretationis negligens, abit; pauci remanent, quippè non contenti nudâ parabolæ recitatione, cum discipulis sunt & ipsi de vero ejusdem sensu soliciti.

V. Sequitur ergò *Apostolorum aliorumq; paucorum de intellectu parabolæ percontatio*, quæ constat

1. ζητήσεως ἢ αἰτήσεως, quæstione vel petitione; aliis abeuntibus manent discipuli cum paucis aliis auditoribus discendi cupidis: Si quærunt, quæ esset h. e. quid sibi vellet ista parabola; hoc ipso explanationem ejusdem submissè petentes.

2. Διδα-

2. ἀποκρίσει, responsione Christi, qui promtum sese & facilem sciscitantibus offerens, ἀπολογίαν adjicit sermonis parabolici, & auditionis tùm fructuosæ, tùm infructuosæ: verbis textûs: *Vobis datum est nôsse mysteria regni cælorum, ceteris autem in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Quibus verbis manifestum constituit discrimen, inter bonos & malos auditores; nullatenus autem, juxta Pontificiorum ψευδοπρεμηνείαν, à lectione Bibliorum excludit laicos; multò minus, juxta Calvinianorum κυβείαν, multò maximam hominum partem à salute & verbo æterno, idque propter absolutū aliquod decretum; sed oscitantiam saltem ac socordiam malorum respicit, quâ meruerunt, ut præter nudam parabolam nihil inde referrent aliud. Ab utraque hac depravatione textus hic est vindicandus; vide dispos. præced. D. Hunnii item Comment in Matth. c. 13. & D. Winckelm. in Luc. c. 8. nec non D. Chemn. p. 1089. & D. Luc. Osiandr. fol. 176. D. Andr. Osiand. in marginal. super Matth. cap. 13. ita. Collationem Christus instituit inter auditores suos, bonos & dociles, & inter excæcatos & reprobos: significans illos concionum suarum fructum percepturos: hos verò nihilo meliores inde discessuros.

USUS I. Informatorius.

Concionū habendarū ratio.

I. De modo instituendarum cum fructu concionum sacrarum: Ita enim illæ adornari debent & haberi, ut animos auditorum omnium feriant; quod Christum observâsse, præsens abundè docet parabola: cui suffragatur altera illa, Luc. 14. in domo Principis Pharisæorum habita; & tertia illa Luc. 16. de divite epulone. Idem studiosè faciendum est fidelibus Verbi ministris. Esaiæ 58, 1. Ezech. 3, 17. seqq. Matth. 5, 13. & 13, 52. Johan. 16, 8. 2. Timot. 4, 2.

Officium doctorum.

II. Officium itaque suum exequantur fideles Ecclesiarum ministri

1. *diligenter*; exeundum enim est:
2. *simpliciter* & tamen sufficienter;
3. *ferventer*;
4. *patienter*. Confer Monrad. p. 213. 214. 215. in Thes. concionat.

Auditorum officium.

III. Auditores meminerint, ad sacras conciones accedendum,

1. *pro-*

1. *properanter*;
2. *concorditer*; das Volck war bey einander:
3. *ardenter*, cum singulari audiendi voluptate; absit igitur omnis hîc 1. *negligentia*;
2. *impatientia*;
3. *malitia*.
4. *utiliter*, ut fructus subsequatur multus;
5. *constanter*. Qui vult finem, velit & usurpet media. Vide Thos. Monrad. p. 215.

II. Consolatorius.

I. Concionatorum, de verbi divini efficacia. Es. 55, 10. Rom. 1, 16. 1. Cor. 15, 58.

II. Auditorum; 1. Quòd Deus velit, & seriò velit, optetque omnes homines, verbum audiendo ac recipiendo, ad agnitionem veritatis pervenire, credere, æternumque salvari; cujus ardentissimi amoris signa h. l. promicant illustria tria:

Deus vult omnium salutem.

1. *simplicissima & planissima docendi ratio*; Esa. 28, 10. Hebr. 5, 13. 14.
2. *sonora maximè exclamatio*; Joh. 12, 36.
3. *placida rudiorum informatio*.

2. Quòd in futura vita mysteria regni cœlorum nobis sint futura notissima, nec opus erit ampliùs eorundem interpretationem petere. 1. Cor. 13, 19. Sir. 24, 38. Joh. 15, 7. & 16, 23.

III. Monitorius sive hortatorius.

Ad studium verbi divini, attentè absque tædio & fastidio audiendi: qui habet aures, audiat. Ratio (1) ab utili; habenti enim dabitur; Psal. 1, 2. & 25, 14. (2) Ab inutili eorum, qui frigidè audiunt: illis enim per parabolas verbum dicitur. 2. Tim. 3, 7. 2. Thess. 2, 10. 11.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, statuentium

1. Mysteria Evangelii, non nisi Apostolis, eorumque successoribus h. e. clericis revelata esse, exclusis laicis; hanc impietatem refellit Dn. Meelf. th. 10. & seqq. usque ad 19. vide etiam dispos. præced.

Papismus de clericis.

2. Additionem illam apud Matthæum cap. 13, 8. de fructu centesimo, sexagesimo & trigesimo, ad status perfectionis distin-

De statibus perfectionis.

ctos esse accommodandam, ita ut fructus trigesimus sit conjugatorum; sexagesimus viduarum, centesimus virginum. Vide Tonsorem Jehasiticum calculo suo hanc interpretationem adprobantem, fol.208. postill. Confer etiam Meelführerum, Costeri ea de re verba allegantem, th.20.21.22. & justam somnii hujus refutationem subjungentem, th.23. & 24. Dn.D.Chemnit. p.1104. Hieronymum facit auctorem hujus corruptelæ, & dicit eam nullo prorsus fundamento esse superstructam. Neque enim Christo propositum esse istos tres status h.l. conferre, sicut 1. Cor.7. factum videmus: sed hoc simpliciter illum docere, quòd quemadmodum semen non ubivis pari fructificat proventu: ita inter bonos quoque verbi auditores progressu pietatis esse impares &c. Et prætereà (2) Christus omnem hîc fructum tùm verbi, tùm pietatis intelligit; castitas autem non est sola ille verbi fructus: quin (3) si castitas æstimanda ex continentia, tum conjugalis castitas virginali sæpè est præferenda. Per fructûs ergò (4) potiùs intelliguntur, principaliter ipsa hominis salus, fides, χαρίσματα Spiritûs Sancti, & bona demum opera in quovis vitæ genere, ut sunt, charitas, spes, patientia &c.

Fructus verbi.

3. Hominem propriis suis viribus cooperari ad fructificationem verbi salvificam: Vide refutationem in Vindic. thes. 34. seqq.

PARS II.

Partis secundæ enucleationem quod attinet, complectitur illa interpretationem parabolæ simplicem, duobus potissimum membris inclusam:

I. Prius spectat *seminis nobilitatem*; semen est verbum prædicatum; cui confertur ratione

Verbum semini collatum.

1. *vilioris æstimationis.* Virtus seminis ignoratur, antequam fructum ferat: Verbum putatur nonnullis litera mortua; Papistis est sylva obscura; fabulæ Æsopi; stultitia sapientibus seculi hujus. 1.Cor.1,18.21.

2. *Interioris virtutis & fructificationis:* habet vim crescendi, multiplicandi, alendi, confortandi: ita verbum Propheticum & Apostolicum vim illuminandi. 2.Pet.1,19.

3. *Exterioris seminationis*, quæ ad fructificationem simpliciter necessaria.

4. *Superioris benedictionis*, quæ precibus impetranda.

II. Posterius respicit auditores, & considerat *agri multiplicitatem.* Ager est mundus, per synecdochen continentis pro con-

ten-

sento,h.e. hominibus in mundo & corde hominis. Adumbratur hoc ipsum in agri vel terræ varietate: terra enim alia est

1. *callosa*, quâ notantur auditores verbi securi & incogitantes; qui verbum quidem audiunt, sed vel negligenter, vel dubitanter; hinc proveniunt homines vel auditores Epicuræi, curiosi, illusores, dormientes, vagantes, vani, vacui, inanes, desidiosi; hi sunt semen, quod de via tollitur & conculcatur; idque facit satanas certo fine, ne salventur. Qui enim tantùm audiunt verbum, & quidem oscitanter, neq; ad animum revocant, nec piè meditantur illud, hi iterum amittunt, quod auribus perceperant; his obstat *(1) mundana securitas; (2) satanæ perversitas; (3) cordium levitas*. Plutarchus dicebat: non oportet hoc animo ad audiendum accedere, quo ad spectaculum, ut tantùm eo delectemur, sed ut meliores reddamur. *Nobis*, inquit Hieron. *nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur.*
2. *Petrosa*, quâ significantur duri & inconstantes verbi auditores; hi verbum quidem (1) audiunt, & (2) suscipiunt; sed (3) iterum deficiunt; quia radices non habent, h.e. verbum Dei non agit altas radices in cordibus eorum; inde fiunt Christiani temporarii, neutrales, vertumni, ecceboli, indurati, effœminati & molles: ad tempus credunt, in tentationibus, calamitatibus ac persecutionibus recedunt, nec manent in verbo & confessione constantes; quia stultus, teste Salomone, ut Luna mutatur. Tales sunt, qui propter externa commoda admittunt Evangelium, idemque propter eadem abjiciunt.
3. *Spinosa*; hac indicantur auditores avari & carnis voluptates sectantes. Christus enim ipse spinas interpretatur solicitudines hujus vitæ, divitias & voluptates, quibus notantur homines mundani, ambitiosi, luxuriosi, voluptuosi, Mammonæ servi & mancipia; spinæ sunt divitiæ, ait Gregor. quæ sub flore & foliis mundanæ gloriæ, punctionibus suis mentem lacerant, & inflicto peccati vulnere cruentant. Quorum enim non prima & summa cura hæc est, ut salutem æternam consequantur, & Deo fideliter in vocatione sua serviant, hi paulatim curis hujus mundi implicantur: divitiis cor adponunt easque diligunt & voluptatibus ita se immergunt, ut paulatim inchoata in ipsis pietas non modò langvescat, verùm etiam prorsus extingvatur, uti D.

Spinæ. Luc. Osiand. παρφέρεται. Rectè hæc classis tertia cum spinis confertur; illæ enim se (1) latè diffundunt; (2) semen impediunt & suffocant; (3) vulnerant ac lacerant; (4) floribus superbiunt; (5) fructum ferunt amarum; (6) serpentibus latebras præbent; (7) adprehensa tenent; Solem avertunt; (9) in sepibus evanescunt. Fiat adplicatio ad Mammonistas, seculi hujus filios, Epicuræos, ebriosos, scortatores, aleatores &c. Ita tria sunt auditorum genera, apud quos verbum prædicatum non fructificat: *primi* sunt, qui verbum audiunt, sed non curant, verùm illud auferri à cordibus suis sinunt, & hi sunt, qui juxta viam, vers. 5. & 12. *proximi* sunt, qui audiunt & credunt, sed ad tempus, & posteà deficiunt; illi fidem amittunt, ad salutem non pervenientes; & hi sunt, qui supra petram; vers. 6. & 13. Rursum *alii* sunt, qui audiunt quidem & admittunt verbum, sed non emendantur; verùm in vita suas magis sectantur cupiditates, quàm id, quod verbum Dei præcipit, permittentes dominari in cordibus suis amorem divitiarum ac voluptatum hujus mundi; hi sunt qui inter spinas, vers. 7. & 14. Obviam eundum omnibus hisce impedimentis, si quis velit finem consequi eum, cujus gratia verbum salutis prædicatur: & qui hoc faciunt, hi sunt terra:

Auditorum inutilium tria genera.

6. *Bona & fructuosa;* & intelliguntur auditores verbi frugi ac fructificantes, qui (1) audiunt, (2) conservant verbum, & (3) fructum ferunt in patientia. Tria enim sunt, secundum Bernhardum, auditoribus necessaria, *voluntas audiendi, studium intelligendi & diligentia retinendi.*

Tres priores classes vituperium merentur, postrema elogium. Uberiorem horum omnium declarationem pete ex præcedente dispositione.

USUS I. Informatorius.

Notæ Christianorum.

I. De veris verorum Ecclesiæ membrorum notis. Illi enim vera sunt Ecclesiæ membra, qui

1. verbum audiunt; Joh. 8, 47. & 10, 27. reliqui instar aspidum aures obturant. Ps. 58, 5. 1. Reg. 22, 8. Jer. 44, 16.
2. verbum auditum intelligunt; (συνιέντι Matth. 13, 23.) Requirit enim Christus talem σύνεσιν, quâ unum ab altero prudenter discernere, dijudicare & componere scimus. Verus autem verbi usus consistit, non in verbis, sed in vero sensu & intellectu, de quo rectè percipiendo laborare, hominis est verè Christiani.

3. Su-

3. Suscipiunt verbum auditum & intellectum cum gaudio.
4. Fructum ferunt in patientia. Ut enim segetes, priusquam maturescant, multa adversa, pruinas, imbres, nives, grandines, pluvias, ventos &c. sustinere coguntur: Ita verbi auditoribus multa obveniunt adversa, quæ tamen æquo perferre animo jam dudum didicerunt. Luc. 21, 19. Rom. 5, 3. Vide Thes. Monr. p. 218.

II. De Verbi prædicati hostibus capitalibus;

Verbi prædicati hostes.

1. *diabolo*, qui & ipse in sacris concionibus, proh dolor, præsens, ejusdem fructificationem immane quantum impedit.

1. modò *alienas cogitationes auditoribus suggerendo*;
2. modò *memoriæ imbecillitatem causando & prætendendo*;
3. modò *somnum oculis intempestivum injiciendo*.

2. *mundo*; qui persecutionibus acerrimis; &
3. *Carne*, quæ voluptatum illecebris, curarumque solicitudinibus multos in diversum abripit, quòminùs ad justam pervenire frugem queant.

Verbum semen.

III. Verbum est semen Jesu Christi, triplici de causa: quia (1) ipse ex sinu Patris Evangelium protulit; Joh. 1, 18. Matth. 24, 35. (2) de Christo dicit & docet, ducitque nos ad ipsum, ut credentes salvemur: Joh. 3, 15. 16. Rom. 1, 16. (3) solus Christus dat incrementum. 1. Cor. 3, 7. Vide plura in Thes. Monr. p. 210. 219. Seminatur ergò spiritualiter, quoties verbum Dei prædicatur.

II. Consolatorius.

Verbi fructus.

1. De verbi prædicati & auditi fructu certissimo: 1. Corint. 15, 58. Esaiæ. 55, 10. licet semen non æqualiter apud omnes fructificet: Nam & inter bonos verbi auditores alii aliis majores in pietatis studio progressus faciunt. Matth. 25, 14. 1. Cor. 12, 4. Quemadmodum verò agricola vel tandem universam segetem demetit, ne tenuioribus quidem aristis relictis: *ita nec cœlestis Pater imperfectiores & imbecilliores fastidiet, modò verbi fructificationem non malitiosè impediant, nec Spiritui Sancto contumaciter resistant.* Esa. 42, 3. Confer Monrad. p. 212.

Pietatis præmium.

2. De pietatis præmio, quòd illi, qui patiendo vincunt, non tantùm fructum ferent bonum, sed fructu quoque beato in æternum fruentur. Apoc. 2, 7. 17. Ib. p. 222.

III Monitorius..

1. De rectè tractandis auditoribus desidiosis, securis & incogitantibus; petrosis item & spinosis. D.Chemn.p.1107. 1108.

2. Ut unusquisque ad speculum hujus Evangelii sese probet & examinet ac rite componat; modum invenies in Thesauro concion. Monr. p. 216.217.218.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, fidem reverâ salvare negantium. Ita diabolus rectiùs credit, quàm Papistæ: credit enim ille & novit, sublato verbo homines neque credere, neque salvari posse. Joh. 3,16. & 6,40. Marc.16,16. Eph. 1,8 Rom.3,28. Gal. 2,16. & 3,22,26. Vide Vindic. Dn.Meelf.th.81

Papismus fidem salvare negans.

II. Calvinianorum,

1. Voluntate Dei absolutâ plurimos non salvari, nec efficaciter verbum audire, contendentium. Quibus parabola præsens manifestè repugnat. Sicut enim se habet voluntas seminantis & semen ipsum ad agrum ejusque fructum: Ita se habet voluntas Patris cœlestis, verbumque prædicatum ad homines & æternam eorum salutem. Jam verò voluntas seminantis est, non ut major seminis pars ἀκάρπος pereat, sed ut si fieri queat singula grana copiosum fructum ferant. Ergò voluntas Dei idem intendit ut homines convertantur & salventur, in quorum corda verbum, ceu semen bonum, disseminatur.

2. Beneplaciti & signi, sive voluntatis arcanæ ac revelatæ in Deo discrepantiam, in rebus etiam salutem nostram concernentibus, fingentium; ac si Deus aliud verbis revelet, aliud tacito beneplacito seriò, efficaciter & inevitabiliter velit. Refellit hanc blasphemiam Dn Meelf. in vindic. th. 61.62.63.

Voluntas beneplaciti & signi.

3. Ex solo intrinseco fidei ac donorum Spiritus Sancti sensu, posse certitudinem electionis haberi, docentium. Refutat idem th. 64. seq.

4. Semel verè renatos, & verâ fide in Christum donatos, non posse excidere gratiâ Dei & spe salutis, docentium. Contrarium ostendit idem th. 67. 68. 69, 70. 71. 72.

DIS-

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio.

COnstitutum est nobis, charissimi, unicum istud thema hac vice expendere, *quinam hominum verbum Dei habentes & audientes non salventur; & vice versâ qui eorum ex verbo prædicato & audito salventur.*

Ἐξήγησις.

Ex verbo itaque non salvantur, licet habeant & audiant,

Verbum habentes & audientes quidam non salvantur.

1. ἀσύνετοι, imprudentes, securi & incogitantes; quorum tùm negligentiam & socordiam, tùm ἀμέλειαν & incuriam perstringit Salvator sub imagine seminis, cadentis in viam. *Via,* inquit Gregorius, *est mens malarum cogitationum sedulo meatu trita & arefacta.* Huc pertinent *1. omnes odiosi verbi contemtores;*
2. desidiosi auditores,
3. obliviosi observatores;
4. otiosi factores.

2. πρόσκαιροι, temporarii, duri, incorrigibiles leves & inconstantes; de quibus dicitur in ἐξηγήσει parabolæ; πρὸς καιρὸν πιστεύονται, posteà ἀφίστανται. Taxat præfractam horum malitiam, levitatem & inconstantiam Dominus per figuram seminis supra petram prolapsi. *Cor enim* (quod Bernhardus ait) *durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur; nec movetur precibus, nec minis cedit, & flagellis induratur.* Et Chrysost. *Sicut lapis,* inquit, *super quem pluvia cadit, foris humectatur, intùs exsistit siccus; sic tales auditores.*

3. φιλήδονοι καὶ φιλάργυροι, voluptuarii & intemperantes, quos impedit vel iniqua rerum terrenarum cupiditas, vel illicita carnis voluptas. Hos vituperat Christus similitudine seminis inter spinas sparsi. Divitiæ namque spinæ sunt, quia *mentem lacerant, spe acquirendi, curâ retinendi, timore perdendi.* Gregor. Luxuria autem, Innocentio teste, omnem ætatem corrumpit, omnem sexum confundit, omnem ordinem solvit. His omnibus Evangelii prædicatio & auditio fit per accidens odor mortis ad mortem; 2. Cor. 2, 16. Non seminantis quippe causâ, uti Chrysost. in Matth. fol. 91. a. loquitur, sed suscipientis culpâ terræ, h. e. propter reluctantem atque repugnantem animam. Quare ne quid tale nos, patiamur diligentiâ, magnitudine animi, & jugi memoriâ semina obducamus. Nos ponderemus adsiduò causas, quæ ad verbum divinum se-

Divitiæ spinæ.

sedulò, diligenter & salutariter audiendum, quemvis pium impellere possunt & meritò debent. Monstrat enim parabola præsens quatuor nobis causas ejusmodi impellentes: moveat enim nos,

Causæ audiendi verbi impellentes

1. *Majorum nostrorum alacritas*. Insignis olim erat prisci seculi hominibus zelus, audiendi cum fructu verbum Dominicum. Habes istius rei documentum satis evidens in populo hodierni Evangelii, catervatim ad Christi concionem concurrente. Similis planè patrum nostrorum memoriâ fervor conspiciebatur illo tempore, quo B. Lutheri studio à fermento Papistico doctrina Evangelii primùm repurgari cœpit: sed fuit, proh dolor & pudor, fervor iste admodum ὀλιγοχρόνιος, & paulò post immane quantum deferbuit. Non ita homo verè pius; sed imitatur turbam, Magos, Matt. 2, 1. seq. Davidem. Psal. 26, 9. & 27, 4. & 84, 1. & 122, 1.

2. Moveat nos secundo loco *seminantis auctoritas*. Quis ille? Jesus Christus θεάνθρωπος, Salvator noster longè dilectissimus. Is exiit ad seminandum (1) *immediatè*, initio facto in ipso statim Paradiso. Gen. 3, 15. Hebr. 1, 1. (2) *Mediatè*, per Prophetas, Apostolos & sinceros eorundem successores. Exod. 4, 12. Matth. 10, 20. Luc. 10, 16.

3. Moveat insuper nos *seminis preciositas*: semen enim est ipsum Dei verbum, è sinu Patris cœlestis prolatum. Johan. 1, 18. Inde semen

Verbum semen.

1. *purum*, omni carens scoriâ; Deut. 4, 2. & 12, 32. Psal. 12, 17.
2. *vivum*, non mortuum; Hebr. 4, 12. Rom. 1, 16.
3. *æternum*. Esa. 40, 8. Apoc. 14, 6.

4. Moveat denique nos *summa nostra necessitas*, quam in quadruplici nobis agro ob oculos statuere Salvator optimus voluit. Necessitas illa est

1. *tentationis*: satanas enim, corvus ille infernalis verbo insidiatur plurimùm: fores itaque cordis probè muniendæ. Rapere ipsa (semina sc.) diabolus potest, sed nos possumus facere ne rapiantur. D. olim dicebat Chrysostomus.
2. *Tribulationis*, quâ hominum sæpenumerò animi ità percelluntur, ut nullam fermè admittentes consolationem à verbo deficiant.
3. *Infirmitatis*, quâ certè fieri facilè potest, ut spinis voluptatum curarumque impliciti, salutis suæ naufragium homines faciant. Qui ergò aures habet audiendi audiat.

Au-

Audiviſtis, cariſſimi, qui homines, verbum licet habentes non ſalventur; audite jam, quinam illi, qui ex verbo ſalventur. Non enim hîc τὸ ὅτι attendendum, ſed τὸ πῶς: expoſitioni itaque parabolæ ſubjunxerat Salvator ἀξιομνημόνευτον illud; videte quomodo audiatis, Luc. 8, 18. Non enim omnes externis auribus verbum audientes, ſalvificum ipſius fructum percipiunt. Quæritur itaque de modo, quo verbum cum fructu audiendum? Attende, audies. Quicunque fructum ex verbi auſcultatione ſalutarem percipere cupit, hunc tria potiſſimùm ſecum adferre requiſita, vel maximè neceſſaria, oportet.

Verbum habentes qui ſalventur.

Auditûs verbi requiſita.

1. Aures patulas ad audiendum. Loquimur de auribus non corporis, ſed animi. Audiendum autem eſt verbum animo

1. non calumniandi, quod Phariſæos factitâſſe legimus; Luc. 14, 1. ſimilis illis, qui deſcribuntur Pſal. 10, 9. & 41, 7.

2. non illudendi; Ezech. 33, 31.

3. ſed diſcendi.

2. Lingvam paratam ad interrogandum. Devt. 6, 7. Joh. 5, 39.

3. Cor bonum ad fructificandum. Ut autem fructificatio legitimè & ex voto ſuccedat, requiritur hic

1. cor alacre ad ſuſcipiendum;

2. cor firmum ad retinendum verbum;

3. cor fertile ad fructum producendum;

4. cor forte ad patiendum, vel perdurandum. Quibus ita ſimul conſtitutis, fructificatio certo certiùs ſubſequetur, atque ita finem fidei noſtræ, ſalutem nimirùm animarum, 1. Petr. 1, 9. benedictionem virtute ex alto divinâ adſpirante, reportabimus. Oremus cum Eccleſia: *Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus, concede propitius, ut contra omnia mundi pericula & diaboli tentationes tuâ benignitate muniamur, per Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum Filium tuum dilectum,*

Amen.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ,

EVANGELIUM

Luc. 8. à verſ. 31 ad finem.

Matt. 10, 17
Marc. 10, 37

31. Παραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα, εἶπε πρὸς αὐτούς· Ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου.

32. Παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται.

33. Καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτόν· καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστήσεται.

34. Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν· καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

Matt. 20, 19
Marc. 10, 46

35. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχώ, τυφλός τις ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν.

36. Ἀκούσας δὲ ὄχλου διαπορευομένου, ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο.

37. Ἀπήγγειλαν δὲ αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται.

38. Καὶ ἐβόησε, λέγων· Ἰησοῦ, Υἱὲ Δαβίδ, ἐλέησόν με.

39. Καὶ οἱ προάγοντες ἐπετίμων αὐτῷ, ἵνα σιωπήσῃ· αὐτὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν· Υἱὲ Δαβίδ, ἐλέησόν με.

40. Σταθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν· ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ ἐπηρώτησεν αὐτόν,

41. Λέγων· Τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ εἶπε· Κύριε, ἵνα ἀναβλέψω.

31. *Aſſumſit autem Jeſus duodecim, & ait illis: Ecce adſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas, Filio hominis.*

32. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumeliis adficietur, & conſpuetur.*

33. *Et poſtquam flagellaverint, occident eum: ac die tertiâ reſurget.*

34. *Et ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicebantur.*

35. *Accidit autem, cùm adpropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat juxta viam mendicans.*

36. *Et cùm audiret turbā prætereuntē, interrogabat quid hoc eſſet.*

37. *Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret.*

38. *Et clamavit, dicens: Jeſu, Fili David, miſerere mei!*

39. *Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret: ipſe verò multò magis clamabat: Fili David, miſerere mei!*

40. *Stans autem Jeſus, juſſit illū adduci ad ſe. Et cùm adpropinquâſſet, interrogavit illum,*

41. *Dicens: quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut viſum recipiam.*

42.

42. Καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἀνάβλεψον. ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.	42. *Et Jesus dixit ei: Recipito visum: fides tua te salvum reddidit.*
43. Καὶ παραχρῆμα ἀνέβλεψε, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ δοξάζων τὸν Θεὸν· καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν, ἔδωκεν αἶνον τῷ Θεῷ.	43. *Et confestim visum recepit, ac sequebatur illum glorificans Deum: & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

TOtum hoc Evangelium referimus ad genus causarum Demonstrativum. Etsi enim prior ejus pars ratione materiæ pertinere videatur ad genus Deliberativum, quod rerum futurarum considerationes habet: tamen quia res, non quidem gesta, sed paulò pòst gerenda, ita describitur, ut coràm geri videretur, ideoque rectiùs ad dictam classem referimus. Observabimus in ejusdem distributione consvetam τριχοτομίαν, pro ratione triplicium personarum, contemplaturi

I. Christum de passione suâ concione παθολογικῇ præmonentem;

II. Discipulos in rebus divinis cæcutientes;

III. Cæcum Bartimæum visum Christi beneficio recipientem.

In primo habebimus passionis Dominicæ *prænunciationem dolorosam:* in secundo, discipulorum *ignorantiam ignominiosam:* in tertio cæci *sanationem miraculosam.*

PARS I.

In primæ partis descriptione observetur,

I. Temporis notatio; habuit nimirùm Salvator hanc concionem in itinere, quod Hierosolymam versus instituerat, postremò. Aderat enim tempus, quo, secundum æternum Patris decretum, passionem suam subiret. Eo itaque animo adscendebat, ut hac vice perageret opus τῆς ἀπολυτρώσεως sive redemtionis nostræ; ubi opus omninò erat, ea de re discipulos maturè informari, ne offenderentur posteà, aut nimis contristarentur, si viderent Dominum ac Magistrum suum à Judæis capi, & ignominiosè adeò tractari, immò & occidi.

II. *Auditorum mentio*; locutus scil. est Christus duodecim, intellige per synecdochen, discipulis, quos κατ' ἰδίαν, uti habet Matthæus, h.e. seorsim adsumsit, ut id, quod dicturus erat, diligenter notarent, tanquam testes futuræ passionis, mortis & resurrectionis, & quos scandalum crucis præ ceteris vel maximè pressurum erat; tantò magis itaque contra omne offendiculum probè muniendi.

III. *Ipsa concio παθολογική*, cujus argumentum est, de passione & resurrectione Domini nostri Jesu Christi. Ceterùm in concionis istius descriptione observetur

1. attentionis particula, ecce, quâ ad diligentiorem attentionem & dicendorum meditationem, & suos olim discipulos excitavit, & nos hodieque exstimulat. Res enim magna & seria agitur.

2. Circumstantiæ concionis. Ostendit enim Salvator,

1. Ubi passurus? Locus quippè passioni destinatus erat Hierosolyma: *Ecce*, inquit, *adscendimus Hierosolymam*, quasi ob Paschatis jam jam imminentis celebrationem; sed revera ad veri Agni Paschalis immolationem; ut magnum illud τῆς ἀπολυτρώσεως peragendæ opus vel tandem perficiatur. Clam enim neque pati neque mori voluit, sed quasi in totius orbis terrarum conspectu, & in ea potissimùm urbe, ad quam quotannis, ex omnibus mundi plagis, circa festivitatem paschalem homines magno numero confluebant. Locum hunc designaverat quondam Patriarchæ Isaaci mactatio, quæ debebat fieri in monte Morijah, super quo monte posteà templum Hierosolymitanum exstructum fuit. Gen. 22, 2. 2. Par. 3, 1 Idem significârunt tot victimæ, quotidie ibi oblatæ, & inprimis mactatio Agni Paschalis, quæ ibidem, & non alibi peragebatur quotannis: ibi tum temporis sedem occupabant Propheticidæ, qui etiam adversus Christum Domini erant insurrecturi. Psalm. 2, 2. Matth. 23, 27. Luc. 13. 33. 34.

Filius hominis patitur.

2. Quis passurus? Persona patiens dicitur Filius hominis: intellige per Metonymiam vel synecdochen, Christum θεάνθρωπον. Verùm h.l. notatur ea natura, secundum quam pati & mori debuit, immò potuit. Pati enim & mori est proprium humanæ naturæ; ubi tamen divina Natura nullo modo excludenda. Actiones namque & passiones sunt totius suppositi,

fiti, uti Scholastici loquuntur. 1. Cor. 2, 8. Act. 3, 15. & 20, 28. Filius enim Hominis in Concreto totam personam θεάνθρωπον notat, non solam humanitatem, seorsim consideratam, quæ & nunquam seorsim homo fuit sed in Unione cum Λόγῳ ipsissimus Dei Filius est. Hinc Vigilius ait: *Ipse Dei Filius passus est, non proprietate naturæ, sed unitate personæ.*

3. *Cur passurus?* Finis nimirum & causa impulsiva consistit in plenaria Scripturæ propheticæ, de Messia passuro & morituro, adimpletione. Scopus enim Mosis, Prophetarum & Psalmorum, h. e. totius Scripturæ sacræ est Messias cum toto suo officio, morte cumprimis & resurrectione. D. Finck. cent. 1. can. 71. Tertull. rectè lib. 3. adversus Marcionem:

Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.

Lege, si voles de passionis prædictionibus, Psal. 8, 16. 22. 40. 41. 69. 109. & 110. Esa. 50. & 53. Dan. 9 & alibi.

4. *Quid passurus?* vel quæ passionis partes? Hic genus h. e. passionem integram diducit in species, κατ' μερισμὸν enumerans, quæ & qualia sit passurus. Distinguit autem totum opus in duas quasi partes vel actus duos:

prior *passionem*;
posterior *resurrectionem* spectat.

Prioris generis παθήματα hæc sunt:

Passionis Christi species.

1. *Tradetur* vel vendetur gentibus, sc. Pontio Pilato & militibus Romanis: quod factum, quando à Juda proditus à Judæis captus & à Concilio damnatus est: tum enim primores populi, cum universo Pontificum, Sacerdotum & Seniorum conciliabulo, Christum ut maleficum Pilato, gentili Judici adducebant & sistebant. Matth. 27, 1. 2. Marc. 15, 1. Luc. 23, 1. Joh. 18, 28. Habes causam efficientem vel inferentem passionis. Psal. 2, 1. Act. 4, 27.
2. *Illudetur*; ut stultus & morio habebitur ludibrio. Ps. 22, 7.
3. *Contumeliâ adficietur*, ut blasphemus, homo seductor & mendax.
4. *Conspuetur*, ut inglorius.
5. *Flagellis cædetur*; quæ omnia partim in Pontificis atrio, per integram noctem, quæ diem viridium est secuta, partim sequenti die in prætorio Pilati ipsum sustinuisse testis locupletissimus est passionis historia,
6. *Occidetur*, intellige per synecdochen generis pro specie, morte crucis. Supplicium enim isthoc Judæi efflagitârunt,

& clamoribus suis incessabilibus Pilato extorserunt, in ignominiam Christi & omnium sectatorum ejus.

Resurrectio Christi. Posterioris generis ἀποτέλεσμα est, unicus resurrectionis eventus lætus & exoptatus, qui illustratur adjuncto temporis, tertiâ die resurget. Sic enim à Patre cœlesti decretum erat, ut per crucis ignominiam ad cœlestem Christus eveheretur gloriam. Et hic fuit finis passionis ac mortis, ut peccatum & mortem aboleret, & resurgendo vitam ac justitiam reduceret. Resurrectionem verò etiam subsecuta est gloriosissima ad cœlos adscensio, & sessio in throno Dei majestatica, ubi regnat nunc & dominatur Christus totus, usque ad consummationem eorum, quæ scripta sunt per Prophetas, ita ut hic habeas brevem summam omnium vaticiniorum propheticorum, quæ per Christum fuerint complenda, quemadmodum, ea etiam in secundo articulo Symboli Apostolici sunt comprehensa.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Evangelium præsens de Christi pro omnium hominum peccatis passione, meritò bacchantium & larvatorum impietatem coërcere hoc tempore debebat. 1. Pet. 1, 18 & 4; 2. 3. Rom. 12, 2.

Colloquia piorum. II. Colloquia nostra, in itineribus etiam, sint de rebus piis, & salutem nostram concernentibus. Colos. 4, 6. Ephes. 4, 29. & 5, 3. Matth. 12, 36. Jac. 1, 19. Psal. 34, 14. & 39, 1. Sir. 23, 1. & 28, 29. Pro. 10, 19. 1. Corint. 15, 33.

Passionem sur toties [illegible] prædixerit III. Ponderentur causæ, ob quas Christus de passione sua toties disseruerit:

1. ut passionem suam non coactam esse, sed spontaneam, ostenderet; Psal. 40, 8. 9. Esa. 53, 7. Luc. 22, 15. Matth. 26, 5. Joh. 10, 18. Hebr. 9, 14. Gal. 2, 20 Luc. 4, 29. Joh. 7, 44. & 8, 59. & 10, 31.
2. ut falsam discipulorum opinionem, de regno mundano, resecaret, eximeret, tolleret: Matth. 20, 17. Marc. 10, 22. Act. 10, 2. Johan. 18, 36.
3. ut scandalo discipulorum consuleret; Matth. 11, 6. & 26, 31. Johan. 16, 4.
4. ut conciones passionales nobis commendatiores & acceptiores redderet; Luc. 9. 44. 2. Tim. 2, 8. Hebr. 12, 3.
5. ut discipulorum animos depressos & consternatos erigeret. Vaticinatur enim tùm de passione, tùm de resurrectione sua. Veritas prioris spem facere debebat de veritate posterioris, im-

immò omnium, quæ Christus ipsis locutus fuerat. Psal. 33, 4. Luc. 21, 33. D. Chemn. cap. 134. p. 254. 255.

IV. Spontanea Christi passio (de qua vide D. Theod. quoad τὸ ἑκούσιον p. 497. 498.) monet, tùm de nostra inobedientia, quæ Christi obedientiâ fuit expianda; Rom. 5, 19. tùm de summo Christi & ineffabili erga nos amore. Joh. 15, 13.

Passio Christi voluntaria.

V. Cùm mors Christi summus noster sit thesaurus, vitanim. mundi, nullo modo abscondita esse debuit; & hac de causa clam nasci, & apertè mori voluit; quia in morte plus situm, quàm in nativitate ipsius: ideò enim homo natus est, ut mori posset.

VI. Christus est verus Messias; quia juxta Prophetarum vaticinia sponte & volens passus est: ideoque non in occulto aliquo terræ angulo, sed in regia, sancta & toto orbe celebratissima urbe pati voluit.

Christus Messias.

VII. A præcognitione autem malignitatis Judæorum, ad dispositionem de passione Christi, non valet consequentia. D. Finck. cent. 4. can. 63.

IIX. Christus ergò non fortuitò, sed ex Dei providentia & decreto passus ac traditus est. Act. 2, 23. & 4, 28.

Passio Christi non fortuita.

IX. In Scriptura sacra nonnunquam idem opus tribuitur Deo, & satanæ & hominibus. D. Finck. cent. 1. can. 48. Eadem est ratio passionis Dominicæ, ad quam concurrunt Deus, Act. 4, 28. diabolus, & sangvinarii Judæi, sed singuli diversis finibus. Dei actio fuit σωτική, diaboli & Judæorum φθαρτική.

Deo, diabolo & hominibus tribuitur.

X. Christus non tantùm secundum divinam, sed & humanam naturam futura novit: mente enim humanâ præscit & prædicit eventura. Joh. 2, 25. Col. 2, 3.

XI. Passio Christi non soli humanæ naturæ transscribenda. Omnia enim, quæ de Filio Hominis h. l. enunciantur, propter personæ identitatem, verissimè etiam de Filio Dei incarnato prædicantur, per testimonia suprà posita. Passus est omniscius & omnipotens Filius hominis: utriusque proprietatis habes documenta: passus est autem in anima etiam sua, quam ludibria & contumeliæ magis, quàm corpus adficiunt & adfligunt. Luc. 12, 50. Joh. 12, 27. Matth. 26, 37. Psal. 69, 10. Observandum hoc propter Pontificios, animam Christi tempore passionis veris doloribus adfectam fuisse negantes.

Passio non solius est humanæ naturæ.

XII. Quòd igitur Christus Deus-Homo passus sit, probatur.

Passio est Christi Dei-Hominis.

1. Fi-

1. Filii-hominis adpellatione;

2. Scripturarum testificatione; Roman. 5,10. & 8,32. Hebr. 1,3. & 5,8. Act. 3,15. & 20,28. 1. Corint. 2,8. 1. Thess. 2,15. Apoc. 11,8. Matth. 27,54.

3. nostra cum Deo reconciliatione;

4 Ecclesiæ priscæ patrumq; adstipulatione; vide de his omnibus D. Theodor. anal. Evang. p. 499. 500. 501.

XIII. Nostra de Jesu Nazareno passo, crucifixo & resuscitato doctrina non est nova religio. Luc. 24,25. 26. 44. Act. 10,43. & 18,28.

Patientia.

XIV. In Christo habemus exemplum patientiæ. Animos ergò nostros maturè ad ferendas adversitates præparemus & præmuniamus: tela enim prævisa minùs nocent. Actor. 14,21. 2. Timot. 3,21.

Passionis Christi species.

XV. Quid in specie passus sit Christus, tàm in corpore, quàm in anima, ostendit D. Theodor. p. 504. 505. à quibus passus sit, tàm à Deo, quàm à diabolo & hominibus, tàm amicis, quàm inimicis demonstrat. p. 506. ex quibus elucet,

1. passionis Dominicæ exaggeratio;

2. delicti Judæorum abominatio;

3. hostium in Christum conspiratio. Vide ib. p. 507. 508.

XVI. Passionum Christi caussa fuit solum generis humani peccatum. Esa. 43,24. & 53,5. Psal. 69,5.

Passionis considera-tio quadruplex.

XVII. Passio Dominica consideratur quadrupliciter;

1. quantum ad seipsam, ubi occurrit maxima amaritudo, & ita est compunctiva ad contritionem:

2. quantum ad caussam, ubi monstratur ineffabilis dilectio; ita est inflammativa ad amorem reciprocum:

3. quantum ad modum, ubi perfecta est virtutum exemplificatio, sic est illuminativa ad imitationem

4. quantum ad effectum sive fructum, ubi plena est perditorum restauratio, ita est consolativa ad desolatorum erectionem, uti ex Scholasticis refert D. Finck. cent 4 can. 61.

Passio consideratur secundum Legem & Evang.

XIIX. Consideratur passio Christi dupliciter: (1) secundum legem, ita est speculum iræ: (2) & secundum Evangelium, ita est speculum amoris, gratiæ & misericordiæ; & hic respectus omnes passionis fines comprehendit:

1. comtemplatorium, in dilectionis commendatione; Rom. 5,8.

2. correctorium, in peccatorum agnitione; Esa. 43,24.

3. ad-

3. *adplicatorium*, in modo, quo meritum ejus facimus nostrum; per fidei adprehensionem: Joh. 3,16.

4. *imitatorium*, ut sequamur vestigia ipsius. 1. Pet. 2,21.

XIX. A Christi angoribus, pavoribus, infernalibus doloribus, ad desperationem ejusdem, nulla sequela valet; idque contra Jesuitam Bellarm. est tenendum, qui negat Christum sensisse dolores inferni. Psal 18,5.6. & 22,2. & 40,13. & 42,8. & 49,15. & 69,2.3. & 88,4.5. Zach. 13,7. D. Finck. cent. 4. can. 67.

XX. Flagellatio in Scriptura sacra, & aliàs supplicii genus fuit ignominiosissimum. Ibid. can. 68. **Flagellatio.**

XXI. Descensus Christi ad inferos non fuit pars passionis Christi: nulla ejus h. l. fit mentio; & præterea mors finis seu terminus constituitur omnium passionum. Phil. 2,8. Johan. 19,30. Matth. 26,38. **Descensus Christi ad inferos.**

XXII. Monemur de accurata, pia & diligenti passionis Christi recordatione ac meditatione, hoc potissimùm tempore quadragesimali instituenda: **Passionis Christi recordatio.**

1. *propter Scripturæ veritatem & auctoritatem*: illa enim hinc inde passionis memoriam inculcare voluit, partim
   1. *tectè* tùm in typorum præludiis; tùm in Leviticis sacrificiis
   2. partim *apertè*, de omnibus passionis particulis per os Prophetarum loquendo. Col. 3,17. 2. Tim. 2,8. Heb. 12,2.3. 1. Cor. 2,2. & 11,25.26. 2. Cor. 4,10. Gal. 6,14. Rom. 6,3.
2. *Propter summam utilitatem*; quippè in qua totius salutis nostræ ratio unicè est posita. Act. 4,12. 1. Cor. 3,11.
3. *Propter consolationis efficacitatem*:
4. *Propter intermissionis incommoditatem*:
5. *Propter exemplorum pluralitatem*, quæ passim tùm in sacra, tùm Ecclesiastica historia sunt obvia. Vide D. Theodor. pag. 495.496. anal. Evang.

XXIII. Nullum expressius & luculentius in sacris literis exstat exemplum magnitudinis iræ Dei adversus peccata, & contrà dilectionis ejusdem erga genus humanum, quàm passio ac mors Domini nostri Jesu Christi D. Finch. Cent. 1. can. 94. **Passio & mors Christi exemplũ iræ & dilectionis.**

XXIV. Usus meditationis παθολογικῆς probè attendendus, facit enim. **Usus passionis Christi.**

1. *adpeccati agnitionem*; Ut servum redimat non parcit Filio: Esa. 43,23.24.

2. *ad misericordiæ divinæ æstimationem:* Joh. 3,16.
3. *ad fructuosam passionis usurpationem:*
4. *ad meritorum Christi per fidem adplicationem:*
5. *ad sedulam imitationem:* Rom.8,29. Matth.5,11.
6. *ad vivificam consolationem:*
Vulneribus Christi fit medicina meis:
7. *ad sempiternam gratiarum actionem,* non tàm verbis, quàm factis præstandam. Tit.2,14. 1.Pet.2,24.

Bernh. *Quotidiana hominis lectio, debet esse Dominicæ passionis meditatio.*

PARS II.

Passionem suam sexies prædixit Christus, & cur.

Sexies jam Christus discipulis suis fuerat, de imminente passionis suæ actu, concionando vaticinatus, idque verbis adeò perspicuis, ut vel septem annorum puer capere potuisset: nihilominùs tamen Evangelista longè alium de Apostolis narrat vaticinii eventum, illustratum κατ᾽ ἐπιμονὴν καὶ συνωνυμίαν: Ipsi, inquiens, nihil horum intellexerunt; & erat verbum istud absconditum ab illis; nec intelligebant quæ dicebantur. Πρῶτον αἴτιον vel potiùs ψεῦδος erat, carnalis ille de regno Messiæ intellectus, quo cum reliquo Judæorum, vulgò fascinati, absurdam statuebant & ipsi Messiæ passionem, mortemque adeò miserandam. Nonnulli quadruplicem tantæ ignorantiæ causam constituunt:

1. *naturalem stupiditatem* sive occæcationem in divinis:
2. *præconceptam opinionem,* & falsam de regno Christi terreno persvasionem:
3. *humanam rationem,* quæ Deum novit ἀπαθῆ Christum verò Filium Dei professi fuerant Apostoli: Matth.16,16. Joh.6,69.
4. *imaginationem,* ac si Christus loquatur parabolicè, uti aliàs sæpè facere consveverat.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Speculum naturalis caliginis.

I. Speculum habemus & exemplum illustre, congenitæ nobis in rebus spiritualibus caliginis. Johan.1,5. Rom.8,7. 1.Cor.1,23. & 2,14. 2. Cor.3,5.

Scriptura non est obscura.

II. Patet inde, falsò obscuritatem à Jesuicidis attribui Scripturæ sacræ: vitium enim non tàm in Scriptura, quàm animis audientium vel legentium hæret. 2.Cor.4,13. Exue ergò priùs mun-

danos

danos de Christi regno adfectûs, si cum fructu voles vel audire, vel legere Dei verbum. Exod. 3,5.

III. Opiniones præconceptæ vix magno labore eximuntur: studiosè itaque ab illis cavendum piis mentibus. Matth. 11, 2. seq. & 20,20. Luc. 22,24. Act. 1,6. Ergò

Verbum sit vitæ regula certa tuæ.

Opiniones præconceptæ.

IV. Sancti quoque homines suis non carent nævis atque infirmitatibus, unde mirum non est eos sæpenumerò multùm errare, labi ac decipi, cujus rei documentum insigne præbent h. l. Apostoli. Pro. 24,17. Job. 9,3. Psal. 19,15. & 130,3.

Sancti non carent nævis.

V. Facit diligens hujus rei consideratio ad carnis mortificationem, quam suadeat

Mortificatio carnis cur facienda.

1. *divinum mandatum;* Exod. 20, 17. Devt. 5, 21. Sir. 18, 30. Gen. 4, 7. Matth. 18, 8. 9. Rom. 6, 12. Gal. 5, 16. 17. Eph. 4, 22. 23. 24. Col. 3, 5. 8. 9. 10. 1. Pet. 2, 11.
2. *Nostrum debitum:* Rom. 8, 9. 10. 12. Gal. 5, 25. 2. Cor. 5, 15. Col. 3, 5. 7. 8. 1. Pet. 1, 14. & 4, 3.
3. *Passionis Dominicæ meritum:* 1. Pet. 4, 1. 2. & 2, 21. 24. Rom. 6, 6. Gal. 6, 14.
4. *Sepulturæ Dominicæ speculum:* Rom. 6, 3. & seq.
5. *Nostrum cum Christo consortium:* Matth. 16, 24. Gal. 5, 24. Rom. 6, 3. Gal. 2, 20. Rom. 8, 1. 9. 14.
6. *Breve hujus vitæ curriculum:* 1. Pet. 2, 11. 1. Joh. 2, 17.
7. *Sanctorum exemplum.* Gen. 22, 4. Mich. 6, 7. 8. 1. Cor. 9, 27. Gal. 2, 20. & 6, 7. 14. Phil. 3, 17.
8. *Promissum præmium.* Rom. 8, 10. 11. 14. 1. Cor. 9, 25. 2. Tim. 4, 7. 8. Apoc. 2, 7. 11. 17. 26. & 3, 5. 12. 21. Gal. 5, 17.
9. *Consequens damnum* Matth. 18, 8. 9. Joh. 12, 25. Rom. 8, 13. Gal. 5, 16. 17. 19. 21. & 6, 8. Col. 3, 6. 1. Pet. 2, 11. Jac. 1, 15. Roman. 6, 23.

VI. Modus verò mortificationis istius consistit in

Mortificationis modus.

1. *verbi divini meditatione:* 1. Pet. 2, 2. Eph. 6, 17. Apoc. 1, 6. Jer. 23, 29. Matth. 16, 26. 1. Cor. 6, 16. Eph. 4, 26.
2. *Primorum motuum repressione:* Psal. 132, 6. Jac. 1, 15. Gen. 21, 10.
3. *Occasionum declinatione:* quia vitare peccata est vitare occasiones peccandi: Pro. 23, 29. 30. Gen. 3, 6. & 34, 1. 2. Sam. 11, 2.
4. *Recta corporis gubernatione:* Devt. 32, 16. Exod. 32, 6. 1. Cor. 10. 7. Num. 25, 1. Pro. 23, 29. 31. 1. Cor. 9, 27.
5. *Seriâ & indesinenti oratione:* Sir. 23, 6. Eph. 3, 16. 17. Vide de his omnibus Schol. piet. D. Gerh. lib. 2. c. 11 & 12. fol. 219. & seqq.

Abnegatio sui cur facienda.

VII. Quæ mortificationis sive crucifixionis eadem & abnegationis sui ipsius est ratio, ad eam verò nos exstimulet,

1. discipulorum Christi proprietas : Matth. 16, 24. Luc. 9, 23. Gal. 5, 24. 2. Cor. 5, 15. 17. Gal. 2, 20.

2. rei necessitas, quam ἀντίθεσις monstrat; Luc. 14, 26. 33.

Abnegare seipsum.

3. utilitas. Vide d. l. cap. 13. fol. 242. Est autem seipsum abnegare, renunciare

1. proprio amori; Esa. 28, 20.

2. proprio honori; Joh. 5, 44. Rom. 1, 30. 2. Tim. 2, 2. Psal. 115, 1. Johan. 8, 50.

3. propriæ voluntati : Gal. 5, 17. Matth. 26, 39. & 6, 10. Luc. 11, 1.

4. propriæ voluptati : Psal. 37, 5.

5. propriæ utilitati : 1. Cor. 13, 5. Matth. 20, 28.

6. propriæ sapientiæ : 1. Cor. 3, 18. 2. Cor. 10, 5. Rom. 8, 7. 1. Cor. 2, 14.

7. propriæ vitæ. Act. 20, 24. 1. Joh. 3, 16. Matth. 10, 39. & 16, 25. Marc. 8, 35. Luc. 9, 24. & 14, 26. Joh. 12, 25. Ibid. cap. 14. fol. 245.

IIX. Ingens est discrimen inter hæreticos, ex pertinacia, malitia, aliisque adfectibus, & inter Apostolos ex infirmitate peccantes.

IX. De spirituali cæcitate, (1) connata; 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 4, 16. (2) Sponte attracta: (3) obstinata; & (4) finali.

Caritas spiritualis.

X. Concio crucis carni & sangvini semper est adversa & ingrata. 1. Cor. 1, 23. Johan. 6, 66.

XI. Christus infirmos in fide non abjicit, sed tolerat, Esa. 42, 3. Rom. 14, 1. Gal. 6, 1.

PARS III.

Sequitur jam tertiâ Evangelii parte ipsum miraculum, diligenter ab Evangelista consignatum; in cujus ἀναλύσεἰ καὶ διασκέψει occurrit,

Hiericho.

I. Loci circumstantia; accidit enim hoc in via prope Hiericho; Hierosolymam enim cum comitatu suo Salvator tendens, illac transire cogebatur. Fuit autem Hiericho urbs terræ promissæ nobilis, sita in tribu Benjamin, vicina Jordani & prima inter eas, quas Israëlitæ terram promissionis invadendo occupârunt; à Josua fuit eversa, Joh. 6, 1. 26, ab Hiel postea, tempore Achabi, restaurata: 1. Reg. 16, 34. vocatur civitas palmarum. Deut. 34, 3. Commendatur à proventu balsami, ut & à rosis; Sir. 24, 19: distat Hierosolymis milliaribus germanicis quatuor, & fuit olim sedes Scholæ Elisæi Prophetæ, 2. Reg. 2, 15.

II. Per-

II. *Personæ indigentia.* Subjectum in quo patratum fuit hoc miraculum, describitur

1. *à privantibus*, fuit cæcus, speculum humanæ miseriæ, quam peccatum introduxit. Matthæus c. 20, 30. dicit fuisse duos cæcos; Marcus c. 10. vocat Bartimæum, quia fuit notior. Scriptura enim sacra nonnunquam eas res vel personas reticet, circa quas nihil mirabile, singulare aut memorabile accidit, & contra uti habet D. Finck. cent. 1. can. 21. & hujus canonis beneficio διπλογίαν φαινομένην dirimit.

2. *Ab adjuncto* paupertatis; fuit mendicus, stipem mendicando colligens à prætereuntibus, qui circa Pascha majore numero iter faciebant. Bis itaque miser, pressus cæcitate & paupertate.

3. *A situ & loco*, sedit juxta viam mendicans.

4. *A bonis animi*, firma nimirùm in Christum fiducia, cujus notatur 1. *causa organica*, auditus de Jesu Nazareno. Auditus est

1. *externus*, veluti medium cognitionis, quo innotuit cæco, Dominum prope esse. Oritur ille ex diligenti inquisitione: intelligens enim ex magno pedum vocumque strepitu, copiosam hominum multitudinem jam præterire, quærit, quid hoc esset? quid tantus sibi strepitus vellet? Cæci enim, cùm careant visu, in inquirendo sunt curiosiores. Respondetur ipsi: Jesum Nazarenum jam transire.

Auditus externus & internus.

2. *Internus*, qui fidei est proprius; & originem habuit ex diligenti Synagogæ visitatione, ubi sæpiùs haut dubiè audivit explicari vaticinium Esa. 35, 5. quòd Messiæ temporibus oculi cæcorum aperiri debeant. Communi quoque famâ percepit, hunc Jesum aliis quàm multis visum restituisse, morbosque insanabiles alios curâsse. Hinc sequitur

2. *Fidei effectus.* Fides enim cæci concepta ex fama de Jesu, quâ adductus erigitur in spem sanationis, exserit sese per invocationem Christi ardentissimam: *Jesu, Fili David, miserere mei.* Precatio cæci conjuncta est cum clamore, ut audiatur, & occasio hæc recuperandi visum ei non elabatur. Brevis quidem oratio, sed majestate plena. Fidem cæci justam fuisse

 inde

inde patet, quod justam edat de Christo confessionem, tàm quoad personam, quàm quoad officium. Quoad personam fatetur eum Deum & hominem: Deum, dum dicit, miserere mei: solius enim Dei est proprium ἔργον, miseriæ hominum misereri & subvenire: Hominem, dum vocat eum Filium David, ex germine & prosapia Davidis regia oriundum, 2.Sam.7,12. Jer.23,5. Esa.11,1. Quoad officium, salutat eum Jesum, h. e. salvatorem & opitulatorem mundi promissum. Solam autem Christi misericordiam implorat, de suis meritis & viribus totus desperans. Ita hic cæcus pleniùs agnoscit Dominum Jesum, quàm multi sanis oculis præditi, sicut & ille Ioh.9,39.

5. *Ab effectu*, instantiæ nim. vel constantiæ ac perseverantiæ in precando. Fides enim ipsius nullis populi increpantis minis à proposito se absterreri patitur, quin it audentior contrà, omnia impedimenta atque obstacula, quasi vi factâ, perrumpens. Exaggeratur ab adjuncto clamoris, per collationem imparium: quò plùs turba prohibet, eò magis ipse clamat, subinde ingeminans illud suum: Jesu, fili David, miserere mei! Quare autem increpârunt orantem turbæ? Putârunt haud dubiè, (1) ipsum vulgarem petiturum eleemosynam, quam alius quispiam dare prætereuntium posset; tanto itaq; clamore tantaque vocis intentione opus non esse: (2) Dominum aliis rebus occupatum, jam non esse molestandum; metuebant enim ne ille importunitate mendici offenderetur: (3) & vix futurum opinabantur, ut propter hominem mendicum pateretur se in via detineri. Sed aliter sperat cæcus, & aliter quoque animatus est Jesus, cujus oculi fidem in corde latentem intuentur.

III. Tandem adparet & emergit *insignis Medici clementia*, in miraculosa cæci sanatione abundè declarata. Describitur itaque miraculum à quadruplici circumstantia:

1. Ab adjunctis gestibus & dictis Christi antecedentibus:

1. substitit Jesus, ut Sol ad preces Josuæ Jos. 10, 13. Dissimulâsse enim videtur, quasi clamorem cæci non audisset; interim

rim in apricum producere cogitans constantem cæci fiduciam, alios autem ad similem orandi perseverantiam instigans.

2. Jussit eum ad se adduci, tùm ut miraculum esset evidentius; tùm ut omnes viæ comites ad ejus considerationem diligentiorem excitarentur

3. Fidem cæci exploravit; ubi consideretur,

1. Christi quæstio; quid vis ut faciam tibi? vel, in quo cupis ut misericordiam tibi exhibeam? Interrogat autem, non quod ignoret, quid petat, aut desideret; sed ut

1. omnem calumniam declinet, ne quis dicere posset, ipsum pro stipe, ostentationis causâ, cæco visum restituisse:

2. fidem magis inflammet:

3. miseriam hominis omnibus manifestet.

2. Cæci responsio, continens prioris supplicationis ἐξήγησιν: Domine, ut videam; anteà Deum, jam Dominum professus. Quis verò hominum hoc tribuat, ut cæcus videat? Nemo certè, nisi qui Creator sit, & divinæ omnipotentiæ. Hanc igitur cæcus tribuit Domino Jesu, quando tale quid ab eo audet poscere ac petere. Græcus textus habet; ἵνα ἀναβλέψω, ut visum recipiam, ut iterum videam: quæ verba hoc volunt, cæcum istum, non cæcum natum, sed ex accidente, puta morbo aliquo, cæcum factum. Amissi itaque visûs restitutionem petit.

2. *A miraculi forma*, quæ modum agendi declarat. Unico enim verbulo, ἀνάβλεψον, respice, vel recipito visum, cæcitatem tollit, visu postliminiò restituto.

3. *A causa impulsiva* πεποιθήσει respectu Christi, quam suppeditat firma in Christum fiducia, cui publicum perhibet testimonium, dicens: *Fides tua te salvum reddidit.*

4. *Ab eventu consequente* duplici: 1. in cæco;
2. in populo.

1. confestim visum recepit; quia à rebus spiritualibus ad corporales, valet consequentia: D. Finck. cent. 2. can. 18. visum corporalem sequitur illicò spiritualis.

2. Christum enim confestim est secutus, non reversus ad sedem mendicitatis suæ, sed discipulus ejus est factus: hoc enim phrasi Scripturæ est, sequi Christum. Sequi Christum,

3. Ce-

3. Celebrat Deum, pro tanti beneficii exhibitione verè gratus, non suam fidem prædicans, quam à Christo commendari audiverat; sed glorificans Deum, à quo per Jesum beneficium isthoc profectum esse, ac proinde ipsi soli omnem gloriam attribuendam, agnoscebat.

Populus similiter dat laudem Deo, eumque ob missionem Messiæ, tot jam miraculis manifestati, glorificat. Si Pharisæi adfuissent, pro more suo calumniati fuissent, & forsitan Beelzebub adscripsissent: his absentibus, videmus plebem magis piè adfectam esse, & Deo laudem tribuere.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Morborum causa

I. De causa omnium morborum peccato, originali & actuali Gen. 3,16. Psal. 39,12. Mich. 7,9.

II. De incredibili calamitatum fructu, vide locum de cruce.

Mendicitas

III. Occurrit locus de mendicis & mendicacitate, de qua quidem Deus præcepta hinc inde dederat Judæis, sed Pharisæi suis traditiunculis partem ea maximam annihilaverant. Noluit olim Deus in populo suo esse mendicos, Deut. 15,4. ne (1) vera religio & verbum Dei malè audiat, si mendici inordinatè hinc inde discursitent: (2) ne caritas refrixisse videatur: (3) ne ex otio mendicorum mala pejora oriantur. Omnes enim mendicos nihilominùs laborare coactos fuisse, auctor est D. Chemn. harm. Evang. cap. 136. p. 275. Nos validos & otiosos maximam partem in Christianismo alimus mendicos. Optandum ἀταξίαν istam tandem aliquando, conjuncto Magistratus politici & Ecclesiastici studio, in ordinem cogi. Quomodo autem rectè tractari debeant egeni & mendici, egregiè explicat Dn. Meelf. in Vindic. Evang. Confer D. Chemnit. d. l.

Mendici validi.

Mendicitas Papistica.

IV. Mendicitas Romano-papistica merè est hypocritica; quia electitia, facta ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Col. 2,23. Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur: Matt. 15,13. tantum abest, ut quidquam promereri valeat. Rectè ille: *pauperes sunt sine defectu, humiles sine despectu.*

V. In miseriis constituti ad Christum unicè confugiamus. Psal. 34,7. & 145,19.

VI. Dominus Jesus quotidie in verbo suo famam de se spargit suæ voluntati, promtitudinis & potentiæ, & qui eum non ne-

negligunt, illis cedit verbum prædicatum ad salutem. Neque enim est, ut eum procul jam quæramus, propè adest nobis semper & indesinenter, ubicunque simus, in omnibus terrarum locis.

VII. Christus religioso adorationis cultu, etiam quâ Homo, nullatenus privandus, quod Calvinianos facere novimus. Vide fest. Epiphan. Nos amplectimur toto corde canonem Concilii Ephesini: *Si quis audet dicere, assumtum hominem coadorandum Deo Verbo, & glorificandum, & connuncupandum Deum, tanquam alterum cum altero; (nam Con syllaba superadjecta hæc cogit intelligi) ac non potiùs unâ supplicatione veneratur Emanuelem, unamq; ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Refert D. Hunnius de persona Christi pag. 321.

Adoratio Christi-Hominis.

IIX. Satanas semper suas habet remoras, quibus fidem credentium evertere conatur.

IX. Precando instare discamus. Matth. 7, 7. Luc. 18, 5.

X. Sed & misericordiam Dei rectè implorare discamus, quippe ex qua omnia bona proficiscuntur. Psal. 103, 4. & 145, 9. Thr. 3, 22.

XI. Monemur de spirituali cæcitate. Nam & nos omnes per peccatum spiritualem videndi vim amisimus: subinde ergò orandus Deus, ut restituat visum τ͂ θεογνωσίας καὶ ἰδιογνωσίας, donec ipsum de facie ad faciem videntes, conspectui ipsius in justitia adpareamus. Ps. 13, 4. & 17, 16. & 119, 18. Eph. 1, 18.

Cæcitas spiritualis.

XII. In calamitatibus Deus interdum ad preces nostras videtur surdus. Deut. 1, 45. & 31, 18. Jud. 10, 1. Ps. 94, 9.

Silentium Dei in cruce.

XIII. Dominus Jesus nullius dignitatem spectat, sed indigentiam & fidem, & desiderium cordis piorum: nemo ergò indignitate suâ terreatur nimis.

XIV. Egregium veræ fidei exemplum videre licet in hoc cæco. Fides enim ejus non est nuda solùm notitia historiæ, Jac. 2, 19. sed est fides

Fidei veræ exemplum.

1. in corde ardens; firma nim. in Christum fiducia:
2. in ore sonans; Rom. 10, 10. (fides tacita, est fides Pharisaica, Joh. 12, 24.)
3. verbo Christi obtemperans;
4. in opere constans, non deficiens post impetratum auxilium.
Ejusmodi fidei omnia sunt possibilia. Matth. 21, 21. Marc. 9, 23.

XV. Quisq; suam habet crucem & passionem; sed in omni cruce & quavis passione

In cruce quid faciendum.

1. *Christus in via est exspectandus:*
2. *Intentâ voce clamandum:*
3. *Constanter perseverandum:*
4. *Credendum, non dubitandum:*
5. *Gratitudini studendum*, post auxilium maximè impetratum:
   1. *Christum sequendò* 1. *in fidei sinceritate;*
      2. *in vitæ integritate;*
      3. *in omni adversitate;*
      4. *in mortis necessitate.*
   2. *pallium abjiciendò*, h.e. veterem hominem exuendo:
   3. *Christum glorificando.*

XVI. Exemplo turbæ studeamus alios quoque Christo adducere, institutione, oratione, exempli exhibitione. 1. Thessal. 5, 14. Jac. 5, 16.

Pietas ex beneficiis creationis.

XVII. Beneficia Dei, in opere creationis, ratione primi articuli, nobis præstita, ad debitam nos pietatem exstimulare debent: dico

1. *vitæ naturalis collationem*, quò refero
   1. *nostram in utero materno formationem:* Job. 10, 8. 9. 10. 12. Ps. 139, 12. 13. 14. 15 Mal. 2, 10.
   2. *animæ rationalis collationem:* Sap. 8, 19. Eccl. 12, 7. Actor. 17, 25.
   3. *membrorum corporis justam commensurationem & dispositionem:*
   4. *potentem ex utero materno eductionem.* Psal. 22, 10. 11. & 71, 6.
2. *Beneficam vitæ conservationem;* huc spectat
   1. *vitæ nostræ continuatio:* Job. 10, 12. Act. 17, 28. Coloss. 1, 17. Heb. 1, 3. Esa. 46, 3. Ps. 104, 29.
   2. *necessariorum ad vitam sustentandam collatio:* Matth. 6, 26. 30. 1. Tim. 6, 8. 17. Act. 14, 17
   3. *ab innumeris periculis & malis præservatio:* Gen. 31, 2. Psal. 34, 8. & 91, 11. 12. & 100, 3. Job. 1, 10. Rom. 1, 20. 21. & 13, 4. Mal. 1, 6. & 2, 10. Act. 17, 27. Es. 1, 3. Vide D. Gerh. Schol. piet. lib. 1. part. 1. cap. 3. fol. 18. seq.

XIIX. Pro acceptis beneficiis gratiæ Deo sunt agendæ. Ps. 50, 15. & 69, 31. & 92, 1. & 103, 1.

XIX. Cultus hic est Dei, secundo Decalogi præcepto requisitus; ad cujus exercitium pios omnes invitet

Gratiæ Deo agendæ & cur.

1. *Dei mandatum*; Deut.8,10. 1.Par.30,20. Neh.9,5. Ps.9,13. & 30,5. & 47,2. 7. & 66,2 3.8. & 96,1.2.7. & 100,3. & 105,1 seq. & 113,1. & 134,1. & 135,20. Jer. 20,13. Tob.4,20. Eph. 5,19. Phil.4,6. Col.2,7. & 3,16. 1 Thess.5,18
2. *Dei beneplacitum*; Psal.50,14 & 69,32 & 116,17. Sir.35,3 Heb 13,15. Sir.39,17.18.19.20. Apoc.5,8
3. *Laudis divinæ encomium*; Ps.84,5. & 92,2.3. & 102,19 & 103,20.21. & 147,1. Nehem.9,6. Job.38,7. Esa.6,3. & 60,6 Hab.3,3. Luc.2,12. & 17,18. Dan.3,85. Apoc.4,8.9 & 5,8 & 7,10. & 11,17 & 12,10 & 19,4 Rom.15,9
4. *Multiplex commodum*; inde enim exsistit
   1 *gratiosa Dei inhabitatio*; 2 Par.5,13. Ps.22,4
   2. *ab hostibus liberatio*; 2 Sam.22,4 Psal.18,4. 2 Par. 20, 21 22. Apoc.12,9.10
   3. *corroboratio*; Ps.8,3 Matth.21,16 Neh.8,10
   4. *benedictio*; 1 Tim.4,4
   5. *donorum augmentatio*; Luc.17,19
   6. *laborum allevatio*: 2 Cor.4,17
   7. *glorificatio*; Ps.50,23
5. *Nostrum debitum*: Levit.7,11.12 & 22,29 Deut.10,8. & 21,5 Apoc.1,6. 1 Cor.3,16. Eph.5,19 Matth.16,10
6. *Dei attributa*: Ps.118,14 Cultum istum debemus Deo ob
   1 *ineffabilem ejus bonitatem*; 1 Par.17,34 Psal.59,18 & 89,2 & 100,3.4 & 105,4.5. & 107,1. & 117,1.2 & 118,1.29 & 135,4 & 136,1seq. & 145,7. Jer.33,11. Judith 13,21
   2 *infallibilem veritatem*; Ps.89,2 & 92,2 & 117,2
   3 *inæstimabilem potestatem*; Ps.21,14 & 59,17
   4 *immutabilem justitiam & æquitatem*; Ps.7,18 & 35,27.28 & 71,16 & 145,2
   admirabilem sanctitatem & majestatem; Psal.30,5 & 95,2.3 & 96,4 & 97,12 & 99,3 & 145,1.23. Apocal.5,4 Sir.43,29 seq.
7. *Operum divinorum fastigium*. Huc faciunt opera creationis & gubernationis & miracula.
8. *Beneficiorum Dei elogium*; habes amplissimum hîc Deum celebrandi campum, ob beneficium
   1 *creationis*; Ps.138,13.14 Sir.32,17
   2 *conservationis*; Ps.147,12.14 Sir.50,24

3 *defensionis*; Psal.59,18 & 61,8.9 & 147,12 13.14
4 *liberationis*; Ps.27,6 & 30,2 & 40,3. 4 & 142,8 Es.38, 20 Sir.51, 1 seqq.
5 *exauditionis*: Ps 50,15 & 65, 2.3 & 75,2 Sir.51,15
6 *prosperationis* & successûs in vocatione; Sir. 39,8.9
7 *redemtionis*; Col.1,12.13.14
8 *prædestinationis*; Eph.1,3 2 Thess.2,13
9 *revelationis* verbi; Ps.138,4 & 147,19
10 *vocationis*; Rom.15,9. 1 Cor. 1,4.9 Phil.1,3.5
11 *regenerationis*; 1 Pet.1,3
12 *reconciliationis*; Esa.12,1
13 *adoptionis*; Eph.1,3.5.6 Col.1, 12
14 *Spiritûs Sancti donationis*; Eph.1,14
15 *consolationis*; 2 Cor.1,3

9 *Sanctorum exemplum*;
10 *omnium creaturarum incitamentum*;
11 *ingratitudinis supplicium*. Vide de his omnibus D. Gerh. in Schol. piet. lib.3. cap.23. à fol.398 ad 431

Gratiarum actionis modus.

XX. Quoad modum εὐχαριστίας istius sanctæ, observentur sequentes circumstantiæ:

1 *quis laudet?* Omnis homo, pius maximè ac fidelis: 1 Par. 17,36. Ps.30,5 & 33,1. & 145,10.21. & 148,11. seq. & 149,5
2 *Quem laudet?* Deum, nomen Domini: Ps.73,28. & 148,13
3 *Quid laudandum?* Vide porif. prec.19
4 *Pro quibus laudes dicendæ*: Ibid.
5 *Quomodo laudandum?*
1 *Reverenter*: Tob.13, 6.
2 *cordialiter*: 1 Sam.16,7. Ps.9,2. & 86,13 & 111.1 & 138,1 & 34 2.3 & 57,8. & 71,23 & 103,1. Sir.39,41
3 *ardenter*: Ps.9,1. & 106,2. Sir.43,32.33.34
4 *fiducialiter*: Rom.14,23. Heb.13,15
5 *lætanter*: Ps.63,6. Luc.19,37. Jac.5,13
6 *intelligenter*: Ps.47,8. 1 Cor. 11, 15
7 *concorditer*: Rom.15,5. 6
8 *realiter*: Deut.32,6 Matth.5,16 Joh.15,8. 1 Cor.6,20
6 *Ubi laudes dicendæ*: Ps.22,26 & 26,12 & 34, 4
7 *Quando sit laudandus*: neque loco, neque tempori pietas est alligata: Vide Schol. piet. D. Gerhard. cap.24. lib.3. f.432. seq.

XXI. Si quid beneficii in specie à Deo volumus petere, debemus illud nominatim exprimere. Quanquam enim Deus noster est omniscius, & in genere etiam invocari potest pro necessariis donis: tamen placet ei specialis etiam expositio necessitatis ejus quæ nos tangit & angit, quando id fit cum fiducia bonitatis & potentiæ Dei.

Necessitatis specificatio in precibus.

XXII. Hic debet esse fructus beneficiorum Dei, fidei nostræ confirmatio, Dei glorificatio & cursus bonorum operum. Ps.50,15. Matth.5,16. Eph.3,17.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Narrationem hodierni Evangelii brevem suscepturi, duo nobis consideranda proponemus:

I. Christi παθολογίαν:
II. Ejusdem θαυματεργίαν.

PARS I.

Ad primæ partis διέξοδον spectat,

I. Discipulorum adsumtio, facta eo fine, ut de re omnium gratissima & utilissima sermones cum ipsis conferret. Factum hoc est Apostolorum à reliqua turba segregatione, postquam tres & dimidium jam annum docuisset & miracula edidisset. Quæritur hic, cur ad solos Apostolos hanc habuerit Christus concionem? Quia

1. crucis mysterium à seculo fuit absconditum, donec ipse Christus exscinderetur.
2. Apostoli præ ceteris erant præmonendi, ut deinceps majorem Christo haberent fidem, à mortuis potissimùm ipso resuscitato.

II. Παθολογικὴ Christi concio, quæ duplex:

1. Generalis, prænuncians imminentem passionis Dominicæ tragœdiam, veriùs respectu finis & eventûs, comœdiam, quâ omnia Prophetarum vaticinia complementum tandem suum sint consecutura: omnia, inquit consummabuntur, quæ scripta sunt per Prophetas, Filio hominis eventura: hoc ipso insinuans

1. patiendi promtitudinem; ideò enim addit se adscendere Hierosolymam, ad locum passioni ac morti destinatum, Luc.13,33.

non ut regnum Israëlis mundanum ibidem instauret, ut perperam illi credebant; sed ut mortem subeat, eamque spontaneam.

2. *Apostolorum suorum turpitudinem*, qui quàm parùm intellexerint Prophetas, inde colligere promtum est, quòd sexies hæc ingeminanti Magistro fidem adhibere recusârint; idq; mox docebunt sequentia.

3. *Concionis habendæ necessitudinem*, quam ipsi extrema discipulorum extorsit indigentia. Quia enim carnales adhuc erant, necessum itaque fuit

1. ut contra scandalum & pusillanimitatem eos præmuniret;
2. ut falsam persvasionem eximeret;
3. fidem quoque de resurrectione sua illis confirmaret.

Haymo: Redemtor, inquit, & Salvator noster prævidens discipulorum animos ex sua passione & morte perturbandos, sæpè antequam pateretur, prædixit eis, & passionis suæ pœnam, & resurrectionis suæ gloriam; ut cùm viderent eum pati, sicut prædixerat, resurrecturum etiam non dubitarent, sicut promiserat.

2. *Specialis*, membratim exponens præcipuos passionis instantis actûs, quales sunt,

1. *Filij hominis in manûs gentium traditio*, prædicta Ps. 2,1.2. impleta verò tempore passionis à Sacerdotibus & Senioribus populi, qui illum per Judam venditum ac proditum Pilato tradiderunt, Matth. 27,1. cujus rei typus fuit Josephus, à fratribus suis Midianitis venditus. Genes. 37, 28. Actor. 4,27. Zach. 11, 13.
2. *Contumeliosa illusio*; prædicta Ps. 22,8.14. impleta in aula Caiphæ, & Herodis, in prætorio & in cruce.
3. *Turpissima rejectio*: prædicta Psal. 118,22. impleta Matth. 27,25. Luc. 23,23. Johan. 19,16. In Græco, ὑβρισθήσεται, calumniis opprimetur; Dicebant enim, illum esse seductorem, blasphemum, regni politici adfectatorem.
4. *Petulans conspuitio*, prædicta Esa. 50,6. bis impleta, semel in atrio Pontificis, posteà in prætorio Pilati.
5. *Ignominiosa flagellatio*, prædicta Es. 53,3.5. impleta in prætorio, Matth. 27,26. Joh. 19,1.
6. *Violenta occisio*, prædicta Es. 53,8. Dan. 9,26. impleta tempore passionis, Matth. 20,17. exprimitur genus mortis, de quo non ru-

τυπικῶς tantùm in Mose, sed & ῥητῶς jam olim varia per os Prophetarum edita fuêre oracula. Præfiguratum inprimis fuit hoc mortis genus in serpente æneo. Num.21,9. Joh.3,16. prædictum præterea Psal.27,17. impletum passionis tempore. Additur

7. *Gloriosa resurrectio*, tanquam læta passionis tragicæ Catastrophe, & victoria super passionem, mortem, infernum & diabolum. Fuit autem & hæc prædicta Ps.16,10. Luc.9,21. Joh.12,24 & præfigurata Jon.2,11. Matth.12,40. impleta in festo Paschatis. Complementum θεαπισμάτων istorum omnium percipiemus, σὺν Θεῷ, in concionibus παθολογικοῖς, quadragesimali hoc tempore publicè instituendis & audiendis.

III. *Effectus consecutio*: discipuli enim nihil horum intellexisse dicuntur: tanta est eorum in animadvertendo *stupiditas*, in intelligendo *infirmitas*, in sciendo & cognoscendo *ruditas*, ut licet perspicuè satis loqueretur Salvator, verbum tamen vel sermo iste omnis ab eis erat absconditus, falsâ intelligentiam dictorum persvasione impediente, de qua aliàs sæpiùs.

USUS I. Informatorius.

I. De causis toties repetitæ concionis passionalis; Factum hoc, ut esset

Passionis repetitio, & cus.

1. *divinitatis argumentum*;
2. *Scripturæ S. complementum*;
3. *passionis voluntariæ documentum*;
4. *scandali impedimentum*;
5. *pietatis incitamentum*, ad diligentiorem scil. passionis Dominicæ meditationem: plura in hanc sententiam dicta reperies dispos. præcedente primâ.

II. De passione Domini Jesu Christi sciamus, quòd sit passio

Passionis Christi qualitas.

1. *ponderosa vel memorabilis*;
2. *officiosa vel voluntaria*;
3. *onerosa & miserabilis*;
4. *fructuosa & conducibilis*;
5. *gloriosa & honorabilis*. Vide D. Schleupn. postill. pag. 250. 251. 252.

III. De causis passionis, respectu Christi, impellentibus; Fecit hoc,

Passionis Christi causæ.

1. pec-

1. *peccatorum nostrorum squalor*, qui abstergendus: Psal.69,5. Es. 43,24. Rom.4,25
2. *justus iræ divinæ rigor*;
3. *immensus Dei Christiq; erga homines amor*: Joh.3,16. Rom.5,8. 1.Joh.4,10. Eph.2,4. Joh.15,13. Eph.5,2.
4. *decreti divini vigor*, de quo Act.2,23. & 4,27.28. Voluisse autem Deum Patrem Filium suum pati ac mori, liquet ex
   1. *prima Evangelii concione*; Gen.3,15.
   2. *Agni Paschalis mactatione*; Exod. 12,3.4. seqq. 1.Cor.5,7.
   3. *Isaaci immolatione*; Gen.22,2.
   4. *Leviticorum sacrificiorum oblatione*; Lev.16,9. Num.19,2.
   5. *Prophetarum pronunciatione*; vide textûs enarrationem;
   6. *Christi ipsius adseveratione*. Ps.40,8.9. Luc.18,31.32.33.

II. Consolatorius.

I. Nihil horum propter se, omnia propter te, ait Cyprianus. *Nihil itaq;* (secundum Bernhardum) *adeò efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm frequens vulnerum Christi recordatio.* 1.Petr.3,18. Rom. 4,23. & 8,34.

Passionis vis. II. De passionis Christi virtute & efficacia; portavit, sanavit & expiavit omnem omnium hominum iniquitatem, tàm connatam, quàm cogitatis, dictis & factis admissam. Esa.53.5.6.7.

III Monitorius.

I. Monemur
1. de peccati atrocitate & sævitia, quippe quod non nisi ipsius Filii Dei morte interveniente potuit expiari. Es.43,24. Psal.69,5 Luc.23,31.
2. De immensa Dei misericordia, Rom.5,8. Vide Poll. post. fol.303.
3. De summa Dei severitate & justitia.
4. De inexhausta Dei sapientia: vid. ib. fol.306.307.
5. De ineffabili amoris divini gratia.
6. De passionis & mortis Christi memoria. Consideratur autem passio Christi partim historicè, partim mysticè, partim typicè.

Præparatoria ad passionales conciones. II. De præparatoriis hominis Christiani ad concionum passionalium auscultationem;

1. CAN-

1. *causas meditationis, lectionis & auscultationis sedula piè considerando*: hoc svadeat & persvadeat nobis
 1. *Scripturæ auctoritas;*
 2. *insignis utilitas*; peccata enim ob oculos statuit, quæ non nisi morte Filii Dei expiari potuerunt; accendit amorem Christi, obedientiam, gratitudinem &c. Chrysost. *Si Christum diligeremus, dilectum non offenderemus:*
 3. *Intermissionis incommoditas*: Act. 4,12.
 4. *Exemplorum dignitas.*
2. *Speculum connatæ caliginis ob oculos nobis statuendo*: quales Apostoli, tales nos omnes. Vide Monrad. p.236.
3. *De peccati atrocitate cogitando.*
4. *Immensam Dei misericordiam, justitiam, sapientiam, amorisq; gratiam æstimando.*
5. *In omnibus necessitatibus ad aram crucis confugiendo.*
6. *Passionis & mortis Christi memoriam nunquam deponendo.* August. *Inter brachia Salvatoris & vivere & mori cupio.*

IV. Refutatorius.

1. Judæorum, Jesum Nazarenum esse Messiam, contra propriæ conscientiæ testimonium, negantium. Vide Monrad. p. 237. item Dn. Meelführerum in Vindic. th. 47.48.49.50.

Judæi Messiam negantes.

2. Pontificiorum,

1. Falsò novitatis Ecclesias nostras insimulantium. Credimus in Christum pro nobis passum, crucifixum, mortuum & resuscitatum, speramusque solo ipsius merito sufficientissimo salvari. Hæc fides est omnium antiquissima, oraculis Prophetarum contra omnes Erebi portas validissimè munita.

Papismus de novitate doctrinæ.

2. Miserè auditoribus suis imponentium, à passione & vulneribus Jesu Christi eos avocando, ad typici sui Jesu, (ita suum solent appellare Franciscum) vulnera ficta & ementita. Blasphemi sunt Jesuitæ, docentes & scribentes, Patrem cœlestem ardentissimi amoris effigiem & signum in vulneribus Christi expressisse: Christum verò in cicatricibus Francisci suum erga nos animum declarasse. O impietatem! ô blasphemiam! ô fraudes, non pias, sed impias, & ipsis inferorum flammis vindicandas! Psal. 16,4. Actor. 4,12.

de Francisco, Jesu typico.

3. Passiones piorum efficientium, fingentium potiùs, meritorias, exagitante Tonsore Jesuitico mirum in modum B. Lutherum, &

de passionibus piorum meritoriis.

& tandem ita colludente, pag. post. 216. Durch Christi Leiden ist der Christgläubigen Leiden verdienstlich/ gültig/ kräfftig/ köstlich/ herrlich und selig worden. Verùm ἀδολεσχεῖ Jesuita; quæ enim dicit non probat. Sola Christi passio fuit meritoria, & quandoquidem ipse passione ac morte suâ satisfecerit pro peccatis ad unum omnibus, nec pro culpa duntaxat, sed etiam pro pœna; nec solùm pro pœna seu maledictione æterna, sed etiam temporali, nihil omninò reliquit expiandum, pro quo nobis demum vel nostris adflictionibus aut passionibus, vel aliorum emendicatis suffragiis satisfaciendum restet. Vide D. Hunn. de indulgent. qui p. 114. & seq. aliquot in medium productis argumentis vanitatem sententiæ Jesuiticæ demonstrat, simulque nervosè refellit, quæ in contrarium à Bellarmino & hujus mancipio Scherero proferuntur. Confer Dn. D. Chemnit. in Exam. part. 4. cap. de indulg. pag. m. 79 & seqq. Distinctio inter passiones Christi, in corpore proprio & mystico totam struem sophisticationum Jesuiticarum plurimùm labefactat, & tantùm non sola evertit.

PARS II.

In secundæ partis declaratione trium potissimùm personarum habenda est ratio; quarum est

I. *Cæcus*, in quo conspicitur,

1. *Corporis defectus*, isq; triplex; nulla enim calamitas sola
   1. *cæcitas*; est enim orbatus præstantissimo & nobilissimo sensu, visu nimirùm; hic nullâ medicorum ope potest juvari.
   2. *Paupertas*; ita bis miser. Rectè Menander; *paupertatem ferre & senectutem est difficile; & nullum paupertate onus est gravius.*
   3. *Mendicitas*, quæ ipsum cogit juxta viam sedere, & ab aliis eleemosynam petere. Extremè itaque pauper & miser. Si enim aliquid habuisset patrimonii, vel redituum annuorum, sive de agris, sive de aliis proventibus, potuisset calamitatem istam æquiori ferre animo: sed jam Iro & Cedro est pauperior. Fugiunt ab eo amici & cognati, nullo est in honore ac precio, stipem mendicando quærere cogitur, & vix invenit, quo jejunum stomachum satiet.
2. *Animæ profectus*. Pauper corpore, dives in Deo & fide, quod patet

1. *ex diligenti percontatione:* hoc enim est veræ fidei ἴδιον quasi πάθος; quærit, ut sciret quem invocaret, ne falleretur circa objectum. Oportuit igitur ex aliis discere, quod beneficio oculorum discere non poterat. Opinabatur haut dubiè Principem aut magnatem quendam, cum magno suo comitatu transiturum, à quo grande sperabat munus.

2. *Ex humili ac devota oratione;* quæ duo nobis monstrat:

1. *Objectum;* dirigit orationem suam, non ad S. Otiliam, quæ in Papatu superstitiosè & impiè contra oculorum vitia ac defectus invocari solet: D. Chemn. part. 3. Exam. p. 235. sed Jesum, quem intuetur internis animi ac fidei oculis, describens eum

Otilia.

1. *ab officij sublimitate;* Jesus enim mundi sonat Salvatorem.

2. *A persona dignitate;* Filium nominans Davidis: hoc nomine tum temporis communiter dicebatur Messias. 2. Sam. 7, 14. Jer. 23, 5. Verum itaque fatetur (1) Deum, à quo divinum & petit & exspectat auxilium: (2) Hominem, filium Davidis, ex regia ipsius stirpe prognatum. Adorat autem τὸ ἔ Χριστοῦ συναμφότερον.

2. *Petitum;* petit nim. à Domino Jesu non pecuniam, non eleemosynam; sed

1. *misericordiam*, inquiens: miserere mei; q.d. miser ego sum; at tu misericors & clemens, immò multus misericordiâ, Ps. 103, 8. venisti in mundum Salvator, Es. 35, 4. 5. 6 & 63, 1. fac sentiam cor tuum misericors; deriva in me misericordiæ istius tuæ rivulum aliquem. Nititur itaq; non operum suorum fiduciâ, sed solius Christi gratiâ & misericordiâ.

2. *Videndi copiam.* Jussus enim explicare mentis suæ tùm sensa, tùm desideria, solam petit & unicam visûs sui restitutionem, quo recepto, ampliùs mendicare nolebat, sed manibus laborando victum honestè quærere.

3. *Ex felici tentationum omnium exsuperatione.*

II. *Populus*, 1. cæcum prætericns, nullam opem adferens:
2. cæcum objurgans;
3. tacere eundem jubens, atque ita tacitè à

Christo avertere, sed frustrà adlaborans. Gravis hæc erat tentatio, quâ satanas fidem cœci terrere & excutere voluit. Prætextus increpationis poterat esse, Christi persona, cujus habenda ratio, ne in proposita via impediretur: & comitum multitudo, quibus molestiam tantis facessere clamoribus, in civile videbatur.

III. *Christus Medicus*, opem cæco supplicanti, invocanti & fiducialiter petenti ferens. Notetur modus agendi, in quo occurrit

1. *Statio*; ad clamores enim cæci subsistit.
2. *Vocatio*; non foràs ejicit, sed blandè invitans adduci eum jubet; ut & φιλανθρωπίαν testaretur, & comites miraculum probè observarent.
3. *Interrogatio*; ad fidei probationem ac manifestationem, addo etiam Judæorum confusionem directa. Vult etiam ex ore ipsius constare spectatoribus de illius miseria, eandemque supplici voce proponi.
4. *Curatio*, facta verbo solo & unico; ἀνάβλεψον.
5. *Operatio*, ἅμα λεχθὲν, ἅμα πραχθὲν, & confestim vidit: hinc sequitur fidei præconium; cæci χαριστήριον, in sequendo & glorificando occupatum; & populi elogium; omnes enim dant gloriam Deo, & populus quoque universus, cum cæco restituto in Domini laudes resolvitur.

USUS I. Informatorius.

Modus orandi.

II. De modo rectè orandi, qui consistit in

1. *fidei sinceritate*;
2. *verborum brevitate*;
3. *repetitionis crebritate*. Vide Dom. 3. Epiphan.

Modus convertendi.

II. De modo sanandi vel restituendi miseros peccatores:

1. *Strepitum attendendo*; h.e. verbum Legis non negligendo, & exempla aliorum in pœnitentia sequendo.
2. *Occasionem monstratam vel oblatam amplectendo*: quotidiè vocamur ad pœnitentiam: plerique autem Christum præterire patiuntur:
3. *Christum fideli voce inclamando*:
4. *pallium peccatorum abjiciendo*:
5. *Christum glorificando*.

II. Con-

II. Consolatorius.

I. Quòd Christus omnium egenorum & derelictorum spes, solatium, refugium & auxilium. Psal. 9, 19. & 10, 14. & 113, 6.

II. Quòd per fidem nostram salvi erimus, & visum recipiemus integerrimum: oculi satanæ veneno obfuscati, detracta peccati ac mortis pelliculâ sanabuntur, ut adducti ad Christum perpetuò eum glorificemus. Psal. 17, ult. Job. 19, 25. 26. 27.

III. Monitorius.

I. Ut Dominum Jesum, revocante, reclamante & increpante nos mundo, constanter invocemus, nec à clamandi & orandi officio desistamus, impedimentis omnibus surdâ aure præteritis.

2. Ut Dominum Jesum relicto pallio, absque mora sequamur, & laudes ejus grato animo & ore decantemus.

IV. Refutatorius.

Pontificii iterum taxandi veniunt; quia

Papismus de voluntatis συνεργεία

1. quandam virium humanarum sive συνέργειαν, sive cooperationem ex verbis Christi (quid vis ut faciam tibi?) exstruere conantur; hunc in modum deblaterante Tonsore Esauitico pag. 210. b. Er fordert zu des Blinden Erleuchtung seinen Willen/ gleich wie er fragt jenen langwirigen Krancken bey dem Teich: Wilt du gesund werden? damit gibt Christus der HERR vns zuverstehen/ daß zu der geistlichen Erleuchtung vnd Gesundmachung/ das ist/ zu der justification vnd Seligmachung des Menschen/ vnser freyer Will auch mitwircken muß. Error est παρὰ τὸ μὴ αἴτιον. Non enim ideo quærit, ut doceat sua beneficia gratiæ non nisi volentibus & cooperantibus dari; sed ut omnibus cæci fides innotescat. Vide locos Theologicos & libellos methodicos; in specie Dn. Meelf. in Vindic. Evang. th. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96 97.

De bonorum operum virtute

2. Fidei in salutis negotio omnem fermè vim derogant, & bonis contrà operibus omnia transscribunt. Tonsor Jesuwidicus ita, p. 219. a. Christus lobet den Glauben des Bettlers/ vnd sagt: Dein Glaub hat dir geholffen. Daraus viel schliessen wollen/ der Glaub allein mache selig/ ohne alle Werck: Das folget aber noch lange nicht. Dann wann wir dieses Bettlers Glauben bey dem Liecht besehen/ vnd wol erwegen/ findet man durchaus nicht/ daß ein blosser/ nackender/ werckloser/ sondern ein werckreicher Glaub gewesen sey. Resp. 1. Errori Papistico repugnat enunciatum Salvatoris verissimum: Fi-

des tua σέσωκέ σε, salvum te reddidit. 2. Σόφισμα παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου; non enim hîc quæritur, an nudam, operibusque denudatam, (instar aviculæ deplumatæ) fidem habuerit cæcus; ne vimus enim veram fidem nunquam suis destitui fructibus vel operibus; sed hoc quæritur, quid in actu justificationis gratum Deo efficiat hominem, an fides, an opera? Cum propriis itaque larvis, principium turpiter petendo, & fallacia ἑτεροζητήσεως ludendo, depugnare deprehenditur Suita. Dn. Meelf. th. 98. ita: Hæc pro fide informata dicuntur, quòd fides non nisi bonis operibus informata, & per bona opera hominem coram Deo acceptam reddat. Sed lubrica est consequentia, quia mutatur genus prædicationis, de quali fide, & de fide, quatenus acceptum reddat, quæ acceptiones non eodem recidunt. Si de fide vera quæritur, qualis sit, respondet ipse Paulus; est talis, quæ per caritatem est efficax. Gal. 5. Et Jacobus; talis, quæ per se fructûs operum ostendit: atque talem fidem cæci fuisse, nempe bonis fructibus conspicuam, nemo diffitetur. Quando autem de tali fide quæritur, quatenus justificet, Scriptura opera expressè excludit, fidemque ad solum Christum & misericordiam Dei gratuitam revocat. Roman. 3. & 4. Johan. 3. Vide d. l. plura.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Bacchanalia quid dissvadeat.

UT nostro quoque loco tempori inserviamus, *causas solùm in medium producemus hac vice, quæ ab insano bacchanaliorum festo & conjuncta huic ἀσωτίᾳ omnes pios avocare possint & meritò debent:* Vel, quod ad idem scopum tendit, *quid tempore hoc Quadragesimali præcipuè agendum, quid cogitandum, quid meditandum, ut veros nos Christianos ipso factô declaremus.*

Ἐξήγησις.

Quadragesimali tempore quid agendum.

Præter ea, quæ in vindiciis suis consideranda proponit, thesi statim 1. & seqq. Dn. Meelführerus, causæ quoque ab insano bacchantium studio nos dehortantes, in præsentis Evangelii περικοπῇ habentur satis graves, quas quisquis in devota pietate ponderaverit, is meo quidem judicio, suapte sponte bacchantium & larvatorum ἀσελγείᾳ & ἀσωτίᾳ nuncium illicò remittet; sat scio. Harum verò prima est

I. Apo-

I. Apostolorum adsumtio, Matth.20,17. dicitur, quod ipsos κατ' ἰδίαν, seorsum adsumserit Christus; quo privilegio nos omnes gaudemus, adsumti h.e. separati à mundo ac diabolo,

1. per Baptismum; qui est fœdus sive ἐπερώτημα bonæ conscientiæ, 1.Pet.3,21. Gal.3,26. 27.
2. Per pœnitentiam; quâ cum Deo in gratiam redimus:
3. Per electionis gratiam, quâ nos selegit de mundo. Joh.15,16. Ergò serva fœdus, serva fidem, desere mundum.

II. Christi in Hierosolymam adscensio Excideramus nimirùm miseri, per lapsum primorum parentum, cœlesti illâ Hierosolyma, exuti bonis ac donis concreatis omnibus. Ne itaque in perpetuum à cœlesti illâ habitatione exsulare cogeremur, durum admodum iter Salvatori optimo fuit suscipiendum, quò postliminii quasi jure merito suo eò nos reduceret, unde propriâ culpâ excideramus. Hebr. 13,22. Quod sanè beneficium tantum est, ut omnem nobis impietatem petulantiamque, hoc potissimùm tempore excutere deberet. Ephes. 4,17. 1.Petr.4,3. Hæc eum in finem dicuntur, ut inde discamus,

1. hanc vitam nostram esse peregrinationem:
2. Hierosolymam esse adeundam; ibi erat templum Domini: nostrum est amare congressus publicos in Ecclesia:
3. Cœlestia esse quærenda; hîc enim fit mentio ascensûs, non descensûs: τὰ ἄνω ζητεῖτε Col. 3,1.

III. Passionis Dominicæ consideratio, quam nobis omnibus suadeat exemplum ipsius Christi sanctissimum. Omnis enim Christi actio est nostra institutio. Quod me facere videritis, hoc facite & vos, ad suos olim Gedeon ajebat milites. Jud. 7,17. Idem nobis dictum à Christo putabimus. Turpe profectò esset, Dominum cruciari, & servum lætari. Theophylactus h.l. addit: *Passionem prædixisse Christum propter duo: unum ut ostendat, quòd non invitus, neq; ut purus homo, mortem ignorans crucifigatur, sed & prævideat, & voluntariò patiatur. Nam si noluisset pati, devitâsset utiq;, quæ præsciebat. Secundum, ut doceat eos leviter ferre, quæ eventura, utpote qui antea audiverint, & non repentè in illa inciderint.* Audiamus quæso Augustinum dicentem: *Tempus est lugendi, passio Domini celebratur: tempus est gemendi; tempus flendi, tempus confitendi, & deprecandi, passio Domini celebratur.* Patitur Christus ipse Dei Filius & quidem

1. *ab omnibus*; diabolo & omnibus ejus organis; Judæis & gentibus. Confer Psal.22. Esa.43. & 53.

2. In

2. *In omnibus*, humanæ naturæ adsumtæ partibus *συστατικαῖς*, corpore & animâ. Psal. 88,4. Matth. 26,38.

3. *Pro omnibus*. 1.Joh.2,2. Cor.5,14. Hebr.2 9. Vide Thes. concionat. Monrad. p.238.

IV. Resurrectionis Christi meditatio; 2. Tim.3,8. Sic enim in memoriam simul tuam tibi revocabis resurrectionem, quæ duplex, spiritualis & corporalis; illa præcedat hanc necesse est, si modò ad vitam aliquando æternam resurgere volueris. Per spiritualem resurrectionem intelligimus, cessationem à consveto peccandi studio, omnibus salvandis simpliciter necessariam. Rom.6,4. 1.Cor. 5,8. Apoc.20,6. Cyprianus introducit Filium Dei, hominem facie larvatâ inter bacchandum fato functum, ita coram Patre cœlesti accusantem: Hæc non est nostra imago; non est nostrum opus, sed alienum. Non poteris videre Deum, cùm habeas oculos, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem; nunquam novi vos. Psal.6,9. Matt.7,23.

Resurrectio spiritualis.

V. Mendicitatis & cæcitatis nostræ recordatio; cujus ideam perspicere licet, in ipsis Christi discipulis, nihil dictorum intelligentibus. Tales omnes nos naturâ. Joh.1,5. Luc 1,79. Eph.4,18. & 5,8 1.Cor.2,14. Vocavit nos Deus è tenebris in admirabilem suam lucem. 1.Pet.2,9. Absit itaque ut Deus hujus seculi iterum excæcet *νοήματα* nostra: 2.Cor.4,4. ut elementis mundi denuò immiti, Col.2,20. simul curramus cum filiis seculi hujus, *εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν* 1.Pet.4,4.

VI. Paupertatis nostræ contemplatio, cujus imaginem mendicus Bartimæus nobis præbet. Job.1,21. 1.Tim.6,7. Apoc.3,17.

VII. Precum exercitatio, quas tempora hæc calamitosissima maximè efflagitant. Peccatores autem Deus non exaudit. Johan. 9,31. Luc. 21,36. 1.Petr. 5, 8. Gloss. ordin. Petamus à Domino lucem æternæ visionis, & dicet nobis, respice, fides tua de salvum reddidit.

IIX. Proximi commiseratio, cui subvenire satiùs est, quàm in luxum nummulos impendere.

IX. Debita compensatio: 1.Timot. 4, 8. Ephes. 5, 14. Joël.1,5. Tit. 2, 11. 12.

X. Vera gratiarum actio. Psal.34,1.seq.& 103,1.seq. Sir.50,24. Receptui canimus, orantes cum Ecclesia; *preces nostras quæsumus Domine clementer exaudi: atq; à peccatorum vinculis absolutos ab omni nos adversitate custodi, per Jesum Christum Filium tuum dilectum Dominum nostrum. Amen. Amen.*

DO-

DOMINICA INVOCAVIT.

EVANGELIUM

Matth. 4. à vers. 1. ad 12.

Marc. 1, 12. Luc. 4, 1.

1. Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον, ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου.

1. *TUnc Jesus subductus fuit in desertum, à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.*

2. Καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ νύκτας τεσσαράκοντα ὕστερον ἐπείνασε.

2. *Et cùm jejunasset dies quadraginta, & noctes quadraginta, tandem esuriit.*

3. Καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων εἶπεν· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι ἄρτοι γένωνται.

3. *Et cùm accessisset ad eum ille qui tentat, dixit: si Filius es Dei, jube, ut lapides hi panes fiant.*

4. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· γέγραπται, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.

4. *At ille respondens dixit: Scriptum est; non solo pane victurus est homo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei.* Deut. 8, 3.

5. Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν· καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

5. *Tunc adsumit illum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.*

6. Καὶ λέγει αὐτῷ· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλε σεαυτὸν κάτω· γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

6. *Dicitque illi: Si Filius es Dei, præcipita te deorsum: nam scriptum est; Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum.* Psal. 91, 11. Luc. 4, 10.

7. Ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· πάλιν γέγραπται, οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

7. *Dixit illi Jesus: Rursum scriptum est; non tentabis Dominum Deum tuum.* Deut. 6, 16.

8. Πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν.

8. *Rursum adsumit illum diabolus in montem excelsum valdè, & commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum:*

9. Καὶ λέγει αὐτῷ· ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.

9. *Et dicit illi: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.*

10. Τότε λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὕπαγε σατανᾶ· γέγραπται γὰρ· Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.	10. *Tunc dicit illi Jesus: Abi satana: Scriptum est enim; Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.*
11. Τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος· καὶ ἰδοὺ ἄγγελοι προσῆλθον, καὶ διηκόνουν αὐτῷ.	11. *Tunc omittit illum diabolus: & ecce Angeli accedebant, ac ministrabant ei.*

Deut. 6, 13 & 10, 20.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PEricopen præsentis Evangelii referimus ad domicilium generis Demonstrativi. Continet enim *μονομαχίαν* seu certamen singulare, quo Christus cum diabolo, hoste omnium longe infensissimo, ita depugnavit, ut illum terno congressu victum plane abs se abigeret. Constituemus autem secundum triplicem Christi cum adversario conflictum, tres Evangelii partes, contemplaturi,

I. tentationem τῆς μικροψυχίας seu diffidentiæ;
II. tentationem τῆς μεγαλοψυχίας seu confidentiæ;
III. tentationem τῆς ἀποστασίας, πλεονεξίας καὶ εἰδωλολατρείας, h. e. defectionis, avaritiæ & idololatriæ.

PARS I.

Primum ergò conflictum in hac *μονομαχίᾳ* quod spectat, duo præcipuè in eo membra nobis monstrantur;

1. tentationis præparatio, h. e. ἡγούμενα sive antecedentia:
2. ipsa tentatio.

I.

Παρασκευαστικὰ seu præparatoria sunt circumstantiæ, quæ à Matthæo ordine recensentur. Indicatur enim

1. tempus, quod particula τότε indicat. Contigit nimirùm tota hæc *μονομαχία* statim post Baptismum à Johanne acceptum, & post illustrem illam S. S. Trinitatis ad Jordanem revelationem, auditamque Patris cœlestis de Filio testificationem, de qua Matth. 3, 17. cùm jam ministerium suum esset exorsus, & solemniter Messias renunciatus.

2. Impulsus, h. e. auctor vel causa efficiens, quæ dicitur Spiritus. Qualis verò Spiritus fuerit, Lucas c. 4, 1. exprimit: *Jesus, inquiens, plenus Spiritu Sancto reversus est à Jordane, & actus est per Spiritum*

tum in desertum. Ductor itaque & impulsor est, non malignus ille, sed bonus Dei Spiritus, cujus vim agentem ostendit verbum ἀνήχθη, subductus, & q. è medio sublatus est. Lucas habet verbum ἤγετο, agebatur, quo peculiaris aliquis motus, impulsus seu impetus Spiritûs innuitur. Marcus dicit cap. 1, 12. Spiritus αὐτὸν ἐκβάλλει, expellit ipsum, non utique invitum, aut expulsione coactâ, sed sicut peculiari Spiritûs impulsu & alacritate aguntur operarii, qui in messem Domini emittuntur. Matth. 9, 38. Luc. 10, 2. Ceterùm complectuntur his verbis Evangelistæ tria:

1. Quòd Spiritus Sanctus, qui super Christum baptizatum descenderat, tanquam cœlestis nuntius, remanserit cum ipso, inque eo totâ suâ plenitudine requieverit. Ps. 45, 8. Esa. 61, 1.
2. Quòd Jesus baptizatus non moratus apud Johannem circa Jordanem, ut hic de ipso præsente testaretur, & adcursum aut adplausum populi ei conciliaret, sed statim discesserit, & ipse se adcinxerit, ad opus Messiæ propriis factis complendum.
3. Quòd visum sit Spiritui Sancto, ut prius subiret tentamen, ideò hujus impulsu, & non proprio arbitrio in desertum abiit.

3. Locus; subductus fuit à Spiritu in desertum, non tale aliquod, qualia peragrabat David in suo exilio; & in qualibus Johannes Baptista educatus scribitur; quemadmodum nonnulli intelligunt locum horridum & inaccessum, inter Hierosolymam & Hiericho situm, desertum Judææ dictum: sed Dn. D. Chemn. harm. Evang. pag. 263. vocat desertum magnum, vastum sc. illud Arabiæ desertum, per quod Israëlitas Deus sub Mose ex Ægypto adduxerat, & 40 annis in eo commorari sive peregrinari fecerat, in quo acceperant Legem in monte Sinai, & in quo jejunaverat Moses 40 dies & noctes. Exod. 34, 18. & Elias post eum 1. Reg. 19, 8. hic fuit Christus cum feris, teste Marco, c. 1, 13. remotus scilic. ab omni hominum consortio. Ratione hujus sententiæ vide d. l. in Chemn. & cap. 4. παραλειπομένων pag. 19.

Desertum in quo Christus tentatus fuit.

4. Finis, expressus verbo πειρασθῆναι, ut tentaretur, h. e. ut tentatus ostenderet satanæ, quis esset, & quid posset. πειράζειν enim est, πεῖραν experimentum seu periculum rei alicujus facere, eine Probe thun.

πειράζειν.

5. Status, quid passus tùm fuerit Christus; tentationes, & quidem à diabolo, qui est agens causa principalis. Διάβολος est calu-

Διάβολος.

 mnia-

mniator, perversor, impostor, ὁ διωκώμενος διαβάλλειν, καὶ τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιεῖν. Congruit hæc adpellatio ad historiam. Sicut enim, inquit D. Chemnit. p. 266. sycophanta leges; ita diabolus verbum Dei διαβάλλει, h. e. disjicit, & disjiciendo depravat, & studium illius est, ut calumniis homines à verbo Dei abducat, & aliquid contra illud faciendum variis illecebris & objectionibus impellat. Sustinuit igitur hîc quoque tentationes diaboli Filius Dei totos 40 dies, uti habet Luc. c. 4, 2. nihil interim comedens in diebus illis. Quid autem sit tentari, præsertim à diabolo, notum est. Nam quando hoc verbum de Deo usurpatur, quòd ille homines tentet; Gen. 22, 1. Exod. 15, 26. Deut. 13, 3. & alibi, ibi verbum tentandi significationem habet explorandi, ut homo innotescat, non Deo, sed sibiipsi & aliis; simulque probetur ejus fides, constantia, obedientia & patientia, ut hæc omnia sub exercitio tentationum incrementum capiant: Sir. 2, 4. Tob. 12, 3. Quando verò tribuitur diabolo, tunc tentare est, ad malum solicitare, ad defectionem, ad inobedientiam, ad diffidentiam, & alia gravia scelera & flagitia, ut in ea homines abripiantur, & ab obedientia mandatorum Dei abducantur, sicut tentabatur Eva, & per serpentem seducta fuit: Idem conatus est diabolus efficere tentando Christum, sed frustrà. Ceterùm quibus tentationum modis sive generibus diabolus adortus sit Dominum Jesum, id mox explicabitur tribus specialibus exemplis, quæ etiam apud Lucam exponuntur. Verùm quòd ex solæ tentationes non fuerint, sed antecesserint aliæ occultæ, quibus sanctam Christi animam variis modis voluerit exercere, objectis inprimis officii difficultatibus, si fortasse ipsum possit avertere, ut Jonam olim, & quæ fuerunt ignita tela alia, Evangelista in genere uno tentandi verbo indicare voluit.

Tentare quid sit.

Diaboli tentatio.

Mirum autem videri alicui potest, tantum potestatis concessum fuisse satanæ, ut ipsum Filium Dei tentationibus suis infernalibus adoriretur; sed factum hoc est certo Dei consilio, ut malignus spiritus, qui olim in Paradiso hominem seduxerat in statu innocentiæ, suas experiretur vires, num etiam aliquid adversus hunc Jesum, qui secundus dicitur Adam, 1. Cor. 15. valeret, quem audierat etiam Filium Dei proclamari, & nunc sentiebat produci ad præstandum id, quod in Paradiso promissum fuerat. Gen. 3, 15. Plura hac de re infrà in πορίσματι. Hoc primum partis primæ membrum.

II.

II.

Alterum membrum duo continet:

I. Occasionem, veluti caufam προκαταρκτικὴν quam fatanas arripuit ex fame, poft 40 dierum ac noctium jejunium. Miraculosè enim toto illo tempore, fine omni ufu cibi potûsque, divinâ virtute fuit fervatus, ut famem non fentiret. Noctium quoque mentionem fecit Matthæus, ne exiftimetur fuiffe jejunium Judaicum: Judæi enim per diem jejunabant fub vefperam & noctu cibum fumebant hypocritæ. Cùm ergò Chriftus fenfu famis adficeretur, acceffit diabolus ad Chriftum; & quem hactenus in 40 illis diebus variis illufionibus & fuggeftionibus vexaverat, hunc aperto demum Marte adgreditur.

Jejunium Chrifti.

Jejunium Judæ.

II. Ipfam tentationem primam, quæ eft, uti fuprà dicebamus, μικροψυχίας, vel diffidentiæ, h.e. exprobratio paupertatis, quâ putavit Chriftum adduci poffe, vel ad diffidentiam, quafi qui fentiret, fe Deo curæ non effe; vel ad intempeftivam oftentationem fuæ potentiæ, fi diceret lapidibus, ut panes fierent. Notetur autem

Paupertas Chrifto exprobratur.

1. caufa efficiens, vel auctor tentationis, vifibiliter accedens, horribili haut dubiè larvâ; palàm ita fefe oftendens, ut verba etiam cum Domino Jefu commutaret. Dicitur ὁ πειράζων, tentans vel tentator, tùm propter ftudium ad peccata folicitandi homines indefeffum; 1.Pet.5,8. tùm quia ignorat, quantum præftare poffit Chriftus: dubitat enim, an fit Filius Dei; vult ergò πειράζειν, feu πεῖραν λαβεῖν, explorare, experiri, vel experimentum capere.

Diabolus πειράζων.

2. Forma tentationis, in ftatu conjecturali: Utrum Chriftus fit ipfe Filius Dei? φάσις vel ἔνστασις diaboli eft. Tu non es Filius Dei. Ratio φαινομένη defumitur,
   1. à proprio Dei attributo, feu nota Meffiæ infallibili, hoc modo:
      Dei proprium eft, miraculosè lapides in panes convertere;
      Meffias quoq; virtute miraculorum erit clarus:
      Tu non potes miraculosè lapides in panes convertere, nec miraculorum virtute es clarus:
      Ergò non es Deus, vel Dei Filius, multò minus Meffias, & per confequens fruftrà credis, voce illâ cœlefti confifus, te effe Filium Dei, multò minùs alios, ut credant hoc, induces.
   2. A negatione effectûs:

Deus tui curam nullam habet: tu fame laboras, alii, ad quos vox illa cœlestis non ſonuit, abundant:

Ergò non es Dei Filius; Ergò fruſtrà ipſi confidis.

Ἀπόφασις ἢ ἀντίςασις Chriſti, ſive tentationis depulſio fit,

1. *per ſimplicem inficiationem:* Negat enim id, quod ſatanas in minore, ut verum, adſumſerat.
2. *Per diſtinctionem* duplicem:
   1. inter velle & poſſe, ſeu cauſam neceſſariam & voluntariam; non enim facultas, ſed voluntas mutandi creaturas ipſi tum defuit.
   2. Inter modum alendi homines ordinarium & extraordinarium.
3. *Per limitationem*, oſtendendo, promiſſiones de gratia & dilectione Dei, non ex abundantia vel penuria, vel alia re externa eſſe æſtimandas, ſunt enim ſpirituales & cœleſtes; in corporalibus autem cum exceptione crucis ſemper conjunctæ. Neutrum itaque neceſſarium eſt, vel ut lapides convertantur in panes, volente diabolo; vel ut propter rerum neceſſariarum defectum aliquem, fiducia in Deum abjiciatur. Additur ἐπικατασκευή, deſumta à teſtimonio Scripturæ, quod habetur Devt. 8,3. non in ſolo pane (panis hic per ſynecdochen ſumitur pro omni cibo corporali: Gen. 3,19. & 18, 5. & 21,14. & 37,25. Exod. 2,20. Devt. 18,3.) vivit homo; (q. d. Deus auxiliaturus vel cibaturus non eſt alligatus ad cauſas ſecundas:) ſed in omni verbo, quod egreditur per os Dei; q. d. Deus poteſt etiam ſine pane vitam hominis ſuſtentare & conſervare; quapropter confidendum eſt ejus bonitati ac potentiæ, etiamſi ordinaria media deficiant nec ſtatim poſtulandum ut noſtri causâ fiant miracula. In Hebræo non eſt dictio, (verbum) ſed omne, quod egreditur de ore Domini; h. e. quicquid Deus vult, jubet & ordinat, etiamſi non ſit panis, poteſt hominem ſuſtentare: quod obſervavit Dn. D. Chemnius p. 268. Ex hoc itaque dicto Salvator ἀντιπαράθετον [?] ἄφυκτον καὶ ἄλυτον conſtruit, contra ſatanæ tentationem, hoc modo inferentem:

Panis pro omni cibo.

Si Filius Dei ſum; non ſolo pane, ſed verbo Dei ſuſtentabor;

Sed Filius Dei ſum:

Er-

Ergò non solo pane, sed verbo Dei sustentabor, & consequenter nihil opus, te satanâ jubente miracula edere, vel cœlesti meo Patri diffidere.

Ita elisa fuit prima satanæ tentatio: potuisset quidem Christus facilimo negotio lapides in panes convertere; sed in eum finem non erat subductus in desertum, ut miracula ederet, sed ut tentaretur, ideò noluit diaboli tantationi adsurgere.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Bonâ & deliberatâ Dei voluntate, salutari item fine & consilio, sanctis immittuntur tentationes. Job. 2, 12. 1. Cor. 10, 13. 1. Pet. 2, 9. Apoc. 2, 10.

Tentantur pii.

II. Nemo autem cogitet, se propterea minùs Deo gratum esse, quia variis exercetur tentationibus. Pro. 3, 12.

III. In Scriptura à Christo ad Christianos (tanquam à capite ad membra) valet consequentia; & rursus à Christianis ad Christum valet consequentia, sed non absolutè; verùm in iis valet, in quibus peccatum nullum habet respectum: ut h. l. tentatus est Christus: Ergò etiam Christiani: & contra; tentantur Christiani: Ergò tentatus est Christus per omnia. Hebr. 4, 15. D. Finck. cent. 2. can. 15. 16.

IV. A tentationibus autem divinis, quibus probantur pii, ad diabolicas & humanas, non valet consequentia: aliter enim Deus tentat, aliter diabolus. Vide ibid. can. 35.

Tentat aliter Deus, aliter diab.

V. Satanas majori conatu solet adgredi baptizatos. Luc. 11, 24.

VI. Doctoribus Ecclesiæ non tantùm cum auditoribus docilibus & facilibus est negotium, sed cum ipso tenebrarum principe, qui pater est mendaciorum, ipsis est dimicandum.

VII. Oratio, meditatio, tentatio faciunt Theologum, quod B. quondam Lutheri erat effatum. D. Finck. centur. 1. can. 85.

IIX. Illi optimè funguntur docendi ministerio, qui tyrociniis tentationum fuerunt agitati. Esaiæ 28, 19. Jac. 1, 2. Roman. 5, 3.

IX. Non spontè nos tentationibus implicemus, aut temerè nobis illas imponamus, quod faciunt Baalitæ. 1. Reg. 18, 28. Act. 9, 16. Col. 2, 23. Vide D. Theod. p. 529.

Tentationes non accersendæ

X. Di-

X, Diabolus in eremis & solitudinibus libenter versatur. Esa. 13,21. & 34,14. Eccl.4,10.

Christus nô stabilit anachoreticam.

XI. Christus in deserto tentatus non stabilivit vitam anachoreticam seu eremiticam. Ingens enim est in exemplis dissimilitudo. Christus singulari Spiritûs sancti ductu venit in desertum; & longo alio fine, quàm ut faciei pallorem induceret; vel similem è mundo exitum (quem vocant Pontificii) doceret: nimirùm ut tentaretur à diabolo. Matth.24,25.

XII. Tentator tum plerumque accedit, quando sensu calamitatum tangimur.

Christus jejunium quadragesimale non instituir.

XIII. Christus jejunio suo quadragesimali, non novam & perpetuam Ecclesiæ formam, nobis imitandam prescribere voluit. In iis enim, quæ miraculosè, vel officii ratione fecit, nobis non ad imitationem, sed admirationem ac fidem propositus est. Jejunium verò ipsius pars fuit officii Sacerdotalis, ut jejunio hoc suo nostram ingluviem expiaret.

XIV. A bonis & bene factis Sanctorum ad imitationem, promiscuam non valet Consequentia: ut non sequitur: Christus miraculosè jejunavit: Ergò idem nos imitari & facere debemus. Vide D. Finck. cent. 2. can. 30.

Je junium Christi non confirmat Papisticum.

XV. Jejunio itaque Christi singulari & miraculosô neutiquam stabilitur jejunium Papistarum superstitiosum. Luc. 4,1. Non enim est abstinentia à cibo & potu, sed permutatio tantùm cibi delectitia. Est præterea jejunium impossibile, dissimile, simoniacum, ridiculum, hypocriticum, superstitiosum, tyrannicum, frivolum; Esa.58,3. Luc. 18,19. Matth. 15,9. immò doctrina dæmoniorum. 1. Tim.4,1. Col.2,16. Rom.14,18. 1.Cor.8,8. Act.10,15. Tit.1,15. Vide plura apud D. Chemnit. in Exam. part. 4. Meelf. in Vindiciis: & M. Strigenitium in tract. de jejun.

Jejunium Papisticum.

Jejunium Scripturæ.

XVI. In Scriptura S. jejunium semper per totalem abstinentiam ab omni cibo describitur. Levit.16,31. Jud. 20,26. 2.Sam. 12,17. 1.Reg.21,5. Joël.2, 15. Jon. 3, 7. Judith. 4, 9. D. Finck. cent. 3. can. 5.

XVII. De summa, immò stupenda Christi exinanitione.

Jejunium verum.

XIIX. Jejunium Christi monet de vero jejunio,

1. sobrietatis; Luc. 21, 34. Rom. 13,13. Tit.2,12. 1. Thess. 4, 4.8. 1. Pet. 5, 8.
2. Spiritûs, quod in abstinentia peccati consistit; Esa. 58,6.
3. necessitatis;
4. luctûs &c.

XIX.

XIX. Christus jejunium hoc suum suscepit

Jejunii Christi causæ.

1. in nostrum meritum; ut nostram intemperantiam expiaret;
2. in nostrum exemplum, ut hoc suo facto, nobis exemplum monstraret,
1. consolationis; Heb.2,17.18. Psal.34,10. Sir.2,12.
2. imitationis. Luc.21,34. Ose.4,11. Pro.20,1. Eph.5,18.

XX. Jenuinum est hoc modo duplex;

Jejunium duplex.

1. corporale; idque vel privatum; vel publicum;
2. Spirituale, quale est, vel à peccatis abstinentia; vel sub crucis pressura patientia. Esa.58,5.6.7. Matth.9,15. Job. 7,1. seqq. & 14, 1. seq. Sir. 41, 1. seq. Confer D. Theod. p. 532.

XXI. Christus esurire & jejunare voluit,

Jejunare cur voluerit Christus.

1. ad humanitatem veram demonstrandam: Heb. 2, 14. & 4. 15.
2. ad ingluviem nostram expiandam: Esa. 53, 5.
3. ad famis vim explorandam: Sir.34,10. Heb. 2, 18. & 4. 16.
4. ad famem nostram sanctificandam:
5. ad diaboli tentationem contundendam. D. Theodor. p. 536. 537.

XXII. Diabolus in omnes nos tentandi occasiones intentus est. 1. Petr.5, 8. Luc. 22, 31. 2. Corint. 6, 7. 8. Ephes. 6, 12. Apoc. 12, 9. 12.

XXIII. Diabolus magno semper conatu articulum de persona Christi labefactare connititur. Joh. 5,18. & 17,3. Matth. 26, 65.

XXIV. Expendantur causæ, quibus adductus satanas vocem illam cœlitùs auditam, de Christo Dei Filio, oppugnare potissimùm conatus est:

Diabolus cur filiationem Christi oppugnârit.

1. Capiti suo metuebat, quod per Messiam conterendum sciebat; explorare itaque tentando hoc voluit: Gen.3,15.
2. Nihil in Christo magnificentiâ divinâ conveniens, vel Prophetarum oraculis respondens, videbat; cœpit igitur ipsi illudere:
3. Voluit vocem divinam vel falsitatis, vel vanitatis arguere, sicut in Paradiso fecerat: Gen.3,4.
4. Cogitavit fiduciam Christo eripere, illumque hac occasione in peccatum vel diffidentiæ, vel præsumtionis, vel defectionis inducere.

XXV. Diabolus etiamdum hac ipsâ tentatione solicitat pios, an sint filii Dei. Rom.8,38. 2.Par.20,6. 1.Joh.3,1. Jud.6,13. Job.2,9.

Tentatiò siliationis ut excutienda.

XXVI. Excutienda est isthæc tentatio

1. Christi redemtione; Joh.1,12. 1.Joh.3,1.2.

2 Spiritûs Sancti internâ testificatione; Rom.8,38. 1.Joh.3,6.

3. Baptismi recordatione; Tit.3,5.

4, Scripturæ sacræ allegatione. 2.Par.20,6.

XXVII. Christus opponendo satanæ Scripturam, artificium monstrat, tentationes ejusdem feliciter exsuperandi. Eph.6,13.

XXIIX. Christus habuit omnes adflictiones & proprietates, sicut alii homines, solo excepto peccato. 1.Pet.2,22. Heb.6,66.

XXIX. Contra paupertatem facit hoc, quod dicitur: non in solo pane vivet homo. Sir.2,12. Philip.4,12. 1.Timoth.6,6. Psal.34,11. & 37,25.

Deus sine pane conservat tripliciter.

XXX. Potest autem nos Deus sine pane sustentare & conservare tripliciter:

1. præternaturaliter atque miraculosè, absque omni cibo & potu: Exod.34,28. 1.Reg.19,8. Jon.2,2. Act.9,9.

2. naturaliter, modo tamen singulari;

1. cibum aliunde mirabiliter largiendo; Dan.14,32.36. 1.Reg.19,6. Exod.16,4.

2. reliquiis victûs benedicendo; Psal.132,15. Devt.28,5. 1.Reg.17,12. 2.Reg.4,1. seq. Joh.6,10. Marc.8,7.

3. cibos insalubriores sanctificando; Marc.16,18. 2.Reg.4,40. Dan.1,15. Marc.1,6.

4. famelicis ditiorum beneficentiam conciliando; 1.Reg.18,4. Jer.38,9.

5. ad extera loca deducendo; Gen.12,10. & 26,1. & 46,5. Ruth.1,7. 2.Reg.8,2.

3. Spiritualiter, animam verbo suo pascendo. Psal.3,5. & 33,15. & 77,19. & 132,15. Jer.31,12. Ezech.36,30.

XXXI. Hæc ideò dicuntur; (1) ne sub inopia & fame murmuremus, Psal.55,23. 1.Pet.5,7. Matth.6,25.26.27. seq. (2) sed regnum Dei ante omnia quæramus, Matth.6,33. Luc.10,42. Matth.13,44. Sap.16,26. (3) pane quotidiano contenti vivamus. Phil.4,12. 1.Tim.6,6. (4) bonitate & veritate Dei nos erigamus. Ps.34,10. & 37,16.25. Sir.2,12. Luc.14,15. Ps.22,27. & 23,1.5. Es.49,10. Apoc.7,16.

XXXII. Promissiones de gratia & dilectione Dei, non ex abundantia, vel penuria, vel eventu rerum corporalium sunt æstimandæ, quia sunt spirituales & cœlestes.

XXXIII. Quando causæ secundæ desunt, nec statim vel per miraculum eo, quo nos cogitamus, modo juvamur, vel liberamur

mur, ne ideò à fide promissionis discedamus, ne contra verbum Dei aliquid adgrediamur aut tentemus.

XXXIV. Satanas odio maximè præ ceteris hominibus prosequitur implacabili,

Diabolus quibus infensus.

1. in Christum Baptizatos;
2. ad ministerium legitimè vocatos;
3. ab hominibus vel mundo segregatos.

XXXV. Christus tentari sese passus est

Tentatus est Christus & cur.

1. ut ostenderetur bellum inter se & satanam ἄσπονδον; Gen. 3,15. 1. Joh. 3,8.
2. ut doceretur, omnes baptizatos satanam habere hostem atrocissimum;
3. ut pateret, neminem debere securum esse, quasi in hac vita non sit expositus satanæ tentationibus;
4. ut arma, quibus contra hunc hostem pugnandum sit, nobis monstraret;
5. ut in tentationibus nostris spem in Christi προμάχου nostri victoria haberemus firmissimam; Johan. 5,4. 1. Cor. 15,54. Rom. 16,20.
6. ut de voluntate & συμπαθείᾳ ejus erga nos in tentationibus tantò certiùs constaret; Heb. 2,17. & 4,15.
7. ut verum se hominem declararet.

Augu. l. 4. de Trinit. Christus diabolo se tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus Mediator esset, non solùm per adjutorium, verum etiam per exemplum.

XXXVI. Ille munus ministerii Evangelici rectissimè obire potest, qui variis priùs tentationibus est probatus.

PARS II.

Continetur hac secundâ parte tentatio μεγαλοψυχίας, confidentiæ, præsumtionis, ambitionis. Hic notetur

I. Circumstantiarum quarundam consideratio; ceu sunt.

1. Tempus, tunc, sc. post primam tentationem feliciter excussam.

2. Antecedens tentationis, quòd Christum diabolus subduxerit, h. e. alium in locum secum abripuerit, & transtulerit. Quidam hanc adsumtionem ita interpretantur, quòd Christo in deserto manente hæc facta sint, præstigiis oculis & animo Christi objectis: alii in visione hæc contigisse autumant, sicut Prophetis talia

quandoque evenerunt, Jer.13,4. Ezech.4,5. Sed veræ fuerunt tentationes, non φαντάσματα aut præstigiæ tentationum: simpliciter itaque verba, prout sonant, de vera circumductione accipienda esse, rectè censet Dn. D. Chemnitius p. 269, & nos cum illo, ita ut verè per aërem subitò raptaretur & duceretur Christus, sicut Habacuc Dan.10,35. & Philippus Act. 8,39. Verba enim sunt perspicua; παραλαμβάνει, adsumit secum; Matth.4,5. ἤγαγεν αὐτὸν, duxit eum. Luc.4,9. Nihil est mirum, ait Gregorius, si Christus à diabolo se permisit circumduci, qui à membris illius se permisit crucifigi.

Hierosolyma civitas sancta.

3. Locus, qui vel communis, vel proprius. Communis est sancta civitas. Ita per synecdochen generis dicebatur Hierosolyma,

1. propter sanctum ibi depositum verbum;
2. propter sanctum Dei cultum, cujus sedes erat Hierosolyma; Esa. 2,3.
3. propter sanctum Dei templum, in quo arca propitiatorii & sanctum sanctorum;
4. propter sanctum ibi habitantem Deum.

πτερύγιον.

Proprius est τὸ πτερύγιον, de quo vocabulo variæ sunt interpretum opiniones, vide D. Chemn. p. 269. ubi ita concludit: quicquid sit de vocabulis, hoc certum est, locum fuisse in summo templi fastigio, ubi sine periculo non poterat consisti. Propriè enim significat alam parvam, quæ facili motu venti impellitur, die Fahne. Alii intelligunt ambitum in plano templi tecto. Tecta enim in Palæstina erant plana, quæ poterant inambulari; sed in extremitatibus summorum angulorum, sine periculo lapsûs, nemo poterat consistere, præsertim si anguli elevati prominerent. Soph.1,5.

II. Ipsa tentatio, quæ iterum habet

1. diaboli ἔνστασιν, illationem; cujus propositio est: *præcipita te deorsum*, vel demitte te. Allusisse videtur diabolus ad illud Mal. 3,1. ubi prædictum, fore ut Messias, tanquam dominator veniret ad templum suum; ideo statuit ipsum (ἵστησιν) supra templum, & dicit: si hinc te dimiseris, totus Israël agnoscet & arripiet te pro Messia, uti habet D. Chemnit. p. 268. Ratio desumitur

1. *ab utili*, quia sic efficies id, quod dixi, omnis populus te pro Messia accipiet, recipiet, & venerabitur.
2. *A tuto vel facili*: quia potest hoc fieri absque ulla corporis læsione vel periculo. Scriptum est enim: Angelis suis mandabit

de

de te, ut te custodiant: manibus tollent te, ne quando impingas ad lapidem pedem tuum. Ps. 91, 11. 12.

3. A majori, quia es Filius Dei: nititur igitur malignus spiritus ipsum persvadere & eò adducere, ut titillatione tributi sibi tituli, quòd proclamatus esset Filius Dei, & sic indubitatâ paterni favoris, adde & præsidii angelici, verbo Dei promissi, fiduciâ, Dominus Jesus inceptet aliquod facinus, præter & extra vocationem, sine mandato Dei, citra necessitatem, extemeraria præsumtione, & de pinnaculo templi desiliat; ostensurus scilic. se verè esse Messiam ac Filium Dei, & comparaturus sibi nomen & famam apud omnem populum. Collectio ergò diaboli videtur esse talis:

Si Deus Angelis suis mandavit, ut suos tueantur & custodiant, immò in manibus portent, ne fortè pedem ad lapidem impingant, multò magis de Filio suo idem mandatum dedisse censendus est.

Atqui verum prius, per illud Ps. 91, 11. 12.

Ergò etiam posterius; & per consequens nihil tibi mali accidet, nihil periculi tibi timendum, si vel maximè de templi pinnaculo desilias. Atque ita conatur satanas ipsum Dei Filium hac secundâ tentatione ad inanem præsumtionem, vanamque vel sui confidentiam, vel ostentationem, aut ad inanis gloriæ captationem, immò ad sui ipsius perniciem adducere ac permovere; quin & ad Dei tentationem instigare.

2. Christi ἀντίστασιν sive depulsionem, petitam ex alio Scripturæ loco non corrupto, *κατ' ἀνθυποφορὰν ἢ ἀντεισαγωγήν*. Egerat diabolus Sophistam, in allegatione Scripturæ omittendo ea, quæ ad scopum ejus non factura videbantur. Præteritâ itaque manifestâ illâ textûs Biblici depravatione, factâ per omissionem illius, quod maximè necessarium, intentioni verò satanæ obstare putabatur, ostendit Christus, pugnare corruptam illam sententiam cum aliis perspicuis Scripturæ dictis. Nunquam autem dictum dicto, veritas veritati opponitur; non itaque dicit Salvator, contrà, sed *πάλιν*, rursum, iterum scriptum est, Deut. 6, 16. non tentabis Dominum Deum tuum. D. Finck. cent. 2. can. 22. Tentarem autem Deum, si ex vana præsumtione, citra necessitatem, ordine legitimo non observato, experimentum quærerem potentiæ, sapientiæ, bonitatis & veritatis Dei: hoc enim est tentare Deum, uti docet Dn. D. Chemn. p. 271. harm. Evang. Sensus itaque responsionis est; non

decere, ut quis tentet Deum; sed manendum esse intra metas vocationis: quo casu, si quæ sese objiciant difficultates & pericula, tum verè confidendum esse patrocinio Dei & custodiæ Angelorum. Sin extra vias suas periculis sese quis exponat, non posse illud, nisi cum peccato conjunctum esse, quippe repugnans regulæ divini præcepti: de non tentando Deo: cujus mandati allegatione Christus complet & corrigit id, quod in promissione Psalmi allegenda, captiosè diabolus omiserat; in omnibus viis tuis, h. e. in tramite obedientiæ divinæ & cursu vocationis propriæ. Commissa est igitur à diabolo, præter sophisticam illam membri maximè necessarii omissionem, fallacia παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς; & restringenda est promissio Dei ad vocationem; quòd ita sit intelligenda, ne Deus tentetur.

Conficitur inde talis contra depravationem diaboli, quam ex perversa verborum Psalmicorum mutilatione effingebat ἀντισυλλογισμός:

Non decet Filium Dei tentare Patrem suum:
Ego sum Filius Dei:
Ergò non decet me tentare Patrem meum, h. e. neglectis mediis ordinariis, præsentissimo me, citra vocationem & consilium Dei, periculo exponere. Ita igitur etiam secundâ hac vice confusus est satanas.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Diaboli potentia.

I. Magna est diaboli, Deo id permittente, etiam in sanctos ac fideles Christianos potentia; quanquam suos habeat ipsa limites. Christum in pinnaculum statuit, sed inde deturbare eum haut potest. Confer historiam Jobi cap. 1. & 2.

Diaboli artificium.

II. Notetur insigne diaboli artificium; quando Epicureum totius Scripturæ contemtum hominibus instillare nequit, variis corruptelis verum ejus sensum obnubilare conatur. Hinc postmodum variæ hæreses, varia schismata oriuntur. 1.Cor.10,19.

III. Corruptelæ autem istæ ex ipsa Scriptura refutari debere suo nos Salvator exemplo edocet.

Scripturæ interpretatio.

IV. Illa enim est vera Scripturæ interpretatio, quam verba præbent, & quæ perpetuæ Scripturæ sententiæ consentanea est, D. Chemn. p. 270.

V. Satanas multos homines ambitione, præsumtione & teme-

meritate tentat; ut protoplastos, Gen.3. factiosos illos, Num.16,32. & alios. Dan.4, 30. Esa.14, 2. &. 1.Cor.7,20. Sir.3,22. Roman. 13,13. Jac.3, 1.

VI. Excutere verò & superare illam tentationem possumus,

Tentatio præsumtionis ut vincenda.

1. *indignitatem nostram considerando*, atque inde cristas superbiæ deponendo: Gen. 18, 27. Matth. 8, 8. & 15, 25. Luc. 18, 13. Phil. 4, 12.

2. *pœnas temerariorum contemplando*: Sir.2,3. Num.14,45. Devt. 1,44. 2.Par.20,37. & 35,23.

Ambitio.

VII. De ambitionis pinna declinanda Vide D. Theod. p. 546.547. Confer Evang. Matth. 20. in fest. Jacobi. Item eundem Theod.part.3. anal. Evang. p.688.713. 715.

IIX. Diabolus etiam potest allegare Scripturam, sed mutilatam & truncatam. Joh.8,44. Gen.3,5. 1.Johan.4,1. 2.Corinth. 11, 14.

IX. Promissiones Dei ita intelligendæ sunt & accommodandæ, ne Deum tentemus. Esa.7,12. Exod.17,2. Deut.6,16.

Tentatur Deus variè.

X. Tentaretur autem Deus ab hominibus variis modis:

1. *per mediorum ordinariorum neglectionem*, quæ in duplici sunt differentia, corporalia & spiritualia:
2. *per incredulam petitionem*: Sir.18, 23.
3. *per vocationis transgressionem & desertionem*: 1.Cor.7,20.
4. *per fidei derogationem*: Num.20,12. & 11,1. seq. Ps.78,20.
5. *per non necessariam signorum & miraculorum postulationem*: Luc. 11, 16.29. Es.7,12. Jud.6,39.
6. *per præsumtionem*, quâ majora viribus homo adgreditur: Sir. 3, 22.24.26.
7. *per certi temporis ad ferendum auxilium determinationem*: Judith 7,23.25. & 8,11.
7. *per dubitationem*, de Dei vel potentia; Judith.8,12. seq. Ps.77,20 vel præsentia; Exod.17,7. vel providentia & benevolentia, Ps.78,18. vel patientia, eaque per impœnitentiam tentatur; vel justitia, quando non creditur Deum puniturum impios. Malach.3,18. Vide plura apud D.Chemn. p.271. harm.
9. *per captiosam Christi interrogationem*. Matth. 22,18.

XI. Vitanda ejusmodi Dei tentatio, ob

Tentatio Dei fugienda.

1. *prohibitionis divinæ gravitatem*; Deut.6,16.
2. *immensam Dei bonitatem*; Jac. 1, 17.

3. *sum-*

Deus tui curam nullam habet: tu fame laboras, alii, ad quos vox illa cœlestis non sonuit, abundant:

Ergò non es Dei Filius; Ergò frustrà ipsi confidis.

Ἀπόφασις ἢ ἀντίςασις Christi, sive tentationis depulsio fit,

1. per simplicem inficiationem: Negat enim id, quod satanas in minore, ut verum, adsumserat.

2. Per distinctionem duplicem:

1. inter velle & posse, seu causam necessariam & voluntariam; non enim facultas, sed voluntas mutandi creaturas ipsi tum defuit.

2. Inter modum alendi homines ordinarium & extraordinarium.

3. Per limitationem, ostendendo, promissiones de gratia & dilectione Dei, non ex abundantia vel penuria, vel alia re externa esse æstimandas, sunt enim spirituales & cœlestes; in corporalibus autem cum exceptione crucis semper conjunctæ. Neutrum itaque necessarium est, vel ut lapides convertantur in panes, volente diabolo; vel ut propter rerum necessariarum defectum aliquem, fiducia in Deum abjiciatur. Additur ἐπικατασκευὴ, desumta à testimonio Scripturæ, quod habetur Devt. 8,3. non in solo pane (panis hîc per synecdochen sumitur pro omni cibo corporali: Gen.3,19. & 18,5. & 21,14. & 37,25. Exod.2,20. Devt. 18,3.) vivit homo; (q. d. Deus auxiliaturus vel cibaturus non est alligatus ad causas secundas:) sed in omni verbo, quod egreditur per os Dei; q. d. Deus potest etiam sine pane vitam hominis sustentare & conservare; quapropter confidendum est ejus bonitati ac potentiæ, etiamsi ordinaria media deficiant nec statim postulandum ut nostri causâ fiant miracula. In Hebræo non est dictio (verbum) sed omne, quod egreditur de ore Domini; h. e. quicquid Deus vult, jubet & ordinat, etiamsi non sit panis, potest hominem sustentare: quod observavit Dn. D. Chemnius p. 268. Ex hoc itaque dicto Salvator ἀντισυλλογισμὸν ἄφυκτον καὶ ἄλυτον construit, contra satanæ tentationem, hoc modo inferentem:

Panis pro omni cibo.

Si Filius Dei sum; non solo pane, sed verbo Dei sustentabor;

Sed Filius Dei sum:

Er-

Ergò non solo pane, sed verbo Dei sustentabor, & consequenter nihil opus, te satanâ jubente miracula edere, vel cœlesti meo Patri diffidere.

Ita elisa fuit prima satanæ tentatio: potuisset quidem Christus facilimo negotio lapides in panes convertere; sed in eum finem non erat subductus in desertum, ut miracula ederet, sed ut tentaretur, ideò noluit diaboli tantationi adsurgere.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Bonâ & deliberatâ Dei voluntate, salutari item fine & consilio, sanctis immittuntur tentationes. Job. 2, 12. 1. Cor. 10, 13. 2. Pet. 2, 9. Apoc. 2, 10.

Tentantur pii.

II. Nemo autem cogitet, se propterea minùs Deo gratum esse, quia variis exercetur tentationibus. Pro. 3, 12.

III. In Scriptura à Christo ad Christianos (tanquam à capite ad membra) valet consequentia; & rursus à Christianis ad Christum valet consequentia, sed non absolutè; verùm in iis valet, in quibus peccatum nullum habet respectum: ut h. l. tentatus est Christus: Ergò etiam Christiani: & contra; tentantur Christiani: Ergò tentatus est Christus per omnia. Hebr. 4, 15. D. Finck. cent. 2. can. 15. 16.

IV. A tentationibus autem divinis, quibus probantur pii, ad diabolicas & humanas, non valet consequentia: aliter enim Deus tentat, aliter diabolus. Vide ibid. can. 35.

Tentat aliter Deus, aliter diab.

V. Satanas majori conatu solet adgredi baptizatos. Luc. 11, 24.

VI. Doctoribus Ecclesiæ non tantùm cum auditoribus docilibus & facilibus est negotium, sed cum ipso tenebrarum principe, qui pater est mendaciorum, ipsis est dimicandum.

VII. Oratio, meditatio, tentatio faciunt Theologum, quod B. quondam Lutheri erat effatum. D. Finck. centur. 1. can. 85.

IIX. Illi optimè funguntur docendi ministerio, qui tyrociniis tentationum fuerunt agitati. Esaiæ 28, 19. Jac. 1, 2. Roman. 5, 3.

IX. Non spontè nos tentationibus implicemus, aut temerè nobis illas imponamus, quod faciunt Baalitæ. 1. Reg. 18, 28. Act. 9, 16. Col. 2, 23. Vide D. Theod. p. 529.

Tentationes non accersendæ

X. Di-

X, Diabolus in eremis & solitudinibus libenter versatur. Esa. 13,21. & 34,14. Eccl.4,10.

Christus nō stabilit anachoreticam.

XI. Christus in deserto tentatus non stabilivit vitam anachoreticam seu eremiticam. Ingens enim est in exemplis dissimilitudo. Christus singulari Spiritûs sancti ductu venit in desertum; & longo alio fine, quàm ut faciei pallorem induceret, vel similem è mundo exitum (quem vocant Pontificii) doceret: nimirùm ut tentaretur à diabolo. Matth.24,25.

XII. Tentator tum plerumque accedit, quando sensu calamitatum tangimur.

Christus jejunium quadragesimale non instituir.

XIII. Christus jejunio suo quadragesimali, non novam & perpetuam Ecclesiæ formam, nobis imitandam præscribere voluit. In iis enim, quæ miraculosè, vel officii ratione fecit, nobis non ad imitationem, sed admirationem ac fidem propositus est. Jejunium verò ipsius pars fuit officii Sacerdotalis, ut jejunio hoc suo nostram ingluviem expiaret.

XIV. A bonis & benè factis Sanctorum ad imitationem promiscuam non valet Consequentia: ut non sequitur: Christus miraculosè jejunavit: Ergò idem nos imitari & facere debemus. Vide D. Finck. cent. 2. can. 30.

Jejunium Christi non confirmat Papisticum.

XV. Jejunio itaque Christi singulari & miraculosô nunquam stabilitur jejunium Papistarum superstitiosum. Luc.4,1. Non enim est abstinentia à cibo & potu, sed permutatio tantùm ciborum lautitia.

Jejunium Papisticum.

Est præterea jejunium impossibile, dissimile, simoniacum, ridiculum, hypocriticum, superstitiosum, tyrannicum, frivolum; Esa.58,3. Luc. 18, 19. Matth. 15,9. immò doctrina dæmoniorum. 1. Tim.4,1. Col.2,16. Rom.14,18. 1.Cor.8,8. Act.10,15. Tit.1,15. Vide plura apud D. Chemnit. in Exam. part. 4. Meelf. in Vindiciis: & M. Strigenitium in tract. de jejun.

Jejunium Scripturæ.

XVI. In Scriptura S. jejunium semper per totalem abstinentiam ab omni cibo describitur. Levit.16,31. Jud.20,26. 2.Sam. 12,17. 1.Reg.21,5. Joël.2, 15. Jon. 3, 7. Judith.4,9. D. Finck. cent. 3. can. 5.

XVII. De summa, immò stupenda Christi exinanitione.

Jejunium verum.

XIIX. Jejunium Christi monet de vero jejunio,

1. sobrietatis; Luc. 21, 34. Rom. 13, 13. Tit.2,12. 1. Thess. 4, 4.8. 1. Pet. 5, 8.
2. Spiritûs, quod in abstinentia peccati consistit: Esa.58,6.
3. necessitatis;
4. luctûs &c.

XIX.

XIX. Christus jejunium hoc suum suscepit

Jejunii Christi causæ.

1. in nostrum meritum; ut nostram intemperantiam expiaret;
2. in nostrum exemplum, ut hoc suo facto, nobis exemplum monstraret,
1. consolationis; Heb.2,17.18. Psal.34,10. Sir.2,12.
2. imitationis. Luc.21,34. Ose.4,11. Pro.20,1. Eph.5,18.

XX; Jenuinum est hoc modo duplex;

Jejunium duplex.

1. corporale; idque vel privatum; vel publicum;
2. Spirituale, quale est, vel à peccatis abstinentia; vel sub crucis pressura patientia. Esa.58,5.6.7. Matth.9,15. Job. 7,1. seqq. & 14,1. seq. Sir. 41,1. seq. Confer D. Theod. p. 532.

XXI. Christus esurire & jejunare voluit,

Jejunare cur voluerit Christus.

1. *ad humanitatem veram demonstrandam*: Heb. 2, 14. & 4. 15.
2. *ad ingluviem nostram expiandam*: Esa. 53, 5.
3. *ad famis vim explorandam*: Sir.34,10. Heb. 2,18. & 4.16.
4. *ad famem nostram sanctificandam*;
5. *ad diaboli tentationem contundendam*. D. Theodor. p. 536.537.

XXII. Diabolus in omnes nos tentandi occasiones intentus est. 1.Petr.5,8. Luc. 22,31. 2. Corint. 6, 7. 8. Ephes. 6,12. Apoc. 12, 9. 12.

XXIII. Diabolus magno semper conatu articulum de persona Christi labefactare connititur. Joh. 5,18. & 17,3. Matth. 26, 65.

XXIV. Expendantur causæ, quibus adductus satanas vocem illam cœlitùs auditam, de Christo Dei Filio, oppugnare potissimùm conatus est:

Diabolus cur filiationem Christi oppugnârit.

1. Capiti suo metuebat, quod per Messiam conterendum sciebat; explorare itaque tentando hoc voluit: Gen.3,15.
2. Nihil in Christo magnificentiâ divinâ conveniens, vel Prophetarum oraculis respondens, videbat; cœpit igitur ipsi illudere:
3. Voluit vocem divinam vel falsitatis, vel vanitatis arguere, sicut in Paradiso fecerat: Gen.3,4.
4. Cogitavit fiduciam Christo eripere, illumque hac occasione in peccatum vel diffidentiæ, vel præsumtionis, vel defectionis inducere.

XXV. Diabolus etiamdum hac ipsâ tentatione solicitat pios, an sint filii Dei. Rom.8,38. 2.Par.20,6. 1.Joh.3,1. Jud.6,13. Job.2,9.

Tentatiò fi liationis ut excutienda.

XXVI. Excutienda est isthæc tentatio

1. Christi redemtione; Joh.1,29. 1.Joh.3,1.2.

2 Spiritûs Sancti internâ testificatione; Rom.8,38. 1.Joh.3,6.

3. Baptismi recordatione; Tit.3,5.

4, Scripturæ sacræ allegatione. 2.Par.20,6.

XXVII. Christus opponendo satanæ Scripturam, artificium monstrat, tentationes ejusdem feliciter exsuperandi. Eph.6,13.

XXIIX. Christus habuit omnes adflictiones & proprietates, sicut alii homines, solo excepto peccato. 1.Pet.2,22. Heb.6,66.

XXIX. Contra paupertatem facit hoc, quod dicitur: non in solo pane vivet homo. Sir.2,12. Philip.4,12. 1.Timoth.6,6. Psal.34,11. & 37,25.

Deus sine pane conservat tripliciter.

XXX. Potest autem nos Deus sine pane sustentare & conservare tripliciter:

1. præternaturaliter atque miraculosè, absque omni cibo & potu: Exod.34,28. 1.Reg.19,8. Jon.2,2. Act. 9,9.

2. naturaliter, modo tamen singulari;

1. cibum aliunde mirabiliter largiendo; Dan.14,32.36. 1.Reg.19,6. Exod.16,4.

2. reliquiis victûs benedicendo; Psal.132,15. Deut.28,5. 1.Reg.17,12. 2.Reg.4,1. seq. Joh.6,10. Marc.8,7.

3. cibos insalubriores sanctificando; Marc.16,18. 2.Reg.4,40. Dan.1,15. Marc.1,6.

4 famelicis ditiorum beneficentiam conciliando; 1.Reg.18,4. Jer.38,9.

5. ad extera loca deducendo; Gen.12,10. & 26,1. & 46,3. Ruth.1,7. 2.Reg.8,2.

3. Spiritualiter, animam verbo suo pascendo. Psal. 3,5. & 33,15. & 77,19. & 132,15. Jer.31,12. Ezech.36,30.

XXXI. Hæc ideò dicuntur; (1) ne sub inopia & fame murmuremus, Psal.55,23. 1.Pet.5,7. Matth.6,25.26.27.seq. (2) sed regnum Dei ante omnia quæramus, Matth.6,33. Luc.10,42. Matth.13,44. Sap.16,26. (3) pane quotidiano contenti vivamus. Phil,4,12. 1.Tim.6,6. (4) bonitate & veritate Dei nos erigamus. Ps.34,10. & 37,16.25. Sir.2,12. Luc.14,15. Ps.22,27. & 23,1.5. Es.49,10. Apoc.7,16.

XXXII. Promissiones de gratia & dilectione Dei, non ex abundantia, vel penuria, vel eventu rerum corporalium sunt æstimandæ, quia sunt spirituales & cœlestes.

XXXIII. Quando causæ secundæ desunt, nec statim vel per miraculum eo, quo nos cogitamus, modo juvamur, vel liberamus

mur, ne ideò à fide promissionis discedamus, ne contra verbum Dei aliquid adgrediamur aut tentemus.

XXXIV. Satanas odio maximè præ ceteris hominibus prosequitur implacabili,

Diabolus quibus infensus.

1. in Christum Baptizatos;
2. ad ministerium legitimè vocatos;
3. ab hominibus vel mundo segregatos.

XXXV. Christus tentari sese passus est

Tentatus est Christus & cur.

1. ut ostenderetur bellum inter se & satanam ἄσπονδον; Gen. 3,15. 1. Joh. 3,8.
2. ut doceretur, omnes baptizatos satanam habere hostem atrocissimum;
3. ut pateret, neminem debere securum esse, quasi in hac vita non sit expositus satanæ tentationibus;
4. ut arma, quibus contra hunc hostem pugnandum sit, nobis monstraret;
5. ut in tentationibus nostris spem in Christi προμάχου nostri victoria haberemus firmissimam; Johan. 5,4. 1. Cor. 15,54. Rom. 16,20.
6. ut de voluntate & συμπαθείᾳ ejus erga nos in tentationibus tantò certiùs constaret; Heb. 2,17. & 4,15.
7. ut verum se hominem declararet.

August. l. 4. de Trinit. Christus diabolo se tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus Mediator esset, non solùm per adjutorium, verum etiam per exemplum.

XXXVI. Ille munus ministerii Evangelici rectissimè obire potest, qui variis priùs tentationibus est probatus.

PARS II.

Continetur hac secundâ parte tentatio μεγαλοψυχίας, confidentiæ, præsumtionis, ambitionis. Hîc notetur

I. Circumstantiarum quarundam consideratio; ceu sunt,

1. Tempus, tunc, sc. post primam tentationem feliciter excussam.

2. Antecedens tentationis, quòd Christum diabolus subduxerit, h. e. alium in locum secum abripuerit, & transtulerit. Quidam hanc adsumtionem ita interpretantur, quòd Christo in deserto manente hæc facta sint, præstigiis oculis & animo Christi objectis: alii in visione hæc contigisse autumant, sicut Prophetis talia

 quan-

quandoque evenerunt, Jer.13,4. Ezech.4,5. *Sed veræ* fuerunt tentationes, non φαντάσματα aut præstigiæ tentationum: simpliciter itaque verba, prout sonant, de vera circumductione accipienda esse, rectè censet Dn. D. Chemnitius p.269, & nos cum illo, ita ut verè per aërem subitò raptaretur & duceretur Christus, sicut Habacuc Dan.10,35. & Philippus Act. 8,39. Verba enim sunt perspicua; παραλαμβάνει, adsumit secum; Matth.4,5. ἤγαγεν αὐτόν, duxit eum, Luc.4,9. Nihil est mirum, ait Gregorius, si Christus à diabolo se permisit circumduci, qui à membris illius se permisit crucifigi.

Hierosolyma civitas sancta.

3. Locus, qui vel communis, vel proprius. Communis est sancta civitas. Ita per synecdochen generis dicebatur Hierosolyma,

1. propter sanctum ibi depositum verbum;
2. propter sanctum Dei cultum, cujus sedes erat Hierosolyma; Esa.2,3.
3. propter sanctum Dei templum, in quo arca propitiatorii & sanctum sanctorum;
4. propter sanctum ibi habitantem Deum.

πτερύγιον.

Proprius est τὸ πτερύγιον, de quo vocabulo variæ sunt interpretum opiniones, vide D. Chemn. p.269. ubi ita concludit: quicquid sit de vocabulis, hoc certum est, locum fuisse in summo templi fastigio, ubi sine periculo non poterat consisti. Propriè enim significat alam parvam, quæ facili motu venti impellitur, die Fahne. Alii intelligunt ambitum in plano templi tecto. Tecta enim in Palæstina erant plana, quæ poterant inambulari; sed in extremitatibus summorum angulorum, sine periculo lapsûs, nemo poterat consistere, præsertim si anguli elevati prominerent. Soph.1,5.

II. Ipsa tentatio, quæ iterum habet

1. diaboli ἔνστασιν, illationem; cujus propositio est: *præcipita te deorsum*, vel demitte te. Allusisse videtur diabolus ad illud Mal.3,1. ubi prædictum, fore ut Messias, tanquam dominator veniret ad templum suum; ideo statuit ipsum (ἵστησιν) supra templum, & dicit: si hinc te dimiseris, totus Israël agnoscet & arripiet te pro Messia, uti habet D. Chemnit. p.268. Ratio desumitur

1. ab utili, quia sic efficies id, quod dixi, omnis populus te pro Messia accipiet, recipiet, & venerabitur.

2. A tuto vel facili: quia potest hoc fieri absque ulla corporis læsione vel periculo. Scriptum est enim: Angelis suis mandabit

de

de te, ut te custodiant: manibus tollent te, ne quando impingas ad lapidem pedem tuum. Ps. 91, 11. 12.

3. A majori, quia es Filius Dei: nititur igitur malignus spiritus ipsum persvadere & eò adducere, ut titillatione tributi sibi tituli, quòd proclamatus esset Filius Dei, & sic indubitatâ paterni favoris, adde & præsidii angelici, verbo Dei promissi, fiduciâ, Dominus Jesus inceptet aliquod facinus, præter & extra vocationem, sine mandato Dei, citra necessitatem, extemeraria præsumtione, & de pinnaculo templi desiliat; ostensurus scilic. se verè esse Messiam ac Filium Dei, & comparaturus sibi nomen & famam apud omnem populum. Collectio ergò diaboli videtur esse talis:

Si Deus Angelus suis mandavit, ut suos tueantur & custodiant, immò in manibus portent, ne fortè pedem ad lapidem impingant, multò magis de Filio suo idem mandatum dedisse censendus est.

Atqui verum prius, per illud Ps. 91, 11. 12.

Ergò etiam posterius; & per consequens nihil tibi mali accidet, nihil periculi tibi timendum, si vel maximè de templi pinnaculo desilias. Atque ita conatur satanas ipsum Dei Filium hac secundâ tentatione ad inanem præsumtionem, vanamque vel sui confidentiam, vel ostentationem, aut ad inanis gloriæ captationem, immò ad sui ipsius perniciem adducere ac permovere; quin & ad Dei tentationem instigare.

2. Christi ἀντίςασιν *sive depulsionem*, petitam ex alio Scripturæ loco non corrupto, κατ' ἀνθυποφορὰν ἢ ἀντεισαγωγὴν. Egerat diabolus Sophistam, in allegatione Scripturæ omittendo ea, quæ ad scopum ejus non factura videbantur. Præteritâ itaque manifestâ illâ textûs Biblici depravatione, factâ per omissionem illius, quod maximè necessarium, intentioni verò satanæ obstare putabatur, ostendit Christus, pugnare corruptam illam sententiam cum aliis perspicuis Scripturæ dictis. Nunquam autem dictum dicto, veritas veritati opponitur; non itaque dicit Salvator, contrà, sed πάλιν, rursum, iterum scriptum est, Deut. 6, 16. non tentabis Dominum Deum tuum. D. Finck. cent. 2. can. 22. Tentarem autem Deum, si ex vana præsumtione, citra necessitatem, ordine legitimo non observato, experimentum quærerem potentiæ, sapientiæ, bonitatis & veritatis Dei: hoc enim est tentare Deum, uti docet Dn. D. Chemn. p. 271. harm. Evang. Sensus itaque responsionis est; non

decere, ut quis tentet Deum; sed manendum esse intra metas vocationis: quo casu, si quæ sese objiciant difficultates & pericula, tum verè confidendum esse patrocinio Dei & custodiæ Angelorum. Sin extra vias suas periculis sese quis exponat, non posse illud, nisi cum peccato conjunctum esse, quippe repugnans regulæ divini præcepti: de non tentando Deo: cujus mandati allegatione Christus complet & corrigit id, quod in promissione Psalmi alleganda, captiosè diabolus omiserat; in omnibus viis tuis, h. e. in tramite obedientiæ divinæ & cursu vocationis propriæ. Commissa est igitur à diabolo, præter sophisticam illam membri maximè necessarii omissionem, fallacia παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς; & restringenda est promissio Dei ad vocationem; quòd ita sit intelligenda, ne Deus tentetur.

Conficitur inde talis contra depravationem diaboli, quàm ex perversa verborum Psalmicorum mutilatione effingebat ἀντισυλλογισμός:

Non decet Filium Dei tentare Patrem suum:
Ego sum Filius Dei:
Ergò non decet me tentare Patrem meum, h. e. neglectis mediis ordinariis, præsentissimo me, citra vocationem & consilium Dei, periculo exponere. Ita igitur etiam secundâ hac vice confusus est satanas.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Diaboli potentia.

I. Magna est diaboli, Deo id permittente, etiam in sanctos ac fideles Christianos potentia; quanquam suos habeat ipsa limites. Christum in pinnaculum statuit, sed inde deturbare eum haut potest. Confer historiam Jobi cap. 1. & 2.

Diaboli artificium.

II. Notetur insigne diaboli artificium; quando Epicureum totius Scripturæ contemtum hominibus instillare nequit, variis corruptelis verum ejus sensum obnubilare conatur. Hinc postmodum variæ hæreses, varia schismata oriuntur. 1.Cor.10,19.

III. Corruptelæ autem istæ ex ipsa Scriptura refutari debere suo nos Salvator exemplo edocet.

Scripturæ interpretatio.

IV. Illa enim est vera Scripturæ interpretatio, quam verba præbent, & quæ perpetuæ Scripturæ sententiæ consentanea est, D. Chemn. p.270.

V. Satanas multos homines ambitione, præsumtione & teme-

meritate tentat; ut protoplastos, Gen. 3. factiosos illos, Num. 16, 3. & alios. Dan. 4, 30. Esa. 14, 2. 8. 1. Cor. 7, 20. Sir. 3, 22. Roman. 13, 13. Jac. 3, 1.

VI. Excutere verò & superare illam tentationem possumus,

Tentatio præsumtionis ut vincenda.

1. *indignitatem nostram considerando*, atque inde cristas superbiæ deponendo: Gen. 18, 27. Matth. 8, 8. & 15, 25. Luc. 18, 13. Phil. 4, 12.

2. *pœnas temerariorum contemplando*: Sir. 2, 3. Num. 14, 45. Devt. 1, 44. 2. Par. 20, 37. & 35, 23.

Ambitio.

VII. De ambitionis pinna declinanda Vide D. Theod. p. 546. 547. Confer Evang. Matth. 20. in fest. Jacobi. Item eundem Theod. part. 3. anal. Evang. p. 688. 713. 715.

IIX. Diabolus etiam potest allegare Scripturam, sed mutilatam & truncatam. Joh. 8, 44. Gen. 3, 5. 1. Johan. 4, 1. 2. Corinth. 11, 14.

IX. Promissiones Dei ita intelligendæ sunt & accommodandæ, ne Deum tentemus. Esa. 7, 12. Exod. 17, 2. Deut. 6, 16.

Tentatur Deus variè.

X. Tentaretur autem Deus ab hominibus variis modis:

1. *per mediorum ordinariorum neglectionem*, quæ in duplici sunt differentia, corporalia & spiritualia:
2. *per incredulam petitionem*: Sir. 18, 23.
3. *per vocationis transgressionem & desertionem*: 1. Cor. 7, 20.
4. *per fidei derogationem*: Num. 20, 12. & 11, 1. seq. Ps. 78, 20.
5. *per non necessariam signorum & miraculorum postulationem*: Luc. 11, 16. 29. Es. 7, 12. Jud. 6, 39.
6. *per præsumtionem*, quâ majora viribus homo adgreditur: Sir. 3, 22. 24. 26.
7. *per certi temporis ad ferendum auxilium determinationem*: Judith 7, 23. 25. & 8, 11.
7. *per dubitationem*, de Dei vel potentia; Judith. 8, 12. seq. Ps. 77, 20 vel præsentia; Exod. 17, 7. vel providentia & benevolentia; Ps. 78, 18. vel patientia, eaque per impœnitentiam tentatur; vel justitia, quando non creditur Deum puniturum impios. Malach. 3, 18. Vide plura apud D. Chemn. p. 271. harm.
9. *per captiosam Christi interrogationem*. Matth. 22, 18.

XI. Vitanda ejusmodi Dei tentatio, ob

Tentatio Dei fugienda.

1. *prohibitionis divinæ gravitatem*; Deut. 6, 16.
2. *immensam Dei bonitatem*; Jac. 1, 17.

3. *sum-*

3. summam ipsius potestatem & severitatem; Num.21,6. Psal.78,21. Gal.6,7.

4. conditionis nostræ vilitatem.

Scripturam mutilare diabolicum

XII. Scripturam mutilare, sophisticè allegare & depravare est diabolicum. Vide D.Theodor. p.549.550.

XIII. Translatio vel subductio Christi fuit corporalis & localis, quod Calvinianorum nonnulli negant.

XIV. Non temerè in pericula nos præcipitemus, mediis neglectis ordinariis. Sir.3,23. Ps.91,11.12.

XV. Per Scripturarum collationem Pseudodoctorum fraudes & imposturæ facilè deprehendi ac declinari possunt. Rom.12,6. 2.Pet.1,19. Confer D.Theod. p.551.

Verbi studium.

XVI. Qui in viis suis ambulant, Angelos habent tutores & comites. Ps.91,11 12.

XVII. Commendatur nobis verbi divini studium, cujus lectio & auscultatio multùm confert ad pietatem promovendam. 1. Tim. 2, 4. Fiat illud h. e. legatur & audiatur inter nos,

1. ex divino mandato; Deut.17,18.19. & 31,11.12.13. Jos.1,8.

2. ex sanctorum exemplo; Gen.18,19. Deut.6,6. Ps.78,2.3.4.5.6.7 & 119,11.16.30. Luc.4,16. Act.15,21. Neh.8,18.

3. ex verbi natura & fructu; Heb.4,12. Johan.6,63. Esa.55,10.11. Actor.2,37. & 24,25. Psal. 119,105. Prov.6,23. Psal.36,11. 2.Petr.1,19. Psal.19,5. Galat.6,16. Deut. 4, 2. & 12,28. Esa. 8, 20. 2.Timoth.3,16. Psal.23, 4.5. & 94,19. Jer.15,16. Rom. 15,4. Eph.6,17.

4. ex opposito, verbi nim. neglectione; 1. Sam.3,1. 2.Reg.22,8. Prov.29,18. Vide D. Gerhard. schol. piet. lib.2. cap.1. fol.13. & seqq.

Verbum ut tractandū.

XIIX. Ut autem pietati consulatur, instituatur lectio & auscultatio verbi ita, ut fiat

1. assiduè & frequenter; Jos. 1,8. Col. 3,16. Ps.1,2. Joh.5,39

2. attentè & diligenter; Matt.24,16. Esa.32,3. Hebr.2,1. Matth. 13,23. Luc.2,52. & 8,15. & 11,28. Rom.12, 11.

3. devotè & ardenter; Luc.11,13. & 24,32. 45. Apoc.3,7. & 5,1.9. Joh.10,3. 1.Cor.2,14. Ps.119,10.12.18.19.27. Sap.9,10.

4. submissè & reverenter; 1.Tim.6,15. Ef.6,2. 1.Thess.2,13. Hagg. 1,12. Deut.32,1. Esa.1,2. Amos 3,8. Jud.3,20.

5. Piè & obedienter: 2.Cor.10,5. Jac.1,22.23. Deut.5,23. Vide ibid. cap.2. fol. 21. & seq.

PARS

PARS III.

Vidimus secundum etiam congressum, restat tertius, qui habet tentationem ἀποστασίας καὶ εἰδωλολατρείας. In hujus descriptione observetur

I. Locus, quòd facta fuerit in monte valdè excelso; nomen montis non adsignatur; ergò scrupulosiùs non inquiratur.

II. Modus, consistens

1. in omnium mundi regnorum ostensione, cum adjuncta eorundem magnificentiâ & gloria. Lucas addit, factum hoc esse ἐν στιγμῇ χρόνου, in momento, in puncto temporis. Quomodo autem diabolus ostenderit Christo regna omnia τῆς οἰκουμένης, orbis, uti est apud eundem Lucam, habitabilis, non una est omnium sententia. Quidam contendunt factum eâ ratione, quæ diaboli est propria, quòd imagines seu φαντασίας regnorum oculis Christi objecerit. Chrysostomus opinatur, diabolum digito monstrâsse, in qua mundi parte potissima regna sint sita, & cujusque potentiam ipsi prædicando vel narrando exposuisse. Alii in rei veritate ita contigisse statuunt. Prior sententia plerosque nostri seculi Theologos habet adplausores, quam accuratissimi etiam judicii Theologis D. Chemnitio & D. Hunnio placere video.

Regna mundi diabolus ostendit Christo.

2. In iniquissima & impudentissima satanæ postulatione. Sic enim ille ad Christum: hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. Hæc est intentio illa diaboli, eò unicè directa, ut per avaritiam ad ἀποστασίαν & idololatriam Christum perducat. Apud Lucam addit Spiritus ille mendax: tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cuicunque volo, do illam. Tu ergò si adoraveris provolutus coram me, erunt tua omnia. Arrogat itaque sibi potestatem omnium regnorum orbis terræ, nec non licentiam conferendi illa pro lubitu. Postulat autem sibi hoc honoris haberi, ut provolutus Dominus ad pedes diaboli ipsum adoret, & pollicetur se omnia ipsi concessurum.

Diabolus arrogat sibi omnia.

* *Propositio* est: age prostratus adora me. *Ratio* ab utili; sic enim fies Dominus & heres omnium regnorum mundi, longè certè faciliùs ac citiùs, quàm si voci cœlitùs auditæ confidas.

3. In constantissima Christi depulsione, quâ crassam istam spiritûs mendacissimi impudentiam validè retundit, & quidem

ὕπαγε; abi.

1. per ἀπόδιωξιν καὶ ἐπίπληξιν, h. e. rejectionem & increpationem blasphemi spiritûs justissimam: ὕπαγε, abi, discede à me satana. (Utimur hac formulâ, quando aliquid propter summam indignitatem animo commotiori aversamur; vel quando rejicimus eos, quos aliquamdiu cùm magna patientia toleravimus.)

Timere, respectu Dei.

2. Per ἀπολογίαν, oppositâ aliâ perspicuâ Scripturæ sententiâ, ex Devt. 6,13: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. In Mose habetur verbum יָרֵא timuit; hoc enim, cùm ad Deum refertur, omnem complectitur reverentiam, quæ cum veneratione & religione Deo exhibetur. Cumque venerationis istius pars sit adoratio, & diabolus adorari se postulavisset: ideo Christus verbum generale mutavit in speciale, verbum nimirùm adorandi. Notetur autem, quòd diabolus non postulet adorari ut Deus, ut æterna & divina essentia; sed vult ut Christus agnoscat, & externâ geniculatione confiteatur, diabolum bona mundi distribuere, & illa se apud ipsum quærere, ab ipso petere & exspectare, ipsique tribuere, quòd illa habeat. Sed & hanc adorationem Christus testatur soli Deo deberi, ut blasphemia sit, si ea ulli alicui creaturæ tribuatur, uti annotavit Dn. D. Chemn. p. 275. Opponit itaque Christus diabolo, adorationem sui postulanti præceptum Dei, de cultu adorationis, soli Deo debito. Dominum Deum tuum (non diabolum, non ullam creaturam, quocunque nomine veniat) timebis, i.e. veneraberis, coles & adorabis, ut h.l. interpretatur Christus, & ei servies, sic scil. ut hunc cultum nulli alii, præterquam soli Deo, exhibeas. Emphasin istius præcepti Filius Dei illustrat, addendo exclusivam Soli, αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, sic enim LXX viralis legit, licèt in textu Hebræo non sit, per Spiritum Sanctum autem h.l. confirmatur: q.d. Ea quæ Dei sunt propria, & quæ ad cultum ejus propriè pertinent, ita Deo sunt tribuenda, ut nulli creaturæ communicentur. Jam verò adoratio solius Dei est propria: Ergò &c.

III. Eventus, veluti totius hujus velitationis conclusio, continens lætam & exoptatam tentationum omnium catastrophen. Nam

1. diabolus omittit illum, in turpem quasi fugam à Christo conjectus. Vires igitur ipsius tentationibus hisce valdè fuisse prostratas exinde rectè colligitur.

2. Angeli accedunt, quod de visibili quadam Angelorum adparitione plerique accipiunt. Matthæus addit particulam ἰμ-

ϕα-

φαντῶ, Ecce! stupendam innuens mutationem, quòd illum, qui hactenus satanæ ludibriis expositus fuerat, jam militia cœlestis verum Dei Filium agnoscat & veneretur.

3. Ministrant enim illi, h. e. servitia ipsi sua deferunt & præstant, de victoria contra satanam obtenta plurimùm ei gratulātes; cibum ac potum subministrantes, & alia externa ipsi ministeria exhibentes. Sed hæc omnia (quod Lucas subnectit) ἄχρι καιροῦ, usque ad tempus; ad tempus innuens recessisse satanam, postmodum subinde per intervalla rediisse, novasque tentationes adversus Christum expediisse, ita ut tota ejus vita esset verè perpetua militia, adversus varias satanæ ludificationes, qui & ad extremum per organa sua in crucem ipsum egit.

Angeli Christo ministrant.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Iterum monemur de diaboli potentia, qui uno oculi ictu, omnia regna mundi in phantasmate monstrat. Sap. 11, 23. Luc. 11, 21. Esa. 27, 1. 1. Pet. 5, 8.

Potentia diaboli.

II. Videmus quoque vicissim maligni spiritûs artificium, quantopere illi gloriam mundi hujus possit exaggerare. Cavendum itaque, ne phantasiis ejus mundique schemate inani decipiamur. Esa. 40, 15. Jac. 4, 14. 1. Joh. 2, 17. Matth. 16, 26.

III. Diabolus falsam mentibus humanis persvasionem instillando, opes frustrà in viis Dei quæri, sed malis diaboli artibus facilè eas posse acquiri, plurimos dementat, proh dolor! Job. 22, 21. Psalm. 73, 3.

IV. Hinc multi proni adorant satanam, quod omnes illi studiosè faciunt, qui artibus pleonecticis, avaritiâ, fraudibus, rapinis, furtis, deceptione, mendaciis, aliisque illicitis modis, opes ac divitias corradere magno conatu adlaborant. Quo sensu avaritia dicitur idololatria, & avari idololatræ. Eph. 5, 5.

Diabolus adoratur.

V. Quisquis cupiditate, avaritiâ & ambitione victus, sepositis Dei promissionibus, contra mandata Dei, exemplo mundi impiis artibus studet, diabolum adorat, Deum negat. Eph. 5, 5.

VI. Diabolus est spiritus mendacissimus, (omnia hæc mihi tradita sunt, Luc. 4, 6.) & superbissimus, divinum sibi deferri honorem postulans. 1. Reg. 21, 22. Sir. 10, 4. Dan. 4, 22.

Diabolus mendax & superbus.

VII. Blasphemæ voces auribus patientibus non sunt audiendæ; sed cum seria indignatione rejiciendæ.

Disputatio cum diabolo vana.

IIX. Cum diabolo blasphemo disputatio non est instituenda,

da, sed simpliciter ille est repellendus, oppositâ brevi & nervosâ aliquâ Scripturæ sententiâ. Jac.4,7.

IX. De subductione diabolica in montem sublimem cavenda vide D. Theodor. p.553.554.555.

X. Diabolus hodieque tentat non paucos ad idololatriam, ἀποςασίαν, & avaritiam. Matt.26,15. Joh.12,6. Act.5,1. & 8,19. 2. Sam. 17,16. Vincenda est hæc tentatio, cœlestium bonorum præ terrenis electione & dilectione Matth. 16,25.

Adoratio soli Deo.

XI. Solus Deus est adorandus; & omnia quæ ad cultum pertinent, ita soli Deo sunt tribuenda, ut nulli creaturæ simul communinicentur. Esa.42,8. Ps.50,15. & 95,6. Esa. 58,6.

XII. Rectè proinde hoc dictum cultui & invocationi sanctorum opponitur. Esa.63,16.

Christus Deus ex adoratione.

XIII. Quia cultus adorationis, soli Deo debitus, Christo defertur; verum illum Deum esse vel inde manifestò patet.

Sola, particulam Christus addit textui.

XIV. Neque Christus, neque LXX Interpretes, neque Lutherus est falsarius, vel depravator Scripturæ, perspicuitatis gratiâ, & proprietatem lingvæ secutus, addens particulam solâ, Rom. 3,24. vel potiùs cum æquipollentibus permutans. Nam & Christus addit particulam μόνῳ, quæ in textu apud Mosen non legitur.

XV. Ad exprimendam enim sententiam, ob majorem δείνωσιν, ἔμφασιν, ἐνέργειαν, nonnunquam verbum aliquod addere licet. D. Finck. cent.2. can.6. D. Theodor. p.557.558.559.

XVI. Non sufficit semel vicisse satanam; perpetuò in acie standum, & ἀδιαλείπτως contra hostem adeò potentem ac impudentem est depugnandum. Job.7,1. Eph.6,13.16. Jac.4,7. 1. Joh.4,4.

XVII. Deus clementer mitigat tentationes, finemque tandem illis suo tempore imponit. 1. Cor.10,13.

Diabolum adorantes.

XIIX. Diabolum adorant,

1. *idolis servientes*;
2. *Deum & verbum ejus abnegantes*;
3. *fœdus Baptismi frangentes*;
4. *diabolo sese mancipantes*;
5. *ambitioni & avaritiæ studentes*.

Deo soli cultus omnis debetur, & adorationis & servitutis.

XIX. Nos soli & unico Deo Trinuno præstare debemus cultum,

1. προσκυνήματος adorationis; rejicit enim Christus adoratione
   1. *Angelorum bonorum*; Jud.13,16. Tob.12,5.6.18. Apoc. 22,9.
   2. *angelorum malorum*;
   3. *idolorum mutorum*: Esa.44,13. Jer.10,3. Sap.13,13. Psal.115,4. 1. Reg. 18,26.

4 *san-*

4. *Sanctorum mortuorum*, quippe quæ
1. *à Deo non mandata*;
2. *in sacris literis non fundata*;
3. *in primitiva Ecclesia inusitata*;
4. *ab antiquitate improbata*;
5. *Scripturæ, fidei, officio Christi adversa*;
6. *ex superstitione & fabulis orta*. D.Chemn.part. 3. Exam.

Invocatio sanctorum.

2. Λατρεύματος, servitutis: Deo autem serviamus
1. *in timore & obedienter*; Pſ.2,11.
2. *non coactè sed libenter*; Pſ.110,3.
3. *solicitè & diligenter*; 2.Tim.2,15. Pſ.123,2. 1.Cor. 10,31.
4. *in sanctitate, justitia & innocenter*; Levit. 11, 44. Luc.1,75. 1.Tim.6,14.
5. *candidè & sapienter*; 2.Cor.11,13. Matth.10,16. Prov.14,35.
6. *modestè & patienter*; 1.Pet.5,5.6. Luc.21,19.
7. *fideliter & constanter*; Matth.24,13.45. Apoc.2,10.

Servire Deo

XX. Malorum angelorum consideratio pietati stabiliendæ inservit plurimùm; in illis enim nobis proponitur,
1. *iræ divinæ adversus peccata exemplum*; epist. Jud. v. 6. 2.Pet.2,4. Rom. 1,21.
2. *securitatis expellendæ remedium*; Eph.6,11.12. Job.1,7. 1.Pet.5,8. Apoc.12,18. Luc.22,31. Luc.11, 24. seq.
3. *peccatorum alexipharmacum*; Joh.8,41.44. 1.Joh.3,8. Apoc.21,8. Vide D. Gerh. lib.1. fol.165. schol. piet.

Angelorum malorum consideratio quid prosit.

XXI. Angeli boni sunt Spiritûs administratorii, & tentatis adsunt. Hebr.1,14. Luc.22,43.

XXII. Ministrant enim piis, (1) in vitæ hujus ingressu; (2) in vitæ progressu; (3) in vitæ egressu; (4) in vitæ futuræ ingressu. Vide D. Theodor. p.560. 561.

Angelorum ministerium.

DISPOSITIO SECUNDA.

Propositio διμερής.

In hodierno Evangelio duo potissimùm tractantur:

I. *De Christi in desertum subductione*;
II. *De triplici ejusdem tentatione*. De singulis διὰ βραχέων.

PARS I.

In primæ partis διεξόδῳ circumstantiarum quarundam enucleatio est necessaria:

I. Temporis notatio: Accidit post solemnem illam, ad Jordanem factam renunciationem, quâ Christus, à Johanne baptizatus, verus Dei Filius ac Messias fuit declaratus. Particula enim Tunc ostendit, cohærere hanc Christi subductionem cum ipsius Baptismo & Patris cœlestis testimonio; de quo vide disp. præced. Tempus autem illud non Christi solùm, sed & Christianorum conditionem insinuat, qui post Baptismum statim diaboli telis sunt expositi. Sir. 2,1. Job. 7,1.2.

Christianorũ conditio

II. Loci denominatio; is dicitur desertum, & duo declarat, tùm quò se receperit à Baptismo Christus; tùm ubi congressus sit cum satana; quæ omnia ad exaggerandam luctam faciunt. Fuit enim remotus ab hominibus, μετὰ τῶν θηρίων, cum feris, omni præsidio humano, rerumque necessariarum adminiculo destitutus; seriò itaque jejunavit, seriò luctatus est. Vide d. l. plura. Inseri h. l. commodè potest explicatio typi, de hirco ἀποπομπαίῳ, ex Levit. 16,20. seq. cui in antitypo respondet Christus, fortis ille ἁμαρτωλοφόρος. Joh. 1,29. 1. Joh. 2,2. Esa. 53,6.

III. Tentatoris descriptio, qui dicitur, ὁ πειράζων, notatione ab effectu; Apoc. 12,9. & διάβολος, iterum ab effectu proprio, qui est, uti suprà dicebamus, impostor & calumniator; infrà vocatur satanas, h. e. adversarius, & Dei & hominum maximè. Loquimur de causa agente primaria; nam ratione causæ efficientis principalis, Spiritu Dei Sancto impulsore, ductore & auctore venit in desertum, Luc. 4,1. & ut vim istam Spiritûs impellentis rectiùs intelligamus, emphaticè dixit Evangelista, ἀνήχθη, quo verbo singularis Spiritûs Sancti motus exprimitur. Ad singularia enim vocati, singulares habent & requirunt motûs, quod in Mose, Elia, Johanne & aliis fuit conspicuum. Notatur simul ductus credentium, qui Spiritûs Sancti instinctu impelluntur & aguntur ad omnia vocationis, fidei cumprimis & pietatis munia; sed non sine maximo suo periculo. Rom. 8,14.

Ductus fidelium.

IV. Finis adsignatio; abducitur Christus in desertum πειρασθῆναι, ut tentaretur. Fuerunt quidem fines adhuc alii intermedii; venerat enim in desertum etiam, ut se orando exerceret; & jejunando pararet ad docendum seque exemplum nobis sisteret; sed h. l. [illegible] ut de fine ultimo & primario, propter quem omnia; ut tentare-

retur, h.e. tentatus declararet satanæ, quid possit. Voluit itaque statim post Baptismum & inaugurationem suam congredi cum hoste, cujus caput erat contriturus; ut ex hisce veluti velitationibus ac documentis primis, de progressu & spe victoriæ posset fieri judicium.

V. *Misera Christi conditio.* Non enim Angelis tantùm inferior; Hebr.2,9. Psal.8,5. sed, Deo connivente, planè in satanæ potestatem devenit; strenuè præterea esurire cogitur; 40 enim diebus & noctibus jejunat, nihil cibi capiens, quod est apud Lucam c.4,2. Jejunavit autem, non ut exemplum nobis proponeret; ἀμίμητον enim hoc jejunium; stultum verò est adfectare id, quod ferre non possis, ad quod vocatus non sis; impium verò simulanter & hypocriticè id, ut histrio quispiam ex trivio imitari, ait Aret. in Matth. p. 69. sed quia ad officia graviora vocati, & oratione & jejunio se præparare debent: veras jejunii causas paulò post subjiciemus.

Christi miseria.

USUS I. Informatorius.

I. Videmus, quibus potissimùm hominibus satanas sit infensissimus.

Diabolus quibus infensus.

1. Ipsi Christo, semini mulieris benedicto. Gen.3,15. Apoc. 12,13.
2. Verbi ministris sedulis. Matth.10,22. Johan.15,18. seq. 1. Cor.4,9. seq.
3. Omnibus Christi fidelibus. Sir.2,1. Job.7,1. 2.Cor.7,5.

II. Verè sunt spiritus non boni tantùm, sed & mali, quamvis hoc ipsum Epicuræi & Sadducæi tàm professione, quàm impiâ vitæ conversatione turpiter negent. Vide Dn. Monr. in thes. p.248. & D. Bald. in C.C. p.569.

Spiritus sunt.

III. De jejunio hoc loco, tanquam in propria sede dissseri potest. Legatur verò de hac materia præ cæteris Dn. D. Chemn. part.4. Exam. pag.147. & seqq. usque ad 253. D. Pelarg. quæst. in Matth. fol.56.57. D. Eckhard. in pand. part.2. p.463. & seq. Tungerl. part.2. promt. Evang. p.499. & seqq.

Jejunium.

II. Consolatorius.

1. Ducimur in desertum à bono & sancto illo Dei Spiritu: Ergò tentationes nostræ à Deo bono; Ps.68,20. Sir.11,14. qui diabolo limites præscribit. Matth.10,30. Rom.8,28.

2. Christus nostri causâ jejunavit,

Jejunii Christi causæ.

1. in

1. *in transgressionis primævæ satisfactionem & expiationem;*
2. *in doctrinæ confirmationem;* sicut Moses in doctrinæ legalis, Elias in doctrinæ Propheticæ: Ita Christus in doctrinæ Evangelicæ confirmationem, 40 diebus & noctibus jejunavit. Exod.24,18. & 34,28. 1.Reg.19.8.
3. *In nostri institutionem,* ut veram nos doceret piè jejunandi rationem, quæ consistit

Jejunium verum.

1. *in peccatorum abstinentia;* Rom.13,13. 1.Pet.2,11. Galat.5,17.
2. *in victûs temperantia;* Luc.21,34.
3. *in crucis tolerantia;* Matth.9,15.16:
4. *in precum vigilantia;* Matth.7,7.
5. *in seria pœnitentia* Joël.2,12. Vide Monr. p.249,250.

III Monitorius.

Officium Christi.

Monemur, 1. de Christi officio, qui venit in mundum, ut opera diaboli destrueret: 1 Joh.3,8. cum enim in finem voluit hoc statim opus adgredi, & hostem istum in sese admittere, ut cum

1. in propria sua persona vinceret & pudefaceret.
2. Voluit has tentationes sustinere, ut posset compati & succurrere nostris infirmitatibus. Heb.2,18. & 4,15.
3. Voluit nobis monstrare armaturam adversus diabolum ejusque tentationes: neque enim capiti, nec membris parcit. Luc. 22,31.

Arma Christianorum.

1. Requiritur fides in Christum, ut is in nobis militet, & nos simus per ipsum fortes Eph. 6,10.
2. Reperiamur in nostra functione, facientes τὰ ἴδια. 1.Thess. 4,11.
3. Simus etiam sobrii: 1.Pet.5,8. quò pertinet id, quòd Christus jejunavit, jejunio quidem miraculoso & nobis inimitabili, ut non oportuerit hinc præceptum cudere jejunii quadragesimalis, de quo verum est illud Poëtæ:

Jejuniũ Papisticum.

Vise monasterium, si vis cognoscere luxum:

nihil enim habet Papisticum jejunium commune cum Christi jejunio ἰλαστικῷ

4. Armemus nos piis precibus, commendantes nos patrocinio Dei adversus astutias satanæ.
5. Amemus pios congreßûs, nec facilè nos tradamus vitæ solitariæ.
6. Instructi simus verbo Dei, cujus vim diabolus potissimùm reformidat. Eph.6,17. Psal.119,9. Tob.4,6.

2. Dan-

2. Dandam esse operam, ut contra hostem tàm potentem cognitis ejus insidiis feliciter depugnemus. Vide Monrad p. 242. 243. 244.

3. De temperantia & sobrietate, quam commendatiorem nobis efficiat, Temperantia.

1. Dei præcipientis majestas: Pro.23,19. Sir.18,32. & 31, 12. 19, 20. & 37,32. Luc.21,34. Rom.13,13. Eph.5,18. 1.Thess. 5, 6. 1.Pet. 1,13. & 4,8. & 5,8.

2. Temperantiæ necessitas: Luc.21,34.35.36. 1.Pet.4,8.

3. Ejusdem utilitas: Sir.31,23.32.34.36.& 37,34.

4. intemperantiæ & ebrietatis deformitas. Psal.107,27. Esa.19,14. & 28,7. Jer.23,9. Job.17,25. Eph.4,18. Hab. 3, 16. Sap. 14, 23. 1. Pet. 4, 2.3. Esa. 56, 12. Sap. 2, 6. 7. 1. Corint. 15, 33. Sir. 26, 11.

5. Ebrietatis noxa & damnositas; quæ sentitur in bonis tùm fortunæ; Pro. 21,17. & 23,19. Sir. 18,32.33. & 19, 1. tûm corporis; Pro. 23, 27.28. Sir. 31, 22. 24.& 37,33.34. tùm animæ; Luc. 21, 34. Eph. 5, 18. Sir. 31,40. Ose. 4,11. Pro. 20,1. Esaiæ 5, 11. 12. & 28, 7.8.

6. Piorum conditio ac proprietas: Luc. 12,45, 46. & 16,8. Rom. 13,12. 1.Thess. 5,5,6.7.8.

7. Adventus Christi celeritas: Luc.21,35. 1.Thess.5,2.3.4.

8. Pœnæ gravitas; punitur vitium intemperantiæ paupertate, sterilitate; Joel. 1, 4. 5. captivitate; Amos. 6, 6. 7. lapidatione; Deut. 21, 18. 19. 20. 21. excommunicatione; 1. Corint. 5, 11. æterna damnatione. Esaiæ 5, 11. 22. 1.Corint. 6, 10. Gal. 5, 19. Vide plura apud D. Gerh. in schol. piet. lib. 4. fol. 401. & seqq.

4. De modo cavendi vel evitandi intemperantiam, luxum & ebrietatem: faciunt ad hanc rem plurimùm

1. verbi divini meditatio;

2. occasionum devitatio; Esa. 5, 11. Sap. 2, 6. 1. Cor. 15, 33.

3. pravæ concupiscentiæ mortificatio; Pro. 23, 29. Sir. 18, 33.

4. seria oratio. Ibid. cap. 28. fol. 418. seqq.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui 1. jejunium suum quadragesimale exemplo Christi jejunantis superstruere magno conatu totisque viribus allaborant. Tonsor noster pag. 262. ita illud definit: Das rechte Kirchenfasten stehet in dem/ das der Christ des Tags nur ein- Papismus de jejunio quadragesimali.

mal esse/ vnd sich vom Fleisch/ auch von Eyern/Käse/ Butter/Milch/ Schmaltz/(es were dann irgend Kirchen Erlaubnis da) zu Kestigung des Leibs/vnd Zaumung vnsers muhtwilligen Fleisches enthalte. Vides jejunium definiri non abstinentiâ à cibo, sed electione & immutatione cibi. Quæritur jam, an tale jejunium ex facto & exemplo Christi possit probari? Negatur: quia destituitur

1. divino mandato, promisso & exemplo:
2. Apostolorum doctrinâ & suffragio.
3. Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ exemplo:
4. sano rationis sanæ judicio, uti ostendit D. Theodoric. p. 533. 534. 535.

Christi jejunium quod spectat, est illud singulare & miraculosum, ideoque ἀμίμητον, inimitabile. Ejusmodi facta Christi nostrum, sine speciali & expresso mandato, non est imitari, sed admirari. Deinde Christus nihil quicquam edit: Papistæ autem tantùm ciborum habent delectum. Vescuntur enim piscibus, quasi non sint caro. Levit. 11, 19. 1. Corint. 15, 38. Illorum itaque jejunium est

Jejunium Papisticum.

1. *ridiculum*; dum nomine jejunii omnis generis delitiis se farciunt:
2. *hypocriticum*, corpore à carnibus abstinent, animâ carnalia sapiunt:
3. *pharisaicum*, propriam gloriam quærens:
4. *superstitiosum*, sub opinione meriti & satisfactionis susceptum:
5. *frivolum*, ac frustraneum; Matth. 15, 9.
6. *libertati Christianæ contrarium*; Matth. 15, 11. Rom. 14, 17. Gal. 5, 1. Col. 2, 16.
7. *primitivæ Ecclesiæ incognitum*; doctrina dæmoniorum. 1. Timoth. 4, 1. Tit. 1, 15. Vide in hanc sententiam plura apud D. Pelarg. in quæst. super Matth. fol. 57. 58. & apud Dn. Meelführ. in Vindic. Evang. à thes. 1. usque ad 50.

Papistæ Christum faciunt Eremitam.

2. Ex Christo faciunt Eremitam, hunc in modum Scherero nostro intonso scriptitante, fol. 234. Als Christus wolte aufftreten vnd sein Evangelium der Welt verkündigen/ gieng er zuvor in die Wüsten/ vnd wurde ein Eremit vnd Einwohner der wilden Einöde/ vnd fastet 40 Tag vnd 40 Nacht. Postmodum invehitur in Lutherum, qui ex Eremita & Augustiniano Monacho politicus factus sit, Evangelium suum exorsus non jejunio & fame,

me, sed pleno ventre & jejunii omnis, quadragesimalis præsertim abrogatione.

Verùm gratis hæc dicuntur omnia, & præter inanem ἀδολεσχίαν sive petitionem principii, mendacia & calumnias nihil habent. Christum Eremitam fuisse nec ex hoc loco, nec aliunde probabit Jesucida. Tantillum tempus non facit Eremitam: cum populo frequenter conversatus est Salvator; Matth. 11, 19. vitio ipsi vertitur. In eremum venit singulari Spiritûs Sancti motu & ductu: ita Eremitæ essent auditores Christi omnes, quos in deserto miraculosè pavit, Marc. 8. & Joh. 6. Differunt exempla finibus &c. Lutherus egressus è Cœnobio secutus est vocem divinam, quâ jubemur exire de Babylone. Apocal. 18, 4. Vide Dn. Meelf. th. 50. 51. 52.

PARS II.

Sequitur triplex tentationis Christi consideratio. De ordine apud Matthæum & Lucam nullam cuiquam movebimus litem: Non enim est contradictio in Scripturis sanctis, quando à diversis auctoribus res aliqua narratur eodem ordine (tempore & numero) non observato, uti ait D. Finck. cent. 1. can. 41. Tentationes verò modo visibili & externo, non invisibili tantùm & interno factas esse, ipsa textûs evidentia, & Evangelistarum harmonia luculenter satis demonstrat.

I. *Prima tentatio est pusillanimitatis & diffidentiæ*; ubi

1. *Objectio* diaboli erat: tu non es dilectus Filius Dei.

2. *Ratio* 1. ab effectu, quia esuris, panem non habes, quo famem pellas.

2. A Dei proprio negato; quia non potes lapides in panes transmutare. Concludit ita:

Quicunque fame caret, ex lapidibus quoque, si opus sit, panes sibi, h. e. ad suum usum, conficere potest, is verè Deus est & verus Dei Filius:

Tu fame non cares, nec potes ex lapidibus panes conficere:

Ergò Deus non es, nec Dei Filius. Vide ergò cui credas, cùm proprietates Dei in te non habeas.

3. *Christi solutio* fit

1. ἀρνητικῶς, negatione;

2. διακριτικῶς, distinctione; non facultas, sed voluntas deerat.

3. ἀντιπαραθετικῶς, fortioris argumenti contrapositione, à testimonio divino, Deut. 8, 3. Nihil ergò opus ex pusillanimitate Deo diffidere: quia non in solo pane vivit homo, sed

in quovis verbo, quod egreditur ex ore Dei, h. e. interprete D. Calixto pag. 110. quavis aliâ re, quam Deus pro immensa sua potentia & libertima voluntate ordinat & constituit, ut per eam vita hominis sustentetur.

Hæc prima tentatio, qua & fidem impugnat, & dubitatione, ut protoplastos, Christum tentat; (hic enim primus est ad lapsum gradus;) & studiosè occasiones tentandi ac seducendi captat; & υἱοθεσίαν suspectam reddere conatur. Christus ex adverso monstrat, & satanæ conatibus masculè esse obviandum; & fidem in Deum studiosè conservandam, quam autem nihil opus est, satanâ ejusque vicario Papâ postulante, miraculis contestari; & Scripturam verbumque Dei optimum esse contra tentationes satanæ scutum:

Qui pugnat Verbi numine, victor erit.

II. Secunda tentatio est temeritatis & confidentiæ, quâ aliud præscribit satanas Deitatis demonstrandæ argumentum, si nim. inoffenso pede præcipitet sese ex alto; & huc accommodat scripturam, sed truncatam & mutilatam. Locus tentationis est urbs sancta, templum sanctum, in specie pinnaculum templi, de quo vide quæ dispos. primâ monuimus. Attende autem, in istis etiam locis diabolum tentare & sua agere, ubi nihil quidquam ipsi vel negotii, vel juris; circumit enim non semper in forma leonis, 1. Pet. 5,8. sed quandoque etiam in angelum lucis sese transformat. 2. Cor. 11,14. Der Teuffel gehet auch in die Kirchen/betet aber nicht. Obiervetur autem h. l.

Diabolus in lucis Angelum.

1. *diaboli objectio*: demitte te deorsum; de pinnaculo scil. templi.

2. *Ratio*, argumentum persvasionis depromens à promissione divina; ex Psal. 91,11. in cujus tamen allegatione satan expresso Dei verbo manifestam vim facit, tùm verum illius sensum depravando; tùm omittendo & mutilatè citando. Ita quem præcipitare ipse nec audet, nec potest; huic molli oratione & lenociniis verborum præcipitium extra vocationem svadere & persvadere molitur. Quia enim primâ tentatione confidentiam in Deum suam jam declarârat; ideò in vanam eum confidentiam & temeritatem adducere præsumit. Sequitur autem.

3. *Christi responsio* constans alterius Scripturæ loci ἀντιθέσει, quâ mutilatè allegatum & detorsum verbum alio dicto clariore explicat. Deut. 6,16. Non tentabis Dominum Deum tuum.

Hæc

Hæc secunda tentatio cardinalis, quæ ostendit, & Scripturæ peritum satanam, & illam adducendo sese transformare in Angelum lucis; & abusum Scripturæ esse, cùm illa præter mentem & intentionem Dei vel accommodatur, vel diabolicè truncatur; & altercationibus non necessariis ansam esse præcidendam, quæ vel sola causa est, quòd Christus locum Psalmi à tentatore adlatum non curiosè voluit excutere, quomodo sc. ad se non spectet in specie, sed de piis loquatur in genere; item quid satan omittat, aut quomodo præsenti suo consilio malè accommodet.

Scripturæ abusus.

III. Tertia tentatio est cupiditatis, profanitatis, idololatriæ & potentiæ, quâ satanas ad novas artes confugit, quia Scripturis nihil effecit; proponendo splendidas promissiones, & ostentationem potentiæ suæ, divitiarumque gloriam: illas tanquam proprias sibi vendicat, pollicetur etiam, si adoretur & colatur. Considetatione verò dignum,

1. impudens satanæ postulatum; prostratus in terram adora me, h. e. divinos mihi exhibe honores, agnosce me tanquam Deum; confide mihi tanquam bono & potenti benefactori.

2. Argumentum suasionis à spe futuri commodi; faciam te Dominum ac Regem potentissimum, omnium mundi habitabilis regnorum, unde faciliùs locupletari, ad opes, dignitates & honores summos evehi poteris, quàm habitum sacerdotalem induendo & prædicando:

Pontificat Moses cum sacco per civitatem

Hæc aguntur in monte admodum excelso, quò Christum satanas adduxerat, ut locum ostentationi idoneum: sublimia promittit, in sublime ergò ducit: metuant in excelso positi, ne in ruinam trahantur; *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*. Multa autem hic mentitur satanas; quædam etiam malitiosè suadet, omnia verò frustrà conatur.

3. Christi responsum geminum, directum tùm ad personam tentatoris, tùm ad rem ipsam. Respondet enim

1. durâ increpatione ac depulsione, quæ simplicem conjunctam habet inficiationem; ὕπαγε abi satana, facesse cum impudente tua postulatione, improbe & maledicte spiritus! indigna auribus meis profers; abi quò dignus es.

2. Verbi divini productione, ex Deut. 6, 16. quo cultus adorationis soli Deo defertur, hoc sensu:

Adorari, quod impudenter petis, est solius Dei; coli autem pro Deo, aut Dei loco poni nulla debet creatura:

Tu satan non es Deus:

Ergò non debeo te adorare; nec coli debes pro Deo, aut Dei loco poni, quippe creatura, gehennæ incendio in æternum adjudicata. Ita qui hactenus satanæ injurias magno animo tulerat, injuriam Deo factam non ferendam, & ne ad auditum quidem admittendam ratus, tentatorem abegit. Atque ita spiritus impudentissimus re infectâ à Christo discedere cogitur; Angelis ex adverso succedentibus,& Creatori suo debita servitia præstantibus. Hæc tertia illa tentatio, quâ ostenditur, & plenam Christo victori in hac palæstra cessisse victoriam; & vinci adhucdum posse à nobis satanam constantiâ; & post primam victoriam non oportere nos esse desides, discessit enim quidem à Christo satanas,sed ad tempus, uti Lucas habet; & tristia lætis commutari, h. e. satanâ fugato, succedunt Angeli, non ociosi, sed ministerium facientes illis,quos sciunt sibi aliquando adsociari & futuros ἰσαγγέλους,&heredes salutis æternæ. Hebr.1,14. Matth.22,30.

USUS I. Informatorius.

Diabolus hodieq; eodem modo tentat homines.

I. Videmus eâdem planè μεθοδείᾳ hodieque satanam tentare homines; tùm inediâ & rerum omnium penuriâ; tùm superbiâ vanæque gloriæ adpetentiâ; tùm denique insatiabili avaritiâ. Sed notetur, ab ipso Christo monstrata, ars vicendi ejusmodi, immò omnes satanæ tentationes. Abigitur enim spiritus ille malignus

Diabolus depellitur.

1. *per vitam sanctam & sobriam*; Matt.17,21. Luc.21,34.
2. *per sacram Scripturam*: Eph.6,17.
3. *per precum armaturam*: Eph.6,18. Jac. 4,7.
4. *per patientiam & vigilantiam*: 1.Pet. 5,8.9.
5. *per contemtum & despicientiam.*

Tentatio.

II. De tentatione, quæ in genere definitur conatus explorandi rem sibi vel aliis incognitam, tendens ad laudem vel perniciem. Est autem vocabulum μέσον, sumiturque tàm in bonam, quàm in malam partem; unde tentatio alia est deceptionis, alia probationis. Tentant enim quinque potissimum; (1) Deus, ut bonum occultum vel sibi, vel aliis patefaciat: (2) homo Deum, ut de eo experimentum adsumat: (3) caro hominem, ut judicium rationis pervertat, aut impediat: (4) mundus eundem, ut ad peccandum adfectum ejus alliciat: (5) diabolus, ut hominem ad peccandum pertrahat persvadendo, blandiendo, trahendo. Vide D. Pelarg. in Matth. f. 5;. 54.

Quintuplex.

III. Ten-

III. Tentari voluit Christus

1. in veræ humanitatis argumentum:

2. in pœnæ, defectioni protoplastorum debitæ, expiamentum:

3. ad confundendum & evertendum diaboli molimentum:

4. in praxeos Theologicæ experimentum: Esa.28,19. Sir.34,9.

5. in salutare regeneratorum documentum, ut ipsos erudiret, & de tentationis in hac vita assiduitate; & de armorum, quibus vincenda tentatio, qualitate:

6. in tentatorum solatium & adjumentum. Heb.2,18.& 4,15. Vide in hanc sententiam plura apud D. Pelarg. fol.55.56.

Tentari Christus cur voluerit

IV. Commendatæ in specie nobis esse debent insignes illæ Scripturæ sententiæ, quæ ex Deut.6&8. hic allegantur; nimirum

1. non solo pane vivet homo; & opponenda est hæc sententia solicitudini victûs, ne abjiciatur spes providentiæ divinæ, in defectu rerum necessariarum, multò minùs aliquid suscipiatur, quod sit Deo, conscientiæ & pietati contrarium, veluti faciunt, qui per illicita media sibi volunt de victu prospicere.

2. Non tentabis Dominum Deum tuum, h.e. ne te objectes periculis, sine necessitate & vocatione; nec abutaris divinis promissionibus ad suscipiendum res novas, & non necessarias; sed contine te intra metas vocationis; ne tentâsse Deum dicaris. Tentare enim Deum h.l. est, aliquid sine mandato Dei, aut etiam contra mandatum Dei agere ac conari; aut alioqui mediis ac remediis desertis ordinariis, ad aliqua nova atque absurda confugere. Patet etiam latiùs hoc tentationis peccatum: nam Israëlitæ in deserto dicuntur tentâsse Deum,

Tentare Deum quid.

1. murmurando & contra Deum insurgendo per impatientiam.

2. Dubitando & experimentum poscendo, an Deus esset cum ipsis, & an posset dare carnes, aquam & similia.

3. Corda sua obturando, & vili pendendo præsentia Dei opera ac beneficia; & qui similes fuerunt modi, quibus Deum toties exacerbaverunt. Psal.78,40.41. & 95,9.

4. Petrus vocat tentationem Dei, quòd Apostoli falsi facerent *mixturam Legis & Evangelii*, & q. Christus ad salutem non sufficeret, adigere volebant homines, & Ethnicos maximè ad Christum conversos, ad observationem Legis Mosaicæ. Act.15,1.10. Erat enim hoc nihil aliud, quàm cum Deo contendere & Filio ejus de sapientia, q. qui vellent rectius & perfectius aliquid in religione instituere, quàm Christus ipse instituerat.

5. Matth.

5. *Matth. 16, 1. Pharisæi tentant Christum*, signum petentes de cœlo. Hoc verò & ipsum peccatum est, præscribere Deo, & non contentum esse iis gratiæ signis, quæ Deus adfert.

3. *Adorabis Dominum Deum tuum, & ei soli servies*: quæ sententia damnat omnem idololatriam cultumque alienum; ut & defectionem à Deo propter opes atque mundanam gloriam, quarum rerum amor & cupiditas peperit Papatum multosque hodiè à vera religione ad colendum Antichristum avocat.

II. Consolatorius.

Victoria Christi nostra.

1. Quòd victoria Christi sit nostra; quia totus Christus totius salutis nostræ auctor est. Heb. 12, 2. Vide Monr. thes. p. 236.

2. Quòd viis vocationis insistentes Angelorum custodiâ ministerioque fruantur, & satanæ incursiones feliciter elidere queant. Eph. 6, 11. Vide Monr. p. 252.

3. Quòd tandem devictis hostibus omnibus Angeli sancti inservient nobis, deducendo animas in regnum Dei, & colligendo exuvias coram Deo, ubi non erit jejunium, nec ulla inimici tentatio. Matt. 13, 49. Luc. 16, 22. Psal. 34. 8. 21. Ibid. p. 253.

III. Monitorius.

Diaboli malitia.

I. De summa diaboli malitia tantò circumspectiùs cavenda. Est enim spiritus

1. *potentissimus*; Job. 41, 17. Luc. 11, 21.
2. *astutissimus*; 2. Cor. 11, 14. Gen. 3, 1. Sir. 21, 2.
3. *mendacissimus*; 1. Reg. 22, 22. Joh. 8, 44.
4. *impudentissimus*. Luc. 11, 25.

II. Ut in principio tentationum hostem subigamus, antequam mentis nostræ arcem occupet. Jac. 4, 7. Monrad. p. 235.

Fiducia in Deum filialis.

III. De filiali in Deum fiducia collocanda, quam svadeat

1. *divinum mandatum*; Pro. 3, 5. 6. Esa. 26, 4. & 50, 10. Sir. 2, 7. & 11, 21. & 32, 27. Heb. 10, 35.
2. *divinum beneplacitum*:
3. *divinum promissum*: Psal. 2, 12. & 34, 9. & 84, 13. Pro. 16, 20. & 28, 25. Jer. 17, 7. 8. Sir. 32, 28. Heb. 10, 35.
4. *comminationis divinæ incommodum*: Esa. 31, 1. Jer. 17, 5. 6. Ose. 10, 14. Soph. 3, 1. Sir. 2, 14. 15. 16.
5. *divinæ benedictionis commodum*; præstat enim
   1. *Dei gratiam*; Psal. 57, 2. & 141, 8. Nah. 1, 7.

2. di-

2. *divinam custodiam*; Psal.18,30. 2. Par.20,20. Psal. 16,1. & 57,2. & 61,4.5. Prov.18,10. Matth.7,24.25.
3. *animi confidentiam ac lætitiam*; 2.Par.13,18. Psal.5,12. & 91, 1.2.4. Sir.34, 27.19.20
4. *auxilij abundantiam*; Psal.17,7.& 31,20.&33,19.& 37,39.40 Judith.6,15. & 13,17. Sir.2,6.
5. *liberationis copiam*; Psal.31,2. & 71,1. & 34,23. Sap.16,24.
6. *exauditionis clementiam*; Marc.11,24. 1.Joh.5,14.
7. *æternam gloriam*; Heb.3,6. Apoc.21,8.

6. *Bonitatis, potestatis fidelitatis, veritatis ac præsentiæ divinæ attributum*: vide D.Gerh. in Schol. piet. lib. 3. cap.9.fol.140. & seq.
7. *Dei beneficium*; ibid. Fol.142.b.
8. *Nominis divini encomium*; ib. fol.143. a.
9. *piorum multorum exemplum*; ib. fol.143. b.144.
10. *fiduciæ istius præmium*; fol.145.
11. *diffidentiæ supplicium*; fol.146.

IV. Refutatorius.

Papismus de transsubstantiatione.

Pontificiorum I. ex eo, quòd diabolus dicit Christo, dic ut lapides isti fiant panes, mirabili & ridiculâ planè consequentiâ suam stabilire transsubstantiationem præsumentium. Adprobat calculo suo ineptias istas Tonsor ille Jesuiticus, p.238. hunc in modum garriens: Dieser Versucher hat dennoch so viel geglaubt/ im Fall Christus Gottes Sohn were/daß er köndte Steine in Brot verwandeln: Aber unsere Lutheraner und Calvinisten kan man darzu nicht bringen (daß sie mit der gantzen Orthodoxischen und Catholischen Kirchen glaubten/ die Transsubstantiation und wesentliche Verwandlung Brots und Weins in den zarten Fronleichnam und kostbarliches Blut unsers HERRN Jesu Christi im hochwürdigen Sacrament des Altars/da stutzen sie/ da stehen sie an/ das düncket ihnen eine unmügliche Sache seyn/das können sie in ihren schwermerischen Kopff nicht bringen. Bona verba quæso! mi Domine intonse Tonsor. Non quæritur inter vos, an possit Christus panem in carnem suam mutare; sed an velit, h.e. an secundum institutionem Christi panis benedictus, per verba consecratoria, ministeriô sacrificuli, in ipsum corpus Christi, sub ipsius panis accidẽtibus sensibilibus invisibiliter latitans, debeat commutari? Ubi Logici nostri respondent: à posse ad esse & fieri non valet consequentia. Negativam certè expreßè

statuit Scriptura, cui plus fidei tribuendum, quàm mendacibus ac fallacibus Jesuitis omnibus. 1. Cor. 10.

Papistæ Scripturam vocant diabolicam

2. Ab unica fidei Christianæ anchora, Scripturæ nim. sacræ præsidio nos deturbare satagentium. Tanto certè γεννήματα ἰστα ἐχιδνῶν Jesuitica flagrant erga Scripturam θεόπνευστον odio, 2. Tim. 3,15. ut diabolicam illam tandem salutare haut erubescant. Ita enim blasphemat Sheferus Jesucida pag. 244. Es ist kein Ketzer jemals auffgestanden / der nicht mit dem teufflischen scriptum est, es stehet geschrieben / ihm eine besondere Kirchen und Versamlung angerichtet hette. Increpet te Dominus satan, cum blasphema Suitarum secta! Fustigatione digna esset hæc Jesucidæ pessimi blasphemia; refutatione nullâ opus habet: commemorâsse eam est refutâsse. Eò impudentiæ tandem delabuntur impii homines, ut divinum quod est & ab ipso Deo immediatâ inspiratione profectum, diabolicum dicere non vereantur. Vindicet istam in μισογράφοις hisce injuriam is, qui Deus ultionum audit! Ps. 94, 1.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Ars depugnandi cõtra satanã.

MIlitia vita hominis, Job. 7, 1. Agite ergò, charissimi, discamus ex hodierno Evangelio *artem, contra hostem animarum nostrarum infensissimum satanam, benè, sapienter ac feliciter pugnandi*; ut si masculè ad finem usq; vitæ pugnaverimus, tandem βραβεῖον illud, athletis Christianis propositum, ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον, 1. Pet. 5, 4. reportemus.

Ἐξήγησις.

Legitimè proinde ac feliciter adversus communem generis humani hostem deprædicari volentibus, tria potissimùm sunt necessaria, quæ ad artem, de qua agimus, requiruntur.

Vocationis necessitas.

I. *Ordinaria & legitima vocatio.* Christus certè, non nisi à Spiritu S. ductus vel vocatus, in arenam cum diabolo descendere ausus est. Haut aliter non nisi vocati cum satana manûs conserere Christiani præsumunt. Vocantur autem illi ad prælium isthoc spirituale in ipso statim Baptismo, quando diabolo & omnibus ejus organis ac operibus abrenunciant: animanturque ad sacrum hoc bellum per sedulam verbi auscultationem, & frequentem S. S. Cœnæ usurpationem. 1. Pet 3, 21. Sir. 2, 1. Ergò

quâ positus fueris in statione mane.

Chry-

Chrysost. homil. 13. in Matth. fol. m. 28. Non ultrò dicit Christum isse in eremum, sed à sancto Spiritu ductum, juxta dispensationis profectò rationem, ut nos videlicet apertissimè signatum esse videamus; quia non spontè nos ipsos in tentationes oporteat insilire; sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare.

II. Justa & recta praeparatio: Armis opus est, si contra hostem ire & pugnare velis. Ipse Christus non inermis, sed armis instructus in hostem movet & procedit. Quae verò illa?

Arma Christianorum contra satanam.

1. Christus post Baptismum à Johanne susceptum progressus est in hostem: Baptismus autem est ablutio sordium peccati; 1. Petr. 3,21. Emundatione ergò à peccatis vel maximè opus est, adversus diabolum feliciter dimicaturis. Esa. 1,16. Ps. 51,4. Sir. 38,10. Act. 15,9 Hebr. 9,22. Jac. 4,8.

2. Christus oravit haut dubiè in deserto: idem nobis faciendum meminerimus in hac lucta. Matth. 17,21. Luc. 21,34.

3. Christus jejunavit; nos similiter faciemus. Non praecipitur hoc loco jejunium

Jejunium quale Christianis praeceptum

1. Leviticum; quia vetera transierunt: 2. Cor. 5,17. Col. 2, 20. seq.

2. Non Pharisaico hypocriticum, cum quo ex asse convenit Papisticum. Esa. 58,4.

3. Non miraculosum, quale Mosis Exod. 34, 28. Eliae 1. Reg. 19, 8. Christi hoc loco: κακοζηλία hîc nulla praecepta. Jejunandum est piis etiam jejunium *(1) necessarium*, e.g. quando in annonae caritate setiae dentium indicuntur: Amos 4,6. *(2) Voluntarium*, ex calamitate aliqua originem trahens, quale illud Jon. 3, 8. *(3) Perpetuum.* Matth. 17,21. Quòd si enim intemperantiae, luxui & crapulae deditus fuerit athleta Christianus; nae istum facilè expugnaverit hostis ille astutissimus: nam quaerit,

invaditq; homines somno vinoq; sepultos.

4. Christus demum pugnat verbo; atque ita hostem in fugam conjicit: gladius anceps (δίστομος) est verbum Dei. Heb. 4,12. Psal. 119,92. & 149,6. Praeparatio itaque Christiani hominis posita est

1. in Baptismi recordatione; Chrysost. d. l. quia enim omnia ad nos erudiendos, & facienda sibi & patienda susceperat: in eremum quoque se patitur abduci, & cum diabolo inire certamen, ut unusquisque cum fuerit baptizatus, si post Baptisma majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obviaverit; sed permaneat cuncta viriliter sustinendo.

2. *In pia oratione:*

3. *In jejunii observatione:* vide de jejunio schol.piet.D.Gerh. lib. 4. cap. 29. ubi jejunium facit

Jejunium quintuplex

1. *singulare & satisfactorium*; fol.428.b.429.
2. *miraculosum & propheticum*; fol. 431.b.
3. *leviticum*; fol.432.a.
4. *Pharisaicum*; ibid. fac. b.
5. *pium & Christianum*, quod partim spirituale; fol. 434. partim corporale, fol.436. idque vel perpetuum, vel temporarium; vel necessarium; vel liberum; publicum: f. 438. & privatum; estque contritionis, orationis, coërcitionis, f. 442.

4. *In verbi adprehensione.*

Tela satanæ tripliciа.

III. *Telorum satanicorum confractio.* Triplici verò potissimùm telorum genere pugnare solet diabolus.

1. *Telo nutritionis*, objiciendo piis panis quotidiani, rerumque ad victum & amictum necessariarum indigentiam. His lapidibus multos humi prostravit; e.g. Israëlitas in deserto; Exod.17,2. Num. 20,22. & 21,5. Jer. 44,18. Avertendum est hoc telum verbo promissionis sancto, Deut. 8,3. quod requirit

1. *firmam in Dei providentia fiduciam*; Psal.34,11. & 37,25. & 55,23.
2. *patientiam & αὐτάρκειαν*, Prov.30,7. 1.Tim.6,7.

2. *Telo religionis.* Prius illud corpori saltem imminebat: hoc animam quoque μυρεψοτεχνίτης configere tentat. Sternuntur & hoc telo plurimi in Ecclesia Doctores, qui vanæ interdum aucupandæ gloriæ studio, tremenda doctrinæ cœlestis mysteria rationis suæ acumine perscrutari præsumunt. Sternuntur reliquorum quoque ordinum non pauci, qui decepti Scripturæ falsò vel mutilatè allegatæ specie, vocationis suæ limites excedunt, vel transiliunt. Excutiendum est & hoc telum

1. *constanti in viis vocationis statione:* Sir.3,22. 1.Cor.7,20.
2. *Scripturæ oppositione.*

3. *Telo dominationis.* Pollicitis nimirùm spiritus ille mendax est omnium ditissimus, modò ad sui cultum miseros homines alliciat; allectos animâ & corpore trucidat. Periculosum admodum hoc est telum; carni arridens; sed suspectæ sunt, quas artibus illicitis impiisque consequendas promittit opes; immò hamus ille sunt, quo incautos & improvidos capit seculi hujus filios. 1.Tim.6, 18. Rom.14,17. Matth.6,33. Sapientibus satis. 1.Tim.1,19. Matth 7,3 1.Tim.6,11,12. Finaliter notum sit omnibus dictum Chrysostom:

Quan-

Quando vesperi dormire vis aut manè surgere, ut dicas: *Renuncio tibi diabole, & do me tibi Christe:* Oramus cum Ecclesia: *Deus, qui peccatis nostris offenderis, & pœnitentiâ atq; fide in Jesum Christum placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte; per eundem Jesum Christum, Filium tuum dilectum, Dominum nostrum. Amen.*

DOMINICA REMINISCERE
EVANGELIUM

Matth. 15. à vers. 21. ad 29.

21. ET digressus illinc Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis.	21. ΚΑὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος.
22. Et ecce, mulier Chananæa, quæ à finibus illis venerat, clamabat ad illum dicens: Miserere mei Domine, Fili David; filia mea miserè à dæmonio agitatur.	22. Καὶ ἰδοὺ, γυνὴ Χαναναία ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελθοῦσα, ἐκραύγασεν αὐτῷ, λέγουσα· ἐλέησόν με Κύριε, υἱὲ Δαβίδ· ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται.
23. Ille verò non respondit ei quicquam. Et accedentes discipuli ejus rogabant illum, dicentes: Amitte illam; nam clamat post nos.	23. Ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠρώτων αὐτὸν, λέγοντες· ἀπόλυσον αὐτήν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν.
24. At ille respondens dixit: non sum missus, nisi ad oves perditas domûs Israëliticæ.	24. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. (Matth. 10. 6)
25. Illa verò venit & adoravit eum, dicens: Domine, succurre mihi.	25. Ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει αὐτῷ λέγουσα· Κύριε, βοήθει μοι.
26. At ille respondens dixit: Non est honestum, sumere pânem filiorum, & objicere catellis.	26. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. (Marc. 7. 27)
27. Hæc autem respondit: Certè Domine: etenim catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.	27. Ἡ δὲ εἶπε· ναὶ Κύριε· καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.
28. Tunc respondens Jesus dixit illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata fuit filia ejus ex eo tempore.	28. Τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ· ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις· γενηθήτω σοι ὡς θέλεις· καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

Marc. 7. 25

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

MAteria hujus Evangelii versatur in genere causarum Demonstrativo, propter historiam, de filia mulieris Chananææ (Græcam & Syrophœnissam nominat Marcus c.7,26.) miraculosè per Christum à dæmonio liberata. Quanquam partes quædam, mulieris nim. petitio, & Christi recusatio desumantur ex genere Deliberativo. Quemadmodum verò superiori Dominicâ Christum cum diabolo ter congredientem, & tertio demum congressu victorem evadentem intuebamur: Ita hîc eundem Christum cum imbelli femina tertiâ vice dimicantem, & in tertio conflictu manus victas præbentem audiemus. Unde iterum tres emergunt Evangelii partes: de singulis conflictibus, secuti filum textûs Evangelici, ordine videbimus.

PARS I.

Continens primum congressum.

Primo congressu enumerantur à Matthæo quatuor principaliora membra.

I. Τοπογραφία, *loci descriptio*, ostendens

1. terminum à quo discesserit vel egressus fuerit Jesus, quem particula illinc designat; abiit nimirùm ex Judæa, offensus falsâ Pharisæorum doctrinâ, quâ privati sui commodi honorisq; causâ, majorum suorum traditiones verbo Dei præferebant, Christum verò despicatui habebant, & è medio tollere cogitabant; ideò dicit Apostolis suis: omittite illos, Matth.15,14.

2. Terminum ad quem venerit; videlicet in partes illas, ubi Palæstina terminatur, finesq; Syriæ incipiunt: Marcus cap.7,24. dicit μεθόρια confinia, Matthæus μέρη, partes Tyri & Sidonis, quæ duæ urbes erant emporia antiquissima, celeberrima & opulentissima, sita ad mare mediterraneum, in Phœnicia, non procul à Palæstina, sex milliaribus à se invicem distantia: ob mare enim alluens merces undequaq; commodissimè importari & exportari poterant. Esa.23,1. Ezech.26,27.28. Matth.11,22. Luc.10,14. Elias quoq; Propheta quondam huc concesserat in exilium. 1. Reg.17,9. Ita ergò Christus ex Galilæa ac Judæa, h. e. à populo suo abit ad fines gentium. Et ô infelicem civitatem, ô miseram regionem, ex qua Christus cum Evangelio & beneficiis suis emigrat! occasionem emigrationi præbuit, *1. Lostium furor;*

Tyrus & Sidon.

2. multus labor: sui enim recreandi & reficiendi

di & reficiendi causâ domum quandam, teste Marco, c.7,24. ingressus fuerat, neminem suam præsentiam scire volens, idque eum quoque in finem, ut Judæorum calumnias averteret. Sed neque hîc potuit latere, ob nominis sui celebritatem. Quemadmodum enim Sol exoriens, uti D. Chemnitius ait, p.1532. harm. Evang. luce suâ seipsum prodit, ut ne nubes quidem eum omninò occultare queant: ita quocunq; Jesus Christus, Sol justitiæ cum Evangelio suo pervenit, ibi hominibus facilimè innotuit.

II. *Χρονογραφία, temporis denotatio*; contigit nimirùm hæc historia post acre colloquium, cum Scribis & Pharisæis, de Legis corruptelis & humanis traditionibus, habitum. Ibi enim tum illi παῤῥησίᾳ Christi consvetâ incitati, insidias ipsi struebant.

III. *Προσωπογραφία, personæ depictio*, quæ in arenam cum Christo descendere ausa fuit: in cujus descriptione notatu digna videtur,

1. particula *δεικτικὴ*, attentionis character, ecce; quæ verè semper in Scripturis excitat attentionem, & rem eximiam maximèque admirandam monstrat.

2. Sexus, qui per se commiserationem meretur; mulier.

3. Genus; est Chananæa, ex reliquiis maledictarum illarum gentium Chananæarum una, quas Deus delere noluit. Jud.2,3. Marcus nominat (1) Græcam, ἑλληνίδα: ita enim tum temporis omnes gentes dicebantur, quæ alienæ erant à politia Israëlis. Rom.1,16. & 2,10 & 10,12. 1.Cor. 1,22. Galat.3,28. Col.3,11. (2) Syrophœnissam; natione enim non erat ex Græcia, sed ex Phœnicia, quæ est pars Syriæ. Syrophœnicia autem dicitur propria illa Phœniciæ pars, quæ Tyro & Sidoni contermina, conjungitur Syriæ potiori.

Græca. Syrophœnicia.

4. Studium mulieris; egressa est ex finibus istis, ubi καθ' ὑπόνοιαν subintelligendum, quòd partim filiæ suæ miseriâ, partim famâ de Christi miraculis perceptâ, excitata venerit, ipsum quæsitum, & opem illius imploratum. Etsi enim ex gentibus esset oriunda: non tamen penitùs ignara fuit veri Dei Israëlis: sed quia in illo confinio Judæi & Græci mixti habitabant, ex illis addidicerat, quæ esset Judæorum spes de Messia, quem jam advenisse, illustribus quippe miraculis comprobatum, credebat. Vide D. Chemn. p.1536.

IV. *Ἀκροβολισμός* sive *velitatio prima*, quæ complectitur.

1. Illa-

1. Mulieris adflicta orationem, quâ luculentam de Christo confessionem edit; unde non planè ignaram ipsam veræ doctrinæ fuisse liquidò patet. Amplificatur ἐξηγήσει τρόπου, expositione modi, qui indicatur verbo ἐκραύγασεν, clamabat ad illum; h. e. μετὰ δεινότητος cum vehementia quadam & clamore valido causam suam proponebat.

1. Exordium habet πάθος, cordis verè contriti & adflicti indicium.

2. Propositio est: miserere mei; hoc ipso gratuitam Christi misericordiam, cum auxilio præsentissimo conjunctam, anxiè implorans, nullum verò suum meritum vel allegans, vel promittens. Gen. 18,2. Psal. 51,3. Dan. 9,18.

3. Narratio, genus morbi exprimens; verbis: filia mea à dæmonio corporaliter obsessa, κακῶς δαιμονίζεται, malè, miserè agitatur, adfligitur, divexatur, excruciatur. Quæ certè miseria longè acerbior est, quàm ut verbis eam quisquam sufficienter exprimere valeat. Solet enim satanas eorum, quos ita corripit, membris miserabilem in modum abuti. Vide plura apud D. Chemn. p. 1573.

4. Confirmatio, rationes permovendi producens; & quidem

1. à divina potentia; Dominus es; Jehova ille omnipotens, cœli & terræ Conditor: Ergò potes me quoque juvare, opus manuum tuarum, ancillam tuam miseram.

2. Ab officii eminentia; Filius es Davidis, promissus generis humani Salvator; Messias diu multumque speratus & exoptatus, atq; ex prosapia Davidis exspectatus: Ergò teneris officii ratione opem mihi ferre. Θεάνθρωπον itaque Christum confitetur; Deum quando Dominum; hominem quando Davidis filium nominat.

3. A morbi vel crucis vehementia, in persona decumbente conspicua, ea autem est filia, haut dubiè unica.

2. Triplicem precationis sive effectum sive operationem:

1. In Christo est *simplex recusatio*, adjuncto taciturnitatis, tanquam recusationis certissimo signo, significata: Keine Antwort ist zu Hofe auch eine Antwort. Non enim respondit ei quidquam; perinde facit, ac si ipsam nec videret, nec crux ista mulieris quidquam illum vel moveret, vel attineret. Hoc verò in ipso est insolens: talis non fuit Matth. 11,28. Joh. 4,7. Matth. 8,7. Silentium ejusmodi caro responsum interpretatur negativum. Verùm dissimulandi studio hoc facit, eo potissimum fine, ut desiderium fœminæ supplicis orandiq; fervorem tantò magis accendat, patientiam insuper, fidem & constantiam ejus probet, tandemque in manife-

stam

ſtam lucem producat.

2. In diſcipulis oritur, *diligens pro muliere adflictâ interceſſio*; ſive illud ex commiſeratione, ſive ex clamoris impatientia fecerint. Mundani quidem Principes ægrè ferunt, ſi ſæpiùs petendo & ſupplicando interpellentur: Aulæ cœleſtis alia eſt ratio, illius janua ſemper patet; & quò ſæpius illam precibus pulſamus, eò vis iſta Deo gratior eſt, uti Tertull. loquitur. Idem ſibi faciendum rata Cananæa orando inſtanter pergit, usque adeò, ut ad interceſſionem etiam ultroneam diſcipulos permoveret. Hujus verò *(1) Propoſitio* eſt, dimitte eam; Græcè ἀπόλυσον, abſolve illam, h.e. da quod petit, fac voti miſeram compotem; libera filiam ipſius à dæmonio nequam. *(2) Ratio* à moleſto; quia clamat pôſt nos, h.e. clamoribus ſuis ἀδιαλείπτοις (neque enim ceſſat) & Tibi & nobis eſt moleſta.

3. Iterum in Chriſto *dum ad interceſſionem reſponſio*, finem reſpiciens miſſionis vel legationis Chriſti: *Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domûs Iſraëliticæ*: Atqui hæc mulier non eſt ovis Iſraëlitica: Ergo illi non ſum miſſus, nec teneor illi ſuccurrere, vel preces illius exaudire. Pugnare hæc videntur cum pervetuſtis promiſſionibus univerſalibus, Gen. 22, 18. & 26, 14. & 28, 14. & 49, 10. Pſal. 2, 8. Eſa. 49, 6. Hagg. 2, 8. & ſublimiora erant longè, quàm ut vel Apoſtoli tum temporis, vel mulier Chananæa adſequi poſſent. Verùm ſciendum, omnes homines eſſe oves perditas: Eſa. 53, 6. Pſal. 119, 176. atque ita etiam hæc fœmina erat ovis perdita. Et licèt non ovis eſſet Iſraëlitica ſecundum carnem: tamen ſecundum Spiritum vel myſticum ſenſum verè fuit ex Iſraël, quoniam contra Deum fortis. Gen. 32, 28. Rom. 9, 7. Gal. 6, 16. Deinde loquitur Chriſtus non de excluſione, ſed de ordine, inter oves perditas obſervando, de quo ipſe Salvator Marc. 7, 27. *ſine priùs filios ſaturari*: primùm enim Judæi, deinde Græcis miſſus eſt Chriſtus. Tandem diſtingvendum eſt inter officium Chriſti προφητικὸν, καὶ ἱερατικὸν, propheticum & ſacerdotale; illud vocatur διακονία ſive miniſterium verbi, hoc ἀπολύτρωσις, officium redemtionis. Hæc poſterior officii pars eſt univerſalis, & pertinet ex æquo ad omnes homines, Judæos pariter & gentes: Johan. 6, 51. 1. Joh. 2, 2. prior verò pars fuit particularis: Chriſtus enim miniſter fuit circumciſionis: Rom. 15, 8. ideoque intra limites ſuæ miſſionis, vocationis & legationis continere ſeſe voluit: & huc faciunt verba; nō ſum miſſus, ſc. ratione officii prophetici & ἰατρικῦ, niſi ad oves Iſraëliticas, quatenus in propria perſona voluntatem Dei Patris, adeoq; Evangelium revelare, & doctri-

Oves perditæ.

Officium Chriſti.

nam meam miraculis confirmare debeo; hoc enim ad solos spectabat Judæos; Matt.10,5. officium verò sacerdotale & regium est universale. Joh.1,29. & 3,16. Act.13,46.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Christi discessus. I. Discessus Christi ex Judæa fuit typus & præludium quasi quoddam futuræ rejectionis Judæorum. Deut.32,21. Esa.65,1. Ose.1,6 & 2,17. Matth.21,43. Act.13,47.

II. Quando hominum figmenta & traditiones divinis miscentur mysteriis, Christus discedit. Jer. 23, 28. Matth.9,16. Confer Ecclesias Pontificias, Calvinisticas, Anabaptisticas, Photinianas, Weigelianas &c.

III. Christus eos etiam deserit, qui verbo prædicato hostiliter sese opponunt, ejusdemque præcones contemtui habent atque adfligunt. Esa.3,2. Ose.9,12. Amos 8,11. Rom.11,21. Vide D.Chemn. p. 1532.

Fuga in persecutione speciali. IV. In speciali persecutione licet furores hostium secedendo declinare. Luc.4,30. Joh.8,59. & 11,54. Matth.10,23.

Liberorum adflictiones. V. Naturæ generosiores acerbiùs ferunt mala, quæ in liberis conspiciunt, quàm quæ in proprio corpore sustinent, ob στοργὰς illas naturales, quas Deus cordibus eorum insculpsit.

VI. Deus gravissimus suos adversitatibus premens, non venit illos oppressum vel perditum; sed vult in ipsis ἀναζωπυρεῖν & excitare fidem, quæ in corde quandoque securitate q. sopita dormit.

Parentum officium. VII. De officio parentum erga liberos, quibus præter naturalem στοργὴν hanc quoque curam vel maximè debent, ut ex diaboli potestate illi eripiantur, quod fit per Baptismum; Marc.10,14. Col.1,15. & piam educationem. Deut.6,7. Eph.6,4. 1. Timoth.5,8. 2.Sam.2,16. 1.Reg.3,27. Tob.5,23. & 10,1.2.

IIX. Ad gentes etiam micæ gratiæ & beneficiorum Dei pertinent. 1.Pet.2,10. Eph.2,14. Act.10,34.

Usus calamitatum. IX. De usu adflictionum & calamitatum: mala quæ nos hic premunt, ad Christum ire compellunt. Gregor. Ose.6,1. Esa.26,16. Ps.118,17. & 119,71. Rom.5,3. & 8,28. 1. Cor.11,32. 2.Par.33,12. Joh.4,46 2.Par.33,12. Joh.4,46. Luc.14,23. & 15,17. & 23,40.

In cruce ad Christum. X. Adversitatibus corporalibus impliciti non ad diabolum, non ad incantatores, sagas, sanctos demortuos aut eorum statuas,

tuas; neque ad homines solùm, sed ad Christum confugere discamus. Levit.19,31. Deut.18,12. Esa.64,16. Sap.13,1.2. seqq. Psal.25,1. & 27,1. & 121,1. Jer.2,3. Ps.34,6. & 46,2. Esa.45,7.

XI. Quomodo Christum de auxilio solicitare debemus?

Auxilium Christi postulandum.

1. *potentiam ejus agnoscendo*, quòd possit opem ferre: Gen.3,15. Ps. 68,20, & 130,7. 1. Joh. 3,8.
2. *de voluntate ejusdem nihil quidquam dubitando*, multò minùs desperando: Heb. 2,11. & 4,15. Eph.5,30.
3. *nos humiliando*, solamque misericordiam ejus adpellando: Ps. 25,7. & 52,2. Dan.9,18.
4. *necessitatem ipsi nostram proponendo*, nihil tamen quicquam ei præscribendo, Matth. 8,2.

XII. Christus non tantùm quâ Deus, sed & quâ Filius Davidis religiosâ fiduciâ adorandus.

XIII. De precatione nostra ad unicum Deum, verâ fide, absque hæsitatione & intermissione instituenda. Joh.16,23. 2.Cor.1,10. Rom.14,25. Heb.11,6. 1.Joh.5,10. Jac.1,7. Luc.18,1. Matth.7,7. 1.Thessal.5,17.

XIV. Diabolus hodieque miseros homines malè adfligit, tùm generaliter in Ecclesia, politia, œconomia; tùm singulos specialiter, 1.Par.21,2. precibus ergò opus. Chemn. p.1538.

Diabolus homines adfligit.

XV. De diaboli in obsidendis hominibus, permittente Deo, potestate. Luc.11,22. Marc.9,17. Luc.13,16. Act.19,16. Matth.8,16. Luc.8,30. Vide Domin. Oculi & 12. post. Trin. plura.

Obsessio.

XVI. Obsessionis istius causæ dari possunt multæ,

Obsessionis causæ.

1. *originalis contagio*; Psal.51,7. & 58,4. Ephes.2,3. Roman.5,12. & 6, 23.
2. *victûs & iracundiæ immoderatio*; Job.5,2.
3. *inopinata consternatio*;
4. *parentum maledictio & exsecratio*;
5. *peccatorum paternorum & maternorum castigatio*;
6. *operum Dei manifestatio*; Joh.9,3.
7. *liberorum exploratio*;
8. *parentum probatio*. Nihil ergò horum temerè, vel casu, sed omnia Deo moderante, disponente, dispensante & permittente. Sap.6,8. Matt.10,30. Vide plura apud D.Theod. p. 567.568.569.

XVII. Cavendæ sunt imprecationes & execrationes in diaboli nomine & mentione factæ. Ib. p.570.571.

Imprecationes in nomine diaboli.

XIIX. Fides sua habet obstacula & impedimenta, nec à diabolo saltem oppugnatur, sed cum ipso quandoque Deo luctatur. Gen. 31, 26.

Liberi nunquam pro parentibus orârunt.

XIX. Si legamus Scripturas, invenimus, parentes pro liberis sæpiùs, pro parentibus liberos nunquam Christum sollicitâsse. Matth. 15. Matth. 9. Luc. 8. Marc. 5. Joh. 4. Amor enim descendit, non adscendit.

Christus surdus.

XX. Christus ad preces nostras interdum videtur surdus. Thr. 3, 31. Es. 42, 3. & 54, 7. Os. 11, 9. D. Theod. p. 578. 579.

XXI. Nobis autem quodammodo innatus videtur impatientiæ morbus, quo auxilium differri dolemus. Psal. 10, 1. & 13, 1. 2. 3. & 70, 2. Es. 51, 9.

XXII. Adversus istam carnis impatientiam, semper orandum, & in oratione non deficiendum. Luc. 18, 1.

XXIII. Proximus ex Christiana συμπαθείᾳ precibus nostris juvandus. Rom. 12, 13. Jac. 5, 16. 1. Tim. 2, 1. 2.

Fidei oculi.

XXIV. Fides enim in Scriptura S. duos habet oculos; uno respicit Christum, altero proximum. D. Finck. cent. 4. can. 31.

Papismus de sanctorum invocatione.

XXV. Nihil hinc patrocinii divorum invocationi Papisticæ accedit. Sancti enim (1) in specie ignorant, quid in his terris agatur. Job. 41, 21. Esa. 64, 16. (2) Chananæa nullum ex mortuis invocat, sed vivorum intercessione utitur. (3) Clamare post discipulos non est eorundem intercessionem petere. (4) Si vel maximè sancti in cœlo pro Ecclesia militante orent, in genere puta, particularium quippè circumstantiarum ignari: nos tamen nec mandatum, nec exemplum, nec promissionem habemus. 1. Johan. 2, 1.

XXVI. Non simpliciter, sed κατά τι intelligendum, Christum non nisi ad oves perditas domûs Israëliticæ esse missum, eo sensu, quem in textûs enarratione insinuavimus.

XXVII. Extrema hominum miseria voce ovium perditarum indigitatur. Esa. 53, 6.

XXIIX. De infinitis humani generis miseriis, & satanæ potestate alibi quoque dictum est sæpiùs.

In cruce praxis Christiana.

XXIX. De praxi Christiana in cruce & afflictionibus hujus seculi:

1. E finibus peccati exeundum;

2. Ad Christum properandum; Ose. 6, 1. 2.

3. Coram Christo humiliandum; Marc. 5, 33. & 7, 25. 2. Macc. 9, 12. Ps. 119, 71. Matth. 8, 2. Luc. 15, 21.

4. Ad

4. *Ad ipsum clamandum*; Matth.15,22.23. Esa.26,16.
5. *Credendum*; contra spem in spem; etiamsi moram fecerit Dominus. Rom.4,18. & 5,3. D. Theodor. p.572.

XXX. Oratio vera ac seria commune est omnium malorum & adflictionum remedium. Oravit Chananæa

Oratio remedium commune.

1. *prudenter*, rectà ad Christum pergendo; Papasini imprudenter, per sanctos ad Christum accessum quærendo: Psal.42,2. & 46,1.2. seq. & 50,15. Esa.41,14. & 63,17. Ose.13,5.9. Matt. 11,28. Amos 5,5.6.
2 *sapiẽter*; ad objectũ verũ preces dirigẽdo; Joh.16,23.2 Cor.1,10
3. *humiliter*; ad Christi pedes procidendo; Gen.18,27.30.&32,10 Psal.102.18. & 143,2. Dan.9,7.18. Judith.9,16. Esa.66,2. 1.Pet.5,6.
4. *fiducialiter*, filium Davidis absq; ulla hæsitatione compellando: Rom.14,25. Hebr.11,6. Jac.1,7. 1.Johan.5,10. Marc. 11,24. Joh.9,31.
5. *ardenter*, cordis adfectum exprimendo; *per miserere mei tollitur ira Dei*, Joh.4.24. Psal.51,19. Matth.6,7.
6. *decenter*, brevitati studendo, & precibus jaculatoriis utendo: 1. Sam.2,13. Exod.14,15. Matth.6,7. Esa.29,13. Sir. 35,21.
7. *perseveranter*, in oratione persistendo. Ephes.6,18. Coloss. 4,2. 1.Thess.5,17. Luc.18,1. Matth.7,6.7. Genes.32,26. Psal. 130,6.

XXXI. Christiani quidem pro se invicem orent: Jac.5,16. 1.Tim.2,1. Rom.12,5. Genes.18,23. at inde nulla sanctorum demortuorum intercessio extorquenda. Heb.7,25. & 9,24. Roman.8,34. D. Theod. p.581.

Piorum probatio.

XXXII. Quâ ratione fideles suos Deus probare soleat:
1. *adfligendo* vel crucem immittendo;
2. *sese occultando*;
3. *tacendo*, h.e. auxilium differendo, eum in finem,
   1. ut nos ad preces exsuscitet;
   2. ut malè nos oràsse demonstret;
   3. ut par pari referat.

Fidei proba.

XXXIII. Fides autem δοκιμὴν sive probationem sustinet,
1. *inter impios non sedendo*; Christus secessionem facit.
2 *ad Christum confugiendo.*
3 *orando & pœnitendo.*
4. *misericordiam & gratiam petendo.*

PARS II.

Complectens secundum congressum.

Habentur in secundo hoc congressu duo;

1. Mulieris ἔνςασις; &
2. Christi ἀπόκρισις, ἢ ἀπόφασις.

Instantia est admodum devota, constans,

1. gestu, ad flectendum animum admodum idoneo. Quæ enim discipulis intercedentibus de ovibus Israëliticis Jesus dixerat, surdis quasi auribus præterit; quin potiùs in sua de bonitate Christi concepta fiducia immota persistens, venit, h. e. propiùs accedit, & jam non eminùs ampliùs, sed cominùs cum ipso congressura, in faciem ejus progreditur, coram ipso procumbens, & flexis genibus ad terram prostrata, supplicum more ipsum adorat.

2. Rogatu, mirâ usa brevitate & oratione, quam vocant, jaculatoriâ. (ein Stoßgebetlein) Cùm enim ad argumentum Christi respondere Chananæa nihil posset; ad solam misericordiam confugit, supplici voce contendens, ne opem sibi deneget: Domine, inquiens, succurre mihi, adjuva me: q. d. Ego misera muliercula non possum tecum disputare: Job. 9,3. hoc unum tibi dico, auxilio tuo me indigere: proinde abs te non recedam, donec opem mihi feras. Job. 10,13. quin potiùs ad te accedam; opus manuum tuarum non derelinques.

Depulsio vel responsio Christi priori longè videtur durior; qui illam planè abs se repellit, sumto argumento ab inhonesto & indigno. *Non est honestum vel bonum, (καλὸν) sumere panem filiorum, & projicere canibus.* Locutio est metaphorica. Per panem enim intelligit beneficia gratiæ divinæ: per liberos intelligit Iudæos, filios regni, Matth. 8,12. qui præ gentibus præclaris gaudebant prærogativis. Rom. 9,4. Canes vocat gentiles. Canis verò vocabulum interdum est convitiantis; interdum indignitatis, quando homo extremam suam agnoscit abjectionem. Iob. 30,1. 1. Sam. 17,43. & 24,15. 2. Sam. 3,8. & 9,8. & 16,9. 2. Reg. 8,13. Matth. 7,6. Apoc. 22,15. Sensus itaque est: Indignum & indecorum est, panem filiis debitum è faucibus ipsorum eripere, & canibus objicere: Tu es canis: Ergò panem filiis debitum tibi velle objicere valdè indignum foret & indecorum. Facesse ergò hinc, nec ulterius molestiam mihi aliquam crea.

Panis pro beneficiis.

Gentes canes.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Christianis nonnunquam cum Deo est congrediendum. Gen.32,27. Exod.32,10. Thr.3,10.44.

II. Gentiles non in universum à regno & beneficiis Christi sunt exclusi: quia Marc. 7,27. dicitur; sine priùs filios saturari.

III. Tentationi de particularitate rectè occurrere discamus. Non omnium promiscuè hominum electionem universalem cum Hubero statuendo: hac enim sententia non habet ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων: Neque particularitatis causam cum Calvinisequis in arcano & absoluto quodam Dei decreto quærendo: sed promissionibus de universali Dei misericordia; Ezech. 33,11. Rom.11,32. Sir.18,12.1. Timoth.2,4.2. Petr.3,9. Iohann.3,16. de universali Christi redemtione & merito; Esa.53,6. Roman.5,18. Tit.2,11.1. Iohann.2,2. de universali hominum per verbi prædicationem vocatione, Matth.11,28. & 28,19. Act.17,30. firmâ fide innitendo.

Particularitatis tentatio.

IV. Causa autem particularitatis non in Deo, non in Christo, non in verbo; sed in hominibus unicè residet. Deus quidem omnes vult salvos fieri, sed non absolutè, verùm ordinatè. Quia verò non omnes ordinem præscriptum observant: neque enim omnes Christum, unicum mundi Salvatorem, quærunt & audiunt; non omnes pœnitentiam agunt; non omnes credunt Evangelio; non omnes in cruce perstant, & ad finem usque perseverant; hinc adeò fit, ut multi sint vocati, pauci verò electi.

Particularitatis causa.

V. Simpliciores in spinosa hac de particularitate disputatione, mulierem hanc imitari dicant cum D. Chemnitio, pag.1542. harm. *O bone Jesu, ego in illam abyssum disputationis de prædestinatione & electione non descendo, ne in verticibus ejus subsidam vel peream: hosce apices religionis doctioribus ego relinquo, & fateor, me ista mysteria non adsequi. Hoc autem novi, me miserum esse peccatorem, & coram Deo Servatore me indigere, teq; Jesum propter peccatores in mundum venisse, & ipsos vocare ac salvare velle. Ego peccator miser & perditus ad te venio, nec abs te recedam, donec benedixeris mihi.* Eph.1,3. Gen.31,17.

VI. De Iudæorum præ gentibus prærogativa. Rom.3,2. & 9,4. Eph.2,12.

VII.

Cœna S. non utantur canes.

VII. Cavendum, ne ad sacrum Cœnæ Dominicæ usum admittantur canes, h.e. indigni, qui nulla seriæ pœnitentiæ veræq; fidei signa edunt. Matth.7,6. 1. Cor.11,29.

Calvinismus de indignorum manducatione.

IIX. Perperàm ex hoc loco colligunt Calviniani, quia indigni sunt canes; non igitur manducare illos in S. S. συνάξει verum corpus, nec bibere verum Christi sangvinem. Contrarium statuit D. Paulus 1. Cor. 11,29. Quin & canes verum panem objectum, aut filiis ereptum manducant. Præterea indignitas sumentis non mutat vel evertit integritatem Sacramenti.

IX. Attendum & hoc, ne temerè pro canibus habeantur, qui filiorum loco esse possunt. Matth. 11, 30.

Canes sumus.

X. Nos omnes in conspectu Dei sumus canes, h.e. homines indigni gratiâ & misericordiâ ejus inexhaustâ. Gen.32,10. Matt.8,8. Luc.15,21.

συνέργεια

XI. Ex vocabulo adjuvandi, quo Chananæa in oratione hac suâ usa est, non stabiliri potest συνέργεια aliqua virium humanarum in rebus salutem nostram attinentibus. Vide locos.

Mulieres homines.

XII. Scurram egit turpissimum profanus ille homo, qui ex hoc loco fœminas hominum eximere censu ac numero impiè ausus est, quia dicuntur canes. Vide Vindic. Meelf.

Electionis tentatio.

XIII. Sæpè tentantur pii sub cruce, an etiàm sint electi ad vitam æternam. Jon.2,4.6. Psal.42,4. & 88,7.8.18.

XIV. Consolemur autem nos contra hanc tentationem, tùm causarum electionis nostræ consideratione; tùm signorum contemplatione.

Electionis causæ tres.

XV. Causæ electionis præcipuæ sunt tres:

1. Universalis gratiæ & misericordiæ Dei promissio; Thr. 3,12. Ezech.33,11. Matth.11,28. 1. Tim.2,4. 2. Petr.3,9. Rom.10,18 & 11,32. Col.1,23.

2. Salutaris meriti Christi universalis per fidem adplicatio: Joh. 3,16. 1. Joh.4,14. Gal.4,4. 2. Cor.5,19. Matt.18,11. Luc.19,10 Joh.12,47. 1. Cor.15,18. 1. Joh.2,2.

3. Universalis mediorum ad finem ducentium oblatio. Matth. 11,28. & 28,19. Marc.16,16. Act.17,30. Matth.23,37. Joh 3,16 & 6,40. Confer D. Theod. p.585. 586.

Electionis signa duplicia.

XVI. Signa electionis sunt duplicia,

1. interna; 1. Spiritus Sancti inhabitatio; Eph.1,14. Rom.8,16

2. Fidei testificatio & inflammatio; 2. Thess.2,13. Jac.2,5. 1. Joh.5,10. Marc.16,16. Joh.3,36

3. vera

3. *Vera nominis ac Numinis divini invocatio*; Zach. 12,10. Rom. 10,13.
4. *Sanctitatis studium & operatio*, Eph. 1, 4. 2. Timot. 2,19. Rom. 8,14.

2. *Externa*; 1. *verbi divini auditus*; Joh. 8, 47.
2. *Sacramentorum usus*; Gal. 3,27. 1 Pet. 3,21. Matt. 26,28. Rom. 4,11.
3. *Crucis insultus*. Rom. 8,29. Act. 14,21.

XVII. Christum esse Pastorem & Salvatorem universalem, patet,

Christus Salvator universalis.

1. ex *Scripturæ S. attestatione*; Esa. 49. Hagg. 2. Luc. 2.
2. ex *Apostolorum delegatione*; Matth. 28. Marc. 16.
3. ex *promissionum universalium demonstratione*. Matt. 11. Ezech. 33. Luc. 19. 1. Tim. 3.

PARS III.

Congressum tertium exponens:

Restat tertius congressus, in quo mulier imbellis victrix evadet, victo verâ fide Christo invincibili. Ingeniosa enim & prudentissima mulier (ita enim vocat D. Chemn. harm. p. 1542.) Christum in verbis suis illaqueat, & ex eo, quod contra se dictum videbatur, per artificiosam concessionem argumentum obtinendi postulatum suum nectit. Notetur

I. *Mulieris replicatio*: ipsa enim ad argumenti propositi minorem propositionem respondet.

1. κατὰ συγχώρησιν, *concedendo* se esse canem; at non nisi Christi catellam; subsequi itaque sese canum instar, Dominum suum. D. Chem. p. 1543.
2. κατὰ τὸ βίαιον *retorquendo* id, quod contra se dictum fuerat, hoc sensu:

Canes sub mensa & scamnis colligunt micas decidentes, vel alia filiis elapsa:
Ego sum canis, h. e. indigna thesauris gratia ac misericordia tua:
Ergò liceat mihi micas tantùm filiis elapsas colligere. Canis autem nomen, ut hoc παρέργως addam, in Scripturis sacris, tùm Judæis, tùm Ethnicis, tùm inimicis tribuitur. D. Finc. Centur. 2. can. 95.

II. *Christi responsio*, cum benigna precum exauditione conjuncta: Illa verò habet

1. insigne fidei encomium, quod illustratur ἐκφωνήσει, quâ sese victum Christus ipse fatetur: O mulier, fides tua magna est; quia in modica agnitionis scintilla, ex difficilimis est eluctata tentationibus; & toties repulsa, non defatigata.

2. Modum, quo filia à dæmonio liberatur, & mater ad plura petenda & impetranda invitatur: fiat tibi sicut vis; h.e. quicquid à me boni petiisti, accipe, totus sum tuus.

3. Effectum; sanata est enim filia ejus in illa hora: domum namq; reversa, vidit dæmonium exiisse, filiam verò jacentem super lectum reperit; non enim ampliùs, uti anteà, agitatur, sed sedatè decumbit.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Exauditio differtur. I. Precum exauditio à Deo sæpissimè cum maximo nostro commodo differtur. 1.Sam.1,20.

II. Indignitas nobis quoq; sæpenumero ob peccata nostra objicitur, quando proprium cor nos accusat.

Indignitatis tentatio III. Tentationem de indignitate superabimus feliciter,

1. culpam & indignitatem agnoscendo, pænitentiamq; agendo: 1. Joh. 3,20. Luc.15,19. Ps.73,28. & 84,11.

2. sub potenti Dei manu nos humiliando: 1. Pet.5, 6.

3. gratiam domini indignitati obvertendo: Exod.34,7. Psal.103, 8. seq. & 145,8.9. Ephes. 2,4. Sir. 2, 23. Psal. 130,7. Rom.5,21. Dan. 9.18. Matth.5,6.

4. fiduciam in Deum obsirmando: Esa.1,19. Matth.20,28. 1.Tim.2, 5. 6. Col. 1,14. 1.Pet.1,18. Heb.9,12. Apoc. 5,9. 1.Joh.2,2. & 4,10 Rom.3,25. & 5,11. 2. Cor.5, 18,19. Esa.53, 4. seq. 1.Cor.1,30. Vide D. Theodor. p. 589.590.591.

IV. De fide ejusq; efficacia vide locos. Matth.17,20.21.1.Pet. 5,8.9. 1.Joh.5,5. Rom.4, 19.20.

V. A potentia Dei absoluta ad ordinatam sive temperatam, non valet consequentia. D. Finck. cent.4. can. 24.

Fidei requisita. VI. De fidei veræ requisitis;

1. no-

1. notitia de Christo; sed hæc neminem per se salvat; quia & dæmones ita credunt: Jac.2,19.
2. adsensus; credentem enim adsentiri decet omni verbo Dei, nec quicquam dubitare: sed neque hoc requisitum sufficit ad fidei salvificæ σύστασιν; nam & πρόσκαιροι ita credunt: Matth. 13,21.
3. firma fiducia: Hebr.4,16. Rom.8,15.38.
4. Applicatio, quæ postrema duo veluti anima sunt fidei. Gal. 2, 20. Vide exemplarem requisitorum istorum accommodationem, apud D. Chemn. harm. p. 1543. 1544.

VII. Fides isthæc non est humanarum virium opus, sed donum Dei à Spiritu Sancto, per auditum verbi in cordibus nostris accensum. Rom.10,7. Joh.6,29.

IIX. Fides vera nunquam est otiosa, sed in bonis operibus admodum negotiosa. Gal.5,6. Demonstratur exemplo mulieris Chananææ apud Chemnit. pag. 1545. *Fides est negotiosa.*

IX. Fides vera plerumque plus impetrat, quàm à Deo petiit. 1.Reg.3,11. Eph.3,20. Rom.8,26.

X. Christus ubi fidem nostram probavit, faciem bonitatis suæ iterum nobis ostendit. Joh.16,22.1.Cor.10,13. Jac.1,12.

XI. Fides habet suos gradûs, est magna & parva, firma & infirma. Matth.8,10. Romanor.4,18. Matth.8,26. & 14,31. Marc. 9,24 Luc.17,5. *Fidei gradûs.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

CONsiderabimus, charissimi, ex præsentis Evangelii περικοπῇ duas potissimùm personas:

I. Mulierem Chananæam auxilium Christi anxiè implorantem:

II. Christum distinctè ei respondentem.

PARS I.

Pro meliori & accuratiori primæ partis explicatione observationem vel maximè meretur;

I. Mulieris ad Christum accessio, quam antegreditur

1. temporis notatio; quando contigerit;

2. *Loci determinatio*, ubi evenerit hoc factum, de utroque vide dispos. præced. Christus enim partim famâ Johannis Baptistæ, ab Herode miserabiliter trucidati; partim Pharisæorum intemperie ac odio, Judæâ quasi expulsus, in finibus Tyri ac Sidonis aliquandiu substiterat. Ipsum verò concionibus ac miraculis clarum mulier quædam adflictissima adire constituerat. Quod verò Marcus, in hac historia describenda solito auctior, adjicit: ingressus domum neminem volebat scire; sed non potuit latere: illud de absoluta ejus vel voluntate vel potestate accipiendum nō est: Si enim absolutè voluisset, utique etiam potuisset; sed voluntas hîc est, quæ voluntatibus & usibus humanis sese accommodat & obsecundat. Similis itaque intelligenda est potestas, nempè si congruum fuisset, neque aliud magis ex re & usu hominum fuisset, ipse latere voluisset, uti D. Calixtus exponit pag. [illegible]. Concord.

3. *Personæ supplicantis descriptio:* dicitur enim mulier (1) *Chananæa*, vel à gente, quòd originem duceret à posteris Canaan, cujus filius primogenitus Sidon nominatur Gen. 10, 15. vel ab urbe Cana majore, oppido Phœniciæ, Joh. 19, 28. cujus civis illa fuit. (2) *Græca*, h.e. barbara apud Judæos, quibus Græci dicebantur omnes, quotquot Judaismo initiati non erant, aliena à Repub. Israëlis. Eph. 2, 12. (3) *Syrophœnissa* h.e. Sidonia aut Tyria, eò quòd tractus iste à Syris & Phœnicibus mixtim habitaretur. Hæc itaque fœmina & Græca fuit, quia gentilis; & Chananæa, quia è posteris Canaan, aut ex oppido Cana oriunda; & Syrophœnissa, quia è finibus Tyri ac Sidonis progressa fuerat.

Ita Christus suâ hac *ἀναχωρήσει* officium suum commendat, quod ut gentibus est acceptum & plausibile; sic Judæis despectum & triste. Specimen interim vocationis gentium universalis adumbrare voluit, quas post Judæorum ingratitudinem, ad gratiæ communionem erat admissurus; habet enim & hîc suos auditores, & quidem præstanti fide illustres.

II. *Mulieris sive oratio sive multiplicatio;* illa verò ter repetita legitur. Auditur enim ab illa

1. *vox miseriæ*, qua suam ad Christum defert calamitatem: hujus

1 pro-

1. propositio est; miserere mei, h.e. adjuva me, libera me ab urgentibus malis. Est verbum hoc animæ pœnitentis, culpam avertentis, curam adpetentis, morbum exprimentis, antidotum exposcentis.

2. Narratio, calamitatem filiæ breviter & uno q. verbo exponit: filia mea κακῶς δαιμονίζεται. Hæc verba duo insinuant:

1. matris adfectum, ex natura relati & correlati; ipsa filia est, & quidem mea, de carne mea & sangvine meo prognata, cujus calamitatem meam reputo. Commendatur enim cura pro domesticis & sangvine junctis. φιλόστοργον omne animal; magis homo.

2. Filiæ morbum, qui dæmoniacus, per se calamitosissimus & συμπαθείᾳ humanâ, nedum Christianâ, dignissimus: hic verò tantò infelicior, quantò efficaciùs dæmon in ægrota exagitanda sese exerit; idque particulâ κακῶς, malè, miserè, exaggeratur, es möchte einen Stein erbarmen. Morbus igitur humanâ ope ἀνίατος sive incurabilis.

3. Confirmatio habet rationes sive causas exauditionis impellentes:

1. à sua gnatæq; miseria; justam expediens Christum accedendi & interpellandi causam:

2. à divina Christi tùm clementia, tùm potentia; quia es Dominus, potestatem habens in omnia creata, tibi subjecta. Es etiam Filius, homo, quippe, humanam naturam & adfectum indutus; voles igitur, misertus nostri nostræque calamitatis: quin Davidis Filius, h.e. verus Messias, cujus proprium hoc est munus, juvare & salvare: officii itaque tui est mei habere curam; debes hoc miseriis humanis. Et observare hîc licet, secundum D. Calixt. p. 258. homines, qui opem Servatoris implorant expectantque, plerumque Filium Davidis eum adpellare: Matth. 20, 30. Marc. 10, 47. videnturque hac adpellatione uti, partim quòd promissionibus Davidi factis innitantur, partim Servatorem de communi cognatione, qnam absumtâ humanâ naturâ dedignatus non erat, commonefacturi.

Filius Davidis.

3. A satanæ malitia; quæ humanâ industriâ averti nequit:

4. A filiæ malè habentis & δαιμονιζομένης angustia. Primum habet adfectum *materni mœroris*; secundum *divini amoris* & favoris; tertium *satanici angoris*; ultimum *doloris & tremoris*.

4. *Supplicationis operatio*, quæ ratione ſubjecti eſt gemina: ex parte Chriſti taciturnitas; ex parte diſcipulorum humanitas. Chriſtus non reſpondit ei quicquam, quod in ipſo novum & modò non inſolitum. Omnes enim aliàs omnibus benefaciendi occaſiones captavit, adflictos quoque ad ſe vocavit; & ſine mora omnes ægrè habentes ſanavit. *O mirum hoc & inauditum negotium*, exclamat Origenes: *flebilis hæc mulier obſervat, clamat plorat, & conſolator omnium lugentium non reſpondet ei verbum.* Quid hîc cauſæ eſſe dicemus, qui muliere clamante ſilet? Cauſæ ſilentii fuerunt haut dubiè

Silentii Chriſti cauſæ.

1. *anſæ calumniandi apud Judæos amputatio*; vide ſuprà:
2. *miſericordiæ diſcipulorum revelatio*;
3. *patientiæ, prudentiæ, fidei & conſtantiæ in muliere probatio:*
4. *majoris deſiderij in ipſa inflammatio:*
5. *beneficij exhibendi commendatio:*
6. *mulieris ad gratiarum actionem provocatio:*
7. *gentium informatio.* Vide Tungerl. part. 2. promt. p. 561. 562. & Aret. in Matth. p. 253. Silentium itaque non ſemper odii aut difficultatis eſt argumentum.

Diſcipuli ex adverſo clamoris continuati pertæſi, συμπαθείας quoque adfectu tacti, pro muliere adflicta intercedunt, rogantes ejusdem ἀπόλυσιν, benignam dimiſſionem, ut certum det ei reſponſum, velit, nec ne; aut voti eam reddat compotem, expulſo à filia dæmonio.

2. Secunda vox, eſt *vox fiduciæ*, in qua notetur

1. *Chananææ mulieris humiliatio*, declarata ejusdem ad pedes Chriſti provolutione. Duriter loqui cœperat Salvator, non mulieri, ſed diſcipulis, quibus ſignificaverat, hanc mulierem non exauditum iri, quia ſit gentilis, non ovis Iſraëlitica. Illa igitur non ceſſandum, ſed inſtandum rata, geſtûs etiam ſuos eò accommodat, ut & animi adflicti deſiderium teſtetur, & ad commiſerationem flectat Dominum.

2. *Brevior ejusdem oratio*, quâ omnem diſputandi & elabendi occaſionem præcidendo, ait: Domine, adjuva me, ſuccurre mihi: atque ita uno quaſi verbulo infinitas propemodum querelas in ſinum Chriſti effundit.

3. Tertia vox, eſt *vox patientiæ & conſtantiæ*, quæ palmam tandem reportat. Nihil illam ſuſpectum Chriſti ſilentium; nihil illam durior Chriſti reſponſio; nihil illam verba in ſpeciem contu-

tumeliosa atque injuriosa (canis enim audierat) moverunt: artificiosè enim κτ̀ τὸ βίαιον invertendo argumentum, in ipsum Christum retorquet id, quod contra se dictum videbatur, inquiens: Etiam Domine; (ναὶ non est simpliciter concedentis, sed affirmantis; q.d. rectè colligis, benè dicis, fateor vera esse hæc omnia; sed eo ipso, quo me repellis, te mihi concedis & tradis) nam & catelli (etsi mensæ herili non adsident, nec jus filiorum in mensa habent, tamen suum quoque jus habent; quia) edunt (& cibantur) de micis, quæ cadunt ex mensa dominorum suorum; nemine illos prohibente, ne dum feriente aut abigente. Cùm ergò canes cibentur de mensa herili; ego quoq;, cum catellis reputata, jus illud canum mihi expeto; nolo locum filiorum occupare; nolo quenquam eorum extrudere; liceat solummodò mihi sub mensa manere, contenta ero micis, quas filii non curant, vel pedibus terunt. Ita proprio jugulatur Salvator gladio, ut manus victas Creator præbere cogatur creaturæ. Argumentum ita concludit:

Catella non est arcenda à micis herilibus:
Ego sum catella tua, mi Domine Jesu:
Ergò non sum arcenda à micis herilibus, sed cibanda sum abs te.
Confer D. Calixt. p. 259. 260.

USUS I. Informatorius.

I. De fidei probationibus & exercitationibus usitatis, tùm per externam adflictionem; Rom. 5,3. Tob. 12,13. Jac. 1,3. 12. tùm per auxilii dilationem; Job. 30,20. Psal. 10,1. & 13,1, & 22,3. Thr. 3,8. tùm per particularitatis indignatisque objec[illegible]nem. **Fidei probationes.**

II. De modo exsuperandi istas similesque alias fidei exercitationes. **Fidei tentationes exsuperantur**

1. *Tacendo*; Psal. 39,11.
2. *Orando, precibusq; instando*; Psal. 18,7. & 22,3. 6. & 130,6. Matth. 7,7. Luc. 18,1. 1. Thess. 5,17.
3. *Promissionibus universalibus innitendo*; Matth. 11,28 Joh. 3,16. Rom. 10,12. & 11,32. 1. Tim. 2,4. & 4,10.
4. *Ingenuè dignitatem confitendo*; Psal. 51,6. Dan. 9,18. Matth. 8,8. Luc. 15,21.
5. *Invertendo*; seu promissiones verbi obvertendo. Matth. 9,14. 1. Tim. 1,15. 1. Joh. 3,20.

III. Mundus quidem abhorret à cruce & adflictione; ea tamen piis omnibus est utilissima. Rom. 8,28. Gregor. *Deus in hac vita te-* **Crux utilis**

rte-

electis suis non promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, ut medicina more per amarum poculum ad salutis æternæ dulcedinem redeant. Vide Thes. Monr. p. 256.

Diabolo permittitur aliquid.

IV. Deus diabolo quandoque permittit tyrannidem suam exercere,

1. ad iram ac zelum suum adversus peccata significandum: Psal. 51,6.
2. ad probandum pios;
3. ad confundendum satanam. Ibid. p. 259.

Piorum lucta cum hostibus.

V. De continua piorum cum hostibus suis colluctatione. Hostes eorum sunt,

1. Deus, hostis putativus; Job. 19,6.11. & 30,21.
2. diabolus; Eph. 6,12. Matth. 4,3. 1. Pet. 5,8. Apoc. 12,12.
3. mundus; 1. Joh. 2,16.
4. sangvis proprius & malus carnis adpetitus: Roman. 7,23. 1. Pet. 2,11. Matth. 15,19. 2. Cor. 10,5. Gal. 5,17.
5. crucis & calamitatum concursus: Job. 10, 17.
6. eques pallidus, h.e. mors hostis ultimus. Apoc. 6,8. Os. 13,14 1. Cor. 15,54.55. Job. 7, 1.

VI. De στοργῆς maternæ erga liberos vehementia: matres enim, Philosopho teste, sunt φιλοτεκνότεραι, lib. 9. Eth. c. 7.

VII. De orationis jaculatoriæ, à muliere profectæ, excellentia: Est ea

1. in sacris literis fundata; Ier. 23,6. Esa. 63,1. & 43,3.
2. à sanctis aliis frequenter usurpata; Esth. 13,14. Ps. 3,8.9. & 7,2. & 12,2. & 38,2[illegible] & 29,10. Matth. 8, 25.
3. Deo φιλανθρώπῳ grata; Ps. 145,18. Esa. 65,24. Ps. 6,5.9. & 31,23 & 34,5. Marc. 9,22. 25. Vide Tungerl. part. 2. promt. Evang. pag. 554. seqq.

II. Consolatorius.

I. Quod etiam fœminei sexûs multùm apud Deum ponderis habeant. 1. Sam. 2,12. Judith. 9,14.15.16. Esth. 13,14. Vide Meclf. th. 1. seqq.

II. Quòd in futura vita non ampliùs preces pro nostra conditione Christo offeremus, nisi fortè beati pro relictis in genere Deum invocent, ut feliciter hinc emigrent & ipsi. Luc. 16,28. Apoc. 6,9. Esa. 63,16.

III.

III. Quòd tunc non ampliùs micas sub mensa colligemus, sed totam gratiæ & lætitiæ plenitudinem possidebimus. 1.Petr.3, 7. Matth. 8,11.

III. Monitorius.

I. Ut pro aliis, in calamitatibus constitutis, Deum oremus, idque à nobis omnibus requirit.

Orandum etiam pro aliis.

1. Christiana caritas: Nam, secundum Augustinum, *pro seipso orare est necessitatis; at pro salute proximi rogare, est caritatis*.

2. Summa propinquitas: 1.Cor. 12, 13.

3. Mandati auctoritas: Rom.12,13. 1.Timoth.2,1.2. Coloss.3,12. Jac.5,16.

4. Exemplorum dignitas: Genes.18. in Abrahamo; Exod.32. in Mose; 1.Sam.12. in Samuele &c.

5. Ipsa necessitas. Sir. 18, 26.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

II. Ut in omni adflictione ad Deum solum verâ fide ac humili oratione confugiamus. Ps.121,1. Vide Thes. Monradi p. 260. & 261. ubi modum simul orandi docet, quòd orandum sit

Orandi modus.

1. verbis paucis & ponderosis; Matth.6,7. Exod. 14,15.
2. singularibus animi motibus;
3. verâ fide; Jac.1,6. Rom.8,26.
4. super misericordiam Dei orationem exstruendo;
5. necessitatem κατ᾽ εἶδος exprimendo:
6. beneficiis præteritis spem firmando.
7. Constanti animi fiduciâ & firmâ spe auxilium divinum patienter exspectando. Ibid. p.261. 262. 263.

III. De virtutibus mulieris Chananææ attendendis & piâ imitatione exprimendis; cujusmodi sunt

Virtutes muliebres

1. Φιλοστοργία, seu vera erga sobolem caritas; quæ curam liberorum secum trahit. Parentum est

Parentum officium & liberorum.

1. orare pro liberis;
2. disciplinam domesticam accuratè observare;
3. labori liberos adsvescere;
4. exemplis bonis prælucere. Liberorum est
   1. contra diabolum orare;
   2. disciplinam non aspernari;
   3. otium vitare;
   4. conversationem malorum cavere;

5. Deum ex utraque parte timere. At hoc nostro seculo *blanda patrum segnes facit indulgentia natos.*

2. *Fidei celsitas:* Etsi enim non omnes tàm arduum possumus volare; conatus tamen semper est laudandus. Hîc nostrum est
1. ad Christum confugere;
2. ardenter & instanter orare;
3. tentationes superare; modum vide in usu informatorio.

3. *Spei firmitas.* Rom. 5, 3.
4. *Humilitas.*
5. *Ingeniositas.*

IV. Refutatorius.

Papismus de Ecclesiæ visibilitate. Pontificiorum, qui 1. τὸ visibile propriam Ecclesiæ veræ notam constituunt. Schererus pag. 264. postill. Das ist das rechte Kenn- vnd Merckzeichen der wahren Kirchen / vnd wahren Evangelii vnd Gottesdienst / nemlich / offentlich vnd sichtbar seyn. Resp. 1. Sed non semper: ubi visibilis Ecclesia temporibus Eliæ? 2. A positione unius ad negationem alterius, non valet consequentia. Non sequitur; Ecclesia datur visibilis: Ergò nulla invisibilis. Dominus enim novit suos, mundo inconspicuos. 2. Tim. 2, 19.

Et invocatione sanctorum. 2. Religiosam sanctorum demortuorum invocationem exemplo discipulorum, pro muliere Chananæa Christo supplicantium, suffulcire magno quidem, irrito tamen conatu satagunt. Non attendunt miseri cæcorum ductores, cæci & ipsi, quòd
1. intercessione suâ parùm aut nihil omninò, præter duram Christi responsionem impetrârint discipuli.
2. Spontè hoc fecerint, nunquam ob id à muliere rogati:
3. non exemplis, sed legibus statutisque divinis causa omnis æstimenda, ponderanda, dijudicanda:
4. maxima demum in exemplis sit dissimilitudo. Vide suprà. Confer D. Meelf. in Vindic. th. 38. seq.

De Lutheri tentationibus ob Missam. 3. Lutheri famam & doctrinam rabiosorum canum instar odiosè allatrant & traducunt, quòd alicubi scribat & conqueratur, se hostiles satanæ i[illegible]tûs, tùm aliàs sæpiùs, tùm vel maximè in negotio Missæ sustinuisse; atque hinc ipsum familiaritatis & conversationis nescio cujus insimulant, doctrinam autem illius suspectam reddere conantur. Sed fallaciam committunt παρὰ τὸ μὴ αἴτιον; neque enim statim impii sunt proclamandi, quos satanas tentat, & cominus q. ac familiariter adgreditur. Quid verò dicent ad congressûs cum diabolo, quos de suis scribunt Eremitis, eosque plenis buc-

buccis deprædicant. Annon ejusdem impietatis reus agendus Christus, qui & ipse Matt.4,1. seq. diaboli impetûs satis graves sustinuit? Quid statuent de Paulo, qui à satanæ angelo colaphizatus legitur, 2.Cor.12.9. Plura vide apud Dn. Meelführerum in Vindic. Dom. Invocavit, th.121. & Reminisc. th.49. seq. D. Theodor. p.600. annal.

PARS II.

Jam parte secundâ Christi quoque tùm sermones, tùm facta in considerationem veniunt. Surdus ille quidem primo videbatur congressu; responsum tamen illi extorquetur triplex.

Missio Christi ad oves Isr.

I. Primum videtur *durum & odiosum*, quo se non nisi oviculis Israëliticis missum profitetur: Non sum missus, nisi ad oves perditas domûs Israël. Quæ verba continent,

1. *missionis determinationem:* quàm latè enim patet ovicularum perditio; tàm latè patet Christi missio sive legatio. NB. Distinguendum autem hoc loco, inter externum Christi ministerium, & salutare ipsius beneficium, sive officium: illud speciale, hoc universale. Vide Calixt. p.158.
2. *Necessariam instructionem*, de privilegiis & prærogativis populi Israëlitici, de quibus passim exstant præclara in Scripturis V. & N.T. testimonia. Non enim nisi in terra Israëlitide nasci debuit Messias, & videri, & audiri & miracula patrare.

II. Secundum responsum adparet *mirum & contumeliosum.* Cùm enim precando Chananæa non desisteret, & in via coram Domino procideret, auxilium ipsius flexis poplitibus & miserabili voce implorans, tale tulit responsum misera: *Non est bonum, honestum seu conveniens, sumere panem filiorum & objicere catellis:* q.d. boni patrisfamiliâs non est, liberos spoliare pane, & illo canes alere; quia panis primariò, ratione finis principalis in usum hominis est repertus & datus. Israëlitæ sunt filii, his debetur panis, h.e. beneficia Messiæ: gentes sunt canes, istis indigni: Ergô non est quòd speres, me Judæis ereptum panē, & in gentes collaturum. Canes autem in scripturis sunt & dicuntur hominum infimi. 1.Sam.24,15. 2.Sam. 3,8.9. & 16,9. 2. Reg.8,13. Dura admodum hæc fuit mulieri responsio, sed & partem aliquam contumeliosa, dum canis audire cogitur. Sumi autem potest hæc adpellatio tàm in malam, quàm in bonam partem accipi, ratione vitiorum & virtutum, quæ in hoc animali deprehenduntur. In malem partem sumitur, comparatio gentilium cum canibus, propter

Canes.

Gentes canibus comparantur.

Cœna S. non utantur canes.

VII. Cavendum, ne ad sacrum Cœnæ Dominicæ usum admittantur canes, h. e. indigni, qui nulla seriæ pœnitentiæ veræq; fidei signa edunt. Matth. 7, 6. 1. Cor. 11, 29.

Calvinismus de indignorum manducatione.

IIX. Perperàm ex hoc loco colligunt Calviniani, quia indigni sunt canes; non igitur manducare illos in S. S. συνάξει verum corpus, nec bibere verum Christi sangvinem. Contrarium statuit D. Paulus 1. Cor. 11, 29. Quin & canes verum panem objectum, aut filiis ereptum manducant. Præterea indignitas sumentis non mutat vel evertit integritatem Sacramenti.

IX. Attendum & hoc, ne temerè pro canibus habeantur, qui filiorum loco esse possunt. Matth. 11, 30.

Canes sumus.

X. Nos omnes in conspectu Dei sumus canes, h. e. homines indigni gratiâ & misericordiâ ejus inexhaustâ. Gen. 32, 10. Matt. 8, 8. Luc. 15, 21.

συνεργία

XI. Ex vocabulo adjuvandi, quo Chananæa in oratione hac suâ usa est, non stabiliri potest συνεργία aliqua virium humanarum in rebus salutem nostram attinentibus. Vide locos.

Mulieres homines.

XII. Scurram egit turpissimum profanus ille homo, qui ex hoc loco fœminas hominum eximere censu ac numero impiè ausus est, quia dicuntur canes. Vide Vindic. Meelf.

Electionis tentatio.

XIII. Sæpè tentantur pii sub cruce, an etiàm sint electi ad vitam æternam. Jon. 2, 4. 6. Psal. 42, 4. & 88, 7. 8. 18.

XIV. Consolemur autem nos contra hanc tentationem, tùm causarum electionis nostræ consideratione; tùm signorum contemplatione.

Electionis causæ tres.

XV. Causæ electionis præcipuæ sunt tres:

1. Universalis gratiæ & misericordiæ Dei promissio; Thr. 3, 12. Ezech. 33, 11. Matth. 11, 28. 1. Tim. 2, 4. 2. Petr. 3, 9. Rom. 10, 18 & 11, 32. Col. 1, 23.

2. Salutaris meriti Christi universalis per fidem adplicatio: Joh. 3, 16. 1. Joh. 4, 14. Gal. 4, 4. 2. Cor. 5, 19. Matt. 18, 11. Luc. 19, 10 Joh. 12, 47. 1. Cor. 15, 18. 1. Joh. 2, 2.

3. Universalis mediorum ad finem ducentium oblatio. Matth. 11, 28. & 28, 19. Marc. 16, 16. Act. 17, 30. Matth. 23, 37. Joh. 3, 16 & 6, 40. Confer D. Theod. p. 585. 586.

Electionis signa duplicia.

XVI. Signa electionis sunt duplicia,

1. interna; 1. Spiritus Sancti inhabitatio; Eph. 1, 14. Rom. 8, 16

2. Fidei testificatio & inflammatio; 2. Thess. 2, 13. Jac. 2, 5. 1. Joh. 5, 10. Marc. 16, 16. Joh. 3, 36

3. vera

3. Vera nominis ac Numinis divini invocatio; Zach. 12,10. Rom.10,13.

4. Sanctitatis studium & operatio, Eph.1, 4. 2.Timot.2,19. Rom.8,14.

2. Externa; *1. verbi divini auditus*; Joh. 8, 47.

2. Sacramentorum usus; Gal.3,27, 1 Pet.3,21. Matt. 26,28. Rom.4,11.

3. Crucis insultus. Rom.8,29. Act.14,21.

XVII. Christum esse Pastorem & Salvatorem universalem, patet.

Christus Salvator universalis.

1. ex Scripturæ S. attestatione; Esa.49. Hagg.2. Luc.2.

2. ex Apostolorum delegatione; Matth.28. Marc.16.

3. ex promissionum universalium demonstratione. Matt. 11. Ezech. 33. Luc. 19. 1.Tim. 3.

PARS III.

Congressum tertium exponens:

Restat tertius congressus, in quo mulier imbellis victrix evadet, victo verâ fide Christo invincibili. Ingeniosa enim & prudentissima mulier (ita enim vocat D. Chemn. harm. p.1542.) Christum in verbis suis illaqueat, & ex eo, quod contra se dictum videbatur, per artificiosam concessionem argumentum obtinendi postulatum suum nectit. Notetur

I. *Mulieris replicatio*: ipsa enim ad argumenti propositi minorem propositionem respondet.

1. κτ' συγχώρησιν, *concedendo* se esse canem; at non nisi Christi catellam: subsequi itaque sese canum instar, Dominum suum. D. Chem. p.1543.

2. κτ' τὸ βίαιον *retorquendo* id, quod contra se dictum fuerat, hoc sensu:

Canes sub mensa & scamnis colligunt micas decidentes, vel alia filiis elapsa:

Ego sum canis, h. e. indigna thesauris gratiæ ac misericordiæ tuæ:

Ergò liceat mihi micas tantùm filiis elapsas colligere. Canis autem nomen, ut hoc παρέργως addam, in Scripturis sacris, tùm Judæis, tùm Ethnicis, tùm inimicis tribuitur. D. Finc. Centur. 2. can. 95.

II. *Christi responsio*, cum benigna precum exauditione conjuncta: Illa verò habet

1. insigne fidei encomium, quod illustratur ἐκφωνήσει, quâ sese victum Christus ipse fatetur: O mulier, fides tua magna est; quia in modica agnitionis scintilla, ex difficilimis est eluctata tentationibus; & toties repulsa, non defatigata.

2. Modum, quo filia à dæmonio liberatur, & mater ad plura petenda & impetranda invitatur: fiat tibi sicut vis; h.e. quicquid à me boni petiisti, accipe, totus sum tuus.

3. Effectum; sanata est enim filia ejus in illa hora: domum namq; reversa, vidit dæmonium exiisse, filiam verò jacentem super lectum reperit; non enim ampliùs, uti anteà, agitatur, sed sedatè decumbit.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Exauditio differtur. I. Precum exauditio à Deo sæpissimè cum maximo nostro commodo differtur. 1.Sam.1,20.

II. Indignitas nobis quoq; sæpenumero ob peccata nostra objicitur, quando proprium cor nos accusat.

Indignitatis tentatio III. Tentationem de indignitate superabimus feliciter,

1. culpam & indignitatem agnoscendo, pœnitentiamq; agendo: 1. Joh. 3,20. Luc.15,19. Pf.73,28. & 84,11.

2. sub potenti Dei manu nos humiliando: 1. Pet.5,6.

3. gratiam domini indignitati obvertendo: Exod.34,7. Psal.103,8. seq. & 145,8.9. Ephes.2,4. Sir.2,23. Psal.130,7. Rom.5,21. Dan. 9.18. Matth.5,6.

4. fiduciam in Deum obfirmando: Esa.1,19. Matth.20,28. 1.Tim.2, 5.6. Col.1,14. 1.Pet.1,18. Heb.9,12. Apoc. 5,9. 1.Joh.2,2. & 4,10 Rom.3,25. & 5,11. 2. Cor.5,18.19. Esa.53,4. seq. 1.Cor.1,30. Vide D. Theodor. p. 589.590.591.

IV. De fide ejusq; efficacia vide locos. Matth.17,20.21. 1.Pet. 5,8.9. 1.Joh.5,5. Rom.4,19.20.

V. A potentia Dei absoluta ad ordinatam sive temperatam, non valet consequentia. D. Finck. cent.4. can.24.

Fidei requisita. VI. De fidei veræ requisitis;

1.no-

1. notitia de Christo; sed hæc neminem per se salvat; quia & dæmones ita credunt: Jac.2,19.
2. adsensus; credentem enim adsentiri decet omni verbo Dei, nec quicquam dubitare: sed neque hoc requisitum sufficit ad fidei salvificæ σύστασιν; nam & πρόσκαιροι ita credunt: Matth. 13,21.
3. firma fiducia: Hebr.4,16. Rom.8,15.38.
4. Applicatio, quæ postrema duo veluti anima sunt fidei. Gal. 2,20. Vide exemplarem requisitorum istorum accommodationem, apud D. Chemn. harm.p.1543. 1544.

VII. Fides isthæc non est humanarum virium opus, sed donum Dei à Spiritu Sancto, per auditum verbi in cordibus nostris accensum. Rom.10,7. Joh.6,29.

IIX. Fides vera nunquam est otiosa, sed in bonis operibus admodum negotiosa. Gal.5,6. Demonstratur exemplo mulieris Chananææ apud Chemnit. pag.1545. *Fides est negotiosa.*

IX. Fides vera plerumque plus impetrat, quàm à Deo petiit. 1.Reg.3,11. Eph.3,20. Rom.8,26.

X. Christus ubi fidem nostram probavit, faciem bonitatis suæ iterum nobis ostendit. Joh.16,22.1.Cor.10,13. Jac.1,12.

XI. Fides habet suos gradûs, est magna & parva, firma & infirma. Matth.8,10. Romanor.4,18. Matth.8,26. & 14,31. Marc. 9,24 Luc.17,5. *Fidei gradûs.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

COnsiderabimus, charissimi, ex præsentis Evangelii περικοπῇ duas potissimùm personas:

I. Mulierem Chananæam auxilium Christi anxiè implorantem:

II. Christum distinctè ei respondentem.

PARS I.

Pro meliori & accuratiori primæ partis explicatione observationem vel maximè meretur;

I. Mulieris ad Christum accessio, quam antegreditur

1. temporis notatio; quando contigerit;

1. *propositio* est; miserere mei, h.e. adjuva me, libera me ab urgentibus malis. Est verbum hoc animæ pœnitentis, culpam avertentis, curam adpetentis, morbum exprimentis, antidotum exposcentis.

2. *Narratio*, calamitatem filiæ breviter & uno q. verbo exponit: filia mea κακῶς δαιμονίζεται. Hæc verba duo insinuant:

1. *matris adfectum*, ex natura relati & correlati; ipsa filia est, & quidem mea, de carne mea & sangvine meo prognata, cujus calamitatem meam reputo. Commendatur enim cura pro domesticis & sangvine junctis. φιλόστοργον omne animal; magis homo.
2. *Filiæ morbum*, qui dæmoniacus, per se calamitosissimus & συμπαθείᾳ humanâ, nedum Christianâ, dignissimus: hic verò tantò infelicior, quantò efficaciùs dæmon in ægrota exagitanda sese exerit; idque particulâ κακῶς, malè, miserè, exaggeratur, es möchte einen Stein erbarmen. Morbus igitur humanâ ope ἀνίατος sive incurabilis.

3. *Confirmatio* habet rationes sive causas exauditionis impellentes:

1. *à sua gnatæq; miseria*; justam expediens Christum accedendi & interpellandi causam:
2. *à divina Christi tùm clementia, tùm potentia*; quia es Dominus, potestatem habens in omnia creata, tibi subjecta. Es etiam Filius, homo, quippe, humanam naturam & adfectum indutus; voles igitur, misertus nostri nostræque calamitatis: quin Davidis Filius, h.e. verus Messias, cujus proprium hoc est munus, juvare & salvare: officii itaque tui est mei habere curam; debes hoc miseriis humanis. Et observare hîc licet, secundum D. Calixt. p.258. homines, qui opem Servatoris implorant expectantque, plerumque Filium Davidis eum adpellare: Matth.20,30. Marc.10,47. videnturque hac adpellatione uti, partim quòd promissionibus Davidi factis innitantur, partim Servatorem de communi cognatione, quam absumtâ humanâ naturâ dedignatus non erat, commonefacturi. **Filius Davidis.**
3. *A satanæ malitia*; quæ humanâ industriâ averti nequit:
4. *A filia malè habentis & δαιμονιζομένης angustia.* Primum habet adfectum *materni mœroris*; secundum *divini amoris* & favoris; tertium *satanici angoris*; ultimum *doloris & tremoris*.

4. *Supplicationis operatio*, quæ ratione subjecti est gemina: ex parte Christi taciturnitas; ex parte discipulorum humanitas. Christus non respondit ei quicquam, quod in ipso novum & modò non insolitum. Omnes enim aliàs omnibus benefaciendi occasiones captavit, adflictos quoque ad se vocavit; & sine mora omnes ægrè habentes sanavit. *O mirum hoc & inauditum negotium*, exclamat Origenes: *flebilis hac mulier observat, clamat plorat, & consolatar omnium lugentium non respondet ei verbum.* Quid hîc causæ esse dicemus, qui muliere clamante silet? Causæ silentii fuerunt haut dubiè

Silentii Christi causæ.

1. *ansa calumniandi apud Judæos amputatio*; vide suprà:
2. *misericordiæ discipulorum revelatio*;
3. *patientiæ, prudentiæ, fidei & constantiæ in muliere probatio:*
4. *majoris desiderij in ipsa inflammatio:*
5. *beneficij exhibendi commendatio:*
6. *mulieris ad gratiarum actionem provocatio:*
7. *gentium informatio.* Vide Tungerl. part. 2. promt. p. 561. 562. & Aret. in Matth. p. 253. Silentium itaque non semper odii aut difficultatis est argumentum.

Discipuli ex adverso clamoris continuati pertæsi, *συμπαθείας* quoque adfectu tacti, pro muliere adflicta intercedunt, rogantes ejusdem *ἀπόλυσιν*, benignam dimissionem, ut certum det ei responsum, velit, nec ne; aut voti eam reddat compotem, expulso à filia dæmonio.

2. Secunda vox, est *vox fiduciæ*, in qua notetur

1. *Chananææ mulieris humiliatio*, declarata ejusdem ad pedes Christi provolutione. Duriter loqui cœperat Salvator, non mulieri, sed discipulis, quibus significaverat, hanc mulierem non exauditum iri, quia sit gentilis, non ovis Israelitica. Illa igitur non cessandum, sed instandum rata, gestûs etiam suos eò accommodat, ut & animi adflicti desiderium testetur, & ad commiserationem flectat Dominum.

2. *Brevior ejusdem oratio*, quâ omnem disputandi & elabendi occasionem præcidendo, ait: Domine, adjuva me, succurre mihi: atque ita uno quasi verbulo infinitas propemodum querelas in sinum Christi effundit.

3. Tertia vox, est *vox patientiæ & constantiæ*, quæ palmam tandem reportat. Nihil illam suspectum Christi silentium; nihil illam durior Christi responsio; nihil illam verba in speciem contu-

tumeliosa atque injuriosa (canis enim audierat) moverunt: artificiosè enim κτ̀ τὸ βίαιον invertendo argumentum, in ipsum Christum retorquet id, quod contra se dictum videbatur, inquiens: Etiam Domine; (ναὶ non est simpliciter concedentis, sed affirmantis; q.d. rectè colligis, benè dicis, fateor vera esse hæc omnia; sed eo ipso, quo me repellis, te mihi concedis & tradis) nam & catelli (etsi mensæ herili non adsident, nec jus filiorum in mensa habent, tamen suum quoque jus habent; quia) edunt (& cibantur) de micis, quæ cadunt ex mensa dominorum suorum; nemine illos prohibente, ne dum feriente aut abigente. Cùm ergò canes cibentur de mensa herili; ego quoq;, cum catellis reputata, jus illud canum mihi expeto; nolo locum filiorum occupare; nolo quenquam eorum extrudere; liceat solummodò mihi sub mensa manere, contenta ero micis, quas filii non curant, vel pedibus terunt. Ita proprio jugulatur Salvator gladio, ut manus victas Creator præbere cogatur creaturæ. Argumentum ita concludit:

Catella non est arcenda à micis herilibus:
Ego sum catella tua, mi Domine Jesu:
Ergò non sum arcenda à micis herilibus, sed cibanda sum abs te.
Confer D. Calixt. p. 259. 260.

USUS I. Informatorius.

I. De fidei probationibus & exercitationibus usitatis, tùm per externam adflictionem; Rom. 5,3. Tob. 12,13. Jac. 1,3. 12. tùm per auxilii dilationem; Job. 30,20. Psal. 10,1. & 13,1, & 22,3. Thr. 3,8. tùm per particularitatis indignatisque objectionem. **Fidei probationes.**

II. De modo exsuperandi ista, similesque alias fidei exercitationes. **Fidei tentationes exsuperantur**

1. *Tacendo*; Psal. 39,11.
2. *Orando, precibusq; instando*; Psal. 18,7. & 22,3. 6. & 130,6. Matth. 7,7. Luc. 18,1. 1. Thess. 5,17.
3. *Promissionibus universalibus innitendo*; Matth. 11,28 Joh. 3,16. Rom. 10,12. & 11,32. 1. Tim. 2,4. & 4,10.
4. *Ingenuè dignitatem confitendo*; Psal. 51,6. Dan. 9,18. Matth. 8,8. Luc. 15,21.
5. *Invertendo*; seu promissiones verbi obvertendo. Matth. 9,14. 1. Tim. 1,15. 1. Joh. 3,20.

III. Mundus quidem abhorret à cruce & adflictione; ea tamen piis omnibus est utilissima. Rom. 8,28. Gregor. *Deus in hac vita res-* **Crux utilis**

ele-

electis suis non promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, ut medicina more per amarum poculum ad salutis æternæ dulcedinem redeant. Vide Thes. Monr. p. 256.

Diabolo permittitur aliquid.

IV. Deus diabolo quandoque permittit tyrannidem suam exercere,

1. ad iram ac zelum suum adversus peccata significandum: Psal. 51,6.
2. ad probandum pios;
3. ad confundendum satanam. Ibid. p. 259.

Piorum lucta cum hostibus.

V. De continua piorum cum hostibus suis colluctatione. Hostes eorum sunt,

1. Deus, hostis putativus; Job. 19,6.11. & 30,21.
2. diabolus; Eph. 6,12. Matth. 4,3.1. Pet. 5,8. Apoc. 12,12.
3. mundus; 1. Joh. 2,16.
4. sangvis proprius & malus carnis adpetitus: Roman. 7,23. 1. Pet. 2,11. Matth. 15,19. 2. Cor. 10,5. Gal. 5,17.
5. crucis & calamitatum concursus: Job. 10,17.
6. eques pallidus, h.e. mors hostis ultimus. Apoc. 6,8. Os. 13,14 1. Cor. 15,54.55. Job. 7,1.

VI. De στοργῆς maternæ erga liberos vehementia: matres enim, Philosopho teste, sunt φιλοτεκνότεραι, lib. 9. Eth. c. 7.

VII. De orationis jaculatoriæ, à muliere profectæ, excellentia: Est ea

1. *in sacris literis fundata*; Ier. 23,6. Esa. 63,1. & 43,3.
2. *à sanctis aliis frequenter usurpata*; Esth. 13,14. Ps. 3,8.9. & 7,2. & 12,2. & 38,22. & 29,10. Matth. 8,25.
3. *Deo φιλανθρώπῳ grata*; Ps. 145,18. Esa. 65,24. Ps. 6,5.9. & 31,23 & 34,5. Marc. 9,22.25. Vide Tungerl. part. 2. promt. Evang. pag. 554. seqq.

II. Consolatorius.

I. Quod etiam fœminei sexûs multùm apud Deum ponderis habeant. 1. Sam. 2,12. Judith. 9,14.15.16. Esth. 13,14. Vide Meelf. th. 1. seqq.

II. Quòd in futura vita non ampliùs preces pro nostra conditione Christo offeremus, nisi fortè beati pro relictis in genere Deum invocent, ut feliciter hinc emigrent & ipsi. Luc. 16,28. Apoc. 6,9. Esa. 63,16.

III.

III. Quòd tunc non ampliùs micas sub mensa colligemus, sed totam gratiæ & lætitiæ plenitudinem possidebimus. 1.Petr.3, 7. Matth. 8,11.

III. Monitorius.

I. Ut pro aliis, in calamitatibus constitutis, Deum oremus, idque à nobis omnibus requirit

Orandum etiam pro aliis.

1. Christiana caritas: Nam, secundum Augustinum, *pro seipso orare est necessitatis; at pro salute proximi rogare, est caritatis.*

2. Summa propinquitas: 1. Cor. 12, 13.

3. Mandati auctoritas: Rom.12,13. 1.Timoth.2,1.2. Coloss.3,12. Jac.5,16.

4. Exemplorum dignitas: Genes.18. in Abrahamo; Exod.32. in Mose; 1.Sam.12. in Samuele &c.

5. Ipsa necessitas. Sir. 18, 26.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

II. Ut in omni adflictione ad Deum solum verâ fide ac humili oratione confugiamus. Ps.121,1. Vide Thes. Monradi p. 260. & 261. ubi modum simul orandi docet, quòd orandum sit

Orandi modus.

1. verbis paucis & ponderosis; Matth.6,7. Exod. 14,15.
2. singularibus animi motibus;
3. verâ fide; Jac.1,6. Rom.8,26.
4. super misericordiam Dei orationem exstruendo;
5. necessitatem κατ' εἶδος exprimendo:
6. beneficiis præteritis spem firmando.
7. Constanti animi fiduciâ & firmâ spe auxilium divinum patienter exspectando. Ibid. p.261. 262. 263.

III. De virtutibus mulieris Chananææ attendendis & piâ imitatione exprimendis; cujusmodi sunt

Virtutes muliebres

1. Φιλοστοργία, seu vera erga sobolem caritas; quæ curam liberorum secum trahit. Parentum est

Parentum officium & liberorum.

1. orare pro liberis;
2. disciplinam domesticam accuratè servare;
3. labori liberos adsvescere;
4. exemplis bonis prælucere. Liberorum est
   1. contra diabolum orare;
   2. disciplinam non aspernari;
   3. otium vitare;
   4. conversationem malorum cavere;

5. Deum ex utraque parte timere. At hoc nostro seculo
blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

2. *Fidei celsitas:* Etsi enim non omnes tàm arduum possumus volare; conatus tamen semper est laudandus. Hic nostrum est
1. ad Christum confugere;
2. ardenter & instanter orare;
3. tentationes superare; modum vide in usu informatorio.

3. *Spei firmitas.* Rom.5,3.
4. *Humilitas.*
5. *Ingeniositas.*

IV. Refutatorius.

Papismus de Ecclesiæ visibilitate. Pontificiorum, qui 1. τὸ visibile propriam Ecclesiæ veræ notam constituunt. Schererus pag. 264. postill. Das ist das rechte Kenn-vnd Merckzeichen der wahren Kirchen / vnd wahren Evangelii vnd Gottesdienst/nemlich/offentlich vnd sichtbar seyn. Resp.1.Sed non semper: ubi visibilis Ecclesia temporibus Eliæ? 2. A positione unius ad negationem alterius, non valet consequentia. Non sequitur; Ecclesia datur visibilis: Ergò nulla invisibilis. Dominus enim novit suos, mundo inconspicuos. 2.Tim.2,19.

Et invocatione sanctorum. 2. Religiosam sanctorum demortuorum invocationem exemplo discipulorum, pro muliere Chananæa Christo supplicantium, suffulcire magno quidem, irrito tamen conatu satagunt. Non attendunt miseri cæcorum ductores, cæci & ipsi, quòd
1. intercessione suâ parùm aut nihil omninò, præter duram Christi responsionem impetrârint discipuli.
2. Sponte hoc fecerint, nunquam ob id à muliere rogati:
3. non exemplis, sed legibus statutisque divinis causa omnis æstimenda, ponderanda, dijudicanda:
4. maxima demum in exemplis sit dissimilitudo. Vide suprà. Confer D. Meelf. in Vindic. th.38.seq.

De Lutheri tentationibus ob Missam. 3. Lutheri famam & doctrinam rabiosorum canum instar odiosè allatrant & traducunt, quòd alicubi scribat & conqueratur, se hostiles satanæ impetûs, tùm aliàs sæpiùs, tùm vel maximè in negotio Missæ sustinuisse; atque hinc ipsum familiaritatis & conversationis nescio cujus insimulant, doctrinam autem illius suspectam reddere conantur. Sed fallaciam committunt παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον; neque enim statim impii sunt proclamandi, quos satanas tentat, & cominus q. ac familiariter adgreditur. Quid verò dicent ad congreßus cum diabolo, quos de suis scribunt Eremitis, eosque plenis

buc-

buccis deprædicant. Annon ejusdem impietatis reus agendus Christus, qui & ipse Matt. 4, 1. seq. diaboli impetûs satis graves sustinuit? Quid statuent de Paulo, qui à satanæ angelo colaphizatus legitur, 2. Cor. 12. 9. Plura vide apud Dn. Meelführerum in Vindic. Dom. Invocavit, th. 121. & Reminisc. th. 49. seq. D. Theodor. p. 600. annal.

PARS II.

Jam parte secundâ Christi quoque tùm sermones, tùm facta in considerationem veniunt. Surdus ille quidem primo videbatur congressu; responsum tamen illi extorquetur triplex.

Missio Christi ad oves Isr.

I. Primum videtur *durum & odiosum*, quo se non nisi oviculis Israëliticis missum profitetur: Non sum missus, nisi ad oves perditas domûs Israël. Quæ verba continent,

1. *missionis determinationem:* quàm latè enim patet oviculaium perditio; tàm latè patet Christi missio sive legatio. NB. Distingvendum autem hoc loco, inter externum Christi ministerium, & salutare ipsius beneficium, sive officium: illud speciale, hoc universale. Vide Calixt. p. 158.
2. *Necessariam instructionem*, de privilegiis & prærogativis populi Israëlitici, de quibus passim exstant præclara in Scripturis V. & N. T. testimonia. Non enim nisi in terra Israëlitide nasci debuit Messias, & videri, & audiri & miracula patrare.

II. Secundum responsum adparet *mirum & contumeliosum*. Cùm enim precando Chananæa non desisteret, & in via coram Domino procideret, auxilium ipsius flexis poplitibus & miserabili voce implorans, tale tulit responsum misera: *Non est bonum, honestum seu conveniens, sumere panem filiorum & objicere catellis:* q. d. boni patrisfamiliâs non est, liberos spoliare pane, & illo canes alere; quia panis primariò, ratione finis principalis in usum hominis est repertus & datus. Israëlitæ sunt filii, his debetur panis, h. e. beneficia Messiæ: gentes sunt canes, istis indigni: Ergô non est quòd speres, me Judæis erepturum panē, & in gentes collaturum. Canes autem in scripturis sunt & dicuntur hominum infimī. 1. Sam. 24, 15. 2. Sam. 3, 8. 9. & 16, 9. 2. Reg. 8, 13. Dura admodum hæc fuit mulieri responsio, sed & partem aliquam contumeliosa, dum canis audire cogitur. Sumi autem potest hæc adpellatio tàm in malam, quàm in bonam partem accipi, ratione vitiorum & virtutum, quæ in hoc animali deprehenduntur. In malem partem sumitur, comparatio gentilium cum canibus, propter

Canes.

Gentes canibus comparantur.

1. *contemtum & vilitatem*; est enim animal vilissimum canis; tales gentes in oculis Judæorum: 1.Sam.17,36.
2. *Impuritatem*, tàm ratione ortûs, quàm ratione actûs: Rom.1,26. 1.Thess. 4,4.5. 2.Petr.2, 22. Deut.23,18.
3. *Idololatriæ fœditatem:*
4. *Indignitatem:*
5. *Rabiem & crudelitatem:*
6. *Instabilitatem.*

In bonam ex adverso partem sumi potest, propter
1. *patientiam & humilitatem;*
2. *indagandi & venandi sagacitatem;* Joh.5,39.
3. *ingentem erga catulos caritatem:*
4. *doloris ob ademtos catulos gravitatem:*
5. *dominorum erga canes æquanimitatem & benignitatem*, quam exercent, 1. *suaviter cum ipsis ludendo;*
Ludit in humanis divina potentia rebus:
2. *esurire eos non permittendo:*
3. *pigros & inobedientes percutiendo.*
6. *clementiam erga dominos & lenitatem:*
7. *cibi aviditatem.* Vidé histor. anim. sacr. D. Frantz. p. 223. seq. & confer D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 176.

III. Tertium Domini verbum est *gratum & victoriosum*. Concesserat mulier totum argumentum, de canina sua indignitate; sed per inversionem & παρῳμολογίαν supponit aliud; esto, sim canis; at jus mihi caninum derogari nequit: liceat ergò micas panis colligere.

Hîc victus ac constrictus cùm teneatur Jesus, frontem hactenus corrugatam exporrigit, & serenum induens vultum exoptató mulierem dignatur responso, quod continet

Fides Chananææ magna.

1. *magnificam fidei prædicationem:* O mulier, magna est fides tua! Magna propter *constantiam*; toties enim repulsa non est defatigata. Magna propter *notitiam; adsensum & fiduciam*, quæ artificiosam conjunctam habet adplicationem. Magna propter subjecti ἀσθένειαν, quia mulieris & Chananææ sive gentilis hominis fides erat. Magna propter *objecti eminentiam*, quia magna impetrabat à Christo; donum filiis solis adpropriatum, canibus negatum. Magna propter *effecti præstantiam*.

2. Opus

2. *Optatam & speratam filiæ liberationem:* Fiat tibi sicut vis, h. e. interprete Chrysostomo, tu filiam cura, tu esto Medicus, tibi committo medicamentum. Et sanata est filia ejus ex eo tempore, ut videas, nec verbum Christi fuisse otiosum, nec vanam fuisse promissionem, nec irritam fuisse hominis fiduciam.

USUS I. Informatorius.

I. De causis moræ ac silentii, in ferenda ope Christo admodum usitati; *Silentii Christi causæ.*

1. ut preces piorum magis exsuscitet; Esa.26,19.
2. ut malè nos orâsse demonstret; Rom.8,26. Jac.4,3.
3. ut par pari referat; Nam nec nos vocantem statim admittimus. Esa. 65,2.
4. ut cordis insolentiam & duritiem frangat ac emolliat.

II. De Israëlitarum quondam præ gentibus prærogativa. Heb.1,16. Deut.4,20. 2.Sam.7,23. Jer.51,19. Esa.5,1. seq. Ps.147,19.20. Joh.1,12.13.

III. De duplici Israëlis familia, carnali & spirituali. 1. Cor. 10,18. Rom.9,7.8. Gal. 4,22.28.

IV. De ratione Christianismum in hoc Evangelio exercendi & corrigendi. *Christianismi exercitia.*

1. *Potestatem diaboli ob oculos statuendo:* invadit permissu Dei homines corporaliter; nec parcit junioribus. Quæ causa rei, in junioribus præsertim?
   1. *originalis contagio;*
   2. *matrum prægnantium exorbitatio;*
   3. *parentum exsecratio &c.* vide dispos.I.
2. *Crucis praxin addiscendo;* vide ibid.
3. *Virtutes Cananææ imitando;* vide part. I.

II. Consolatorius.

I. Ex universali Pastoris & Redemtoris Jesu Christi conditione. Talem verò eum esse novimus *Christus redemtor universalis.*

1. *ex certa Scripturarum attestatione;* Esa.49,9. Hagg. 2,8. Luc. 2, 32.
2. *ex sancta Christi adseveratione;* Joh.10,16.
3. *ex infallibili facti declaratione;* Matt.8,11. & 15,28. Luc.17,19 Joh.4,53.

4. ex universali Apostolorum ad gentes ablegatione. Matth. 28,19. Marc.16,15.

II. Ex simulata Christi occultatione. Tandem enim vultum gratiæ ac clementiæ suæ revelat. Psal.30,6. & 68,20. Esa.4 ,14. & 54,7. Thr.3,33. Jac.1.12.

III. Quòd ponderatis priscorum seculorum exemplis nemo pudore adfectus sit, qui suam in Domino fixam ac locatam habuit fiduciam. Sir. 2,11. Joël.2,32. Psal. 33,18. 19. & 34.7. Rom. 10,12. Eph. 3,20.

IV. Quòd Christus ad exaudiendum & juvandum semper sit promtissimus.

V. Quòd Deus nobis orantibus præsens sit, etiamsi oculis corporeis non conspiciatur. Deut.4,7. Ps.91,15. & 145, 18.

III. Monitorius.

Precum causæ impellentes.

I. De petitionis adsiduæ causis impellentibus duabus:
1. miseriæ nostræ magnitudine;
2. misericordiæ divinæ amplitudine.

II. Ut canes mansveti, vigilantes & pœnitentes tria præstemus:

1. diligenter vigilemus & latremus pro Domino; Esa.56,10. Prov.26,11.
2. Ubi lautius tractamur, ibi cum voluptate & libenter commoremur; in Ecclesia & templo Domini: Col.3,16.
3. Propter delicta percussi domum & mensam Domini non deseramus.

Oves perditæ.

III. Oviculas nos miseras confiteamur, vocemque Pastoris studiosè sequamur. Psal.119,176. Johan.10,27. Oves perditæ sumus,

1. propter naturalem corruptionem;
2. propter universalem seductionem. Vide locum de peccato.

Electionis solatium.

IV. Quid mentem hominis, in doctrina de electione, tranquillam reddere potissimùm valeat. Non operum merita; non fides antehac deprehensa; non spes, de futura fide; non alia, quæ à Pontificiis & Calvinianis doctoribus producuntur sive merita, sive remedia: sed magna illa fidei πληροφορία, quæ certò statuit, Deum ἀπροσωπολήπτως omnium hominum salutem, servato tamen ordine divinitùs præscripto, seriò velle, 1. Tim.2,4. misisse Filium suum omni-

omnibus hominibus, Joh. 3, 16. eundemque factum ἀντίλυτρον pro omnium hominum peccatis, 1. Joh. 2, 2. Evangelium quoq; omnibus annunciare remissionem peccatorum per fidem in Jesum Christum. Marc. 16, 16. Act. 10, 43. & 13, 38. & 17, 30. Confer Vindic. Meelf. th. 63. seq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

QUo pacto contra hostem generis humani infensissimum satanam more Christiano sit dimicandum, superiore Dominicâ didicimus: Jam videbimus, carissimi, *quales nos gerere debeamus, si quando cum Deo ipso, salutisq; nostræ dispensatore unico Jesu Christo in schola & lucta fidei nobis sit congrediundum, ne succumbamus, sed cum muliere Chananæa tandem vincamus, & immarcessibilem gloriæ vitæq; æternæ coronam reportemus.*

Ἐξήγησις.

Doctrinam jam modò nobis propositam quàm rectissimè & intueri & addiscere licet, in exemplo mulieris, pugnam spiritualem cum ipso Creatore, animæque suæ Redemtore Jesu Christo ineuntis. Certamen verò hoc, vel velitationem hanc spectaturis tria probe observanda veniunt:

Contra Deum quomodo in lucta & schola fidei pugnandum.

1. *Ingressus*, sive initium certaminis;
2. *Progressus* sive certamen ipsum;
3. *Egressus* seu finis certaminis.

Ingressus in aciem producit personas dimicantes. Ex una enim parte adstat Christus, de quo pronunciat Matthæus,

1. quod secessionem quandam à Judæis fecerit; *Scribis*, inquit Hieron. in Matth. fol. m. 23. *& Pharisæis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri & Sidonis, ut Tyrios Sidoniosq; curaret:*
2. quòd ad gentium ille fines devenerit: quia quando à Judæa Christus exivit, tunc & Ecclesia gentium, terminos suos egressa, adire ipsum ausa est. Qui enim ejecti sunt, ne Judæos perverterent, hi adeò ipsis Judæis meliores fuerunt, ut terminis suis relictis ad Christum accederent, cùm Judæi ad ipsos venientem extruserunt, ait Chrysost. hom. 53. in Matth. f. 102. a.

Ex

Ex altera parte in arenam descendit mulier Chananæa, immenso calamitatum domesticarum onere pressa & tantùm non depressa; ad Christum salutis fontem magno conatu, & cursu quasi concitato adproperans, quin & miserabiliter clamans; de qua iterum d. L. Chrysost. Cùm accessisset, nihil aliud, nisi miserere mei, exclamabat; & ingens spectaculum clamore suo concitavit. Erat enim certè miserabilis quædam res, mulierem adspicere tàm magno dolore coactam exclamare. Hæc ille. Benè autem illa, quod Christum inclamat: ad hanc enim sacram anchoram in omnibus vitæ, corporis animæque adversitatibus unicè esse confugiendum, suo nos mulier ista exemplo laudabili edocet. Est enim Deus salvationum: Psal. 68, 20. Esa. 45, 22. & 63, 1. Exod. 15, 26. Matth. 11, 28. Johan. 6, 37. Prov. 18, 10.

In cruce ad Christum.

Progressus ipsam nobis *μονομαχίαν*, pugnam sive velitationem singularem ob oculos statuit, in quatuor potissimùm actûs sive conflictûs distinctam.

I. Primo actu vel conflictu inter se dimicant
supplicantis calamitas, &
Christi taciturnitas.

Calamitas mulieris miseræ occurrit duplex:

1. *Spiritualis*, quòd homo gentilis, Chananæa, ex numero eorum, de quibus Eph. 2, 12. & 4, 17, 18. legitur

2. *Corporalis*, filiæ morbus, gratiâ cujus Christum compellans [illegible] Miserere mei Domine, fili David, filia mea à dæmonio agitat[illegible] *δαιμονίζεται*. Hieron. *Inde novit vocare filium David, quia egre[illegible] jam fuerat de finibus suis, & errorem Tyriorum ac Sidoniorum loci [illegible] dei commutatione dimiserat.* Et Origenes: *Hæc*, inquit, *mulier [illegible] fuit oraculis incitata, nec doctrinis salutaribus imbuta, nec Christi m[illegible] culis tracta, nec auditu èdocta, tamen Jesum verum Deum & homin[em] est confessa. O prudentia fœminæ, non ivit ad homines seductores, n[on] consuluit dæmones, sed illud considerans, Psal. 59. in Deo faciemus virtutem, clamat: Fili David, qui misericordiâ consecutus es regnum, psallendo superâsti diabolum, miserere mei, quia sum tuæ creationis factura, tuæ dilectionis figura; filia mea vexatur à diabolo. Ecce! pars corporis mei violatur, quæ priùs erat filia mea facta est dæmoni[illegible]; ejus pœna mihi dolor est; ipsa patitur, ego d[illegible]. Con[illegible] ergo dolorem, [illegible] patior, non culpam, quâ rea teneor.*

Quid autem ad hæc Christus? Ne gry quidem re[illegible], [illegible] dâ aure præterit omnia; quin Marco teste ca[illegible] 7, [illegible]

dam abit, faciem veluti suam à mulier*e* isthac planè occultaturus. Hieron. d. l. ideò factum putat, ne sententiæ suæ videatur esse contrarius, per quam jusserat in viam gentium non abire Apostolos. Matth.10,5. Confer D. Pelarg. 157.

Eadem hodieque nos quandoque premit calamitas. Etsi enim (quod singulari Dei præpotentis clementiæ acceptum unicè ferendum;) non corporali modo à satana κακόεργῳ adfligamur: quotidie tamen spirituales ipsius μεθοδείας, tentationes ac vexationes experiri & sustinere cogimur. 2.Timoth.2,26. 1.Petr.5,8. Apoc.12,9. 12. Quid verò agendum? Christus ad nostras quoque calamitates haut rarò tacet: Psal.10,1. & 13,1. & 77,8.9.10. Ose.5,6.15. Cant. 2, 9. Esa. 49,14.& 64,15. Ad ipsum nihilominùs properandum; in domo suâ quærendus, in quam sese abdidit. Exod.20,24. Clamantes audiet; quærentibus se obviabit. Ps.25,6. & 34,5.6.7. & 50,15. & 91,15. Matt. 7,7. Esa.54,7. & 55,6. Hab. 2,4. August. *Non vult citò dare, ut discas ardentiùs orare.* Quod si feceris, felici Marte pugnabis, & tandem fidei victor evades.

Diaboli tentationes

II. Secundo actu vel conflictu invicem pugnant,
discipulorum intercedentium charitas; &
Christi austeritas.

Discipuli ex pio adfectu pro adflicta intercedunt: Christus duriter admodum respondet: non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israël. Hieron. *Discipuli illo adhuc tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordiâ commoti, rogabant, vel importunitate ejus carere cupientes; quia non ut clementem, sed ut durum Medicum crebrius inclamaret.* Disce verò

1. proximo condolere, & pro ipsius necessitate Deum orare.

2. Sanctorum demortuorum intercessionibus diffidere. Theophyl. in Joh. 5. ait: *Observa, quòd licet sancti pro nobis orent, tamen nos pro nobis ipsis petentes, magis audimur.* Sic & Chrysostomus de hac Chananæa inquit: *Vis discere, quòd etiam per nos ipsos orantes apud Deum plùs efficimus, quàm dum alii pro nobis orant. Clamavit Chananæa, & accesserunt discipuli dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Vides quomodo repulit, cùm alii precarentur? Ubi verò ipsa clamavit orans, annuit. Quia enim misericors est Dominus noster, non sic annuit cùm oratur ab aliis pro nobis, ut cùm à nobis ipsis.* Et iterum: *Vide prudentiam mulieris, non rogat Jacobum, non obsecrat Johannem, neq; pergit ad Petrum, nec intendit ad Apostolorum chorum, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ Advocati locum adim-*

Sanctorum invocatio falsa.

Vuu ple-

plevit, & sic ad summum fontem perrexit. Idem: *Non opus est patronis apud Deum neq; ullo discursu, ut blandiaris aliis; sed licèt solus sis, patronóq; careas, & per teipsum Deum preceris, tamen voti compos eris.* Non est igitur, cur Papistæ suam nobis Sanctorum invocationem obtrudant, ut pro nobis apud Deum intercedant, cùm à Deo confestim non exaudimur, quod Stapletonus in promt. cathol. p. 41. inde colligit. Nam si vel maximè concedatur, Apostolos & alios sanctos defunctos pro nobis intercedere, nondum tamen evictum, eos religiosè à nobis esse invocandos. Vide plura apud D. Gerhard. Tom. 8. L. C. p. 902.

3. Tentationem de particularitate vincere,

Particularitat.

1. tacendo;

2. verbum & media salutis adprehendendo; Psal. 27, 8.

3. ordinem præscriptum attendendo. Confer præced. [illegible]

III. Tertio actu vel conflictu inter se prælia miscent

1. Supplicantis humilitas, &

2. Personæ indignitas.

Mulier ad pedes Christi prostrata precando indefinenter instat: Domine adjuva me. Christus canem illam vocans indignam beneficiis suis haut obscurè pronunciat. Observa præcipuas orationis veræ virtutes; quarum

Orationis virtutes.

1. humiliatio; Esa. 66, 2. Psal. 51, 8. Luc. 18, 13.

2. Ingenua confessio; Dan. 9, 18. Phil. 2, 10. Matth. 8, 9. & 11, 29.

3. Constantia; Joël. 2, 13.

IV. Tandem actu sive conflictu quarto concurrunt,

fidei sinceritas, &

Domini benignitas.

Fides est *1. indignitatis confessio;*

2. argumenti inversio. Ps. 32, 6. Matth. 9, 14. 1. Tim. 1, 15

Bonitatis est, quod precibus adflictæ annuit. Ps. 145, 18. 19.

Hinc ergo *Egressus* vel finis certaminis admiratione perquam dignus elucescit. Invincibilis enim & omnipotens manus victas concedere cogitur; *1. fidem mulieris publicè commendando;*

2. filiam miraculosè solo verbo sanando. Jos. 10, 13. 2. Reg. 20, 11.

Habes, ô bone, quod imiteris, quando cum ipso Deo tibi est congrediundum. Disce mores, disce morás Salvatoris Christi. Calamitatibus immersus ad ipsum properè adcurre. Tacet? Loquere. Oviculas Israëliticas objicit? Oppone gentiles. Audis canis? N[illegible] nega; humiliter confitere, deprecare, inverte; sic fidei victoria cedet. Oremus:

mus: *Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interiùs exteriusq; custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen, Amen, Amen!*

DOMINICA OCULI
EVANGELIUM

Luc. 11. à vers. 14. ad 29.

14. ΚΑὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν· ἐγένετο δὲ τοῦ δαιμονίου ἐξελθόντος, ἐλάλησεν ὁ κωφός· καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι.

15. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπον· ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.

16. Ἕτεροι δὲ πειράζοντες, σημεῖον παρ' αὐτοῦ ἐζήτουν ἐξ οὐρανοῦ.

17. Αὐτὸς δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὰ διανοήματα, εἶπεν αὐτοῖς· Πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει.

18. Εἰ δὲ καὶ ὁ σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ὅτι λέγετε, ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλειν με τὰ δαιμόνια.

19. Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο κριταὶ ὑμῶν αὐτοὶ ἔσονται.

20. Εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

14. *ET erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: cumq; ejecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ.*

15. *Quidam autem ex eis dixerunt: per Beelzebul principem dæmoniorum ejicit dæmonia.*

16. *Et alii tentantes signum de cœlo quærebant ab eo.*

17. *Ipse autem cùm sciret cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum adversus seipsum divisum desolatur; & domus super domum cadit.*

18. *Quod si satanas quoq; adversus seipsum divisus est; quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, per Beelzebul ejicere me dæmonia.*

19. *Quòd si ego Beelzebul præsidio ejicio dæmonia: filii vestri cujus præsidio ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.*

20. *Porrò si digito Dei ejicio dæmonia; profectò pervenit ad vos regnum Dei.*

Matt. 9, 32. & 12, 22.
Matth. 9, 34. Marc. 3, 22.
Matt. 12, 25. Marc. 3, 24.

21. Ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

22. Ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει, ἐφ᾽ ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν.

23. Ὁ μὴ ὢν μετ᾽ ἐμοῦ, κατ᾽ ἐμοῦ ἐστι· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ᾽ ἐμοῦ, σκορπίζει.

Matt. 12, 43. 24. Ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι᾽ ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν· καὶ μὴ εὑρίσκον, λέγει· ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον.

25. Καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον.

26. Τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων.

2. Pet. 2, 20. Hebr. 6, 4.

27. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπεν αὐτῷ· μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας.

28. Αὐτὸς δὲ εἶπε· μενοῦνγε μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν.

21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.

22. Ubi verò fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit.

23. Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.

25. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam atq; ornatam.

26. Tunc vadit, & adsumit septem alios spiritus secum, nocentiores ipso: & ingressi habitant ibi. & fiunt extrema hominis illius pejora primis.

27. Factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

ENarrationem Evangelii præsentis suscepturi, ad consvetam illud initiò redigimus τριχοτομίαν: agitur enim hoc loco

I. De obsessi hominis à satana liberatione;

II. De judiciorum variorum commemoratione;

III. De apologetica miraculi vel facti defensione.

Unde patet diversa occurrere in hoc Evangelio causarum genera. Ver-

Verſatur enim partim in genere Demonſtrativo; partim in genere Judiciali, ejusque ſtatu juredíciali. Disputantur enim, an Chriſtus legitimè dæmonia ejiciat? Ubi etiam ex genere Deliberativo nonnulla admiſcentur, quoad comminationem, de ſubjecta infelicitate eorum, qui ſemel liberati à ſatana denuò eidem locum & hoſpitium concedunt.

PARS I.

Cenſent nonnulli, eſſe hanc hiſtoriam aliam ab ea, quam Matth. c.12,22. & ſeq. Marcus cap.3,20. ſeq. habet; atque hanc ſententiam tenuiſſe Dn. D. Chemnitium patet ex eo, quod utramque diſtinctis capitibus, magno abs ſe intervallo diſtantibus pertractat, illam cap. 59. hanc cap.108. pag.1001. inſuper ita ſcribat: nihil abſurdi erit, ſi intelligamus hiſtoriam, quam Lucas dicto in loco deſcribit, non eandem eſſe cum hac, quæ Matth.12,22. & Marc.3,22. extat. Alii contrà pro eadem ſumunt ob rationes, quas annotat D. Pelarg. in Matt. cap.12. loc.4. qu.1. f.149. Confer D. Hunn. in Matth. D. Theodor. p. 597. Res eſt quæſtionis, non fidei, ſuum itaque cuiq; liberum relinquimus judicium.

Miraculum verò ipſum brevisſimè à Luca deſcribitur, qui trium facit perſonarum mentionem.

1. *Diaboli*, qui miſerum hominem corporaliter invaſit. Dicitur δαιμόνιον κωφὸν, per metonymiam effecti pro cauſa: intelligitur enim diabolus, qui lingvam hominis obſesſi ligaverat, ne animi ſenſa poſſet proferre, atque ita mutum effecerat. Confer Marc.7,32. & 9,17.

2. *Hominis obſeſſi*, qui mancipium, Deo permittente, factus eſt ſatanæ: unde Matth.12,22. vocatur δαιμονιζόμενος, dæmoniacus, h.e. à diabolo obſeſſus, vexatus, agitatus: & additur, quòd fuerit non tantùm κωφὸς, ſed & τυφλὸς: illud interdum & mutum & ſurdum, hoc cæcum ſignificat. Talis fuit, nón naturæ vitio; organa enim viſûs, auditûs & lingvæ ſana & illæſa fuiſſe conſentaneum eſt: unde etiam ante obſeſſionem loqui, audire ac videre illum potuiſſe, dubium planè eſt nullum: ſed tyrannide & malitiâ diaboli, ligantis & cohibentis organa ſenſuum, eò miſeriæ reductus eſt, ut nihil articulatè loqueretur, ſed horrendos ſaltem boatûs & clamores ederet, nihilque vel videret, vel audiret. Quo nomine tantò calamitoſior factus coram iis, qui anteà eum noverant. Confer D. Chemn. cap.59. p.1008.

δαιμονιζόμενος.

κωφός.

3. *Christi*, adductum dæmoniacum sanantis, satanamque digito Dei expellentis: (verbum ἐκβάλλειν propriè de violenta expulsione usurpatur Matth. 21,39. & Marc. 12,8. Matth. 22,13.) quo expulso dæmoniacus rectè, articulatè & sobriè loquitur, h.e. qui jam antè fuerat mutus, jam non amplius talis est. Matth. 11,5. Atque ita unâ operâ geminum Salvator edidit miraculum; unum, quod divinâ virtute satanam expulit: alterum quòd misero homini usum lingvæ rationisque restituit.

ἐκβάλλειν

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Diaboli malitia & tyrannis.

I. Monemur iterum de tyrannide, odio & malitia diaboli erga homines; ideò enim permittit interdum Deus aliquos corporaliter obsideri, ut ceteri videant, quid quantumque valeat hic hostis, si manum Deus suam subtrahat. 1. Petr. 5,8. Luc. 22,31. Apoc. 12,12.

Diaboli infestationes duplices.

II. Infestationes satanæ sunt duplices; *1. spirituales* & internæ, 2. Cor. 7,5. exempla habet D. Theodor. p. 598 & *2. corporales*, factæ vel visibili adsumtâ specie. Gen. 31,1. 1. Sam. 28,14. 1. Reg. 22,22. vel solâ voce; vel corporali obsessione. Ibid. p. 599.

Christiani diabolicas caveant execrationes &c.

III. Cavendum piis Christianis omnibus, (1) ne temerariâ levitate vel seipsos vivos diabolo ad tertium quodque verbum devoveant; vel aliis multa diabolorum millia imprecantur: (2) ne illicitis modis ac mediis dæmones ac lemures provocent, aut fœdera ac pacta cum illis feriant: (3) ne peccatis suis invadendi, tentandi ac obsidendi ansam præbeant. Ibid. p. 601.

IV. Sine intermissione itaque orandum, ne in tentationem nos Deus incidere permittat. Jac. 4,7. Matth. 17,21. Eph. 6,18.

Obsessio corporalis typus spiritualis.

V. Corporaliter obsessus imago est eorum, qui spiritualiter à satana obsidentur. 1. Cor. 2,14. 2. Cor. 4,4. Psal. 58,5. Eph. 2,2. 2. Timoth. 2,26. Joh. 8,34. & 13,2. D. Theod. p. 602.

VI. Ingens Dei beneficium est, os & lingvam in laudes Dei posse aperire. 1. Petr. 2,9. Phil. 4,8. Col. 4,6. Jac. 3,9.

Diaboli ejectio probat Christum Deum & Messiam.

VII. Ejectione diaboli Christus verus Deus, ac proinde unigenitus Dei Filius verè evincitur.

IIX. Ex eodem opere verus etiam Messias demonstratur. Act. 10,38. 1. Joh. 3,8. Vide D. Theod. p. 602.

Officium Christi.

IX. Christi officium est, destruere opera diaboli. Opera autem diaboli sunt, peccatum, mors & innumeræ miseriæ aliæ, quæ ple-

plenis plaustris ac velis Ἐπιχαιρέκακος iste invexit, postquam generis nostri principes astu suo decepit. 1. Joh.3,8. Hebr.2,14. Col.1,13. & 2,15.

X. In obsesso homine habemus speculum

1. humanæ miseriæ;
2. diabolicæ malitiæ ac potentiæ;
3. seriæ ac veræ pœnitentiæ;
4. consolationis efficacissimæ.

PARS II.

In secunda parte sequitur effectus miraculi, qui pro diversitate subjectorum, h.e. spectatorum & auditorum, partim bonorum ac simplicium; partim malorum ac contumacium; partim denique tepidorum & neutralium est varius. Quatuor autem potissimùm reperiuntur judicantium de miraculo ejecti dæmonii classes.

I. Primâ classe continentur *turbæ, potentiam in Christo divinam agnoscentes*; de illis pronunciatur, quod admiratæ fuerint: Matth.12,23. ἐξίσταντο, quod verbum usurpatur, quando quis admiratione rei inusitatæ & inopinatæ attonitus q. obstupescit. Erat enim miraculum ejusmodi, quod neque contemni, neque elevari ullo modo poterat; sed omnes in admirationem ac stuporem meritò rapiebat, quippe in quo manifesta divinæ potentiæ vestigia elucebant; ideoque Matth.12,23. Messiam esse Jesum Nazarenum vel inde conjecturam faciunt; dicentes: numquid hic est Filius ille David. Usitata enim tunc fuit turbis hæc Messiæ περίφρασις, quia post Patriarchas promissio specialiter ad domum & familiam Davidis de Messia à Deo fuerat directa. 2. Sam.7,12. Psal.132,11. Esa.35,5. Hæc admiratio prima continet fidei in populo isthoc semina.

ἐξίστασθαι.

II. Secunda classis est *Pharisæorum*, per quos intelligimus eos maximè, qui in Synagogis ordinarium docendi locum tenebant. Illi verò populi admirantis judicio ac sermonibus excitati, miraculum, quod negare & extenuare non poterant, virulentis calumniis arrodere malitiâ planè diabolicâ præsumunt. Persvadere enim populo conantur, magicum quid subesse isti miraculo: (Magiam autem tum temporis in Judæa exerceri solitam, multosque incantatores fuisse, ex Josepho & Actis Apostolicis patet, cap.8,9. &

Pharisæi blasphemi.

Magia Judd.

13,

13,8. & 19,13.) atq; ita efficientiam ipsius ad auctorem satanam esse referendam.

Intentio ergò Pharisæorum est: Jesus iste Nazarenus non propriâ virtute, sed per Beelzebub, dæmoniorum principem ejicit dæmonia, quemadmodum videtis, alios quoque maleficos, magos & exorcistas dæmoniorum operâ idem quandoque præstate. Caput autem seu principem in regno tenebrarum vocârunt Beelzebub, q. d. regem vel dominum muscarum. Nam בַּעַל est dominus, propriè in domo sua, paterfamiliâs, herus: זְבוּב autem significat muscam, propriè venenatam, quæ suâ infectione vel pretiosissima corrumpit. Eccl.10,1. Erat olim Beelzebub idolum Philisthinorum in Accaron, ut patet ex 2.Reg.1,2. quod nomen ipsi inditum, propter muscarum copiam, quibus templum idoli istius, propter sacrificiorum frequentiam, scatebat. Judæi, secuti ἔτυμον suæ lingvæ, principem dæmoniorum ita nominate solebant, quod dæmonia muscarum instar homines vexent; vel in aëre, ubi potestatem habent, Ephes.2,2. tanquam muscarum examina præ multitudine circumvolitent, quærentes quos devorent. 1. Pet.5,8. Alii contemtûs gratiâ ita vocari satanam contendunt. Pharisæi enim suâ se sanctitate tàm facilè posse satanam, quàm muscas abigere opinabantur. Cum hoc verò dæmoniorum principe commercium Christum habere calumniabantur blasphemi Pharisæi; tanta itaque ipsum posse edere miracula, quæ alii non possint imitari, quod cum vulgaribus & inferioribus diabolis pactum habeant. Ita Judæi cæci per Schemhamphoras Christum miracula operatum esse mentiebantur. Luth. Tom. 8. Jen. Germ.

III. Tertia classis est *aliorum*: qui verò illi alii fuerint, non exprimitur. Intelliguntur autem vel Scribæ aut Pharisæi aliis; vel, quod vero non absimile videtur, ἐπαμφοτερίζοντες, neutri parti adjungere sese volentes; vulgò dicuntur Neutrales. Hi neque miraculum vituperare; neque de Jesu, quòd habeat Beelzebub, pronunciare; neque Pharisæorum doctrinâ abjectâ Christi Evangelium recipere, multò minùs cum vulgo Messiam eum profiteri audent; interim hoc q. κρησφυγέτῳ vel subterfugio usos evadere se posse putant. Messiæ officium majora requirere signa in vel de cœlo, qualia olim facta leguntur in sacris literis, e.g. Jos.10,13. Exod.16,15. 1.Sam.12,18. 1. Reg.18,38. 2.Reg.1,10. Esa.38,8. Ita enim Joh.6,31. declaratur, quid sit signum de cœlo. Atque hac ratione extenuare isti homines conantur miraculum, quasi nihil singulare sit, dæmo-

Beelzebub.

Neutrales.

monem miserum sede suâ exturbare, cùm idem præstare etiam valeant exorcistæ. Sed meros hos fuisse hypocritas, ex fine liquet adsignato; tentantes enim dicuntur. Matth.12,38. leguntur petiisse signum à Christo, ut si vellet pro Messia agnosci, signum ederet, non in misero homine, sed è cœlo. Quia enim regnum cœlorum annunciet, æquum esse, ut signa etiam edat cœlestia. Hos vocat Christus generationem pravam & adulteram; causas adpellationis vide in Chemn. harm. p.1048.

IV. Quartâ demum classe prodit *mulier* quædam de turba; cujus notetur

1. ἐκφώνησις sive προσφώνησις, exclamatio vel compellatio. Miraculi enim evidentiâ, justaque contra calumniatores institutâ apologiâ, nec non severâ, ad Neutrales institutâ commonefactione illa commota, diutiùs sese continere nequit, sed tandem in hanc vocem erumpit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Felicem nimirùm prædicans matrem, quæ talem & tàm excellentem Doctorem in lucem protulerit. Sed additur,

2. ἐπανόρθωσις, quâ judicium mulieris imperfectum Christus corrigit, monstratâ simul verâ salutis consequendæ ratione: *quinimmò beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum.* Non negat matrem suam beatam; verùm non inde, quia fuit θεοτόκος, sed quia verbo credidit. Luc.1,45. Quicunque ergò veræ beatitudinis particeps fieri cupit, is mediis utatur ordinariis, audiat verbum, illudque fideli corde amplectatur & custodiat.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Habemus h. l. experimentum parabolæ istius, quam nuper de quadruplicibus auditoribus, sub imagine seminis dissimiliter cadentis, ex Luc. 8. cap. enarrari audivimus.

II. Opera Dei diversis mundi judiciis sunt exposita, Matth. 11, 19.

III. Hæc est sors & Ecclesiæ & Evangelii, quòd Ecclesia ut plurimùm ex simplicioribus constet, potentioribus plerunque verbi prædicationem vel fastidientibus, vel ludibrio contemtuiq; habentibus. 1.Cor.1,26. Matth.11,5. Joh.7,48. *Ecclesiæ & verbi sors.*

IV. A morsibus & cavillationibus sycophantarum ac calumniatorum nihil fermè est tutum. Prov.10,18. & 11,13. & 18,8. & 20, 19. & 26,21. & 30,10. Eccl.10, 11.

Xxx V.Ca-

Calumnia. V. Calumnia vitium est turpissimum & nocentissimum, immò planè diabolicum; optimè dicta pessimè interpretatur; ex multis vitiis, mendacio, odio, irâ, invidiâ &c. conflatur, & divinitùs prohibetur. Matt.11,15, Act.7,58.60. & 9,24. Levit.19,16. Ps.15,3.

VI. Si verò nos officio nostro ritè perfuncti fuerimus, nasutulorum, criticorum & obtrectatorum criminationes flocci pendamus. Matt.10,25. & 5,11. Joh.15,20. 1Cor.4,3. Gal.1,10. 2.Cor.13,8.

VII. De collatione muscarum & dæmonum, vide D.Theod. in anal. Evang. p.605. & D.Frantz. in hist. animal. sac. p.789. seq.

Hostes veritatis cæci. IIX. De stupenda hostium veritatis pervicacia, qui in media luce cæcutiunt. Sir.4,30.

IX. Semper dantur & reperiuntur aliqui, licèt coram mundo contemti, qui de bonis factis benè judicant, Matth.11,23. Ps.8,3. 1.Cor.1,27. 1.Reg.19,10.

Semen sanctum. X. Deus enim in mediis corruptelis sanctum sibi semen reservat. 1.Reg.19,18. 2.Tim.2,19.

Personâ displicente displicet opus. XI. Displicente personâ videmus displicere omne opus quantumvis bonum.

Miraculis jam nihil opus. XII. Miraculis ad doctrinæ confirmationem hodiè opus non habemus. Matth.12,39. Hebr.2,4.

XIII. Lutherani itaque non tenentur doctrinam Papistis incredulis, miraculis confirmare; hoc enim est tentare Christum; doctrina satis est confirmata; Hebr.2,4. & miracula non sunt propria & genuina veræ Ecclesiæ nota; cùm Ethnici etiam, pseudoprophetæ, hæretici & alii impii miracula ediderint. Matth.7,22. & 24,24. Marc.13,22. Apoc.13,13. & 16,14. & 19,20. Confer D. Theod. p.609. & 610.

XIV. Qui signa petunt, prætextum incredulitatis quærunt, ne verbo revelato assentiri cogantur; id quod Pontificios facere, notius est, quàm ut ullâ probatione indigeat. Matth 12,39. Heb.2,4. 1.Cor.1,21.

XV. Pharisæis facta Christi calumniosè traducentibus, à muliere magnificè prædicantur. Ps.8,3. & 74,21. 1.Cor.1,26

XVI. Nunquam defuturi sunt gloriæ Dei vindices & assertores. 1.Reg.18,19.

Verbo adhærendum in salutis negotio. XVII. In salutis religionisque negotio non ab hominibus, sed à solo Dei verbo pendere meminerimus. Ps.116,11. Es.40,8. Luc.21,33. & 16,29. Es.8,20. 2.Pet.1,19.

XIIX. Nemo putet, officia suo Deo minùs fore grata, ob viliorem & abjectiorem sui conditionem. Act.10,35. Gal.3,28.

XIX.

XIX. Signorum petitio in Scriptura S. nonnunquam adprobata, nonnunquam reprehensa fuit. D. Finck. cent. 4. can. 5. *Signa petere.*

XX. Externa vel carnalis generatio sive præeminentia nihil planè saluti hominum confert. Joh. 1, 12. 13. Rom. 9, 8.

XXI. Omnes salvandi Verbo Dei sunt alligati. Rom. 1, 16. & 10, 17. Jac. 1, 21.

XX. Solus autem verbi auditus externus non sufficit. Joh. 8, 15, & 14, 23. & 15, 7. Luc 8, 15. Jac. 1, 22, 23. 1. Tim. 6, 20. 2. Tim. 1, 14.

XXIII. Maria mater Christi non est ut Mediatrix invocanda. *Maria non invocanda.*

XXIV. Beatitudo hominis vera non consistit in cognatione corporali cum Christo, sed spirituali per fidem, quæ oritur ex auditu verbi. Roman. 9, 5. 30. & 10, 17. Matth. 12, 49. Johan. 1, 12. 13. & 20, 17. *Beatitudo vera.*

XXV. De studio verbi divini sedulo; est enim medium salutis consequendæ. Joh. 17, 20. Act. 11, 30. Rom. 10, 17. Marc. 14, 16. *Verbi studium.*

PARS III.

Tertia pars est partim ἀπολογητικὴ, partim ἀπειλητικὴ. *Apologiam* quod attinet, πρώτως illa eò est directa, ut virulentam malevolorum lingvam compescat; δευτέρως verò simul ad reliquorum etiam judicia vel corrigenda, vel refellenda orationem accommodat: cujus proferendæ præmittitur causa impellens, ab adversæ partis judiciis sinistris profecta; omnium enim, licèt diversa, vidit διανοήματα, cogitata; ut igitur obtrectatores confunderet, cœpit de suis miraculis & eorum fine sermonem instituere; adjectâ seriâ admonitione de vitanda securitate, propter ingens periculum, in quod eâ ratione incurritur. Resultat inde oratio Christi gemina;

1. ἀπολογητικὴ; factum defendens;
2. παραινετικὴ ἢ ἀποτρεπτικὴ dehortatoria, securitatem dissvadens.

I.

Principiò itaque Pharisæorum & Scribarum calumniæ ita respondet, ut turbam simul simplicem erudiat; illi enim, quippè αὐτοκατάκριτοι vix digni erant, quibus verbulum responderet. *Depulsio* autem Christi, intentioni suprà allegatæ opposita, talis est: Ego non per Beelzebubum ejicio dæmonia. Hanc suam propositionem vel contradictoriam intentionem sextuplici argumentorum genere probat.

I. Primum desumtum est *ab absurdo:* sua enim miracula à diabolo nequaquam proficisci, ex eo liquet; quia satanas suum regnum non destituit: Christus autem totis viribus adversus satanam ejusque regnum pugnat, idque potenter tùm doctrinâ, tùm opere evertit: quomodo igitur dici vel cogitari saltem sine absurditate potest, quòd utatur ope & auxilio diaboli? Collectio ex vers. 17. & 18. est talis:

Si per Beelzebul ejicio dæmonia, satanas sibi est contrarius, & adversus seipsum divisus:

Atqui falsum & absurdum posterius:

Ergò etiam prius.

Adsumtum probatur ab experientia, seu firmitate regni satanici, hoc ferme argumento:

Cujuscunq; regnum per multa secula durat & perstat firmum, immotum atq; inconcussum, ille nec sibi in regno suo contrarius, nec adversus seipsum divisus.

Satanæ regnum per multa secula duravit, & etiamdum durat ac perstat firmum, immotum atq; inconcussum, durare verò posset nunquam, si satan satanam, superior inferiorem violenter exturbaret.

Ergò satanas nec sibi in regno suo est contrarius, nec adversus seipsum divisus.

Copulatum in majore probatur effectu discordiæ in regnis vel imperiis terrenis, hoc sensu:

Nullum regnum vel imperium sibi ipsi contrarium & adversus seipsum pugnans odiis, simultatibus, intestinis dissensionibus ac bellis, potest esse diuturnum.

At satanæ regnum est diuturnum.

Ergò sibi ipsi contrarium esse nequit &c.

II. Secundum petitum est *ob exemplo* filiorũ populi Judaici, vel à contrario judicio, quod Judæi ferebant de suis filiis; qui quando in nomine Jesu dæmonia ejiciebant, agnoscebant illud tanquam opus divinum & arduum: cur igitur blasphemant in Christo? Ceterùm quos h. l. filios Christus dicat & intelligat, non una est interpretum sententia. Plerique per filios intelligunt Apostolos & discipulos Christi, quos ad prædicandum Evangelium emissos, dono etiam ejiciendi spiritûs immundos instruxerat Matt. 10, 8. Sed hæc sententia non arridet omnibus, eò quòd Apostoli non Pharisæorum, non Scribarum, sed Christi filii ac imitatores fuerint: quemadmodum phrasi Scripturæ filii Prophetarum olim

Filii Prophetarum.

olim dicebantur, qui Prophetas sequebantur, eorundemque doctrinam amplectebantur. Jam verò Apostoli non Pharisæorum, sed Christi doctrinam sectabuntur. Censet ergò Dn. D. Chemnitius harm. Evang. cap.59. & 108 per filios Pharisæorum intelligi Exorcistas, qui fœdus habebant cum diabolo, & tales tum temporis inter Judæos non paucos fuisse, ex Actis Apostolorum liquet, unde in parte secunda testimonia aliquot produximus. Exorcistæ verò isti Pharisæorum & Scribarum (in quorum confusionem hæc apologia instituebatur potissimùm) filii vocabantur, quia doctrinam eorum in omnibus adprobabant. Sensus itaque argumenti est iste:

Filii Pharisæorum.

Exorcistæ.

Si ego per Beelzebub dæmonia ejicio, utiq; filij etiam vestri per eundem Beelzebub ejicient dæmonia:

Sed consequens vos ipsi negatis:

Ergò negandum simul fuerit antecedens: & per consequens, filii h. e. populares vestri, ex Judæis oriundi, judices aliquando vestri sunt futuri; h. e. quia fatemini, hos virtute divinâ ejicere diabolos, conscientia vos vestra convincet, quòd ego hoc virtute diabolicâ non faciam; ideoque illi damnabunt vos, surrecturi nim. in novissimo die, & coram tribunali Dei palàm contestaturi, vos Pharisæos non ex ignorantia aliqua, multò minùs ex simplicitate veniali, sed ex malitia insanabili, & odio plùs quàm satanico, Christi miracula ad auctorem satanam retulisse.

III. Tertium argumentum *à contrario* concludit ita:

Si digito Dei ejicio dæmonia, utiq; non per Beelzebub:

Verum prius:

Ergò & posterius. Intelligitur autem per digitum Dei, κατ' ἀνθρωποπάθειαν, ipsa Dei virtus cœlestis, ac potestas divina. Nihil officit huic sententiæ, quòd Matth. 12, 28. pro digito Dei ponitur Spiritus Dei; & quòd per digitum Dei nonnulli intelligunt ministerium sacrum, cui vis illa divina est adjuncta. Alterum enim loquitur de causa efficiente; alterum de instrumentali; mediatè enim agit Deus: Spiritui verò Sancto tribuitur opus regenerationis nostræ, quo ex regno satanæ transferimur in regnum Dei. Confer D. Chemnit. d. l. Ita ergò evincit Christus, quod opus ipsum demonstret, ejici abs se dæmonia, non nisi Dei digito, i. e. divinâ virtute & potentia, idque eum in finem, ut perveniat ad ipsos regnum Dei; h. e. ut Judæi agnitâ veritate Evangelicâ, è regno satanæ erepti, in regnum Dei transferantur & salventur. Hinc ergò texitur jam

Digitus Dei

IV. Quartum argumentum, procedens *ab effectu*, regni Messiæ proprio, ad veram ejus causam arguendam, hoc modo:

Regnum Dei, h.e. adventus Messiæ.

Regnum Dei (sensu prophetico significat adventum Messiæ: Dan. 2, 44. & 7, 14.) *consistet non modò in verbi prædicatione, sed etiam in diaboli devictione & debellatione.* Gen. 3, 15. 1. Johan. 3, 8.

Jam verò auditis vocem Evangelii, è sinu Patris prolatam; videtis diaboli potentiam esse devictam & debellatam:

Ergò vel inde colligere potestis, regnum Dei, h. e. tempora Messiæ imminere, immò jam modò esse inchoata.

V. Quintum argumentum *à simili* sumtum est, & ita infert:

Quicunque fortem aliquem armatum vincit, & palatio suo ejicit, is fortior est eo, qui vincitur & ejicitur:

Jam verò ego fortem illum armatum (diabolum) vinco, & palatio suo ejicio: (h. e. homines, quos in suam ille potestatem redegerat, divinâ virtute ac potentiâ ei eripio:)

Ergò fortiorem illo me esse consentaneum est, atque adeò verum Deum: Tempus igitur erat, ut sub vexillo Christi spolia colligeretis, & ob victoriam ejus adversus diabolum triumpharetis, non autem essetis adversarii Christi, qui sub satana militatis, & ob id necessariò sub ejus potestate maneretis, nisi actâ pœnitentiâ conversi fueritis.

VI. Sextum denique argumentum, *à pugnantibus* Christi ac satanæ operibus & studiis deductum; ratiocinatur ita:

Quibus nulla invicem intercedit studiorum communio, sed summa potiùs diversitas; illi mutuas operas non tradunt.

Atqui satanæ & mihi nulla unquam intercessit studiorum communio, sed summa potiùs hodieque intercedit diversitas:

Ergò mutuas operas non tradimus; & per consequens, purum putum mendacium est, me per Beelzebub ejicere dæmonia.

Copulatum in majore probatur γνώμῃ proverbiali: *Qui non est mecum, contra me est.* Hæc sententia opponitur non modò Pharisaicis calumniatoribus; verùm etiam dicitur simul contra τοὺς ἐπαμφοτερίζοντας, sive Neutrales, qui neutri parti volebant sese adjungere, neque Christo adhærentes, neq; cum Pharisæis se conjungentes, sed in medio suspensi manebant, putantes se hac ratione officio suo probè functos, si neutri parti adstipularentur. Universum autem hominum genus in duas dispescitur classes, secundum duos distinctos Dominos principaliores; Christum & satanam: Una est cum Christo, altera contra Christum, cum diabolo; illa salvatur, hæc damna-

Neutrales.

minatur. Neutrales istos ita redarguit Christus, ut doceat διαρρήδην, oportere esse hominem vel ex suis, h. e. à Christi partibus stare, quod est cum Christo colligere, & regnum Dei seu collectionem Ecclesiæ adjuvare; vel esse adversarium Christi, quod est, cum satana dispergere, regnum Dei oppugnare, suamque propriam & aliorum etiam salutem impedire. Claudicantes non patitur secum, sed illos nonminùs pro hostibus habet, quàm si apertè ipsi sese opponerent. Atque hisce argumentis convitiatores suos confutavit Jesus, suorumque miraculorum auctoritatem ac virtutem divinam potenter adseruit.

II.

Jam sequitur comminatio vel dehortatio, quâ quid de contemtoribus & calumniatoribus futurum sit pronunciat; nimirùm diabolus, qui nunc quidem cedere cogitur, & ad tempus q. exulare, cogitat de reditu, quem ubi consecutus fuerit, fiunt posteriora deteriora prioribus. Opponitur hæc concio comminatoria illis, qui securi diaboli conatus & studia contemnebant, rem leviculam existimantes, satanam ejicere, aut opera ejus dissolvere. Majus itaque signum à Messia expetunt. Illustri hac σκιαγραφία satanam depingit eo fine, ut & severum Dei judicium securis hominibus minitetur, & ad vigilantiam reliquos adhortetur; quò ab ejusmodi hoste tantò diligentiùs sibi caveant, quantò ille studiosiùs interitum eorum quærit; productis in medium aliquot persvasionis argumentis, quorum

1. deductum est *à sathanæ proprio epitheto*: qui enim anteà ob potentiam dicebatur fortis & armatus; jam spiritus dicitur immundus, tùm ratione sui, ob internam suam malitiam & immunditiem; tùm ratione operationis, quia homines immundos reddit & peccatis contaminat.

Diabolus spiritus immundus.

2. Secundum petitum est *ab effectu*, studioque satanæ indefesso, quod consistit

Diaboli studium.

1. *in perambulando* loca arentia, talia sunt impiorum corda & corpora, quæ etiam cum sterili & infrugifera terra comparantur.
2. *in indagando*, dicitur enim quærere requiem, h. e. labore indefesso aliis etiam illaqueandis & perdendis inhiare.
3. *in revertendo*, quod fit, quando pios tentationibus solicitatos capere & occupare nequit. Domus scopis mundata sunt homines securi, Epicuræi, hospitium diabolo per omnis generis peccata præbentes. Additur amplificandi & exornandi gratiâ διαλογισμὸς καὶ προσωποποιΐα.

4. in

4. *In occupando*, quod non tantùm secundum corpus, sed & secundum animam intelligendum.

3. Tertium desumtum est *ab eventu periculoso*; posteriora fiunt deteriora prioribus. Quando enim Scriptura S. mutationem aliquam factam describit, vel collationem facit inter id, quod anteà seu priùs fuerat, & inter id, quod secutum est, utitur vocabulo πρῶτα, uti habet D. Finck. cent. 4. can. 48.

Ceterùm totus hic sermo ἀπ(ρ)λημπτικὸς est allegoricus. Per spiritum enim immundum intelligitur μετωνυμικῶς diabolus, notatione ab effectu desumtâ: per ejectionem vis divina, in verbo & Sacramentis latens; his enim mediis contingit nos liberari è regno diaboli: per loca arida, hominum, impiorum cumprimis, corda: per quietem summa satanæ in lædendis hominibus voluptas, & occasio illos seducendi undiquaque studiosè captata: per domum scopis purgatam homines securi, uti jam modò dictum, in prist[ina] peccata diaboli instinctu prolapsi, fide & timore Domini vacui. Quod autem loquitur de homine, à quo spiritus mundus exierit, & postea quærat occasionem denuò occupandi priorem habitationem: hoc παραβολικῶς accipiendum de tota gente Judaica, quæ amisso Christo & Evangelio, de novo aperuit satanæ fores & fenestras, ut posteà intrârit cum majori, quàm anteà, potestate, donec omnia pessum irent; sicut & hodieque occupat & obsessam tenet cæcam Judæorum gentem, ut lucem Evangelii nec videant, nec admittant, sed in obstinato Jesu Nazareni odio furenter perseverent. Pœnas igitur admodum graves dant malitiæ suæ & blasphemiarum, quas hîc contra Dominum satanicâ rabiè evomunt.

Judæorum cæcitas à diabolo.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Christus καρδιογνώστης novit cogitationes adversariorum, etiam quâ Homo. Joh. 2, 25. Col. 2, 9.

Miracula vera & falsa.

II. Notetur illustre discrimen inter vera Christi, & inter falsa vel diabolica miracula. Illa fiunt in eum finem, ut regnum satanæ dissolutum destruatur, & regnum Dei veniat, ac conversis hominibus à diaboli cultu ad regnum Dei, verbo Dei locus relinquatur. Hæc fiunt non eo fine, ut diaboli regnum vastetur, sed homines à verbo Dei ad superstitiones aut cultûs peculiares abducantur, mendacia contrà, errores & cultûs idolorum superstitiosi confirmentur. Deut. 13, 1. Matth. 24, 24. Gal. 1, 8. 2. Thess. 2, 9. Apoc. 13, 13. Atque hæc est certissima miracula probandi ratio.

III. Pa-

III. Patet inde, cur exortâ iterum Evangelii luce, spectra desierint; quia nimirùm regnum Dei venit ad nos, & ligatus est fortis armatus: inde religionis nostræ confirmatio elicitur.

Spectra desierunt.

IV. Ex miraculis ergò non doctrinæ veritatem metiamur, sed contrà miracula juxta veritatis doctrinam examinemus. 1. Corinth. 14, 22.

Miracula.

V. Quid faciendum iis, qui calumniis gravantur ab aliis, monstrat D. Theodor. p. 614. 615.

VI. Totum hominum genus in duos dispescitur ordines: unus est cum Christo; alter contra Christum: ἐπαμφοτερίζοντες sive neutrales non tolerantur. 1. Reg. 18, 21. Matt. 7, 15. & 10, 33. Eph. 4, 4. Apoc. 3, 16.

Hominum duæ classes.

VII. In religionis negotio non tolerantur à Deo neutrales, ambidextri, intermedii; politicè etiam tales malè audiunt; & tamen ob certas causas interdum in politia tolerari possunt, at in doctrina fidei nullo modo, uti habet D. Chemn. p. 2003. harm. Confer D. Theod. p. 626.

Neutrales invisi.

IIX. Monemur de vitanda & exstirpanda discordia; plantanda contrà & fovenda concordia. Psal. 133, 1. Johan. 17, 21. Gal. 5, 15. Eph. 4, 31. Sir. 25, 1. 2.

IX. Ecclesiæ cumprimis unitas & concordia sarta tecta adserenda. Vide D. Theod. anal. Evang. p. 617. 618. 619. ubi quid de unitate Pontificia statuendum, habetur.

Concordia Ecclesiæ.

X. Caveamus, ne ob odium personæ privatum, bonum ejus opus iniquè traducamus aut blasphememus. Joh. 7, 24.

XI. De exorcisationibus dæmonum, exorcistis & exorcismo Pontificiorum, vide D. Theod. d. l. p. 621. 622. 623. 624. 625.

Papistarum exorcisationes.

XII. Spiritus Sanctus est verus Deus; quia digitus Dei.

XIV. Regno diaboli opponitur regnum Dei. Rom. 14, 17. Psal. 22, 29. & 103, 19. Sap. 5, 17. Marc. 11, 10. Luc. 10, 9. & 14, 15. & 17, 21. 1. Cor. 4, 20. Col. 1, 13. 1. Thess. 2, 12.

Diaboli potentia.

XV. Diabolo ἰσχυρῷ opponitur in nostrum solatium Christus ὁ ἰσχυρότερος. Esa. 9, 6. Ose. 12, 5. Joh. 14, 30. Rom. 16, 20. 1. Joh. 3, 8 & 4, 4. Apoc. 5, 5. & 12, 10.

XVI. Fortior iste de manu fortis nos miseros liberavit, Ps. 49, 8. Job. 19, 26. Luc. 1, 71. Rom. 3, 15. & 5, 8. πανοπλία enim suâ satanam spoliavit, peccato, per quod dominabatur nobis, morte suâ expiato. Col. 2, 14. Ps. 68, 19. Col. 1, 13.

Christus fortior.

XVII. Regnum Dei ad nos non pervenit nisi ejecto priùs diabolo; quod fit, non magicis incantationibus; non verbis, herbis,

Regnum Dei diabolum non fert.

bis, characteribus, amuletis, sale benedicto, lychnis aquisque consecratis; non per Judæorum πετραγραμματον Schemhamphoras; sed per ministerium verbi & Sacramentorum purum, per quod Spiritus Sanctus operatur. 2. Corint.3,8. Marc.9,29. & 16,17. Eph.6,17. Rom.1,16.

XIIX. Finis nostræ liberationis non est is, ut inposterum securè pro libitu vivamus; sed tantò cautiùs diaboli μεθοδείας fugiamus. Rom.6,13. Luc.1,74. 1.Petr.5,9.

Diaboli studium.

XIX. De indefesso satanæ, in seducendis ac obsidendis fidelibus, studio, vide D.Theod.p.626. 627. 628.

XX. In Scriptura sacra boni Spiritûs sancti, mali immundi adpellantur. Zach.13,2. Matth.10,1. & 12,43. Act.8,7. Apoc.16,13. & 18,2. Vide D. Finck. cent. 2. can. 94.

Securitas.

XXI. Quando Christus nos sanavit, vel in corpore, vel in anima, vel in utroque, non fiamus Ucalegontes; sed in timore & tremore operemur salutem nostram. Phil.2,12 2.Pet.2,22. Mat.24.

Consvetudines.

XXII. Laquei diaboli sunt inveteratæ consvetudines: & expulsus semel diabolus, quæ est illius impudentia, revertitur. 2.Tim. 2,26. Tob.8,3. Apoc.20,2. Phil.1,6.

XXIII. Firmissimum contra satanæ insidias solatium à Christo petendum. 1.Joh.3,8. & 4,4. Gen.3,15. Apoc.12,15. 1.Tim.2,2.8.

Miraculis non tenemur doctrinam confirmare.

XXIV. Lutherani non tenentur Papistis doctrinam suam miraculis confirmare: quia poscentes 1. tentant Deum: 2. doctrina nostra non est nova; sed miraculis jampridem confirmata; I Job. 4 3. Miracula non sunt nota Ecclesiæ vera; Matt.7,22. & 24,24 Marc. 13,22. Apoc.13,13. & 16,14. & 19,20. Matth.12,39.

Securitas vitanda.

XXV. Securitas vel maximè cavenda, quia (1) à diabo i tentationibus ac μεθοδείαις ne pii quidem tuti; (2) magna insuper est diaboli impudentia, semel ejectus redit. Luc.22,31. Job.1,9. 2.Pet.2,20 & seq. Tob.8,13. Apoc.20,2. 1.Pet.5,8: Phil.2,12. Matth.13.

XXVI. Inter dæmones gradûs esse malitiæ ex hoc loco patet.

XXVII. Periculosissima est eorum hominum conditio, qui semel conversi diabolo iterum hospitium præbent. Iohan.5,14. 2.Pet. 2,22. Phil.1,6

XXIIX. Scriptura sacra de immundis spiritibus sæpè loquitur in numero singulari; Luc.10,18. & 11,21. Matth. 13,39. 1.Petr.5,8. Joh.16,11. 2.Pet.2,4. Apoc.12,7. Denotatur enim principatus ille impietatis, qui Christo ejusque regno opponitur.

Exorcismus duplex.

XXIX. In Scriptura sacra duplex est exorcismus, corporalis & spiritualis. Vide D.Finck.post.p.118.119.120. ubi controversia de exorcismo in Baptismo usitato attingitur.

XXX.

XXX. Renati & semel conversi possunt amittere Spiritum Dei sanctum, & gratiâ ejus excidere. Ib.p.112. 113.

Renati possunt excidere gratiâ.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

DUo in considerationem veniunt;

I. Miraculosa hominis obsessi liberatio;

II. Gratiosa & adfectuosa Christi, miraculum subsecuta, concio, diversorum judiciorum examen quasi quoddam exhibens.

PARS I.

Quoad primam Evangelii partem, in prosceninm prodeunt;

I. Diversi duces, quorum alter est dux Erebi sive lacûs infernalis, satanas, hominem miserum Dei permissu corporaliter obsidens; obsessione verò illâ efficiens eundem,

1. τυφλὸν, cæcum, Matth. 12, 22.

2. κωφὸν, mutum ac surdum;

3. ἄλαλον ἢ ἄφωνον;

4. ἄφρονα, unde dicitur δαιμονιζόμενος.

Alter est Dux poli, Dominus universorum, satanæ ἀντικείμενος, Gen. 3, 16. 1. Joh. 3, 8. hostem illum suum vi ejiciens, eâ felicitate & successu, ut mox sit locutus homo miser.

II. Diversi Judices: Non enim una est omnium spectatorum de hoc miraculo sententia. Adsunt hic

1. maledicentes & calumniantes, per Beelzebub Christum ejicere dæmonia, inferiora per superiorem. Et hi erant Pharisæi, singulari ubique odio erga Christum flagrantes, illumque animi morbum produnt, *tùm* malè & sinistrè de factis Christi pronunciando; *tum* turbas, divinam Christo potentiam tribuentes, ab ipso abalienando; *tùm* probrosè judicando; *tùm* Christum ut magum & præstigiatorem traducendo, atque ita odiosum reddendo. Beelzebub autem fuit idolum in Ecron, quod consuluit Achazias Rex Israëlis, 2. Reg. 1, 2. & sonat, dominus muscæ; diabolo attribuitur hoc nomen, *vel* quia muscarum instar homines vexat satanas; *vel* quia mobilis & varius; *vel* quia ex muscarum habitu oracula edidit idolum isthoc; *vel* quia contra muscas auxilium diaboli implorârunt. Vide D. Calixt. p. 199. ubi ratio redditur, cur in Græco legatur Beelzebul. Confer etiam D. Pelarg. quæst. in Matth. fol. 49. b. & 50. a.

Pharisæi Christi hostes.

Beelzebub.

2. *Cum dubitatione admirantes.* Hi neutri parti adjungere sese volunt. Messiam, proprio conscientiæ suæ testimonio convicti, ex ipso opere, ceteris omnibus, quantumvis sanctis, inimitabili, agnoscunt; palàm tamen profiteri, metu Pharisæorum, prohibentur. Hi sunt ἐπαμφοτερίζοντες, in utrumque latus claudicantes, Achselträger/odiosum & invisum hominum genus. Lucas ad turbas stuporem illum refert; estque admiratio non malæ de Christo existimationis signum. Cùm enim facti rationem vel reddere, vel indagare nequirent, ad Deum referunt, ideoque admirantur.

3. *Tentantes & signum de cœlo petentes.* Hypocritæ sunt isti, illusores & irrisores, ideoque Matth. 12, 39. audiunt perversa & adultera generatio; quia finis illorum erat perversus & adulterinus, tentare, h.e. illaqueare Christum, eumque in sermone capere, atque ita insidias ipsi struere. Signum petunt more Judæis usitato. 1. Corinth. 1, 12.

4. *Securitati indulgentes,* qui semel ejecto diabolo, nihil sibi ipso periculi imminere falsò autumant, si vel maximè peccatis contra conscientiam pravisque carnis concupiscentiis indulgeant. Falsæ huic sive persvasioni, sive imaginationi, opponitur concio de spiritu immundo, efficaciâ Spiritûs sancti & prædicatione Evangelicâ, ex corde hominis exturbato, de qua part. 2. plura.

USUS I. Informatorius.

Diaboli malitia.

I. De summa diaboli malitia, quæ conspicitur

1. *ex miseria hominis obsessi tractatione;* templum ac domicilium Dei, cloaca fit & habitatio diaboli. Vide Domin. Reminisc.

2. *Ex spirituali obsessione.* Cor occupat, ne verbum penetret: Luc. 8, 12. Gen. 6, 3. Jer. 5, 3. Lingvam, ne loquatur bonum, sed malum: Ps. 52, 5. Aures, ne audiant rectum ac verum. Ps. 58, 5. 6. Eph. 2, 2. 2. Timot. 2, 26. 2. Cor. 4, 4. Act. 7, 51. & ita consequenter.

3. *Ex nominum invisorum adsignatione.* Dicitur enim

Diaboli nomina.

1. *satanas,* adversarius; quia est veritatis inimicus, & semper sanctorum virtutibus contraire nititur, ut ait Isidorus 1. Per. 5, 8.

2. *Beelzebub,* dominus vel rex muscarum; ita verò nuncupatur

Beelzebub cur diabolus dictus.

1. *ob habitationis sublimitatem:* est enim princeps aëris: Eph. 2, 2. & 6, 13. Luc. 8, 5.

2. *ob impudentiæ protervitatem:*

3. *ob sordium impuritatem;* Matth. 8, 31. 32.

4. propter instabilitatem; 1.Pet.5,8. Joh.1,7.

5. propter subtilitatem; per spiritûs enim & subtilissimas cogitationes animis hominum sese artificiosè novit insinuare.

6. propter depulsionis facilitatem; quæ fit flabello orationis; Matth.17,21.

7. propter imbecillitatem.

3. Diabolus, quod calumniatorem sonat: quia calumniis & Deum & homines impetit. Gen.3,4. Job.1,9. seqq.

4. Dæmonium: dæmon autem dicitur, quasi δαήμων; est enim μυριοτεχνίτης.

5. Fortis armatus: cur verò in singulari Scriptura numero de ipso loquatur, explicat D. Finck. Cent. 1. can.76.

6. Ἀκάθαρτον πνεῦμα, impurus spiritus; tùm ratione inspirationis; tùm ratione habitationis: gaudet haris superborum, avarorum, libidinosorum, luxuriosorum, iracundorum, invidorum, ebriosorum, desidiosorum, obtrectatorum &c. Vide D. Bald. p.568. C.C. & Monr. p.270.

4. Ex malitiosa operatione, de qua infrà. Hæc omnia nostræ inserviant exhortationi,

1. ad vigilantiam. 1. Pet.5,9. Chrysost. Renuncio tibi diabole, & do me tibi Christe.

2. Ad peccatifugam. Jac.4,6. peccata enim, Origine teste, sunt vita diaboli.

II. De insigni diaboli potentia. Est enim ille hominum — *Diaboli potentia.*

1. obsessor;

2. tortor; Marc.9,18.

3. interfector; Joh.8,44.

4. facultatum direptor. Gl. ord. ait: si non potest nocere in persona nocet in substantia: interdum in utroque. Hæc omnia diabolo permittit Jehovah, in

1. ira justissimæ declarationem;

2. piorum probationem;

3. diaboli confusionem;

4. Christi glorificationem.

III. De signis, ex quibus cognosci potest, hominem verè è diabolo esse obsessum. Vide D. Bald. C.C. p.617. & seqq. — *Obsessionis signa.*

II. Conſolatorius.

Diaboli tùm potentiæ, tùm malitiæ obvertimus Chriſtum Jeſum θεαίβεωπον, dæmonia vel ſolo nutu ejicientem. Gen.3,15. 1.Joh. 3,8. Joh.14,30. Oſe.13,14. Col.2,15. Rom.8,31. 1.Joh.4,4. *Diabolum contemſiſſe, eſt viciſſe.* Cyprianus.

III. Monitorius.

Calumnia.

1. De calumniandi libidine deteſtanda, quâ concitati Phariſæi, contra propriæ conſcientiæ teſtimonium, ductori ſatanæ Chriſti miracula transſcribunt; Ioh.3,2. Diabolicum hoc eſt, ſed admodum familiare exulceratiſſimo hoc ſeculo vitium. Pro 10,18. & 11,12. & 20,19. Eccl.10,11. Si idem nobis, quod Chriſto, contingat,

1. non par pari referendum: Rom.12,17. 1.Pet.2,23. ſed
2. modeſtè reſpondendum: Prov.26,5. reliquum
3. patienter ferendum; Matth.5,11. & 10,25. Joh.15, 20. & denique
4. diligenter orandum. Pſ.26,1. ſeq. & 43, 1.

2. De ſpiritualiter aut corporaliter obſeſſis Chriſto adducendis. Matth.6,13. 1.Tim.2,1. Iac.5,14. Vide Monr. p. 276.

IV. Refutatorius.

Papiſtæ miracula quærunt.

Pontificiorum, ſigna & miracula à noſtris Eccleſiis, voce plus quàm ſtentoreâ, efflagitantium, quibus tamen nihil opus;

1. quia ne ſic quidem, abjecta idolomaniâ, fidem nobis haberent, exemplo Phariſæorum: Luc.16, 29.
2. quia Deum tentare non licet: Matth.4,7.
3. quia doctrina ſatis confirmata: nova doctrina novis eget miraculis: 1.Cor.1,22. & 14,22.
4. quia adventus Antichriſti in ſignis & prodigiis mendacibus. 2.Theſſ.2,9.

PARS II.

Concio Chriſti, quæ alteram Evangelii conſtituit partem, complectitur duo:

I. Calumniæ refutationem, deſumtam

1. à natura contrariorum, καθ' ὁμοίωσιν regnorum mundanorum cum regno ſatanæ, hoc ſenſu:

Omne regnum diviſum ſibiq; contrarium ſtare vel conſiſtere diu non poteſt:

Satanæ regnum erit diviſum ſibiq; contrarium, ſi ego illius utar operâ in ejiciendis dæmoniis:

Er-

Ergò stare vel consistere diu non potest. Illustratur ἐκθέσει domûs, & ἐρωτήσει status; quomodo regnum illius stabit, q.d. stare non potest.

2. A testimonio proprio Judæorum, dono ejiciendi dæmonia instructorum.

3. A veræ causæ positione, κατ' ἀντίθεσιν: vera causa ejectionis est digitus Dei, h.e. divina potentia, vel ipse Dei Spiritus sanctus.

4. A contrariorum collatione, Christi puta & satanæ, & contrariorum utriusque studiorum atque officiorum: Fortis enim non nisi à fortiori debellatur.

5. A pugnantibus; scil. personis & officiis sive operibus: Christus colligit, satanas dispergit. Uberiorem horum omnium declarationem pete ex præced. dispos. & confer D. Calixt. p. 200. 201. 202.

II. *Auditorum informationem*; quâ agit distinctè,

1. *de summa malorum infelicitate.* Horum intentio est: Si diabolus per Christum ἰσχυρότερον est expulsus: Ergò nihil nobis posthac periculi pertimescendum. Depulsio Christi procedit,

1. A proprio diaboli adjuncto, quòd nunquam quiescat, sed semel ejectus revertatur; de ipso enim, veluti viatore loquitur.

2. A periculoso; verendum ne posteriora reddantur pejora prioribus: ita satiùs fuisset homini, nunquam è potestate diaboli exivisse.

2. *De summa bonorum felicitate.* Occasionem huic concionis membro præbuit mulieris præconium, quo Mariam Christi matrem beatam prædicaverat, ob tanti viri partum. Corrigitur verò ista sententia, descriptione veræ beatitudinis, quod illa unicè consistat, in verbi divini *(Beatitudo vera.)*

1. *auditione;* &

2. *retentione* sive custodia. Custodiunt autem verbum, quotquot vitam ad normam illius piè inculpateq; instituunt. *(Verbi custodia.)* Ultimæ hujus particulæ dispositionem vide part. 1. promt. Evang. Tungerl. p. 106. & seq.

USUS I. Informatorius.

I. Christus accuratè singulos verbi sui auditores, καρδιογνώστης quippè, observat. Joh. 2, 25. & 6, 15. 64. & 13, 3. & 16, 30. & 21, 17. Col. 2, 3. Matth. 9, 4. Quisque ergò videat, quid & quomodo audiat. Luc. 8, 18. Eccl. 4, 17. Ezech. 33, 31.

II.

II. De causis corrumpentibus pacis & concordiæ : qui non est mecum, contra me est. Psal.34,15. & 133,1. Matth.5,9.

III. De ejectione dæmonum, quæ fit, non per alios dæmonas, nisi mera fiat collusio, sed per digitum Dei & à potentiore. Vide D. Pelarg. quæst. in Matth. fol.150.

IV. De Divinitate Spiritus Sancti, qui Dei vocatur digitus. Vide D. Bald. in Cas. Consc. p. 103. & seqq.

Magia inconcessa. V. Magiam vel magicas artes neminem Christianorum bonâ conscientiâ vel discere, vel exercere posse, idem probat. p. 715. seqq.

Matres lac præbeant infantibus. VI. Peccare matres, quæ liberos suos proprio lacte non alunt, ex hoc loco & aliis rationibus ostendit idem in C. C. p. 1223.

VII. Regnum Dei ad nos pervenit, quando Christus digito Dei satanam expellit & regnum ejus destruit. D. Gerhard. Tom. 5. L. C. pag. 586. 587. Monr. thes. p.280.

II. Consolatorius.

I. De verbi divini efficacia, quòd hominem verè beatum reddat. Joh.6,68. & 5,51. & 14,23. Rom.1,16. Deut. 28, 1. seq. Psam. 119,92. Vide plura in Tungerl. promt. part.1. p. 114.115.

II. Quòd Dominus noster Jesus Christus sit fortior diabolo. Confer Monr. thes.p.274.

III. Monitorius.

I. De Verbo Dei audiendo & custodiendo. Luc.8,8. Jac.1, 21. Vide Monr.p.275.Tungerl.d.l.pag.115.

Concordia. II. De concordia in omni statu fovenda, colenda, conservanda.Monr.p.277. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

III. De securitate fugienda. Ibid.p.278.

IV. Deteriores in mundo homines non sunt, quàm illi, qui semel actâ pœnitentiâ in flagitia relabuntur.

IV. Refutatorius.

Renati excidunt. I. Calvinianorum, semel renatos non posse iterum excidere gratiâ Dei, somniantium. Contrà Salvator ait, posse posteriora prioribus deteriora fieri. Matth.10,22. 1.Cor.10,12. Phil.2,13. 2. Pet. 2,22. Apoc.2,10. & 3, 11.

2.Pon-

2. Pontificiorum, 1. Ecclesiam Romano Catholicam esse regnum Dei contendentium; sic enim Tonsor Jesuwiticus p. 277. post. Damit iederman sehe vnd greiffe / daß Gottes Reich bey vns sey/vnd nicht bey den Secten. Contra Ecclesiam Papisticam esse regnum satanæ ad oculum demonstrat Dn. Meelf. in Vindic. thes. 26. seq. 2. Mariam θεοτόκον ab omni, etiam originali, peccato immunem fuisse, cum Bellarmino & aliis nugantium, quem errorem graviter refutat D. Gerhard. Tom. 2. L.C. pag. 572. & seqq.

Papismus de regno Dei in Papatu.

Maria non est ἀναμάρτητος.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

ITerum nobis hac Dominicâ cum Cacodæmone operibusque ejus detestandis res est. Continet enim Evangelium prælectum (1) Christi θαυματεργίαν sive miraculum, referente Lucâ, tùm diaboli ex homine δαιμονιζομένῳ expulsionem; tùm effectûs distincti consecutionem, (α) in obsesso, qui loquitur; (β) in populo, admirante & Messiam ex opere agnoscente.

(2) Miraculi βλασφημίαν; quibusdam illud adlatrantibus; quibusdam signum è cœlo aliud postulantibus.

(3) Christi ἀπολογίαν, quæ posita est, partim in calumniæ refutatione; partim in impiorum præmonitione.

(4) Mulieris δοξολογίαν sive præconium. Nos unicum ex textu Evangelico delibabimus thema, dicturi, pro meliori hostis communis cognitione, & accuratiori ejusdem devitatione, *quomodo, quibusq; mediis diabolus hodieq; ex corde maximè hominis spiritualiter ejiciatur atq; exturbetur.*

Diaboli expulsio spiritualis.

Ἐξήγησις.

Ut scopum, quem nobis præfixum habemus, feliciter attingamus, duorum potissimùm considerationem attendendam meminetimus:

I. Hostis præcognitionem. Callidus enim spiritus est, draco ille infernalis, & in Angelum quandoque lucis miro sese artificio transfigurare novit. 2. Cor. 11, 14. Ne itaque decipiaris, audi ex hodierno Evangelio certa quædem γνωρίσματα, quibus maligni Spiritûs præsentiam regnumque tenebrarum dignoscere quàm facilimè poteris. Ubicunque enim est diabolus, ibi est

Diaboli agnitio.

1. Cæcus, mutus & surdus verbi divini contemtor. Typum hujusce

rei gerit miserrimus iste homo, corporaliter à diabolo obsessus, & omni non modò ratione, sed omnibus fermè sensibus spoliatus. Spirituali modo idem conatur efficere hodieque in filiis incredulitatis; Eph.2,2. quorum mentes ille excæcat; 2.Cor.4,4. 2.Tim.2,26 Matth.23,16. aures obturat; Psal.58,5. Esa.6,9. Jer.25,3. lingvam cohibet; Ps.58,1. hinc mancipia peccati, & satanæ filii vocantur. Joh. 8,34.44. 1.Joh.3,8.

2. Impudens & blasphemus calumniator. Talem sese præstat in Scribis & Pharisæis, miraculum Christi blasphemantibus, & ad auctorem satanam referentibus. Matth.12,34. Idem contigit Mosi, qui à Plinio magis & incantatoribus connumeratur: Eliæ, 1.Reg.18,17. Jeremiæ, cap.15,10. Act.6,13. 1.Cor.4,13.

3. Callidus illusor & fraudulentus præstigiator. Talis conspicitur in illis, qui in medio signorum divinorum signa de cœlo petunt. Matth.12,39. quibus similes sunt ἐμπαῖκται, Esa.28,11. Jer.5,12. & 13 2.Pet.3,3.

4. Odiosus concordiæ simulator; non enim adversus seipsum divisus. Job.41,5. Hæc pax est maledicta. Huc refer Irenica pacis consultationes, à Calvinianis sub specie fictæ φιλησυχίας in Ecclesiæ proscenium projectas & passim obvias. Non certè possunt esse auctores unitatis, qui destruunt vinculum veritatis. Esa.5,18. Matth.10,34. Hieron. in Matth. f.17.b. Si satanas pugnat contra se, & dæmon inimicus est dæmonis, deberet jam mundi venisse consummatio, ut non haberent in eo locum adversariæ potestates, quarum inter se bellum, pax hominum est.

Irenica Calviniſtarum ſuſpecta.

5. Crudelis persecutor. Est enim fortis armatus, qui suâ conficiente πανοπλία, h.e. brachio seculari, strages in populo Dei edit innumeras. Joh.8,44. Esa.27,1. Hieron. d. l. Adversarius noster fortis victoris quoque vocibus comprobatur. Domus illius mundus, qui in maligno positus est, non Creatoris dignitate, sed magnitudine delinquentis. Vasa ejus nos quondam fuimus. Alligatus est fortis & religatus in tartarum, & Domini contritus pede; & direptis sedibus tyranni, captiva ducta est captivitas. Probet jam quisque seipsum, & ex operibus facilè poterit de præsente vel absente diabolo judicium facere.

II. Hostis profligationem & expulsionem. Quæritur enim jam, quibus potissimum armis, instrumentis sive mediis, fortis ille armatus possit ex corde hominis Christiani exturbari? Nullus certè hic locus Papisticis exorcisationibus, aquæ benedictæ, lychnis conse-

ſecratis,miſſis idololatricis,aliisque hujus farinæ nugamentis inutilibus; ſed requiritur,

1. Digiti Dei potentia. Hieron. d. l. Digitus Dei, inquit, eſt iſte, quo tabulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sina. Si igitur manus & brachium, Dei Filius eſt; & digitus ejus Spiritus Sanctus, Patris & Filii & Spiritûs Sancti una ſubſtantia eſt; non te ſcandalicet membrorum inæqualitas, cùm ædificet unitas corporis. Digitus igitur ille Dei ſignificat, Matthæo interprete, Spiritum Sanctum, per Verbum & Sacramenta in cordibus fidelium efficacem. Extenditur adhuc dum potentiſſimus ille Dei digitus apud nos, *tùm* (1) per verbi prædicationem; Matth.10,30. 2.Pet.1,21. 2.Tim.3,16. *tùm*(2) per legitimam Sacramentorum adminiſtrationem. Gal.3,27.

Digitus Dei

2. Fraterna concordia & amicitia. Si enim ſatanas pro regni ſui conſervatione concordiæ ſtudet: quantò magis nos in regno Chriſti ſarto tecto conſervando concordes eſſe decebat? Eph.4,3. Eccl. 4,12. Sir.25,1.2. Amos 3,3.

3. Perpetua in bono conſtantia. Non ſufficit ſemel viciſſe & expuliſſe ſatanam; continuatione opus eſt. Matth.24,13. Arma itaque militiæ noſtræ nunquam deponenda. Job.7,1. Quandoquidem verò

non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:

opera itaque danda eſt ſedulò, ne ejectus ſatanas denuò, foribus cordis effractis, vel vi irrumpat, vel clam furis inſtar irreptat; firmis igitur clauſtris opus eſt. Plurimùm verò ad iſtam cordis cuſtodiam faciet,

1. Ingenua oris confeſſio; ejecto enim dæmonio, mutus cœpit loqui. Pſal.116,10. Matth.10,32. Sermo autem noſter ſit purus & ſale conditus. Col.4,6. Eph.4,29. & 5,4. Hieronymus: Tria, inquit, ſigna ſimul in uno homine perpetrata ſunt: Cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum eſt; ſed & quotidiè completur in converſione credentium, ut expulſo dæmone, primùm fidei lumen adſpiciant; deinde in laudes Dei tacentia priùs ora laxentur.

2. Operum Dei fidelis admiratio. Hab.1,5. Luc.2,33. Act.2,7.

3. Accurata ingenij diabolici obſervatio: eſt enim ille ſpiritus

1. potens, κοσμοκράτωρ; Eph.6, 12.

2. diligens; 1. Pet.5,8.

3 impudens;

4. numero ingens. Marc.5,9. Luc.8,30.

4. *Verbi auditi custoditio:* Beati, qui audiunt verbum, & custodiunt illud; q d. Christus; Mater mea, quam adpellâsti felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est. August. Tom. 9. Tract. 10. in Joh. Concludo voto Ecclesiæ: *Quæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice, atq; ad defensionem nostram dexteram tuæ majestatis extende, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum dilectum, Amen.*

DOMINICA LÆTARE,

EVANGELIUM

Joh. 6. à v. 1. ad 15.

1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος.

1. *Posthac abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.*

2. Καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολὺς, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων.

2. *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

3. Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

3. *Subiit autem in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.*

Levit. 23, 8. Deut 16, 1. 4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.

4. *Instabat autem Pascha, dies festus Judæorum.*

Matt 14, 16. 5. Ἐπάρας οὖν ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος, ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον· πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι;

5. *Cùm sustulisset ergò oculos Jesus, & vidisset, quòd multa turba veniret ad se, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut edant isti?*

(6. Τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν· αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν.)

6. *(Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus.)*

Marc. 6, 37. 7. Ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος· Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ.

7. *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; pusillum quidpiam accipiat.*

8. Λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου.

8. *Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas, frater Simonis Petri.*

9. Ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια· ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους;

9. *Est puer unus hic, qui habet quinq; panes hordaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tàm multos?* Matth. 16 5.

10. Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς· ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν· ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. Ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

10. *Dixit autem Jesus: facite, ut homines discumbant: erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergò viri numero fermè quinquies mille.* Marc. 8, 19.

11. Ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις· ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων ὅσον ἤθελον.

11. *Accepit autem panes Jesus, cumq; gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli verò discumbentibus: similiter & ex piscibus, quantum volebant.*

12. Ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.

12. *Ut autem impleti sunt, dicit discipulis suis: colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.*

13. Συνήγαγον οὖν, καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν.

13. *Collegerunt ergò, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant.*

14. Οἱ οὖν ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησε σημεῖον ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.

14. *Illi ergò homines cùm vidissent, quod Jesus fecerat, signum, dicebant: Hic est vere Propheta ille, qui venturus est in mundum.*

15. Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

15. *Jesus ergò cùm cognovisset, quòd venturi essent, ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum Regem, secessit iterum in montem ipse solus.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæsens Evangelium est generis Demonstrativi: continet enim historiam miraculi, de quinque panibus & duobus pisciculis, quibus quinque millia virorum Christus miraculosè pavit, & μετ'

 ἐκ-

εὐδοκίας saturavit. Partes ejus more consveto tres iterum constituimus,

I. τὰ ἡγούμενα, antecedentia miraculi continet;
II. τὰ πραχθέντα facta, h.e. ipsum miraculum explicat;
III. τὰ ἑπόμενα, consequentia miraculi exponit.

PARS I.

Primam partem ingrediuntur tria hæc:

1. Circumstantiarum quarundam observatio;
2. Miraculi edendi occasio;
3. Justa ad idem miraculum præparatio.

In censu circumstantiarum sunt,

1. *Locus*, tàm communis, quàm proprius. *Communis* est desertum civitatis Bethsaidæ. Luc. 9, 10. Johannes dicit contigisse hanc historiam trans mare Galilææ, quod & Tiberiadis dicebatur. Erat autem Tiberias urbs insignis, Galilæarum, uti loquitur Dn. D. Chemnit. harm. cap. 76. pag. 1426. maxima, regionis istius metropolis, Decapoleos (quæ aliàs vocatur terra Gilead) & inferioris Galilææ ad mare, versus orientem terminus, unde & mare illud cognomen accepit. Olim dicebatur lacus Genezareth. Cenereth enim erat, quæ postmodum in honorem Cæsaris Tiberii, Tiberias adpellata, à qua non procul aberat Bethsaida: è regione autem ejus trans mare situm erat desertum, quò Christus secesserat cum discipulis, furori Herodis parumper cessurus, ejusque insidias declinaturus. Circa illam civitatem, Bethsaidam dico, fuit desertum, quod vetustum nomen retinuit, & desertum civitatis Bethsaidæ dictum fuit. Adverbum loci πέραν, trans, indicat Christum mare trajecisse; quia navigatio & trajectio non quidem totius lacûs fuit; sed ex uno sinûs anfractu in alium, & velut itineris pedestris compendium, licet propter ambitum promontorii, quem circum navigare Christus necesse habuit, turbæ eum prævenerint. Marc. 6, 33. *Proprius* locus fuit mons istius deserti, quem adscendit, vel precandi, vel quietis captandæ studio.

Mare Galilææ. Tiberias. Desertum Bethsaidæ.

2. *Testes* futuri miraculi gemini;

1. *turba*, catervatim Christum itinere pedestri sequens, Matth. 14, 13. Marcus cap. 6, 33. adnotat, turbam illam, lacum Genezareth circumeuntem, tantâ celeritate, tantâque contentione iter istud, ad minimum decem milliarium confecisse, ut Christum navigio usum præveniret. Adjicitur statim causa concursûs impulsiva; quòd viderit signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur: ægrotos

er-

ergò ſuos ipſi quoque ſanandos haut dubiè & attulerunt & commendârunt. Patet inde, plerosque non tàm doctrinæ & ſalutis æternæ cognoſcendæ gratiâ, quàm ſignorum videndorum cupiditate impulſos, ad Chriſtum tanto ſtudio ac conatu feſtinâſſe, quod laudem non usque adeò magnam meretur; quæ etiam cauſa fuit, quòd plerique omnes poſtmodum defecerint ab eo, nec duram veritatis orationem ſuſtinere potuerint. Joh. 6, 60.

2. *Diſcipuli*, qui pars miraculi erant futuri, & modò legatione, ad quam miſſi fuerant, peractâ, ad Chriſtum reverſi erant, renunciantes, quo ſucceſſu Evangelium prædicârint, quibusque miraculis doctrinam confirmârint, quomodo denique ab auditoribus ſuis excepti, tractati & dimiſſi fuerint.

3. *Tempus*, quod ſignificatur tùm ἀορίςως, indefinitè; contigit miraculum hoc μετὰ ταῦτα, poſt hæc, ſc. poſtquam audiviſſet de inſidiis Herodis, qui Baptiſtâ interfecto Chriſtum quoque occidere quærebat. Luc. 9, 10. tùm ὡρισμένως, definitè, inſtabat feſtum Paſchatos, quod fuit tertium Paſcha à Baptiſmo Chriſti, incidens in annum miniſterii ejus tertium. Vide Dn. D. Geſner. in expoſ. paſſ. pag. 6. ubi ex harmonia Evangeliſtarum Paſchata ſupputat. Quale autem fuerit hoc Judæorum feſtum ex Moſe patet. Exod. 12, 11. Numer. 28, 61.

II. *Occaſionem* miraculo præbuit

1. *Populi*, de quo diximus, *concurſus*, tanquam cauſa extrinſecùs impellens:

2 *Miſericordiæ in Chriſto adfectus*, velut cauſa intrinſecùs eum movens. Marcus cap. 6, 34. ait: ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, tactus eſt miſericordiæ adfectu erga illos; quia erant velut oves, non habentes paſtorem. Sacerdotes quidem populo ſuo præfecerat Deus; ſed illi ſanâ doctrinâ oves non paſcebant, verùm ſeipſos, populum autem in diverſas partes trahebant. Populi itaque miſeriâ, inquit D. Chemn. p. 1427. Chriſtus commovetur, eo quòd cogebantur domos relinquere, & in deſerto quærere verbum Dei, cùm tamen paſſim proſtarent ſynagogæ, & prope eſſet Paſcha, quo tempore Hieroſolymis à ſacerdotibus de vero Paſchate informari debuiſſent. Sed illi humanas traditiones crepantes, de ſalutifero Dei verbo magis muti erant, quàm piſces.

3. His accedit, *intempeſtivus diſcipulorum monitus*, de populo maturè dimittendo, ut in vicinis pagis atq; oppidis de commeatu ſufficiente proſpicere ſibi queant.

III. Ad

2. *Cum dubitatione admirantes.* Hi neutri parti adjungere sese volunt. Messiam, proprio conscientiæ suæ testimonio convicti, ex ipso opere, ceteris omnibus, quantumvis sanctis, inimitabili, agnoscunt; palàm tamen profiteri, metu Pharisæorum, prohibentur. Hi sunt ἐπαμφοτερίζοντες, in utrumque latus claudicantes, Achselträger/ odiosum & invisum hominum genus. Lucas ad turbas stuporem illum refert; estque admiratio non malæ de Christo existimationis signum. Cùm enim facti rationem vel reddere, vel indagare nequirent, ad Deum referunt, ideoque admirantur.

3. *Tentantes & signum de cœlo petentes.* Hypocritæ sunt isti, illusores & irrisores, ideoque Matth. 12, 39. audiunt perversa & adultera generatio; quia finis illorum erat perversus & adulterinus, tentare, h. e. illaqueare Christum, eumque in sermone capere, atque ita insidias ipsi struere. Signum petunt more Judæis usitato. 1. Corinth. 1, 22.

4. *Securitati indulgentes,* qui semel ejecto diabolo, nihil sibi ab ipso periculi imminere falsò autumant, si vel maximè peccatis contra conscientiam pravisque carnis concupiscentiis indulgeant. Falsæ huic sive persvasioni, sive imaginationi, opponitur concio de spiritu immundo, efficaciâ Spiritûs sancti & prædicatione Evangelicâ, ex corde hominis exturbato, de qua part. 2. plura.

USUS I. Informatorius.

Diaboli malitia.

I. De summa diaboli malitia, quæ conspicitur

1. *ex miseria hominis obsessi tractatione;* templum ac domicilium Dei, cloaca fit & habitatio diaboli. Vide Domin. Reminisc.

2. *Ex spirituali obsessione.* Cor occupat, ne verbum penetret: Luc. 8, 12. Gen. 6, 3. Jer. 5, 3. Lingvam, ne loquatur bonum, sed malum: Ps. 52, 5. Aures, ne audiant rectum ac verum. Ps. 58, 5. 6. Eph. 2, 2. 2. Timot. 2, 26. 2. Cor. 4, 4. Act. 7, 51. & ita consequenter.

3. *Ex nominum invisorum adsignatione.* Dicitur enim

Diaboli nomina.

1. *satanas,* adversarius; quia est veritatis inimicus, & semper sanctorum virtutibus contraire nititur, ut ait Isidorus 1. Per. 5, 8.

2. *Beelzebub,* dominus vel rex muscarum; ita verò nuncupatur

Beelzebub cur diabolus dictus.

1. *ob habitationis sublimitatem:* est enim princeps aëris: Eph. 2, 2. & 6, 13. Luc. 8, 5.
2. *ob impudentiæ protervitatem:*
3. *ob sordium impuritatem;* Matth. 8, 31. 32.

4. propter instabilitatem; 1.Pet.5,8. Joh.1,7.

5. propter subtilitatem; per spiritûs enim & subtilissimas cogitationes animis hominum sese artificiosè novit insinuare:

6. propter depulsionis facilitatem; quæ fit flabello orationis; Matth.17,21.

7. propter imbecillitatem.

3. Diabolus, quod calumniatorem sonat: quia calumniis & Deum & homines impetit. Gen.3,4. Job.1,9. seqq.

4. Dæmonium: dæmon autem dicitur, quasi δαήμων; est enim μυρωποτεχνίτης.

5. Fortis armatus: cur verò in singulari Scriptura numero de ipso loquatur, explicat D. Finck. Cent. 1. can.76.

6. Ἀκάθαρτον πνεῦμα, impurus spiritus; tùm ratione inspirationis; tùm ratione habitationis: gaudet haris superborum, avarorum, libidinosorum, luxuriosorum, iracundorum, invidorum, ebriosorum, desidiosorum, obtrectatorum &c. Vide D. Bald. p.568. C. C. & Monr. p.270.

4. Ex malitiosa operatione, de qua infrà. Hæc omnia nostræ inserviant exhortationi,

1. ad vigilantiam. 1. Pet. 5, 9. Chrysost. Renuncio tibi diabole, & do me tibi Christe.

2. Ad peccatorum fugam. Jac.4,6. peccata enim, Origine teste, sunt vita diaboli.

II. De insigni diaboli potentia. Est enim ille hominum

Diaboli potentia.

1. obsessor;

2. tortor; Marc. 9,18.

3. interfector; Joh. 8, 44.

4. facultatum direptor. Gl. ord. ait: si non potest nocere in persona nocet in substantia: interdum in utroque. Hæc omnia diabolo permittit Jehovah, in

1. iræ justissimæ declarationem;

2. piorum probationem;

3. diaboli confusionem;

4. Christi glorificationem.

III. De signis, ex quibus cognosci potest, hominem verè à diabolo esse obsessum. Vide D. Bald. C. C. p. 617. & seqq.

Obsessionis signa.

II. Consolatorius.

Diaboli tùm potentiæ, tùm malitiæ obvertimus Christum Jesum θεαίβρωπον, dæmonia vel solo nútu ejicientem. Gen.3,15. 1.Joh. 3,8. Joh.14,30. Ose.13,14. Col.2,15. Rom.8,31. 1.Joh.4,4. *Diabolum contemsisse, est vicisse.* Cyprianus.

III. Monitorius.

Calumnia. 1. De calumniandi libidine detestanda, quâ concitati Pharisæi, contra propriæ conscientiæ testimonium, ductori satanæ Christi miracula transscribunt; Ioh.3,2. Diabolicum hoc est, sed admodum familiare exulceratissimo hoc seculo vitium. Pro 10,18. & 11,12. & 20,19. Eccl.10,11. Si idem nobis, quod Christo, contingat,

1. *non par pari referendum:* Rom.12,17. 1.Pet.2,23. sed
2. *modestè respondendum:* Prov.26,5. reliquum
3. *patienter ferendum;* Matth.5,11. & 10,25. Joh.15, 20. & denique
4. *diligenter orandum.* Ps.26,1. seq. & 43,1.

2. De spiritualiter aut corporaliter obsessis Christo adducendis. Matth.6,13. 1.Tim.2,1. Iac.5,14. Vide Mont. p. 276.

IV. Refutatorius.

Papistæ miracula quærunt. Pontificiorum, signa & miracula à nostris Ecclesiis, voce plùs quàm stentoreâ, efflagitantium, quibus tamen nihil opus;

1. quia ne sic quidem, abjecta idolomaniâ, fidem nobis haberent, exemplo Pharisæorum: Luc.16, 29.
2. quia Deum tentare non licet: Matth.4,7.
3. quia doctrina satis confirmata: nova doctrina novis eget miraculis: 1.Cor. 1,22. & 14,22.
4. quia adventus Antichristi in signis & prodigiis mendacibus. 2. Thess.2,9.

PARS II.

Concio Christi, quæ alteram Evangelii constituit partem, complectitur duo:

I. Calumniæ refutationem, desumtam

1. à natura contrariorum, καθ' ὁμοίωσιν regnorum mundanorum cum regno satanæ, hoc sensu:

Omne regnum divisum sibiq; contrarium stare vel consistere diu non potest:

Satanæ regnum erit divisum sibiq; contrarium, si ego illius utar operâ in ejiciendis dæmoniis:

Er-

Ergò stare vel consistere diu non potest. Illustratur ἐκθέσει domûs, & ἐρωτήσει status; quomodo regnum illius stabit, q.d. stare non potest.

2. A testimonio proprio Judæorum, dono ejiciendi dæmonia instructorum.

3. A veræ causæ positione, κατ' ἀντίθεσιν: vera causa ejectionis est digitus Dei, h.e. divina potentia, vel ipse Dei Spiritus sanctus.

4. A contrariorum collatione, Christi puta & satanæ, & contrariorum utriusque studiorum atque officiorum: Fortis enim non nisi à fortiori debellatur.

5. A pugnantibus; scil. personis & officiis sive operibus: Christus colligit, satanas dispergit. Uberiorem horum omnium declarationem pete ex præced. dispos. & confer D. Calixt. p. 200. 201. 202.

II. Auditorum informationem; quâ agit distinctè,

1. *de summa malorum infelicitate.* Horum intentio est: Si diabolus per Christum ἰσχυρότερον est expulsus: Ergò nihil nobis posthac periculi pertimescendum. Depulsio Christi procedit,

   1. A proprio diaboli adjuncto, quòd nunquam quiescat, sed semel ejectus revertatur; de ipso enim, veluti viatore loquitur.
   2. A periculoso; verendum ne posteriora reddantur pejora prioribus: ita satiùs fuisset homini, nunquam è potestate diaboli exivisse.

2. *De summa bonorum felicitate.* Occasionem huic concionis membro præbuit mulieris præconium, quo Mariam Christi matrem beatam prædicaverat, ob tanti viri partum. Corrigitur verò ista sententia, descriptione veræ beatitudinis, quod illa unicè consistat, in verbi divini *(Beatitudo vera.)*

   1. *auditione*; &
   2. *retentione* sive custodia. Custodiunt autem verbum, quotquot vitam ad normam illius piè inculpateq; instituunt. *(Verbi custodia.)*

Ultimæ hujus particulæ dispositionem vide part. 1. promt. Evang. Tungerl. p. 106. & seq.

USUS I. Informatorius.

I. Christus accuratè singulos verbi sui auditores, καρδιογνώστης quippè, observat. Joh. 2, 25. & 6, 15. 64. & 13, 3. & 16, 30. & 21, 17. Col. 2, 3. Matth. 9, 4. Quisque ergò videat, quid & quomodo audiat. Luc. 8, 18. Eccl. 4, 17. Ezech. 33, 31.

II.

2. Pontificiorum, 1. Ecclesiam Romano Catholicam esse regnum Dei contendentium; sic enim Tonsor Jesuwiticus p. 277. post. Damit jederman sehe vnd greiffe / daß Gottes Reich bey vns sey/vnd nicht bey den Secten. Contra Ecclesiam Papisticam esse regnum satanæ ad oculum demonstrat Dn. Meelf. in Vindic. thes. 26. seq. 2. Mariam θεοτόκον ab omni, etiam originali, peccato immunem fuisse, cum Bellarmino & aliis nugantium, quem errorem graviter refutat D. Gerhard. Tom. 2. L. C. pag. 572. & seqq.

Papismus de regno Dei in Papatu.

Maria non est ἀναμάρτητος.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

ITerum nobis hac Dominicâ cum Cacodæmone operibusque ejus detestandis res est. Continet enim Evangelium prælectum (1) Christi θαυματουργίαν sive miraculum, referente Lucâ, tùm diaboli ex homine δαιμονιζομένῳ expulsionem; tùm effectûs distincti consecutionem, (α) in obsesso, qui loquitur; (β) in populo, admirante & Messiam ex opere agnoscente.

(2) Miraculi βλασφημίαν; quibusdam illud adlatrantibus; quibusdam signum è cœlo aliud postulantibus.

(3) Christi ἀπολογίαν, quæ posita est, partim in calumniæ refutatione; partim in impiorum præmonitione.

(4) Mulieris δοξολογίαν sive præconium. Nos unicum ex textu Evangelico delibabimus thema, dicturi, pro meliori hostis communis cognitione, & accuratiori ejusdem devitatione, *quomodo, quibusq; mediis diabolus hodieq; ex corde maximè hominis spiritualiter ejiciatur atq; exturbetur.*

Diaboli expulsio spiritualis.

Ἐξήγησις.

Ut scopum, quem nobis præfixum habemus, feliciter attingamus, duorum potissimùm considerationem attendendam meminetimus:

I. *Hostis præcognitionem.* Callidus enim spiritus est, draco ille infernalis, & in Angelum quandoque lucis miro sese artificio transfigurare novit. 2. Cor. 11, 14. Ne itaque decipiaris, audi ex hodierno Evangelio certa quædem γνωρίσματα, quibus maligni Spiritûs præsentiam regnumque tenebrarum dignoscere quàm facilimè poteris. Ubicunque enim est diabolus, ibi est

Diaboli agnitio.

1. *Cæcus, mutus & surdus verbi divini contemtor.* Typum hujusce

Zzz rei

rei gerit miserrimus iste homo, corporaliter à diabolo obsessus, & omni non modò ratione, sed omnibus fermè sensibus spoliatus. Spirituali modo idem conatur efficere hodieque in filiis incredulitatis; Eph.2,2. quorum mentes ille excæcat; 2.Cor.4,4. 2.Tim.2,26 Matth.23,16. aures obturat; Psal.58,5. Esa.6,9. Jer.25,3. lingvam cohibet; Ps.58,1. hinc mancipia peccati, & satanæ filii vocantur. Joh. 8,34.44. 1.Joh.3,8.

2. *Impudens & blasphemus calumniator.* Talem sese præstat in Scribis & Pharisæis, miraculum Christi blasphemantibus, & ad auctorem satanam referentibus. Matth.12,34. Idem contigit Mosi, qui à Plinio magis & incantatoribus connumeratur: Eliæ, 1.Reg.18, 17. Jeremiæ, cap.15,10. Act.6,13. 1.Cor.4,13.

3. *Callidus illusor & fraudulentus præstigiator.* Talis conspicitur in illis, qui in medio signorum divinorum signa de cœlo petunt. Matth.12,39. quibus similes sunt ἐμπαῖκται, Esa.28,11. Jer.5,12. & 13. 2.Pet.3,3.

4. *Odiosus concordiæ simulator;* non enim adversus seipsum est divisus. Job.41,5. Hæc pax est maledicta. Huc refer Irenica pacis consultationes, à Calvinianis sub specie fictæ φιλησυχίας in ecclesiæ proscenium projectas & passim obvias. Non certè possunt esse auctores unitatis, qui destruunt vinculum veritatis. Esa.5,18. Matth.10,34. Hieron. in Matth. f.17.b. Si satanas pugnat contra se, & dæmon inimicus est dæmonis, deberet jam mundi venisse consummatio, ut non haberent in eo locum adversariæ potestates, quarum inter se bellum, pax hominum est.

Irenica Calvinistarum suspecta.

5. *Crudelis persecutor.* Est enim fortis armatus, qui suâ confisus πανοπλίᾳ, h.e. brachio seculari, strages in populo Dei edit innumeras. Joh.8,44. Esa.27,1. Hieron. d. l. Adversarius noster fortis victoris quoque vocibus comprobatur. Domus illius mundus, qui in maligno positus est, non Creatoris dignitate, sed magnitudine delinquentis. Vasa ejus nos quondam fuimus. Alligatus est fortis & religatus in tartarum, & Domini contritus pede; & direptis sedibus tyranni, captiva ducta est captivitas. Probet jam quisque seipsum, & ex operibus facilè poterit de præsente vel absente diabolo judicium facere.

II. *Hostis profligationem & expulsionem.* Quæritur enim jam, quibus potissimùm armis, instrumentis sive mediis, fortis ille armatus possit ex corde hominis Christiani exturbari? Nullus certè hîc locus Papisticis exorcisationibus, aquæ benedictæ, lychnis con-

secratis, missis idololatricis, aliisque hujus farinæ nugamentis inutilibus; sed requiritur,

1. Digiti Dei potentia. Hieron. d. l. Digitus Dei, inquit, est iste, quo tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Sina. Si igitur manus & brachium, Dei Filius est; & digitus ejus Spiritus Sanctus, Patris & Filii & Spiritûs Sancti una substantia est; non te scandalicet membrorum inæqualitas, cùm ædificet unitas corporis. Digitus igitur ille Dei significat, Matthæo interprete, Spiritum Sanctum, per Verbum & Sacramenta in cordibus fidelium efficacem. Extenditur adhucdum potentissimus ille Dei digitus apud nos, *tùm* (1) per verbi prædicationem; Matth.10,30. 2.Pet.1,21. 2.Tim.3,16. *tùm* (2) per legitimam Sacramentorum administrationem. Gal.3,27.

Digitus Dei

2. Fraterna concordia & amicitia. Si enim satanas pro regni sui conservatione concordiæ studet: quantò magis nos in regno Christi sarto tecto conservando concordes esse decebat? Eph.4,3. Eccl. 4,12. Sir.25,1.2. Amos 3,3.

3. Perpetua in bono constantia. Non sufficit semel vicisse & expulisse satanam; continuatione opus est. Matth.24,13. Arma itaque militiæ nostræ nunquam deponenda. Job.7,1. Quandoquidem verò

non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri:

opera itaque danda est sedulò, ne ejectus satanas denuò, foribus cordis effractis, vel vi irrumpat, vel clam furis instar irreptat; firmis igitur claustris opus est. Plurimùm verò ad istam cordis custodiam faciet,

1. Ingenua oris confessio; ejecto enim dæmonio, mutus cœpit loqui. Psal.116,10. Matth.10,32. Sermo autem noster sit purus & sale conditus. Col.4,6. Eph.4,29. & 5,4. Hieronymus: Tria, inquit, signa simul in uno homine perpetrata sunt: Cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum est; sed & quotidiè completur in conversione credentium, ut expulso dæmone, primùm fidei lumen adspiciant; deinde in laudes Dei tacentia priùs ora laxentur.

2. Operum Dei fidelis admiratio. Hab.1,5. Luc.2,33. Act.2,7.

3. Accurata ingenii diabolici observatio: est enim ille spiritus

1. potens, κοσμοκράτωρ; Eph.6,12.
2. diligens; 1. Pet.5,8.
3 impudens;
4. numero ingens. Marc.5,9. Luc.8,30.

4. *Verbi auditi custoditio:* Beati, qui audiunt verbum, & custodiunt illud; q. d. Christus; Mater mea, quam adpellâsti felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est. August. Tom. 9. Tract. 10. in Joh. Concludo voto Ecclesiæ: *Quæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram dexteram tuæ majestatis extende, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum dilectum, Amen.*

DOMINICA LÆTARE, EVANGELIUM

Joh. 6. à v. 1. ad 15.

1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος.

2. Καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολὺς, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων.

3. Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

Levit. 23, 8. Deut. 16, 1. 4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.

Matt. 14, 16. 5. Ἐπάρας οὖν ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος, ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον· πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι;

(6. Τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν· αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν.)

Marc. 6, 37. 7. Ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος· Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ.

8. Λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου.

1. *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.*

2. *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

3. *Subiit autem in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.*

4. *Instabat autem Pascha, dies festus Judæorum.*

5. *Cùm sustulisset ergò oculos Jesus, & vidisset, quòd multa turba veniret ad se, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut edant isti?*

6. *(Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus.)*

7. *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque pusillum quidpiam accipiat.*

8. *Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas, frater Simonis Petri.*

9. Ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια· ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους;

10. Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς· ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν· ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. Ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

11. Ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις· ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων ὅσον ἤθελον.

12. Ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.

13. Συνήγαγον οὖν, καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν.

14. Οἱ οὖν ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησε σημεῖον ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.

15. Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

9. Est puer unus hîc, qui habet quinq; panes hordaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tàm multos? Matth. 16

10. Dixit autem Jesus: facite, ut homines discumbant: erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergò viri numero fermè quinquies mille. Marc. 8. 13.

11. Accepit autem panes Jesus, cumq; gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli verò discumbentibus: similiter & ex piscibus, quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dicit discipulis suis: colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.

13. Collegerunt ergò, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant.

14. Illi ergò homines cùm vidissent, quod Jesus fecerat, signum, dicebant: Hic est verè Propheta ille, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergò cùm cognovisset, quòd venturi essent, ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum Regem, secessit iterum in montem ipse solus.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæsens Evangelium est generis Demonstrativi: continet enim historiam miraculi, de quinque panibus & duobus pisciculis, quibus quinque millia virorum Christus miraculosè pavit, & μετ-

εὐδοκίας saturavit. Partes ejus more consveto tres iterum constituimus,

I. τὰ ἡγέμθρα, antecedentia miraculi continet;
II. τὰ πραχθέντα facta, h.e. ipsum miraculum explicat;
III. τὰ ἑπόμθρα, consequentia miraculi exponit.

PARS I.

Primam partem ingrediuntur tria hæc:

1. Circumstantiarum quarundam observatio;
2. Miraculi edendi occasio;
3. Justa ad idem miraculum præparatio.

In censu circumstantiarum sunt,

1. Locus, tàm communis, quàm proprius. *Communis* est desertum civitatis Bethsaidæ. Luc. 9, 10. Johannes dicit contigisse hanc historiam trans mare Galilææ, quod & Tiberiadis dicebatur. Erat autem Tiberias urbs insignis, Galilæarum, uti loquitur Dn. D. Chemnit. harm. cap. 76. pag. 1426. maxima, regionis istius metropolis, Decapoleos (quæ aliàs vocatur terra Gilead) & inferiotis Galilææ ad mare, versus orientem terminus, unde & mare illud cognomen accepit. Olim dicebatur lacus Genezareth. Cenereth enim erat, quæ postmodum in honorem Cæsaris Tiberii, Tiberias adpellata, à qua non procul aberat Bethsaida: è regione autem ejus trans marinum erat desertum, quò Christus secesserat cum discipulis, furori Herodis parumper cessurus, ejusque insidias declinaturus. Circa illam civitatem, Bethsaidam dico, fuit desertum, quod vetustum nomen retinuit, & desertum civitatis Bethsaidæ dictum fuit. Adverbum loci πέραν, trans, indicat Christum mare trajecisse; quia navigatio & trajectio non quidem totius lacûs fuit; sed ex uno sinûs anfractu in alium, & velut itineris pedestris compendium, licet propter ambitum promontorii, quem circum navigare Christus necesse habuit, turbæ eum prævenerint. Marc. 6, 33. *Proprius* locus fuit mons istius deserti, quem adscendit, vel precandi, vel quietis captandæ studio.

Mare Galilææ. Tiberias.

Desertum Bethsaidæ.

2. Testes futuri miraculi gemini;

1. turba, catervatim Christum itinere pedestri sequens, Matth. 14, 13. Marcus cap. 6, 33. adnotat, turbam illam, lacum Genezareth circumeuntem, tantâ celeritate, tantâque contentione iter istud, ad minimum decem milliarium confecisse, ut Christum navigio usum præveniret. Adjicitur statim causa concursûs impulsiva; quòd viderit signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur: ægrotos er-

ergò suos ipsi quoque sanandos haut dubiè & attulerunt & commendârunt. Patet inde, plerosque non tàm doctrinæ & salutis æternæ cognoscendæ gratiâ, quàm signorum videndorum cupiditate impulsos, ad Christum tanto studio ac conatu festinâsse, quod laudem non usque adeò magnam meretur; quæ etiam causa fuit, quòd plerique omnes postmodum defecerint ab eo, nec duram veritatis orationem sustinere potuerint. Joh.6,60.

2. *Discipuli*, qui pars miraculi erant futuri, & modò legatione, ad quam missi fuerant, peractâ, ad Christum reversi erant, renunciantes, quo successu Evangelium prædicârint, quibusque miraculis doctrinam confirmârint, quomodo denique ab auditoribus suis excepti, tractati & dimissi fuerint.

3. *Tempus*, quod significatur tùm ἀορίστως, indefinitè; contigit miraculum hoc μετὰ ταῦτα, post hæc, sc. postquam audivisset de insidiis Herodis, qui Baptistâ interfecto Christum quoque occidere quærebat. Luc.9,10. tùm ὡρισμένως, definitè, instabat festum Paschatos, quod fuit tertium Pascha à Baptismo Christi, incidens in annum ministerii ejus tertium. Vide Dn. D. Gesner. in expos. pass. pag. 6. ubi ex harmonia Evangelistarum Paschata supputat. Quale autem fuerit hoc Judæorum festum ex Mose patet. Exod. 12,11. Numer. 28,61.

II. Occasionem miraculo præbuit

1. *Populi*, de quo diximus, *concursus*, tanquam causa extrinsecùs impellens:

2 *Misericordiæ in Christo adfectus*, velut causa intrinsecùs eum movens. Marcus cap.6,34. ait: ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, tactus est misericordiæ adfectu erga illos; quia erant velut oves, non habentes pastorem. Sacerdotes quidem populo suo præfecerat Deus; sed illi sanâ doctrinâ oves non pascebant, verùm seipsos, populum autem in diversas partes trahebant. Populi itaque miseriâ, inquit D Chemn. p.1427. Christus commovetur, eo quòd cogebantur domos relinquere, & in deserto quærere verbum Dei, cùm tamen passim prostarent synagogæ, & prope esset Pascha, quo tempore Hierosolymis à sacerdotibus de vero Paschate informari debuissent. Sed illi humanas traditiones crepantes, de salutifero Dei verbo magis muti erant, quàm pisces.

3. His accedit, *intempestivus discipulorum monitus*, de populo maturè dimittendo, ut in vicinis pagis atq; oppidis de commeatu sufficiente prospicere sibi queant.

III. Ad

III. Ad προπαρασκευαστικὰ sive *præparatoria* miraculi pertinet διαλογισμὸς Christi, cum discipulis tentandi gratiâ institutus. Ubi habetur

1. *Christi quæsitum;* quærit autem de panibus, ad cibandum tantum populum necessariis & sufficientibus. Occasionem quæstioni huic præbuit ipse Christus, oculos attollens ad videndum, quanta populi multitudo sit insecuta. Elevatio autem oculorum signum est diligentiæ in adspiciendo. Luc. 6, 20. Johan, 4, 35. Dilatatur ζητούμενον

Oculorum elevatio.

1. causâ finali, per παρένθεσιν additâ; quæsivit nimirùm Christus πειραστικῶς, ut profectûs Philippi in doctrina fidei tentaret & exploraret.
2. ἐκθέσει τῶν λογισμῶν, quòd ipse jam pridem noverit cibandi modum.

2. *Discipulorum responsum*, non in genere omnium; sed in specie

1. *Philippi*, suam prodentis in rebus divinis ἀπαιδευσίαν. Ita enim ille, ex proportione, inter adparatum & cibandos planè dispari, colligit: ducentorum denariorum panes cibando huic populo non sufficient: Ergò cibatio est impossibilis, & ἐπιμόνως omittenda. Denarius est nummus argenteus Romanus, valens tres grossos Misnicos; (ein halb Orth) secundum alios grossum Saxonicum (einen Schreckenberger/ vierdhalb gr) ducenti ergò denarii conficient 25 Joachimicos, seu 28 florinos, cum duodecim grossis: vel secundum posteriores 29 Imperiales cum 4 grossis; seu 33 florinos, cum 7 grossis residuis. Philippus igitur (melior Arithmeticus, quàm Theologus) subducto calculo deprehendit, factâ inter populum & tantam pecuniam collatione, minimam panis portiunculam cuique cessuram, quanta vel nummo vel obulo coëmi queat; sed hac nihil sufficere vel efficere arbitratur.

Denarius.

2. *Andreæ*, suam etiam prostituentis ἀπιστίαν. Monstrat verò is aliquod quidem subsidium; verùm tale, de quo ipse desperet. Panes factâ inquisitione dantur quinque solùm hordeacei, & duo pisciculi: sed quid hoc inter tantam populi esurientis multitudinem? Satiùs ergò & hic esse censet, populum dimittere, quàm rem adeò difficilem & tantùm non impossibilem, temerè tentare. Pisciculi Johanni dicuntur ὀψάρια. Ὀψάριον autem aliàs vocatur opsonium, seu condimentum, vel quivis cibus, qui pani adjicitur. Hoc loco pro pisciculis assatis, παρὰ τὸ ὀπτᾶν, quod est assare. Joh. 21, 9.

Ὀψάριον.

Col-

Colligitur inde, pisces fuisse assatos; solebant enim Judæi pisces assare, atque assatos venum exponere, uti habet D. Tarnovius in Johan. p. 503. Atque hæc omnia spectant miraculi ἠγέμψα.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Fuga tempore specialis persecutionis est licita. Matt. 2, 13. & 12, 15. Joh. 7, 1. & 8, 59. Mat. 10, 23. Apoc. 12, 8. Heb. 11, 38. *Fuga licita.*

II. Christus in montem cum discipulis secedens, tùm ut Apostolos peregrinatione defatigatos refocillaret; tùm ut furori Herodis cederet; tùm ut infirmos Johannis discipulos, Magistri sui internecione tragicâ territos, erigeret; docet,

1. à laboribus nonnunquam respirare concessum esse; Rom. 13, 13. Col. 2, 23. 1. Thess. 4, 4. 1. Tim. 4, 8.
2. furorem tyrannorum declinare licere, cùm tyrannis non sit fidendum, maximè si hodiè flabella Jebusitica accedant: vide Dominic. Reminisc.
3. afflictos solatio idoneo esse erigendos. Esa. 35, 3. & 40, 1. & 42, 3. 1. Thess. 5, 14.

III. Deus non vult, ut sui seipsos immodicis laboribus enecent; sed honestam recreationem probat, quod vel sabbathi institutione testatum fecit: Exod. 20, 10. vult enim, ut sepositis laboribus corporis eo die animi recreentur cultu Dei & consideratione beneficiorum ejus. *Labor sit moderatus.*

IV. Peccant, qui vel avaritiâ fascinati se suosque laboribus immodicis fatigant; vel Sabbathi quiete ad voluptates & carnis licentiam abutuntur, non Deo, sed diabolo illâ die servientes. *Sabbathi abusus.*

V. Christus non deduxit Marc. 6, 31. discipulos suos ad choreas & comessationes, sicuti quidam malæ fidei Pastores (quos vocat D. Chemnit. p. 1425.) recreationes suas, conviviis & lusibus indulgendo quærunt: sed ad ejusmodi suos quietem invitavit, quâ ab externis concionandi laboribus vacantes, piis precibus & privatâ operum Dei meditatione seipsos recrearent, sicque animum ad novos labores subeundos innovarent. Beten und studieren ist der Pfarrer beste Ruhe und Ergetzligkeit. *Pastorum labor.*

VI. Temporis habenda quoque est ratio, ne otio & quieti indulgeamus nimium; sed ubi animus vegetior redditus est, mox ad labores consvetos redeamus; ideoque Christus dicit, ὀλίγον, pusil- *Labores Ecclesiasticorum concatenati.*

Aaaa lum

lum requiescite. Sic ferè illis, quibus Ecclesiarum cura commissa, nulla unquam in hoc mundo requies conceditur. 2. Cor. 11, 28. Apoc. 14, 13.

VII. In Scriptura sacra N.T. advertere est, Christum montibus delectatum, in montibus multa & magna fuisse operatum, quod probat D. Finck. cent. 3. can. 62. per exempla.

Verbi studium. IIX. De studio verbi divini, cujus indicium manifestum habemus in turba, non domos saltem suas relinquente, & Christum sequente; sed tanta etiam aviditate & celeritate itinere pedestri festinante, ut Christum & Apostolos navigio vectos præverteret. Ps. 27, 4. & 84, 1. & 121, 1. Matth. 6, 33. Luc. 10, 42. & 11, 28. Confer D. Theod. p. 639. 640.

Φιλανθρωπία Christi. IX. Testimonium iterum h.l. habemus φιλανθρωπίας Christi, non inhumaniter rejicientis turbam, carnalia licèt magis, quàm spiritualia quærentem. Esa. 42, 3. Matth. 9, 14. & 18, 11. Jos. 6, 37. 1. Timot. 2, 15. Act. 13, 18.

Doctorum Ecclesiæ officium. X. Monentur fideles Ecclesiæ Doctores, ut

1. promti sint, quovis tempore, ad promovendam Evangelii prædicationem, idque faciant ὁλοκαρδίως καὶ ἑκουσίως. 1. Pet. 5, 2.
2. Proponant auditoribus suis tantùm sermonem de regno Christi. Luc. 9, 11. 1. Pet. 4, 11.

Unus apex verbi ratione valentior omni est:
Milleq; Decretis Conciliisq; prior.

3. Auditorum salutem precibus Deo commendent, & doctrinam abs se propositam vitæ sanctimonia cohonestent. Matth. 5, 13. 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6.
4. Præcipuam etiam Christi exemplo infirmorum curam habeant. Examina ad hæc χειμῆεια Papam cum clero suo.

Miracula Christi. XI. Christi miracula omnia fuêre εὐεργετικά. Matth. 18, 11. Luc. 9, 56. Act. 10, 38.

Victum Christus dabit. XII. Christi providentia & cura, de victu auditoribus suis procurando, omnibus fidelibus maximo debebat esse solatio. Deut. 28, 1. seqq. Matth. 6, 33. Hebr. 2, 17. & 14, 15.

XIII. Quærentibus enim regnum Dei nunquam defutura sunt vitæ sustendandæ necessaria. Ps. 33, 18. 19. & 34, 11. & 37, 25. & 112, 3. 1. Tim. 4, 8. Matth 10, 9. Luc. 22, 36.

XIV.

XIV. Tentatio in sacris literis datur potissimum quadruplex: Tentatio quadruplex

1. diaboli, qui inde dicitur ὁ πειράζων: Matth.4,3. 1.Thess.3,5. Eph.2,2.
2. carnis propriæ, Jac.1,14. cui resistendum piis precibus, verbi lectione, & pœnarum meditatione: Gal.5,24.
3. mundi, qui pios impetit & exagitat, tùm verbis, tùm factis: Gen.19,14. 1.Petr.2,5. 1.Reg.18,17. 2.Reg.2,23. Jer.15,10. Ezec. 33,32. Luc.11,15. Joh.8,48.59. Act.7,58. 1.Pet 2,23.
4. Dei ipsius, qui suos etiam quandoque solet tentare, non tentatione deceptionis ad malum, sed tentatione probationis ad bonum; modò penuria rerum necessariarum; modò signis per Prophetas editis; Deut. 13,3. modò gravibus mandatis; Gen. 22,1. seq. Jud.7,8. 2.Reg 10,10. modò dilatione auxilii. Psal.10,1. & 13,1. Jerem.17,17. Matth.15,23. Exod.15,25. & 16,4. & 20,20. Deut.8,2. Iud.2,22. & 3,1. Iob. 1,12. Sap.3,5. Sir. 2,4. & 27,18. Zach.13,9. Rom.5,4.2.Pet.2,9 Ps.139,22. Nostrum est animo obfirmato auxilium patienter exspectare. Ps.27,14 & 130,6. Hab.2,3. Iac.1,12.

XV. Homines de divinis rebus sinistrè judicant. 1.Cor.2,14. 2.Cor.10.5. Ratio enim nostra in divinis dijudicandis cæca est. Tit. 3,3. Ioh.1,5. Eph.4,16. Act.26,18. Ratio cæca.

XVI. In discipulis exemplum habemus infirmitatis in fide. Exod.16,3. & 17,3. Num.11,21. Ps.78,19.

XVII. Quod naturæ & rationi impossibile, illud Deo ne putemus impossibile. Zachar.8,6. Luc. 1,37. Matth. 19,26. Ephes. 3,20. Impossibile rationi non Deo.

XIIX. Sub annonæ vel defectu, vel caritate, de sui sustentatione homo admodum & plus justo est solicitus. Numer.11,4. 2.Reg.7,2. Sir.31,1. Exod.17,2. 1.Tim.6,8. D.Theod. p. 643.

XIX. Optima victûs acquirendi ratio est, si ante omnia verbum Dei audiamus. Ibid. Ps.37,34. Deut.28,3. Matth.6,33. Victûs ratio.

PARS II.

Sequitur secunda parte miraculosa populi cibatio, In cujus descriptione notetur,

I. Causa efficiens; Dominus noster Iesus Christus, θεάνθρωπος, Dei & Mariæ Filius.

II. Causæ adjuvantes vel organicæ, discipuli, quibus Christus præcipit, ut populum faciant discumbere. Etsi verò illi in corde suo statuant, quinq; panes & duos pisciculos tantæ multitudini cibandæ nequaquam sufficere: Domino tamen non reluctantur, sed populum, ut quasi cœnaturus discumbat, adigunt. Marcus addit, discubuisse populum certo ordine, à Christo nimirùm præscripto, quinquagenos in latitudinem, & centenos in longitudinem; ut totum miraculum esset illustrius, convivis ex opposito invicem collocatis, & Apostolis ordine per medium τ̃ κλισιῶν incedentibus: sic enim nemo potuit præteriri, & numerus discumbentium cognosci.

III. Subjectus locus herbidus; in viridi gramine discumbunt. Etsi enim nomen χόρτ☉ alias gramen resectum vel fænum denotet, 1. Cor. 3, 12. hoc tamen loco viride est intelligendum; unde apud Marcum cap. 6, 39. additur χλωρὸς χόρτ☉. Ver enim erat, adpropinquante Paschate.

χόρτ☉.

IV. Numerus convivarum; discubuisse enim leguntur viri numerò fermè quinquies mille, præter mulieres & pueros, (uti habet Matthæus cap. 14, 21.) qui viris adstiterunt; adstantibus autem quisque de suo quoque fragmento dedit. Numerandi isthæc ratio in Mose quondam etiam fuit usitata, Num. 1, 2. & 26, 4.

V. Forma miraculi, continens modum agendi seu ipsa πραχθέντα. Discumbentibus enim convivis, Christus in conspectu totius populi,

1. sumsit vel accepit panes quinque hordeaceos, quos solos adesse sciebant & videbant omnes, in manus suas benedictione divinà plenas, Joh. 13, 3. Ps. 145, 16.
2. Oculis in cœlum sublatis, benedixit illis; Luc. 9, 16. non modo vulgari, sicut nos precibus consecrare mensam solemus; sed fuit specialis ac singularis εὐλογία, miraculosam illam panum pisciumque multiplicationem efficiens; sicut in prima creatione creaturis benedicendo eas multiplicavit, Gen. 1, 27. 28.
3. Gratias egit, tùm pro præsenti alimonia; tùm pro θαυματουργικῇ potentia, humanitati etiam suæ concessa.
4. Fregit, & fragmenta dedit discipulis; discipuli verò, in cophinos accipientes fragmenta, populo distribuerunt.
5. De pisciculis etiam dedit, quantum volebat, prout Lutherus singulariter legit. Potuit enim ex quinque istis panibus & duobus pisciculis sumere tantum, quantum opus erat, & quan-

quantum volebat, ut plùs semper superesset, quàm distribueretur. Sed observavit Dn. D. Chemnitius p. 1434. quòd Græca exemplaria pleraque plurale habeant, ἤθελον, non ἤθελε singulare, quantum volebant, sc. Apostoli, cum cophinis per κλισίας incedentes, distribuere, & convivæ manducare; quâ ratione Christi liberalitas tantò magis commendatur; quandoquidem illis tantum dari curavit, quantum ipsi volebant. Confer D. Tarn. in Joh. p. 505. Ubi verò panes & pisces, tanquam partes miraculi materiales, fuerint multiplicati, (multiplicatio miraculosa est veluti formale miraculi:) an in manibus Christi, aut discipulorum, an in ore sumentium, & quomodo sint multiplicati, à quibusdam præter necessitatem quæritur, quibus d. l. respondet Tarn. p. 511.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Christo jubenti nos discumbere fidamus, si vel maximè nullos coràm proventûs videamus, unde saturari possimus. Psal. 33, 18. & 34, 18. & 104, 28. & 136, 25. Esa. 30, 20. *Christo in victu fidendum.*

II. Intellectum ergò & rationem captivemus necesse est sub obsequium fidei. 2. Cor. 10, 5. Ubi enim habemus verbum & mandatum Dei, simpliciter obtemperemus, de eventu parùm soliciti. Gen. 12, 1. & 22, 1. Jud. 7, 20. Joh. 2, 7. 2. Reg. 5, 10. Num. 20, 12. 1. Sam. 15, 22.

III. Christus modum discumbendi præscribens, Deum & auctorem ordinis sese probat. 1. Corinth. 14, 33. Psal. 136, 5. Jer. 51, 15. Sir. 16, 25. *Ordinis auctor Deus.*

IV. Commendatur simul ordo in omnibus actionibus & studiis nostris: Est enim ille medium, per quod laboribus nostris benedicitur. Proverb. 24, 4. Sir. 10, 1. & 43, 11. 1. Corinth. 14, 40. Col. 2, 5. *Ordinis commendatio.*

V. Puer quinque panes habens allegoricè refertur ad Christum, panes gratiarum quinque in deserto mundi nobis offerentem. Dat enim ille nobis panem *Panis Christi quintuplex.*

1. Corporalem; Gen. 3, 19. Psal. 128, 2. 2. Reg. 6, 22. Esa. 4, 1. Luc. 14, 1. Esa. 30, 20. Jer. 52, 33. Prov. 31, 22. Psal. 104, 13. seqq. & 127, 2, 3. Gen. 49, 25. Prov. 31, 10. Matth. 5, 42. Levit. 26, 3. seq. Psal. 145, 15.

2. Spiritualem; Matth.4,4. Deut.8,3. Joh.4,34. & 6,27.
3. Adflictionis, contritionis & tribulationis: Deut 16,3. Psal. 80,7. & 127,2. 1.Reg.22,27. Matth.26,75. Psal.6,8. & 42,4. Es. 30,20. Act.14,21.
4. Eucharisticum: Joh.6,50. 1.Cor.10,16. Matth.26,28. 1.Cor. 10,3.17.
5. Regni cœlorum gloriosum. Luc.22,29.30. Rom.14,17. Esa. 65,13 Ps.36,9. Luc.14,15. Matth.8,11. Apoc.19,7,9. Vide D. Theod. 649. 650. 651.

Orandum ad mensam

VI. Sumturi cibum mensam prius precibus devotis consecremus. Deut.26,3.10. & 32,6. 1.Tim.4,4. Act.2,46. & 27,35.

VII. Christus discipulorum suorum operâ distribuit panes: ita hodieq; ministerii operâ panem spiritualem & cœlestem. 1. Corint.4,1.

IIX. Christus, pro beneplacito distribuens panem & pisciculos, docere voluit αὐτάρκειαν. 1.Tim.6,6. Phil.4,11. 1.Reg.18,13.

IX. Patet ex hoc miraculo, quis sit ille Dominus, qui hodieque nos omnes cibat, alit & sustentat. Psal.65,10. Actor.14,17. 1. Tim.6,17.

Christus Dominus naturæ Majestas Christi.

X. Probat se Christus Dominum naturæ & omnium creaturarum. Psal.77,15. Jos.10,13. Esa.38,8. Hebr.1,8. D.Theod. p.652.

XI. Christo Homini reverâ divina potestas & majestas est communicata, quam ille per humanitatem verè exercet. Mat.11,27. & 28,18 Joh.13,3. Ps.8,7. Eph.1,20. Phil.2,9.

Laici non arcendi à Scriptura.

XII. Perperàm colligunt Jesuitæ ex discipulorum in cibando populo administra opera, tantùm Ecclesiasticorum esse Scripturas meditari & proponere, laicos verò non esse Scripturarum lectione occupandos; non attendentes, plùs inferri in consequente, quàm antecedens permittat. Deut.17,18. Joh.5,39.

Fames à Deo.

XIII. Deus interdum fame & indigentiâ panis homines punire solet, quando vel impietate, vel diffidentiâ, vel avaritiâ, vel aliis modis iram ipsius provocârunt. Exod.16,3. Psal.78,20. & 37,25. 2.Reg.7,2.

XIV. Modicum justi est melius, quàm multæ divitiæ impiorum. Ps.37,16. Prov.10,2.3. & 15,16.

Benedictionis media.

XV. Media obtinendi benedictionem Dei sunt precatio & gratiarum actio. 1.Sam.9,13. Matt.26,30. 1.Tim.4,3.4.

XVI. Justâ reprehensione digni sunt, qui divinæ beneficentiæ parùm memores, instar porcorum ad mensam accedunt, & ab eadem recedunt.

XVII.

XVII. Discant Christiani à Deo victum petere, cum honesto labore acquirere, acquisito sobriè & temperanter uti, denique pro acceptis beneficiis gratias agere.

XIIX. Exemplo discipulorum monemur de beneficentia & communicatione cum aliis. Hebr.13,16. Esa.58,7. Deut.12,18. & 14,27. & 15,11. & 16,11. Prov.11,24. Sir.11,18. & 14,3. & 31,29. 2. Corinth.9,6.

Beneficentia.

PARS III.

Restat ultima pars, continens miraculi consequentia, ea sunt, I. *effectus*, qui geminus;

1. populi exsaturatio; omnes enim leguntur edisse & saturati esse; id quod ad signi veritatem & excellentiam ejus æstimandam facit plurimùm. Johannes scribit, impletos h.e. plenè saturatos esse omnes; (ita verbum ἐμπλήθομαι vertendum esse, origo ejus docet, inquit Tarn. p.505.) Ergò ad satietatem usque cibati fuerunt.

2. Fragmentorum collectio; illustrata

1. Tempore, quo datum fuit mandatum de colligendis fragmentis; nim. cùm jam discumbentes, cibo sumto, essent saturati.

2. Objecto; quibus provincia ista fuerit demandata; discipulis, quorum operâ & ministerio ut in distributione, ita in collectione ἐπιεικῶς [illegible] usus est.

3. Fine, cur colligi voluerit fragmenta; ideò nim. factum, ut (1) adservarentur in usûs futuros & necessarios; (2) nec quidquam periret; (3) ne quis putet, cibationem istam fuisse fascinum; (4) ut reliquiæ absentibus etiam, de plena miraculi cibationisque fide ac veritate, restarentur; (5) ut Christi potentia & miraculi magnitudo inde æstimaretur.

4 Effectu, h.e. promta discipulorum obedientia, quæ declaratur 1. quantitate & copia fragmentorum, æstimanda ex vasis, post cibationem enim duodecim cophini fragmentis impleti adseverantur.

2. Materia, ex qua superfuerunt, scil. ex panibus quinque hordeaceis.

II. *Fructus* *1. in populo* saturato est geminus itidem:

I. unus *Messiæ vel Propheta promissi agnitio*, de quo Deut.18,18. populo suo spem Deus jam olim fecerat. Ex miraculo itaq; rectè concludunt, Jesum esse illum Prophetam magnum, qui venturus erat in mundum. Hic fructus miraculi ἐπαινετός, laudabilis & bonus.

2. Alter verò ψεκτὸς culpabilis est & malus; *vana de Christo coronando cogitatio.* Regem enim terrestrem & mundanum Messiam fore, ex prava Pharisæorum institutione, somniabant; ideoque hunc illi honorem deferre volebant, immò rapere, h.e. vel invitum violento impetu Regem declarare cogitabant, per quem ex Romanorum illi potestate liberati, sine labore victum acquirere possent.

2. *In Christo*, tùm populum dimittente, Matth.14,22. tùm Apostolos in navim cogente; Marc.6,45. tùm in montem conscendente. Cùm enim Christus, quippè καρδιογνώστης, hoc populi studium cognosceret;

1. populum dimisit, cujus stultum & seditiosum propositum suo suffragio comprobare haut poterat:
2. Apostolos verò, rerum quoque interdum novarum studiosos, ut navim conscenderent, compulit. Noverat enim & ipsos falsis Pharisæorum opinionibus imbutos, cogitationes de regno Messiæ mundano carnales fovere.
3. Ipse verò Jesus in montem, in quo docuerat populum, iterum secessit solus, ut orationi vacaret. Mar.6,46. Verisimile est enim, ipsum finitâ concione cum populo in planiciem de monte descendisse; peractoque miraculo iterum montem ad orandum conscendisse.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Parsimonia

I. Monemur de frugalitate & parsimonia. Bona enim corporalia non inutiliter sunt dilapidanda vel absumenda; sed futuræ necessitati adservanda. Prov.5,16. & 6,6. & 13,11. & 21,20. & 27,23. Sir.10,30. Gen. 41,33. 2. Cor.12,14. Materiam hanc de parsimonia sufficienter pertractavit D. Theod. in anal. p.644. & seqq.

II. Peccant illi, qui à colligendo initium faciunt, nondum exsaturatis iis, quos divina benignitas pascere jubet.

Christus Propheta.

III. Christus est verè Propheta ille, Moysi quidem ratione typi similis; sed ratione personæ & officii modis infinitis illo longè præstantior & sublimior.

Fragmentorum spiritualium collectio.

IV. Corporalis fragmentorum collectio, monet & ipsa de spirituali fragmentorum gratiæ collectione; quæ colligenda

1. Concionatoribus *1. meditando;*
2. prædicando;
3. absolutionem & Sacramenta dispensando:
2. Auditoribus *1. verbum prædicatum audiendo;*
2 scripturas scrutando;
3. communione sacrâ utendo;
4. piè vivendo. Confer D.Theod.p.662.seq.

V. Christus non est Rex mundanus, sed spiritualis; quia regnum quoque ejus non est de hoc mundo. Psal.72,8. & 110,2. Johan. 18,36. Dan. 2,24. Matt.20,24. Luc.22,25. **Christus Rex qualis.**

VI. Christi doctrina non est seditiosa. Prov. 24, 21. 1. Thessal. 5,22.

VII. Videmus, quo animo vulgus religionem colat; plerique enim duntaxat ventrem exsatiare cupiunt. Phil.3,19. non pauci eo animo doctrinam Evangelii suscipiunt, quòd ex Ecclesiasticorum bonorum direptione se ditescere, aut immunitatem à decimis impetrare se posse sperant. Augustinus: *Vix quæritur Jesus, propter Jesum, sed propter aliud.* **Vulgus religionē putas ventrē.**

IIX. Christiani caveant, ne turbulentis improborum consiliis sese admisceant. Prov.24,21.

IX. Calumnias omnes avertere ἀδυνατον. Etsi enim honorem regium Christus omni conatu subterfugit; eo tamen nomine coram Pilato accusatur. Luc.23,2.

X. Neque Vicarii, neque successores Christi sunt, qui religionis prætextu regna mundi invadunt. Luc.22, 25. Confer Papam. Cyrillus: Mundi honor & gloria illis fugienda, qui Dei gloriam consequi volunt. **Papa nec vicarius nec successor Christi.**

XI. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Virg. Nihil ergò ipsi fidendum. Mich.2,11. Joh.19,15. Act.14,19. **Vulgus.**

XII. Oraturi secessum quærant, & alia precum impedimenta amoveant. Matth.6,6.

XIII. Monemur de vana mundi gloria studiosè fugienda. Gal.5,26. Sir.7,4.

XIV. Quisque sua sit contentus vocatione. Sir.3,22. Ioh.3,27 1.Pet.4,15. 1.Cor.7,17.

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio διμερής.

PRæclarum hodierni Evangelii miraculum, divina adſpirante gratia, conſideraturi, duo nobis proponemus, in quibus univerſa hiſtoriæ tractatio verſatur:

I. Turbæ inopiam;
II. Ejusdem à Chriſto profectam alimoniam.

PARS II.

Inopiam turbæ famelicæ quod ſpectat, in ejusdem Διασκέψει tria in conſiderationem veniunt:

1. *Circumſtantiarum adnotatio*, quo nomine veniunt tria:

1. *Locus*; editum eſt enim hoc miraculum trans mare Galilææ, h. e. trans lacum Genezareth, qui h. l. nominatur Tiberiadis, à primaria civitate, quæ ad hunc lacum ſita, olim Cenareth dicta, poſtmodum ab Herode Antipa, in honorem Tiberii, de novo q. condita. Joſeph. lib. 18. c. 3. antiq. Mare vocant Hebræi quamlibet aquarum congregationem: ita mare Galilææ erat lacus ſaltem, per quem medium tranſit fluvius Jordanis, ut per Acronium (Bodemſee) Rhenus. Reliqua huc ſpectantia pete ex præced. diſpoſ. & confer D. Pelarg. quæſt. in Joh. fol. 71. b.

Mare Hebræis.

2. *Comitatus* conſtat ex turba multa & diſcipulis Chriſti, tanquam futuri miraculi teſtibus. Marc. 6, 33. 34. ex omnibus civitatibus dicit adcurriſſe quàm plurimos, & fuiſſe inſtar ovium palantium, quibus nullus eſt paſtor. Turbæ in ſequendo & audiendo Chriſto alacritas commendationem vel maximè meretur.

3. *Tempus*; exprimitur illud indicio Paſchatos, feſti inter Judæos celeberrimi facileque primarii. Solitus enim fuit Chriſtus feſtivitates ſolemniores ſignis ac miraculis ſuis reddere illuſtriores, ut finem feſtorum præcipuum inſinuaret, qui eſt εὐεργετεῖν, benefacere. Paſcha nonnulli hîc ſtatuunt Chriſti tertium; (D. Pelarg. d. l. & alii) quidam verò quartum. Vide D. Calixt. Concord. Evang. p. 234. Hoc unum.

Feſtorum finis.

II. *Inopiæ occaſio*, orta

1. *Ex loci dicti conditione.* Verſabatur Chriſtus in deſerto, quod Lucas cap. 9, 10. vocat civitatis Bethſaidæ, quò ſeceſſerat ille cum ſuis diſcipulis; quibus fama, de Johannis decollatione miſeranda, quen-

quendam q. terrorem injecerat: hunc verò eximere Salvator φιλανθρωπότατος conabatur, in tutiorem locum, Philippi Tetrarchæ jurisdictioni subjectum, eos deducendo; & firma adversus Herodis furorem consolatione animos illorum erigendo, quo ipso paternum planè erga Apostolos adfectum palàm declaravit. Philippus iste, uti Josephus l. 18. c. 6. antiq. de illo commemorat, erat vir perpetuò modestus, & amator quietis ac otii. Degebat enim semper in sua ditione; quoties domo progrederetur, iter faciebat cum paucis selectis comitibus, subsequente sella, in qua sedens solitus est jura reddere: & si quis ex occursu opem ejus invocaret, sine dilatione mox ibi sella posita residens, causam cognoscebat, aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium. In solitudine ergò cùm versentur, ubi summa rerum ἔνδεια, mirum non est, rerum necessariarum inopia turbam laborare.

2. Ex populi adcursione. Turba enim multa, Johanne teste, Christum sequebatur. Paucis forsitan cibandis panes quinque sufficere potuissent: at tanto populo, qui ultra quinquies mille hominum sese extendebat, ne quingenti panes sufficerent.

3. Ex longiori Christi concione, quam in seram usque vesperam protraxerat. Dies enim jam cœperat inclinari, uti Lucas refert cap. 9, 12.

4. Ex mediorum necessariorum defectione. Nihil hìc commeatûs; nihil hìc pecunia potest comparari; paucissimi, itineri sese commissuri, de pane sive viatico fuerant soliciti. Omnibus ergò subductis rationibus strenuè esurire necessùm habuissent, cùm earum rerum premantur indigentia, sine quibus vix, ac ne vix quidem hominum vita sustentatur.

III. Christi commiseratio. Is namque dicitur levâsse oculos super turbam, tanto numero ac studio ad se festinantem. Oculorum istam sublationem Marcus cap. 6, 34. q. ἐξηγήσεως ἕνεκα interpretatur, per consvetum illud, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, adfectu misericordiæ tactus est erga illos; quia erant velut oves, non habentes pastorem. Johannes noster dicit: sustulit oculos suos, eosque in multitudinem illam virorum ac fæminarum incredibili amore conjecit, quippè qui visitari ab eo, quoniam ipsum quærunt ac diligunt, digni sunt, Cyrill. l. 3. c. 13. in Joh.

USUS I. Informatorius.

Piis in desertum migrandum.

I. Piis etiam in desertum cum Christo est commigrandum; h. e. rerum quandoque necessariarum penuria laborandum, Genes. 12,10. & 26,1. & 42,2. 1. Sam. 21,3. Matth. 4,2. & 8,20. Luc. 16,20.

Annonæ caritas unde.

II. De annonæ caritate, quam inducunt,

1. Christi longinquitas; ejectus enim ille ab ingratis, contemtoribus, persecutoribus, peccatoribus, omnem simul benedictionem secum auferre solet:
2. Sortis Evangelicæ adversitas:
3. Loci sterilitas; deserta jam passim in agris:
4. Victus tenuitas.

III. Studium verbi divini, quod in populo conspicitur, in nobis quoque verbi audiendi adsiduitatem generet.

II. Consolatorius.

Victum Christus procurat.

Ex paterna Christi provisione, qua factum, ut & animæ & corpori piorum de pabulo sive nutrimento sufficienti prospiceret; non quidem coactè, sed liberè, ut sit

1. *providentiæ divinæ argumentum*: Psal. 33,18. & 37, 4. Act. 17,28. 1. Tim. 6,17
2. *Ecclesiæ & fidelium sublevamentum*: quicquid enim boni mundus habet, beneficio Ecclesiæ habet:
3. *precationis incitamentum*:
4. *fiduciæ nostræ stabilimentum*. Psal. 65,10. Prov. 10,22.

III. Monitorius.

1. Ut delectemur auditu verbi divini etiam prolixiore. Act. 20,7. *Non unctura rotam, non tardat missa diætam.*

2. Ut finem concionis placidè exspectemus, quin & fœminas & pueros simul adducamus.

IV. Refutatorius.

Papismus de nota Ecclesiæ, multitudine.

1. Pontificiorum, qui ex eo, quòd turba multa Christum in desertum secuta legitur, notam Ecclesiæ propriam, multitudinem, ejusque per totum terrarum orbem dispersionem, colligere volunt: Ita enim colligunt: Ubicunque est magna hominum multitudo, per universum orbem dispersa, ibi est vera Ecclesia: In Papatu magna est hominum multitudo, per universum orbem dispersa: Ergò in Papatu est vera Ecclesia. Resp. major simpliciter, ut falsa, ne-

ga-

gatur, Ecclesia enim vera dicitur catholica respectu fidei & doctrinæ: Ergò multitudo & amplitudo, sejuncta à doctrinæ sinceritate, non est Ecclesiæ veræ nota: Ea enim est pusillus grex. Luc.12,32. & 18,7. Vide plura in Vindic. Meelf. dec.3.disp.1. th.60. seq. & in Papism. D. Gisen. p.266.th.46. & seq.

2. Pontificiorum & Calvinianorum simul, qui cap.6. Joh. περὶ τῆς λατ. de negotio Cœnæ agere contendunt; Falli autem & errare utrosque plurimùm, vel sola temporis notatio evincit. Constat enim infallibiliter, miraculum præsens contigisse circa Pascha tertium ministerii Christi, sicque eodem tempore concionem illam panegyricam, de corporis & sangvinis Christi perceptione spirituali, & fructibus ineffabilibus habitam: idque argumento nobis est, nequaquam agi d.l. de Sacramento Cœnæ Dominicæ, vel de Sacramentali exhibitione & manducatione corporis Christi, ut quæ eo tempore inter omnes Christianos penitùs ignota, & integro demum anno pôst à Christo, in cœnaculo Hierosolymitano, circa quartum Pascha ministerii illius instituta, & ab ipso Fundatore primùm celebrata fuit. Plures probationes vide in Vind. Dn. Meelf. th.14. & seq.

Joh.6. nihil de S S. Cœna agitur.

PARS II.

Regius Psaltes ait; *Inquirentes Dominum non destituentur omni bono:* Ps.34,10. Exemplum tibi istius promissionis cape ex hodierno Evangelio, ubi turbæ famelicæ inopia, miraculosam Christo cibationem efficiente, cum sufficientissima permutatur alimonia. Attendenda sunt h. l. tria:

I. *Miraculi præparatio*, quæ consistit,

1. *in admonendo:* Discipuli de dimittendo populo monent, ut sibi in vicinis locis τὰ ἄλφιτα coëmat. Luc.9,12. Verùm Servator respondet: *non opus est illis abire, date eis vos, quod edant.* Hoc ipso responso discipulos excitatos potentiæ suæ admonens, ut miraculorum, à se non ita pridem factorum, recordati, omnem & solam in ipso spem sitam esse meminerint, qui paria aut majora possit præstare.

2. *In præcipiendo;* Christus ex adverso mandatum illis dat, de cibandis turbis; date ipsis vos quod edant: quibus verbis & ἀπιστίας eorum vituperat; & in viam illos revocare conatur, ut quem habeant Præceptorem ac Dominum attendant.

3. *In consultando:* quia enim turbæ omninò erant cibandæ, circumspiciendum putat, quomodo fieri illud possit. Occurrit hic

1. *Christi quæstio*, tentandi gratia instituta; tentatio autem fuit non seductionis, sed probationis; voluit enim discipulorum ἀπιστίαν aperire, rerumq; præsentium penuriam. Quærit autem de victu acquirendo.
2. *Philippi ratiocinatio*, desumta haut dubiè ex pecuniæ præsentis adparatu: ducenti enim in parato illis erant denarii, h. e. viginti coronati.
3. *De commeatu populi percontatio*: quinque non plures dantur panes hordeacei, & duo pisciculi: qui certè commeatus, si ad multitudinem cibandam conferatur, nil nisi confusionem operisq; impossibilitatem pollicetur.
4. *Andreæ supputatio*, ad absurdum, immò ad rei desperationem deducens: quid hoc inter tàm multos?

II. *Formalis miraculi descriptio*. Hic respice

1. *populum*, in certas κλισίας seu classes distributum. Jubentur enim turbæ discumbere, h. e. certa discubitûs forma ordinari, κατὰ συμπόσια, per convivia, h.e. in minores cœtûs, quales sunt in conviviis; atque ita convivium subitaneum exspectare. Confer D.Pelarg. in Joh. f.72.b. Amplificatur ex θέσει tùm loci, quòd multùm ibi fuerit graminis herbidi, idq; ad probabilitatem ac fidem historiæ facit; tùm numeri; convivarum numerantur 5000, virorum saltem, mulieres & pueri non numerantur semper in Scriptura. Num. 26, 32.
2. *Christum*,
   1. *pani adprehenso benedicentem;*
   2. *pro victu mediocri gratias agentem;*
   3. *panem discipulis frangentem;* &
   4. *in populum distribuere jubentem.* Hinc adeò fit, ut pauci panes in manibus Christi ac sumentium eò usque crescant, ut cibandis & saturandis quinq; millibus virorum sufficiant, & quod vel solum admiratione perquàm dignum, post sumtum cibum, 12 cophini de reliquiis impleantur.

III. *Miraculi fructificatio*, partim *bona*, Messiæ veri agnitio. partim *mala*, falsa de regno Christi persvasio; quam animadversam Christi excipit secessio.

USUS

USUS I. Informatorius.

1. Egenorum; qua ratione fideles paupertatem suam piè & commodè ferre queant, & quomodo annonæ ingruente caritate aliaq; temporum difficultate, inserviendum sit tempori. Observa sequentes regulas:

Paupertatis ferendæ modus.

1. In egestate aliaq; difficultate Christum studiosè sectare; non mundum, non diabolum, non carnem: propter crucem & inopiam nemo Christum deserat, multò minùs odio habeat,

Ein ander folge falschem Schein /
Ich halts mit meinem Jesulein.

2. Miracula Christi accuratè contemplare. Mirabiliter hodieque suos pascit, nutrit, conservat, ac tuetur:

Namq; ubi Christus adest, vel fiet aranea murus.

3. Verbum Dei tantò ardentiùs amplexare. Matth. 6,33.

4. Oculis, corde, ore & manu Christi cor tuum consolare. Oculi enim ejus super timentes Dominum aperti. Ps. 33,18. Zach. 12,4. Cor ejus nostri miseratione facilè tangitur, facileque liquescit: est enim Dominus εὔσπλαγχνος: Tob. 4,23. Matth. 6,32. Phil. 4,6. 1. Pet. 5,7. Jer. 31,20. Os habet verax, mentiri aut fallere nescium. Psal. 33,6. Manus ejus nunquam abbreviatæ; semper autem apertæ. Psal. 20,7. & 77,11 & 95,4. & 104,28. & 145,16. Esa. 59,1.

5. Curas inanes moderare, detestare. Num. 11,21. 2. Reg. 7,2. Psal. 55,23. & 78,20.

6. Pauperes ne adspernare: Es. 58,7. Ps. 41,1. seq. Act. 20,35. 2. Cor. 9,6. Heb. 13,16.

7. Ordine operare: qua positus fueris in statione mane.

8. Patienter Deum præstolare. Prov. 16,32. Esa. 30,15.

2. Convictorum Christi, quales illi sese ante, in & post mensam, h. e. perceptionem donorum Dei, gerere debeant. (Christi Tischzucht / wie man sich an seiner Tafel halten sol.) Nota iterum aliquot regulas.

Convictores Christi.

1. Omnia Christo accepta referenda: Ps. 104,28. 1. Cor. 4,7. Jac. 1, 16.17. Joh. 1,3. Col. 1,16.17.

2. Præsentia boni consulenda. Job. 1,21. Eccl. 5,14. 1. Timoth. 6,7. Prov. 13,25. & 30,7. Ps. 37,16.

3. Statio non deserenda. Ps. 37,3. & 128,2. Sir. 5,22. 1. Thess. 4,11.

4. Liberalitas exercenda. Prov. 3,9. & 5,16. Ps. 112,5. Esa. 58,7.

5. Chri-

5. *Christus animæ corporisq; conviuator agnoscendus*,
1. ex rerum omnium creatione;
2. ex nostra cum Deo reconciliatione; Ps.8,7. Ioh.13,3.
3. ex regni conditione.
6. *Regnum Dei ante omnia quærendum*; Matth.6,33.
7. *Cum gratiarum actione panis quotidianus accipiendus*;
7. *Cum aliis libenter communicandum.*

Divitum instructio.

3. *Divitum*; hi discant verum ditescendi modum, qui consistit
1. *insequendo* Christum:
2. *in discumbendo*; ita ut suam quisque κλῆσιν teneat: Genes.3,19. Ps.128,1.2. Eccl.6,7. 2.Thess.3,10: Absit avaritia, impostura, aliæque artes πλεονεκτικαί; 1.Thessal.4,6. Hebr.13,5.
3. *in patiendo*: Sir.29,28. & 41,18.
4. *in precando*:
5. *in reservando*: Sir.28,25. & 19,1.
6. *in erogando*. Sir.4,36. & 7,33.

II. Consolatorius.

1. Contra diffidentiam carnalem, qua non rarò parentes πολύτεκνοι adfliguntur. Ps.132,15. Vide præcedentia.

2. Quòd timentibus Deum nihil desit. Psal.34,10. 11. & 13,1. seq.

3. De commeatûs nostri exigui benedictione & multiplicatione. Ps.132,15. 1.Reg.17,12. 14. 2.Reg.4,2.6.

4. Contra indigentiam nostram auxilio & solatio nobis esse debet,
1. *Oculorum Christi adspectus*:
2. *Cordis Dominici adfectus*:
3. *Consilij salutaris conceptus*:
4. *Manûs omnipotentis effectus*.

III. Monitorius.

Parsimonia.

1. De frugalitate & parsimonia sectanda, ob causas, quas habet Tungerl.part.2. promt. p.637.638.

Prodigalitas.

2. De prodigalitate & luxuria vitanda, ob rationes, quas idem habet p.639.640.641.

3. Ut credamus, Deum posse & velle nobis dare panem quotidianum. Monr. in thes. 285.

4. Ut hilares simus datores. Ibid. p. 288.

5. Ut

5. Ut convivia inchoemus & concludamus non cibo & potu, sed oratione & gratiarum actione. Ib. p. 289.

6. De officio Christi prophetico, quo ille fungitur, — Officium Christi propheticum.

1. docendo vel concionando; Esa. 61, 1. 2.

2. prædicendo vel vaticinando; Luc. 18, 3. & 19, 41. Matth. 10, 16. 17. & 16, 27.

3. voluntatem Patris revelando; Johan. 1, 18. Rom. 16, 25. Coloss. 1, 26.

4. legem explicando & purgando; Matth. 5, 17. Mal. 3, 3.

5 miraculosè agendo;

6. corda inspiciendo;

7. ministros verbi mittendo; Jer. 3, 15. Eph. 4, 11.

7. efficaciter operando. 1. Pet. 2, 25. Esa. 42, 7. Joh. 6, 51. Act. 5, 31.

IV. Refutatorius.

I. Anabaptistarum & Jesuitarum, quorum illi proprietates & dominia rerum tollunt; hi electitiæ suæ mendicitati Christi paupertatem prætendunt. Utrisque opponitur præsens historia, quæ propriam Christum pecuniam, ducentos nim. denarios, possedisse testatur. Ioh. 4, 8. & 13, 29. — Anabaptismus de rerum dominio.

II. Jesuitarum ac Papistarum in specie, cumprimis Schereri illius, nequissimi Lutheri calumniatoris, qui vehementer in illum h. l. debacchare præsumit, quòd verbum εὐλογεῖν (quod pro εὐχαριστεῖν habent Evangelistæ reliqui) reddidit per gratias agere, ac si crimen morte piandum commisisset. Ita enim scurra: Luther sey vom Teuffel angestifftet worden/ daß er allenthalben das Segnen in seinem teutschen Testament ausgekratzt/ vnd darfür hinein gesetzt das Dancksagen/ da doch ein anders ist dancksagen/ ein anders/ die Creaturen segnen. Quid velit Suita nos non fugit; nimirùm stabilitum it miser benedictiones suas papisticas, superstitione idololatrica plenas; benedictiones dico creaturarum, panis, olei, butyri, herbarum &c. sine quibus illas impuras esse omnes statuunt; liberari autem ab omni impuritate benedictionibus sive consecrationibus sacrificulorum superstitiosis. Censent enim illi, (1) satanæ subjacere creaturas extra talem benedictionem: (2) acquirere autem illas salvificam virtutem per istas, quas vocant, & usurpant benedictiones. Quia verò omnia hæc sine Dei mandato & promissione agunt, meritò nænias istas rejicimus & abominamur, Rem ipsam quod spectat, scire debebat Jesucida, quòd εὐλογίας & εὐχαριστίας voca- — Lutherus rectè fecit, εὐλογεῖς reddês gratias agere. — Benedictiones papales. — εὐλογία & εὐχαριστία promiscuè sumitur.

 bu-

bula ab Evangelistis promiscuè sumantur & invicem permutentur; ut quod h. l. Evangelistæ ceteri dicunt εὐλόγησεν, Matth. 14, 19. Marc. 6, 41. Luc. 9, 16. illud Johannes dicit, εὐχαριστήσας, c. 6, 11. Idem ad oculum demonstrat ex negotio S. Cœnæ, D. Gerh. Tom. 5. L. C. p. 321. & seq. & ex 1. Cor. 14, 16. part. 2. Harm. Chemnitio Lyser. p. 1505. & seq. eò Lectorem remitto. Tandem & illud in genere certum est, idiomate Hebræo, benedicere idem esse, quod gratias agere, seu confiteri, teste Psalmistâ infinitis in locis. Confer, quæ de benedictionibus Romanensium habet Dn. Meelf. Dec. 1. disp. 6. th. 14. seq. & Dec. 3. disp. 1. th. 86. seq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

I Tim. 6, 9. *Qui volunt ditescere, incidunt in tentationem, & laqueum & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν.* Necessitas autem nostra requirit, ut habeamus ad vitæ hujus indigæ sustentationem διατροφὰς καὶ σκεπάσματα: ex præsenti ergò Evangelio discemus, carissimi, *quo pacto homo Christianus piè & honestè victum quærere, nec non divinâ benedictione partis legitimè, in timore Domini uti frui queat.*

Victum quærendi ratio.

Ἐξήγησις.

Ars piè, honestè ac legitimè parandi victum monstratur in hodierno Evangelio, & tota sequentibus includitur requisitis.

I. Primum est, *studiosa ad Christum accessio*, in regni cœlestis acquisitione unicè posita: ἑνὸς γάρ ἐστι χρεία, unum est necessarium. Luc. 10, 42. Pro. 10, 22. Psal. 127, 1. seqq. Eccl. 9, 11. Hagg. 1, 6. Matth. 6, 33. 1. Tim. 4, 8.

Diffidentia excutienda.

II. *Diffidentia carnalis repressio.* Diffidentiæ istius exemplum habemus in Christi discipulis, Philippo & Andrea, oriturque illa ex mera ἀπιστίᾳ. Matth. 6, 30. Num. 11, 21. 2. Reg. 7, 2. Excuti verò potest gentilis isthæc diffidentia, si animo nostro quotidiè obversetur

1. *paterna Christi providentia.* Is enim de cibando populo cogitationem suscipit, cùm is de cibo adhuc planè esset ἀμέριμνος. Psal. 22, 11. & 55, 23. & 121, 4. Esa. 65, 24. Matt. 6, 32. 1. Pet. 5, 7.

2. *Divina Christi omnipotentia:* mediis enim naturæ nullo illo modo est alligatus. Eph. 3, 20. Esa. 59, 1. Num. 11, 23. Psalm. 77, 11. & 115, 3. Luc. 1, 37.

3. *Crucis & tentationis præstantia.* Tentat quidem Salvator discipulos, verùm tentatione probationis ad bonum. Tob. 4, 23. & 12, 13. Rom. 5, 3. & 8, 28. Jac. 1, 12.

III. *Ordinis observatio.* Non enim otio ignavo Christianos indulgere, sed in sua quemque statione vel κλήσει esse negotiosum vult ipse Deus. 1. Cor. 7, 17. 1. Thess. 4, 11. 2. Thess. 3, 10. Pro. 14, 4. 23. & 21, 25. & 24, 4. Job. 5, 7. Psal. 128, 2.

IV. *Ardens precatio*, qua in parte prædecessorem habemus laudatissimum Christum Servatorem. 1. Tim. 4, 4. Col. 3, 17.

V. *Donorum Dei distributio.* Omne enim bonum sui est communicativum. Prov. 11, 24. Psal. 112, 9. Sir. 4, 36. Luc. 6, 38.

VI. *Αὐταρκείας recordatio:* populus hic vel nudo pane fuisset contentus: non rapit panem; ne imposturæ malisque artibus studeat. 1. Tim. 6, 8. Psal. 37, 3.

VII. *Reliquiarum collectio.* Commendatur frugalitatis studium. Potest institui παρέκβασις sive digressio in superbos, sumtuosè nimis corpus miserum vestientes; in bibulos & lurcones, dona Dei inutiliter abligurientes. Sir. 25, 5. Prov. 13, 11. & 21, 17. & 23, 20.

IIX. *Gratitudinis declaratio*, quæ in populo cibato animadvertitur; quanquam non omnia ejus facta laudem mereantur. Laudem meretur, messiæ ex miraculo agnitio & celebratio: sed vituperium meretur carnalis de Christo coronando cogitatio. Vide præced. disp. Nos meminerimus, Christum requirere convictores gratos. Sap. 16, 28. Ose. 13, 6. Deut. 32, 6.

Thema aliud.

In Evangelio habemus quatuor: (1) *populum esurientem*: (2) *Christum cum discipulis consultantem*: (3) *Christum miraculosè cibantem*: (4) *turbam gratitudini studentem*, tùm honorificè de Christo sentiendo; tùm Regem ipsum sibi poscendo. Excerpimus inde hoc thema: *quid faciat homines in omni vita genere ac ordine benedictos.* ὄχλος enim omnes ambitu suo ordines complectitur. Ecclesiasticis

Benedictos quid faciat homines.

1. *fideliter laborandum*;
2. *ardenter orandum*;
3. *innocenter vivendum*, vel bonæ conscientiæ studendum.

 Po-

Politicos decet,

1. Christum ejusq; verbum amare;

2. ordinem observare;

3. [illegible] æmulari, & avaritiam devitare.

Oeconomi vel patresfamiliâs omnes debent:

1. fragmenta colligere;

2. ministerium diligere;

3. gratitudinem colere.

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora.

Thema aliud.

Temporum difficiliorum causæ.

De causis temporum difficiliorum, & mediis impetrandi mitiora: Causæ veræ adsignari possunt quinque potissimùm:

1. Verbi divini neglectio & persecutio: turba externa tantùm quærit in Christi regno commoda; itaque esurit:.

2. potentia Christi extenuatio:

3. liberalitatis oblivio, immò profligatio:

4. precum intermissio:

5. nimia in abundantia profusio.

Tempora ut mitigari queant.

Media cape ista: Mitiora habebimus fata,

1. prava sodalitia fugiendo:

2: transmare navigando; mare puta peccati, mundi, carnis:

3. Christum accedendo:

4. verbum Dei studiosè audiendo:

5. oculos elevando:

6. ardenter & indesinenter orando:

7. fiduciam in Christo positam habendo:

8. pauperum recordando, & beneficentiam exercendo:

9. Christum agnoscendo, honorando, diligendo, non deferendo.

His itaque tùm mediis, tùm requisitis in timore Domini rectè quicunque usus fuerit, is ex adipe frumenti satiabitur, Ps.147,14. in actionibus prosperabitur; & panem aliquando in regno Dei comedet. Luc.14,15. Hujus felicitatis ut & nos participes evadamus, orabimus cum Ecclesia: *Conserva populum tuum Deus, & Tuo Nomini fac devotum, ut divinis subjectos officiis, & temporalia utiliter, & æterna dona feliciter percipiat. per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.*

DOMINICA JUDICA,
EVANGELIUM.

Joh. 8. à verſ. 46. ad finem usq;.

46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι;

47. Ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει· διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστέ.

48. Ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ εἶπον αὐτῷ· οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σύ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις;

49. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς· ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με.

50. Ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου· ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων.

51. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

52. Εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι· νῦν ἐγνώκαμεν ὅτι δαιμόνιον ἔχεις. Ἀβραὰμ ἀπέθανε, καὶ οἱ προφῆται, καὶ σὺ λέγεις· ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, οὐ μὴ γεύσεται θανάτου εἰς τὸν αἰῶνα.

53. Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανε; καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον· τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;

54. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς· ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτόν, ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν· ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστι.

46. Quis ex vobis arguit me de peccato? porrò ſi veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

48. Reſponderunt ergò Judæi, & dixerunt ei: Nónne benè dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49. Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo, ſed cohonesto Patrem meum, & vos ignominiâ adfeciſtis me.

50. Ego autem non quæro gloriã meam: eſt qui quærat & judicet.

51. Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergò illi Judæi: Nunc cognovimus, quòd dæmoniũ habes. Abraham mortuus eſt, & Propheta, & tu dicis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum?

53. Nunquid tu major es patre noſtrô Abraham, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt: quem teipſum tu facis?

54. Reſpondit Jeſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, Deum veſtrum eſſe:

55. Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν· ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν· καὶ ἐὰν εἴπω, ὅτι οὐκ οἶδα αὐτόν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν, ψεύστης· ἀλλ' οἶδα αὐτόν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ.

56 Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.

57 Εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς αὐτόν· πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας;

58. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμι.

59. Ἦραν οὖν λίθους, ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν· Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτω.

55. Et tamen non cognovistis eum: ego autem novi eum: & si dixero, quod non noverim eum, ero similis vestri mendax: sed novi eum & sermonem ejus servo.

56. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; & vidit, atq; gavisus est.

57. Dixerunt ergò Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham nasceretur, ego sum.

59. Tollebant ergò lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se & exivit de templo, pertransiens per medium illorum, & ita præteriit.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

NOn unius, sed duûm est hac Evangelium generum: (1) Judicialis, quatenus Judæorum cum Christo disputationem continet acerrimam, in qua & Judæorum accusatio, & Christi defensio, cum ἀντικατηγορία, h. e. mutua seu contraria partis adversæ accusatione, conjuncta occurrit: (2) Demonstrativi, quoad ultimam Evangelii particulam, ubi historicè narratur, quomodo Judæi Christum lapidibus obruere voluerint. Partes Evangelii constituimus tres, quarum

I. est *Christi cum Judæis concertatio, & quæ rei materia vel quæstio.*

II. *Judæorum criminatio & Christi retorsio;*

III. *Doctrina & persona Christi adsertio.*

PARS I.

Materiam circa quam, seu quæstionem ac propositionem totius

tius disputationis quod spectat, observentur, pro meliori ejusdem intelligentia adsequenda, tria:

I. Occasio, quam præbuit

1. *adultera cujusdam*, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensæ, *ad Christum adductio & absolutio*, de qua in præcedente capitis octavi textu agitur.

2. *Varia Judæorum gloriatio*, quòd ex Abrahæ prosapia essent oriundi. Hanc inanem gloriam Christus ita prostraverat, ut contrà invictis argumentis ostenderit, ipsos non Abrahæ, (secundum Spiritum) sed satanæ (propter peccata) progeniem esse; atque istam accusationem huc usque Christus continuavit.

II. Propositio, in qua totius disputationis sive concertationis cardo versatur, est: Vos Judæi non ex Deo, sed ex diabolo estis.

III. Confirmatio petitur

1. *ab effectu*, hoc sensu:

Quicunq; eam doctrinam, quæ reprehendi non potest; quæ in Scripturam à Deo traditam, inq; Mose ac Prophetis comprehensam, nusquam impingit; quæ stupendis insuper miraculis confirmata, quæ nullis deniq; scandalis deformata est; nihilominùs ex obstinata malitia recipere nolunt; illi non sunt ex Deo, sed ex diabolo.

Atqui vos Judæi eam doctrinam, quæ reprehendi non potest, quæ in Scripturam nusquam impingit quæ stupendis miraculis est confirmata, & nullis planè scandalis deformata; ex obstinata malitia recipere non vultis.

Ergò non estis ex Deo, sed patre vestro diabolo.

Minor, quippe κρινόμενον, probatur

1. ab adjuncto, quia nemo vestrum potest me arguere de peccato. Figuratur ἐρωτήσει sive interrogatione, quæ conjunctam habet ἀνακοίνωσιν, communicationem, & παῤῥησίαν, quâ liberam adversariis concedit potestatem, tàm in doctrinam, quàm in vitam suam inquirendi. Utitur autem verbo ἐλέγχειν, quod non simpliciter accusare, sed firmis & irrefutabilibus argumentis convincere significat. Multa enim solebant Judæi Christo per calumniam objicere, de peccato sæpius eum accusantes: Luc. 7, 34. Joh. 9, 23. Matt. 9, 11. & 11, 19. &c. sed ἔλεγχοι, firmæ probationes, justa documenta ipsis deerant. Intrepidè ergò ad hostium quoque suorum judicium ac testimonium provocat. ἐλέγχειν.

2. Ab

2. Ab effectu, quia cœlesti veritati, verbo Dei salvifico, quod vos nullius, vel falsitatis, vel vanitatis convincere potestis, non creditis; quæ vestra incredulitas non nisi satanam auctorem habet certissimum. Interrogatio vim habet increpationis & indignationis, hoc sensu:

Quemcunq; nemo ullius, vel minimi, peccati arguere & convincere potest, ei vera annuncianti non credi indignissimum est.

Me nemo ullius, vel minimi, peccati arguere & convincere potest;

Ergò mihi vera annuncianti non credi est indignissimum.

2. *A signo contrario*, ubi per ἀντίθεσιν ratiocinatur, ab effectu ad causam demonstrando, Iudæos non esse unius veri Dei, quem Patrem suum dixerant, geminos vel legitimos (γνησίυς) filios, hoc modo:

Quicunq; est ex Deo, verbum Dei audit:

Vos Judæi verbum Dei, quod vobis jam annunciatur, non auditis:

Ergò non estis ex Deo.

Esse ex Deo Ex Deo esse, significat regimen Spiritûs Sancti admittere, illiusque efficaci operatione verbum prædicatum non avidis solùm auribus acceptare, sed etiam adsensum illi præbere, fidemque certam adhibere, quin & quando per illud monetur aut arguitur homo, suam agnoscere infirmitatem, eam deprecari, remissionem petere, & emendationi studere, atque ita pravitatem ingenii sui deponere. Ex Deo enim est, qui credit verbo Dei: & ex verbo renatus non facit peccatum. 1. Ioh. 3, 9. Contrà, qui per verbum quidem eruditur, sed illud admittere recusat, si vel maximè nullius possit erroris convincere, is est ex ipso diabolo. Confer Dn. D. Chemnit. in harm. Evang. p. 1615. D. Tarnov. in Ioh. p. 715. hunc in modum scribit; Particula causalis διὰ τοῦτο, non est index rei, sed consecutionis Logicæ. Neque enim Christus vult indicare causam, cur non audiant verbum Dei, quasi ea esset, quòd non ex Deo, ut vult Maldonatus, & ante eum Augustinus, qui de prædestinatione accipit phrasin, esse ex Deo: ita enim potiùs excusasset ipsos, quàm accusasset, si dixisset, eas non audire verbum, propterea quòd non essent à Deo prædestinati: sed ex facto eorum manifesto, nempe, veritatis fastidio & contemtu, probat, eos non esse ex Deo, sive Dei filios, de quo erat quæstio, quam ipsi moverant vers. 41, adserendo contra Christum,

Esse ex diabolo.

stum, se unum Deum habere Patrem. Confer 1. Joh. 4,6. ubi esse ex Deo explicatur, per, audire Dei legatos. & cap. 3, 9. 10. ubi spiritualis renascentia sive regeneratio ex fructibus sive effectibus describitur, qui sunt odium fugaque peccati, & amor studiumque indefessum justitiæ. Hæc ille: plura habet quæst. 14. pag. 734. 735. 736. contra Manichæos & Remonstratenses.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Doctrina Evangelii non semper placidè potest prædicari, sed suas interdum habet cum adversariis concertationes, qui certè justâ severitate sunt excipiendi. Tit. 1, 9. 11.

Evangelii habet adversarios.

II. Dissensionibus verò & controversiis in Ecclesia nemo offendatur. 1. Cor. 11, 19. Matt. 11, 6. & 18, 7.

III. Christus in se, tàm ratione personæ: quàm ratione vitæ, verè & solus fuit ἀναμάρτητος. Luc. 1, 35. Esa. 53, 11. 1. Pet. 2, 22. Es. 9. 6 Luc. 2, 11. Matt. 5, 17. Rom. 10, 4. Gal. 4, 4. Phil, 2, 6. Rom. 5, 18. 2. Cor. 5, 21. Heb. 7, 26. D. Theod. p. 672. seqq.

Christus solus ἀναμάρτητος.

IV. Ministri Ecclesiæ vitæ & ipsi innocentiæ studeant. Levit. 21, 17. 1. Cor. 4, 4. 2. Cor. 1, 12. 1. Tim. 3, 2. 3. & 4, 12. Tit. 1, 7. & 2, 7. 2. Cor. 1, 12.

V. Sed & reliqui Christiani operam dent, ut inculpatè vivant. 1. Petr. 2, 13. & 3, 16. D. Theod. p. 676. seq.

VI. Conciones ita sunt instituendæ, ut auditoribus liberum sit judicare & interrogare de iis, quæ non satis perceperunt, exemplo Christi & Pauli. Act. 17, 11. 1. Cor. 14, 29.

VII. Veritati in articulis fidei & aliis monstratæ contradicere caveamus: qui enim hoc facit, non ex Deo est, sed ex diabolo. Luc. 2, 34. Gal. 4, 19. Sir, 4, 30.

Veritati nō contradicendum.

IIX. Accusati flagitiorum lætemur, si ἐλέγχεσθαι non possimus. Matth. 5, 11.

IX. Peccata hominum debitâ παῤῥησίᾳ sunt reprehendenda Es. 58, 1. Ezech. 33, 7. seqq. 1. Tim. 5, 20.

X. Hæc est sors verbo Dei peculiaris, quòd cùm homines aliàs veritati locum dent, Dei tamen verbo nemo vult cedere; sed plerique in contradicendo ad propriam perniciem sunt ingeniosi. Luc. 2. 34.

Verbi sors

XI. Veritati absque omni personarum respectu & absque omni contradictione locus est dandus, quod qui non facit, est ex dia-

Veritati qui non cedit, ex diabolo est.

diabolo. Dictum sibi hoc putent Romanenses, veritati à Luthero monstratæ locum dare præfractè recusantes. Manifestè itaque sese soricum instar produnt, quòd non sint ex Deo, sed ex Diabolo, inquit Chemn. p. 1917.

Nota filiorum Dei.

XII. Vera nota filiorum Dei est, audire verbum Dei Ps. 1,2. Luc. 8,15. Jac. 1,23.25. Joh. 10. 16.

XIII. Verbo Dei καθ' αὐτὸ fides adhibenda: quia & Dei est verbum, & fidei est verbum. Roman. 10,8. Esa. 8,20. Luc. 16,29 Johan. 15,33.

XIV. Unusquisque homo, inquit Haymo, qui verbum Dei corde concipit & ore profitetur, & opere implet, ex Deo est. Quia cujus opera facis, ejus filius adpellaris. August. tract. 42. in Johann. *Imitando diabolum, filii diaboli facti sunt.*

Auditores delicati.

XV. Errant auditores delicatuli, qui Pastoribus Ecclesiæ, vitia liberè ex officii ratione taxantibus, nescio quam dicam scribere attentant.

Damnatio Ecclesiastica.

XVI. Errant & Calviniani, qui scribunt peccari contra caritatem Christianam, si errantes in articulis fidei damnentur, aut anathemathe percutiantur. Vide D. Finck. Cent. 1. can. 52.

Auditus verbi

XVII. Publicus verbi divini auditus à nullo piorum salvâ conscientiâ potest intermitti. Probat D. Bald. in C. C. p. 364. seq.

Hominum classes duæ

XIIX. De duplici hominum cœtu, quorum unus est à Deo, alter à diabolo. γνωρίσματα priorum sunt, quòd 1. sunt à Deo, h.e. spiritu Dei regi se patiuntur, & curâ animæ suæ adficiuntur: 2. Verbum audiunt & amant: 3. illud servant & custodiunt. γνωρίσματα posteriorum sunt, quòd 1. sunt ex diabolo h. e. quia vocationem excutiunt, Deo sese opponunt, moniti reddundur deteriores, & omnes occasiones quærunt, divinam Christi doctrinam, i. e. Evangelium, Ecclesiam ejusque ministros impediendi & opprimendi; hoc certissimum est indicium, quòd Deus ipsos deseruerit, in mentem reprobam tradiderit, atque ita non Dei, sed diaboli sint filii; ait D. Chemn. p. 1915. 2. Verbum contemnunt, 3. In peccatis hærent.

PARS II.

In secundæ partis διεξόδῳ duo potissimùm membra observanda veniunt; quorum prius Judæorum intentionem seu criminationem; posterius Christi depulsionem sive retorsionem complectitur.

I.

I.

Intentio adversariorum habet ἔγκλημα vel convitium duplex. unum *doctrinam*; alterum *miracula* Christi concernit. Ex utroque enim capite personam ejus in odium ac contemtum vocare conantur.

1. *Primum* ἔγκλημα est: *Nonne benè dicimus, quòd Samaritanus es?* sc. non patriâ duntaxat: (ex Galilæa enim oriundum putabant, Johan. 7, 41. 52. quæ erat vicina regioni Samaritanorum) sed etiam religione adulterinâ: q. d. homo es & apostata levis, qui à lege & populo Dei defecisti, religionem habens ex gentili & Judaica permixtam. Quemadmodum enim jam olim Samaritani migma sive mixturam quandam introduxerunt religionis ex Judaismo & gentilismo: Ita tu cum Mose & Prophetis tua permisces: quis ergò talem doctrinam ferat, quæ se quovis modo, in quamvis sententiam, cothurni instar, inflecti patiatur? Sic doctrinam Christi suspectam reddere adlaborant.

Samaritanus.

2. *Secundum* ἔγκλημα, priori longè atrocius, est: *habes insuper dæmonium:* h. e. instinctu satanæ ad docendum es progressus, cares vocatione legitimâ ac divinâ, miracula quidem edis, sed opera diaboli, Beelzebub, principis dæmoniorum: Vel, uti Tarn. pag. 715. exponit, tuam gloriam, non Dei, in concionando spectas, instar diaboli, qui dum benificium ostendat, id unum agit, ut Dei honorem in se transferat; vers. 50. quis ergò relictâ avitâ religione, tibi adhæreat? Atque ita Judæi & Christi defensionem evertere, & accusationem in ipsum retorquere conantur. Ubi tamen & illud notandum, quòd solùm accusent, probationis verò loco reponant illud suum: Nos hoc dicimus.

II.

Depulsio sive ἀπολογία Christi tantùm ad posterioris ἐγκλήματος declinationem directa est unicè: prius enim convitium silentio penitùs involuit; quia

1. personam ejus concernebat;
2. putidissimum erat mendacium;
3. Christo non probrosum, sed gloriosum; verè erat Samaritanus, vocis ἔτυμον si spectes, h. e. custos, speculator: Custos ille Israëlis est Christus. Psalm. 121, 4.

Responsione ergò indignum judicat, quod ad officii sui majestatem ampliandam magis, quàm notam eidem aliquam inurendam facere videbatur. Alterum autem convitium refutat per-

Dæmoniū Christus non habet.

simplicem inficiationem, negando se habere dæmonium: idque probat triplici argumentorum genere.

1. A causa finali suæ doctrinæ per ἀντίϑεσιν, hoc sensu:

Cujuscunq; doctrina ad eum finem ac scopum dirigitur, ut gloria Dei Patris adseratur & vindicetur; ille nec diabolum habet, nec doctrina ejus à diabolo est profecta:

Atqui mea doctrina ad eum finem ac scopum est directa unicè, ut gloria Dei Patris adseratur ac vindicetur:

Ergò nec diabolum habeo, nec doctrina mea à diabolo est profecta; & per consequens, ignominiâ & contumeliâ insigni me immerentem adficitis, dum dæmonium me habere adseveratis. Valet consequentia à natura disparatorum, quorum uno posito, removentur reliqua.

In majori copulatum ideò cohæret, quia habere dæmonium, & quærere gloriam suam concionando, quæ soli debetur Deo, idem esse censentur. Soli enim illi, quos agitat diabolus & caro, referunt omnes officii sui actiones ad suam, non Dei, laudem: contrarium faciunt verè-pii, qui dum omnia referunt ad gloriam Dei, illius aguntur Spiritu. 1. Corinth. 10, 31. Coloss. 3, 17.

2. Ab adjuncto contrario: Ego non quæro gloriam meam, sed est qui quærat & judicet. Argumentatur ita:

Quicunq; propriam gloriam contemnit, (non quærit) is non agitatur à diabolo:

Ego propriam gloriam contemno; (non quæro)

Ergò à diabolo non agitor:

Minor declaratur effectu Patris cœlestis duplici, qui quæret & judicabit gloriam Filii, h. e. contemtum ejus gravissimè vindicabit. Etsi enim non statim puniat eos, qui Filium Dei blasphemant & contumeliâ adficiunt: suo tamen tempore ab ipsis requiret & vindicabit.

3. Ab effectu doctrinæ suæ, per comparationem minorum, quâ suam doctrinam præfert omnibus, in toto terrarum orbe, doctrinis; quòd nimirùm illa ita sit comparata, ut qui eam servaverit, non moritur in æternum. Sermo Christi, est sermo Evangelii. Servare Evangelium est non modò memoriâ illud tenere, sed & in Christum credere, & firmâ cordis fiduciâ sermoni ejus adhærere, illi obtemperare, & fructûs ferre in patientia. Luc. 8, 15. Propositio hypothetica æquipollet huic categoricæ: Omnis perseve-

Sermo Christi. Servare verbum.

veranter in me credens, habet vitam æternam, seu, nunquam morietur. Argumentum inde conficitur tale:

Quicquid immortalitatem confert hominibus, illud ad Deum non ad diabolum, auctorem est referendum:

Jam verò sermo meus immortalitatem confert hominibus:

Ergò ad Deum, non diabolum auctorem est referendus. Vel ita:

Quæcunq; doctrina verum monstrat adversus mortem (non naturalem, sed) *æternam remedium, illa non est à diabolo.*

Mea doctrina ita est comparata. Ergò &c.

Minorem probat Christus sacrosanctâ attestatione, juramento duplici confirmatâ: amen, amen dico vobis.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Verbi minister, quantumvis innocentiæ studiosus, non tamen omnes calumnias diaboli & satellitum ejus evitare potest. Johan. 15, 20. Matth. 10, 25. 1. Reg. 18, 17. Jer. 15, 10. Amos. 7, 10. Act. 17, 6.

Minister verbi non potest omnes devitare calumnias

II. Constantes verò verbi veritatisque divinæ adsertores non curant dicteria & nomina ironica, ab osoribus ac hostibus ipsis imposita. Matt. 10, 25. 1. Reg. 18, 17.

III. Impietas convicta, quando non habet, quod veritati respondeat, solet sese convertere ad convitia.

IV. Sufficit hoc in casu solum bonæ conscientiæ testimonium. Sir. 14, 2. Job. 27, 6. Act. 23, 1. & 24, 16. 2. Cor. 1, 12. 1. Tim. 1, 19. 2. Tim. 1, 3. 1. Pet. 3, 16. Heb. 13, 18.

V. Vulgare est Christi & Ecclesiæ hostibus, calumniari doctrinam, vel ejusdem sinceros professores, quos ἐλέγχειν non possunt. 1. Cor. 4, 13. Luc. 11, 15. Matth. 5, 11.

Hostium Ecclesiæ proprium calumniari.

VI. Veritas odium parit, quod videmus in Judæis. 1. Reg. 19, 2. 3. & 22, 16. Matth. 14, 3. Joh. 15, 21.

VII. Convitia personalia & notoriè falsa, non semper conviciis sunt retorquenda, sed surdâ nonnunquam aure prætereunda & toleranda. Rom. 12, 17. 20. 1. Pet. 2, 23. & 3, 9.

Convitia personalia.

IIX. Calumnias tamen adversariorum modestè refellere licet. Pro. 26, 5. Esa. 56, 10. 1. Tim. 5, 20. Tit. 1, 9. 11.

IX. Quæcunque doctrina & Dei gloriam, & hominum salutem promovet, illa pro divina est agnoscenda & retinenda. Exami-

Doctrina verè divina.

mina ad regulæ hujus amussim adversariorum quorumvis doctrinam, patebit immota ejusdem veritas. Vide hac de re decadem disput. Theolog. D. Johan. Gerhardi, in quibus gloriam Dei per corruptelas Pontificiorum, Calvinianorum, & Photinianorum labefactari ostenditur. Confer simul Dn. D. Chemnit. harm. Evang. cap. 103. p. 1919.

Patris honor est Filii, & contrà.

X. In Scriptura sacra honor Patris transit in Filium, & vice versâ, honor sive gloria Filii in Patrem. Johan. 5, 23. Esaiæ 45, 23. Johan. 14, 11. 12. Matth. 11, 27. 28. Rom. 14, 12. Phil. 2, 10. D. Finck. Cent. 3. can. 48.

Ariani.

XI. Nihil infert Arianorum propositio: honorans est minor honorato. Christus enim honorat Patrem, non quoad essentiam, sed quoad officium & ministerium. Vide D. Tarn. in Johan. p. 737.

XII. Non simus propriæ laudis ac gloriæ avidi. 1. Cor. 1, 31. & 4, 7. Col. 3, 17. Jac. 1, 17. D. Theod. p. 684. 685.

Convitia ut avertenda.

XIII. Convitia quâ discretione avertenda, docet Christus. Vide D. Theod. p. 683. 684.

Verbi fructus.

XIV. Monemur de fructu verbi divini, quòd illius beneficio fideles mortem æternam effugere queant. Joh. 5, 39. & 6, 68. Hebr. 4, 12. 1. Pet. 1, 23. 2. Pet. 1, 11.

XV. Hinc petitur efficacissima consolatio, terroribus mortis opponenda, quæ piis non pertimescenda. Pro. 14, 32. Ps. 41, 4. Es. 26, 29. Dan. 12, 2. Joh. 5, 29. Jac. 1, 21. Rom. 14, 8.

XVI. Quomodo resistendum sit melancholicis cogitationibus, quæ ex mortalitatis nostræ consideratione generantur, monstrat operosè & nervosè Dn. D. Bald. in C. C. pag. 668. & seqq.

Purgatorium.

XVII. Falsum est Romanensium figmentum, quo somniant, animas quorundam torqueri igne purgatorii, antequam ad requiem perveniant. D. Chemnit. Exam. Conc. Trid. part. 3. p. 195.

Lutheranarum Ecclesiarum doctrina sancta.

XIIX. Doctrinam Ecclesiarum Lutheranarum esse sanctam, contra Pontificiorum negationem ex hac quoque loco probat D. Gerh. Tom. 5. L. C. pag. 1170. & seq.

PARS III.

Tertiâ Evangelii parte duo potissimùm in considerationem veniunt:

I. Con-

I. Convitij posterioris repetitio, cujus ἐπικάτασκευὴν ex dato Christi responso stabilire præsumunt adversarii. Datur hoc loco iterum *1. Judæorum intentio*; &
2. Christi depulsio.

Intentio Judæorum est: Nihilominùs habes dæmonium: habemus & cognoscimus id ex tuo ipsius ore. Ratio sumitur

1. ab experientia, per productionem exemplorum contrariorum, quibus Christum ad absurdum deducere, & falsitatis manifestæ arguere volunt. Argumentum potest esse tale:

Quicunq; falsa docet ac loquitur, illius doctrina non est à Deo, sed à diabolo:

Tu falsa doces ac loqueris: Ergò.

Minor probatur: quia tu nimis præsumtuosè dicis, omnes illos, quicunque sermonem tuum servaverint, mortem nunquam esse gustaturos: cum contrarium omnium seculorum experientia comprobetur. Abraham mortuus est: Moses mortuus est: Aaron mortuus est: Prophetæ mortui sunt, qui omnes verbum Dei etiam audiverunt ac servaverunt: quantò minùs tu tuis securitatem aliquam contra mortem præstabis auditoribus. D. Tarn. p. 716. hunc in modum συλλογίζεται:

Qui majora de se, suoq; sermone ac doctrina, pollicetur, quàm veritas comprobat, is demonstrat hoc ipso, se habere dæmonium, majoris, quàm quæ sibi competit, immò divinæ gloriæ cupidum:

De te verum est prius: Ergò & posterius.

Notetur Judæorum sophistica & planè malitiosa verborum Christi inversio & detorsio: non enim dixerat, gustabit, (omnium hoc est hominum) sed videbit mortem, h. e. non sentiet, non experietur. Aliud est mori, aliud videre mortem. Moritur quidam, juxta sensum externum; sed ea mors reverâ est somnus. Videt mortem, qui desperat, & verbo vitæ caret: non videt, qui fide perseverat, ait D. Brent. h. l.

Mori & mortem videre distincta.

2. A nota falsorum doctorum propria. Concluditur ita:

Quicunq; Doctor non Dei, sed suam gloriam quærit, is est ex diabolo:

Tu non Dei, sed propriam gloriam quæris:

Ergò es ex diabolo.

Minor probatur, quia verbo & concionibus tuis te effers super Abrahamum & Prophetas: quem facis teipsum? majora scilicet promittendo, quàm præstare potes, declaras te esse dæmoniacum, &

& majorem adfectare gloriam, quàm quæ tibi debetur. Non certè es major Abrahamo & Prophetis, qui non potuerunt aliis dare immortalitatem, quam ipsi non habuerunt. Atque ita ambitionis & arrogantiæ crimen diabolicum Christo impingere moliuntur. Error totus est in eo, quòd Judæi sese opponant Christo, qui prædicatum sive consequens propositionis de morte temporali accipiebant, cùm id de æterna sit intelligendum.

Depulsio Christi eò est directa, ut doctrinæ & personæ suæ auctoritatem contra sycophantorum morsûs defendat. Responsio καθ' ὑπερβολογίαν instituta, est triplex.

1. Removet à se arrogantiæ sive ambitionis crimen intentatum, per remotionem effectûs, hoc modo:

Quicunq; seipsum honorat, is demum ambitionis reus peragi potest, & gloria ipsius est vana, & inanis:

Atqui ego meipsum non glorifico, vel honoro: Ergò ambitionis reus peragi non possum.

Minor patet; quia Pater est, qui me glorificat, qui cœleste gloriæ meæ perhibuit testimonium; is & testis & vindex est gloriæ meæ acerrimus, ut alio vel teste, vel vindice opus non habeam.

2. Mendacii quoque crimen à se repellit, ita ut κατ' βίαιον per inversionem vel retorsionem utrumque crimen in adversarios suos regerat, manifestè probans, ipsos ambitiosâ insolentiâ, & turpi mendacio esse commaculatos, hoc ferè sensu: Vos dicitis, Patrem meum esse Deum vestrum, & vos novisse illum verum Deum: sed utrumque est falsum, ex eo fundamento; quia non novistis Deum istum; rejicitis enim eum, per quem vult & potest cognosci.

Amplificatur ἀντιθέσει vel oppositione contrarii: Ego verò novi Deum, h. e. ego doctrinam meam è sinu Patris protuli, & novi decretum S. S. Trinitatis de salute hominum factum. Non ergò mentior, si hæc & alia de me pronuncio, quæ vera sunt: imò si hoc negarem, & veram Dei notitiam vel occultarem, vel tacerem, utique mendax essem sicut vos, qui de Dei notitia falsò gloriamini. D. Tarn. in Joh. p. 718. ita: Complexionis loco est causa illius criminis, falsò ipsi objecti, nempè, Judæorum ignorantia veri Dei, quod ad essentiam & voluntatem; eaque illustrata per antithesin scientiæ in Filio, quod ad essentiam, & obedientiæ quod ad voluntatem. Ignorantia Judæorum describitur his verbis

vis: Vos quidem dicitis de Patre meo, quòd sit Deus vester, sed non novistis eum, ideoque mendaces estis, vers. 55. Illustratio per antithesin statim subjungitur: Ego verò novi eundem, quod ad essentiam & voluntatem: quod tàm certum est, quàm certum est, me mendacem vestri similem fore, si contrarium dicerem: nec solummodò novi eum, quoad essentiam ac voluntatem, sed etiam hanc facio, obeundo apud vos munus meum Propheticum, id enim est, servare sermonem Patris, hoc loco. Hæc ille.

3. Ad instantiam vel exemplum Abrahami respondet Christus per inficiationem & distinctionem, inter mortem corporalem & spiritualem: illa est separatio animæ à corpore; hæc separatio animæ à Deo. Christus loquitur de morte spirituali, Judæi intelligunt de morte corporali, unde quatuor termini in argumento. Abrahamum autem spiritualiter mortuum non esse, ostendit ab effectu, desiderio nimirùm videndi diem Christi & spirituali inde concepto gaudio. Dies autem Christi dicitur tempus illud, quo æternus Dei Filius, adsumtâ carne humanâ, in mundum venit, magnum illud τῆς ἀπολυτρώσεως opus peracturus. Hunc diem Messiæ vidit Abrahamus spiritualiter, oculis cordis seu fidei, ex promissione data certò credens Christi Incarnationem, in prosapia sua aliquando futuram. Hinc gavisus est, h. e. pacem & gaudium conscientiæ inde concepit, justificatus ex fide in promissum Messiam. Roman. 4, 3. Nullo itaque arrogantiæ vitio laborare sese innuit Christus, si vel maximè Abrahamo majorem se prædicet: nisi enim major esset, diem illius Abrahamus non ita desiderâsset videre. Argumentum est tale:

Mors corporalis & Spiritualis.

Dies Christi.

Abraham vidit diem Christi.

Cujus diem videre desideravit Abrahamus, tanquam Messiæ ac Salvatoris sui, & cujus die viso exultavit, is est major ipso:
Atqui Abrahamus desideravit videre diem meum &c.
Ergò sum major ipso. Hactenus primum tertiæ partis membrum; restat alterum, nimirùm

II. *Disputationis, συῤῥάξεως sive concertationis conclusio*, facta tùm λόγῳ, tùm ἔργῳ.

Verbo quidem iterum, per intentionem & depulsionem. *Intentio* Judæorum à contradicendibus desumtæ contradictionis laqueum Christo injicere conatur, sarcasticâ planè irrisione excipiens ea, quæ à Christo dicebantur. Sic. a. colligunt illi:

Quæcunq; doctrina contradictione manifestâ seipsam refellit illa non est ex Deo:

Talis est tua doctrina. Ergò.

Minorem probant: quia Abraham mortuus est ante annos circiter bis mille; tu verò nondum habes quinquaginta annos; quî ergò Abraham te, aut tu Abrahamum videre potuisti? Ἀδύνατον, ἄτοπον.

Depulsio habet responsionem Christi ad probationem minoris, quâ in personæ suæ demonstrationem digreditur, ostendens, se non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, sed verum Deum; idque non tàm propter Judæos obstinatos, quàm propter fideles suos, duplici juramento confirmat: absurdum non esse significans, si dicat Abrahamo priorem se fuisse, juxta divinitatem. Ait ergò: antequam Abraham nasceretur, ego sum. Abrahamo attribuens τὸ γενέσθαι, h. e. tale esse, quod non ex se initium suum habet, sed aliunde accepit; sibi verò τὸ εἶναι, quod notat personam, quæ essentiam suam habet in se & per se, non per alium, quippè verè & essentialiter Deus. Exstat hæc appellatio Exod. 3, 14.

Facto concluditur disputatio, Judæis victis, & de Divinitate Christi convictis, lapidibus ipsum obruere tentantibus; Christo verò se abscondente, & è templo per medium eorum exeunte; ita ut à nemine nec prohiberetur, nec comprehenderetur, nec læderetur; quorum illud est infirmitatis humanæ; hoc potentiæ & virtutis divinæ.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Sophistica. I. Impii, veritatis cumprimis cœlestis hostes, solent verba Christi malitiosè in sensum alienum detorquere: Johan. 2, 19. Matth. 26, 61. quod artificium hodiè sibi quodammodo proprium ac peculiare effecère Jesuitæ: specimen vide in Colloquio Ratisbonensi.

Carnalis gloriatio inanis II. Carnalis de prosapia gloriatio inanis est, & neminem salvat. Matth. 3, 7. Johann. 1, 12. Act. 10, 34. Roman. 9, 7. seqq. D. Theod. p. 688.

Notæ θεογνωσίας. III. Notæ θεογνωσίας sive cognitionis Dei veræ sunt;

1. Deum nosse in Filio; 1. Joh. 5, 12.

2. ser-

2. servare sermonem Dei. Mal. 1, 6. Johan. 13, 17. & 15, 10. 14.

Per primam notam excluduntur à vera θεογνωσία Turcæ, Judæi, Papistæ, Photiniani &c. per secundam hypocritæ & Pseudo Christiani omnes.

IV. Una & eadem semper fuit via consequendi salutem, nimirùm, per solam fidem in Christum. Act. 4, 12. & 10, 43. & 15. 11. Joh. 1, 29. Rom. 4, 3. Hebr. 2, 27. & 8, 3. 9. & 10, 7. 8. & 11, 4. seq. Apoc. 13, 8. D. Theodoric. p. 689. 690. 691. *Via salutis una.*

V. Errant itaque Pelagiani docentes, homines in primo millenario salvatos esse per legem naturæ; in secundo per legem Mosis; in tertio per legem Christi, h. e. per Evangelium. Vide Dn. D. Chemnit. part. 1. L. C. pag. 54. *Pelagiani.*

VI. Errant & Pontificii, novitatis, nescio cujus, religionem nostram insimulantes, cùm ad oculum jampridem ipsis sit demonstratum, in avita priscorum patrum fide nos per Dei gratiam etiam dum persistere *Papistæ novitatis nos insimulant.*

VII. Summa Christianorum exultatio est videre diem Christi. Videtur autem ille tùm corporaliter tùm Spiritualiter, tùm æternaliter. Vide D. Theod. p. 692. 693. 694. *Visio Christi.*

IIX. Monstratur ordo, quo Deus electos suos ad salutem perducit: *Ordo salutis.*

1. per verbum promissionis in ipsis excitat ἀγαλλίασιν, & ardens aliquod salutis desiderium: Psal. 2, 11.
2. Sequitur visio, seu interna illuminatio, quâ per fidem Christum cum omnibus beneficiis amplectuntur: 2. Timoth. 1, 12.
3. Hinc oritur gaudium & conscientiæ tranquillitas. Rom. 5, 1. 2. 3. & 8, 39. Psal. 73, 25.

IX. Mysteria regni Dei hominibus carnalibus sunt stultitia. 1. Cor. 1, 18. & 2, 14. Vide Dominic. Lætare.

X. Postremum hostium refugium est, ut quos rationibus convincere nequeunt, convitiis & falsis criminibus obruant. *Hostium convitia.*

XI. Potest h. l. dici, de persona Christi; de æterna ejusdem Divinitate; Mich. 5, 2. deque personali duarum Naturarum unione; sed consulantur libelli hac de materia methodici.

XII. Notetur discrimen propositionum: antequam Abraham esset, ego sum: & Matth. 28, 20. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi: hæc loquitur de persona Christi ἐνσάρ-

σάρκω, post incarnationem; illa de Christo ἀσάρκῳ, ante incarnationem. Confer. D. Theodoric. p. 696. D. Hunn. in Johann. pag. 455. 456.

XIII. Margaritæ porcis non sunt projiciendæ Matt. 7,6.

Ecclesia falsa occidit. XIV. Ecclesia malignantium regitur spiritu homicidii. Act. 7,59. 2. Cor. 11,25. Matt. 10,23. Rom. 10,2.

XV. Hostium arma & argumenta sunt furores, violenti impetus, saxa & lapides. D. Theod. p. 697. 698. 699.

XVI. Deus tyrannis limites certos constituit. Gen. 33,3. Es. 37,29. Psal. 2,4. & 34,21.

XVII. Christus in statu etiam exinanitionis divinis instructus fuit donis. Luc. 4,30. & 24,31.

XIIX. Pericula fugâ licet declinare. Vide Dominic. Reminiscere.

Actiones cum hostibus. XIX. Actiones cum hostibus veritatis plerunque vel tragicos, vel infelices habent exitus.

XX. Deus hostibus verbi & Scripturæ templum relinquit vacuum.

Christi æternitas. XXI. Christus dicendo, antequam nasceretur Abraham, ego sum, æternum se esse Deum adseruit, quod negant Photiniani. Vide D. Tarn. in Joh. p. 739. 740. 741.

XXII. Deus hodieq; suos mirabiliter abscondit, & hostium furori subducit. 2. Reg. 6, 18. 19. Jer. 36,19.

XXIII. Ex vers. 58. contra Photinianos per bonam consequentiam probari æternam Patris generationem, ostendit D. Bald in C. C. pag. 94. & seq. Si fuit ante Abrahamum, utique & Patrem habuit ante eum, non secundum humanam naturam, quæ Abrahamo fuit posterior.

Fuga in persecutione. XXIV. A fuga in persecutione particulari, ad fugam in Ecclesiæ persecutione universali, non valet consequentia. D. Finck. cent. 4. can. 14.

Auditorum notæ. XXV. Tandem observentur verorum verbi auditorum sive γνωρίσματα, sive notæ ac proprietates: (rechte und echte Kirchfinder: *Non omnes sancti, qui calcant limina templi:*) nimirùm;

I. Verum vera Ecclesiæ doctrinam amplexari: Vide Pollion. post. f. 420. 421. Quæ autem est illa vera doctrina? Quæ

Doctrina vera.

1. Dei gloriam propagat;
2. vitam communicat;
3. veritatem amat;

4. cum

4. cum patrum doctrina concordat. Vide D. Bald. post. pag. 246. & 254.

II. Verbo prædicato auscultare: Audiendum est illud,

1. diligenter;

2. obedienter;

3. patienter. Ibid. p. 271.

III. Verbum Christi servare. Cyrillus: *Verbum Dei audire, est præceptis ejus obedire.* Vide Poll. f. 408. seqq. D. Bald. p. 292.

IV. Deum honorare. Quomodo verò Deum honoramus?

Honorare Deum.

1. Corde: 1. Christum suscipiendo;
2. gloriam propriam fastidiendo;

2. Ore: prædicando Dei. 1. bonitatem, quam præstat, homini non secundum iniquitatem retribuendo:
2. veritatem, promissa exolvendo.

3. Opere: 1. inculpatè vivendo:
2. operibus bonis studendo.

V. Mortem non reformidare: Poll. p. 424.

VI. Crucem non recusare.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

POsitum esse Christum εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, in signum, cui contradicitur; Luc. 2, 34. vel sola præsentis Evangelii historiâ abundè satis comprobatur, in quo acerrima Christo cum Judæis intercedit disceptatio: hanc itaque nos διὰ βραχέων considerabimus;

I. quoad textum;

II. quoad usum.

PARS I.

Tria potissimum in præsenti Evangelio inter Christum ac Judæos disceptantur capita, quorum primum

I. agit *de Christi vita*, quam ipse evincit esse inculpabilem. Occurrit

1. sancta Christi protestatio, producens

Christus innocens.

1. vitæ innocentiam; quis ex vobis arguit (convincit) me de peccato? Accusabant multorum criminum, ut blasphemiæ, Matth. 9, 3. intemperantiæ; Matth. 11, 19.

violati sabbathi, Luc. 14, 1. seq. sed nullius unquam convincere poterant: atque hac in re ad hostium juratissimorum provocat testimonium.

2. *Justam in veritate dicenda παῤῥησίαν:* si ego à crimine & mendacio omni alienus, veritatem dico, quare vos non creditis mihi? q. d. vera me docere, nemini adulari ac blandiri; honestè quoque me vivere, negare non potestis: quæ ergò ratio, quòd adeò vobis sim exosus; quòd vera loquenti fidem non habeatis? Inexcusabiles ergò aliquando & adfectatæ malitiæ rei peracti gravissimè puniemini. Amplificatur ἐκθέσει τῆς αἰτίας per ἀντίθετον: Veritatem non auditis; quia ex Deo non estis. Ex Deo esse hîc est, non è Dei substantia genitum esse, quod Manichæorum olim erat delirium: neque à Deo creatum esse; (nam & improbi Dei creaturæ sunt) sed à Deo per gratiam regeneratum & adoptatum esse, & tanquam filium paternæ voluntati libenter obsequi. Calixt. p. 308.

Ex Deo esse.

2. *Falsa Judæorum criminatio*; quâ Christo objiciunt

1. *levitatem*; Samaritanus es, h. e. Judæus adulterinus, ψευδώνυμος ἄλλος; q. d. tibi cordi non est lex, nec sabbathum, & alii ritûs, divinitùs instituti; sed instar Samaritani jam servas, jam contemnis pro lubitu. Et quia Samaritani invisi erant Judæis & abominabiles tanquam legis Mosaicæ violatores; sabbathi profanatores; Dei cultusque sacri contemtores; viles Judaismi abnegatores; ideoque nomine tàm inviso ipsum onerare, & in odium apud alios adducere cogitabant. Confer Joseph. lib. 9. c. 15. & lib. 11. c. 8. antiq. 2. Reg. 17, 24. ad Regem Assyriorum Salmanaserem refertur Samaritanorum in Palæstinam invectio. Idem est ac si illum hæreticum, vel hominem projectæ levitatis dixissent.

Samaritanus.

2. *Impietatem*; quia habes dæmonium, cum quo colludis. Hoc eò dicunt, sive quòd indicare vellent, motæ mentis eum esse, & insanire; Johann. 10, 20. sive quòd accusare vellent magiæ, & dæmonis eum operâ uti. Luc. 11, 15.

3. *Criminationis retorsio*, facta

1. καὶ ἀποσιώπησιν ἢ ἀποδιώξιν, quâ primum ἔγκλημα rejicit responsione illud indignum judicans, ob manifestam falsitatem, & quia nihil erat aliud, quàm impotentis iræ maledictum, omni ratione carens, & parùm ad rem faciens. Tungerlarius part. 2. promt. p. 717. 718. quinque recenset silentii ad istam calumniam causas. *Innocentia & bona conscientia, optima est apologia.* Confer B. Aret. p. 890. & Pelarg. in Joh. f. 97. b.

2. καὶ ἄρνησιν, comprobatam oppositione effectorum contrariâ. Opposita sunt, honorare Patrem, & habere dæmonium. Hinc argumentamur:

Quicunq; honorat Patrem cœlestem, ille dæmonium non habet:
Ego Patrem meum cœlestem honoro: Ergò dæmonium non habeo.

Hoc unum disceptationis caput.

II. Secundum agit *de Christi doctrina.* Notetur hoc loco.

1. *doctrinæ commendatio.* Desumitur autem illa,

1. *ab adjuncta nativa proprietate*, quâ suspicionem ambitionis & privatæ gloriæ removendo, inquit: *Ego non quæro gloriam meam*, h. e. non sum κενόδοξος, ambitiosus, ut vos de me judicatis. Illustratur ἀντιθέσει: sed honoro Patrem meum, h. e. ea loquor, quibus Patris mei honor in terris promovetur.

2. *Ab effectûs singularitate*; morti enim fugandæ verbum suum inservire Christus adfirmat, immò jurejurando contestatur: vers. 51. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Vide dicti hujus peculiarem ἐξήγησιν apud Tungerl. d. l. pag. 739. seqq.

2. *Judæorum contradictio*, quâ Christum arguere conantur,

1. mendacii: Contrarium enim in Abrahamo & Prophetis, jampridem fato functis, conspiciendum exhiberi. Ita autem per dilemna concludunt:

Aut major est Christus Abrahamo & Prophetis, qui tale quid non potuerunt, vel sibi, vel sectatoribus suis polliceri; aut Christus inepta & falsa loquitur. Non illud; Ergò hoc.

2. Arrogantiæ, quâ supra omnes Prophetas, atque ipsum adeò Mosen sese extollere præsumat. Ad utrumque cavillum quid responsi datum, subsequente jam συῤῥάξεως sive concer-

cer-

certationis capite docebitur, quando à realibus ad personalia, tandem à verbis ad verbera devenient Judaei.

III. Tertium itaque caput *de Christi persona* contendit; ubi

Christus Deus.

1. Christi adsertio attendenda, quâ non ψιλὸν sese ἄνθρωπον, sed verum Deum esse probat testimonio duplici:

1. divino, Patris nimirùm cœlestis, qui honorat Filium testimonium ipsi perhibendo infallibile, quòd γνήσιος & naturalis ejus sit Filius. Matth.3,17. & 17,5.

2. Humano, ipsius nempe Patriarchae Abrahami.

2. Blasphema divinitatis Christi abnegatio, facta tùm irrisione, tùm lapidatione; quam tamen Christus avertit, inopinatâ corporis sui occultatione, quae inter specimina illa, quibus carni communicatam majestatem, in ipso infirmitatis statu, nonnunquam emicare sivit, meritò refertur. Theophylactus ita interpretatur: ἀφανῆ ἑαυτὸν ἐξουσίᾳ θεϊκῇ καταστήσας, invisibilem sese divinâ potestate reddens. *Non enim* (quae Augustini sunt verba) *in templi angulo, quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum & columnam divertens, sed cœlica potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit.*

PARS II.

USUS I. Informatorius.

Christianorum verorum & falsorum discrimen.

I. De accurato inter veros falsosque Christianos discrimine. Veri Christiani

1. sunt ex Deo, sc. renati; Joh.3,3. 1.Pet.1,23.

2. audiunt verbum Dei; Psal. 1,2. illudque

3. servare contendunt. Rom 1,16. Jac.1,21. Hinc facilè de falsis Christianis potest fieri judicium: contrariorum enim contrariae sunt definitiones & proprietates.

Ecclesiae verae notae.

II. Patet inde, quid de γνωρίσμασι sive notis tùm verae, tùm malignantium Ecclesiae sit statuendum. Verae enim Ecclesiae nota est

1. verbi sinceritas: qui ex Deo est, Verbum Dei audit. Joh.10,27. Esa.8,20. Luc.16,29. Eph.2,20. 2.Pet.1,19.

2. Sacramentorum integritas. Psal.111,3. His

3. adjicitur à quibusdàm *obediendi facilitas*, verbo debita. Ecclesia malignantium mendaciis & homicidiis gaudet, immò studet: talis enim diabolus. Joh.8,44. Apoc.13,6. & 17,6.

III.

III. De veritate cœlesti intrepidè cum zelo pio propugnanda. In privatis causis & personalibus convitiis patientem quidem & pacificum sese præbere verbi ministrum decet: sed in tuenda Dei gloria, in adserenda veritate, & propugnanda officii dignitate, ne hilum quidem cedere æquum est. Tit.1,9. & 2,15. Act. 15,7. Tit.3,10.11. Matt.5,13. 2.Cor.5,13.14.

Veritas adserenda.

IV. De Divinitate Christi, pro qua confirmanda quinque hoc Evangelio suppetunt argumenta:

Divinitas Christi probatur.

1. *A filiatione;* dicitur enim Filius Dei: unde enim aliàs Deum Patrem suum diceret? Ejusdem ergò cum illo naturæ & essentiæ.
2. *A verbi efficacia:* sermo enim ejus est potentia ad salutem, adversus mortem & interitum. Joh. 6,68.
3. *A firma in Christum fiducia:* quia in ipsum est credendum: Joh. 6,29. & 14,1. quod Judæi facere renuentes graviter reprehenduntur.
4. *A divina potentia:* quia habet vitæ necisque potestatem; aliàs promittere vitam & immortalitatem haut posset.
5. *Ab æternitate;* quia esse dicitur ante Abrahamum, quod contra Neo-Photinianos probè notandum.

V. De multiplici piorum in hoc mundo calamitate, à quo injuriâ illi adficiuntur verbali & reali.

VI. De μακροθυμίᾳ & patientia proximo declaranda. Hanc svadeat immò imperet nobis,

Μακροθυμία & patientia erga proximum.

1. *mandati divini auctoritas;* Rom.12,21. & 15,1. 1. Cor. 6, 4.6. Gal.6,1.2. Eph.4,2. Col.1,11. & 3,12. Tit.3,2.
2. *Exempli divini claritas:* Exod.34,6. Psal.103,8. Sap.15,1. Rom. 7,4. Matt.11,29. 2.Pet.3,9.
3. *Mansuetudinis dignitas:* Prov.14,29. & 19,11. Eccl.7,9.10.
4. *Tolerantiæ necessitas:* Gal.6,1.2.
5. *mansvetudinis utilitas:* Eccl.10,4. Pov.15,19. & 25,14.
6. *divinæ promissionis largitas:* Psal.37,11. Matth.5,6.
7. *comminationis severitas:* Prov.19,19. Matt.18,34.35.
7. *piorum proprietas:* Num.12,3. 2.Tim.3,10.
9. *præmiorum ubertas:* Vide de his omnibus prolixè disserentem D. Johann. Gerhard. in Schol. piet. part.4. cap.20. fol. 282. seqq.

VII. De humanitate in verbis & gestibus exercenda, cujus studium in nobis excitet Dei mandatum & exemplum; Christi factum; virtutis hujus dignitas, utilitas, exemplorum claritas: Et

Humanitas

consistit in salutando, excipiendo, respondendo, docendo, arguendo, consolando, petendo, largiendo, convivando, conversando; Et requiritur in hac virtute, caritas, concordia, prudentia; de quibus omnibus vide d. l. eundem cap. 23&24.

IIX. Quòd Verbum Dei sit immotæ veritatis & salutis nostræ basis; quin φάρμακον πεϱφυλακτικὸν contra æternam mortem.

Gloria soli Deo.

IX. De gloria soli Deo debita: conferimus illam Deo,

1. operibus divinis sive bonis studendo: vide D. Bald. p. 291.

2. Dei gloriam vindicando; impietati contradicendo;

3. nos ipsos non laudando. Quomodo Pater Filium suum honoraverit, genus ei humanum donando; prænunciando, clarificando; ad dexteram collocando, Evangelium propagando & conservando, monstrat D. Bald. p. 294. seq.

II. Consolatorius.

Consolationem maximam fidelibus præbet

1. Christi innocentia, quæ veri Messiæ γνώρισμα. Es. 53, 9. Luc. 1, 35. 2. Cor. 5, 21. Heb. 4, 15. & 7, 26. Dan. 9, 24.

2. Christi doctrina, quæ sola morti medetur. Johann. 4, 24. & 11, 25. & 14, 23.

3. Quòd Deus piorum judex & vindex justissimus. Ps. 43, 1. & 135, 10. & 136, 17. Esa. 40, 29. 30. 31.

4. Quòd mors piis non pertimescenda. Rom. 14, 8. Apoc. 2, 11. & 21, 8. & 14, 11. Vide Monrad. thes. p. 297. seq.

III. Monitorius.

1. De ambitione fugienda. Ps. 115, 1. Prov. 27, 2. Rom. 12, 16.

Christianorum sors.

2. De sorte verorum Christianorum, quòd (1) à mundo judicantur & damnantur. Matth. 10, 22. (2) sed illi religionis veritatem defendunt masculè: Sir. 4, 29. (3) omnia a. ad Dei gloriam dirigunt. Apoc. 14, 7. (4) In mortis agone solo verbo nituntur & salvantur, quod facit contra mortem 1. naturalem; 2. Spiritualem; 3. æternalem.

3. De crebris circa articulos fidei in Ecclesia disceptationibus. Luc. 18, 8. 1. Cor. 11, 19.

4. De Christi in vitæ puritate & sanctitate sequela. Vide Monr. thes. p. 295.

5. De verbo Dei diligenter audiendo. Ibid.

6. De

6. De mendacio studiosè devitando, ob divinum mandatum, Dei beneplacitum; Dei exemplum; Christi factum; veritatis encomium; Dei promissum; multiplex commodum; piorum proprium; mendacii vituperium; multiplex damnum; exempla pœnarum &c. consule D. Gerhard. in schol piet. lib. 5. cap. 21. f. 300. seqq. De mendacii per omnes ordines varietate, & modo cavendi, vide cap. 22. f. 317. seq.

Mendacium fugiendum

IV. Refutatorius.

1. Calvinianorum, causas damnationis in absoluto Dei odio quærentium: Christus contrà in verbi sui contemtu.

2. Pontificiorum, qui ajunt, (1) laicos non debere judicare de doctrina. Matth. 7, 15. Johan. 5, 39. 1. Corinth. 2, 15. Philip. 3, 2. 1. Thess. 5, 21. 1. Johann. 4, 1. (2) Sufficere, si credas, quod Papa vel Ecclesia Romano-Papistica credat, aut credendum præcipiat. Joh. 8, 47. 51. & 12, 48. (3) Injuriam sibi fieri, quando dicitur passionem ac mortem Salvatoris nostri Jesu Christi, ratione fructûs maximè salutaris, in Papatu olim fuisse obfuscatam & oppressam; passiones ex adverso & opera sanctorum vitæ æternæ meritoria in immensum deprædicata, idque hodieque fieri totâ die; frustrà sophisticè & extra oleas vagando hoc negante & amoliri conante Tonsore Jesuitico pag. 312. & seq. per integram concionem.

Papismus de laicis: de fide carbonaria. de passionis Christi oppressione.

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio μονομερής.

Iterum semini mulieris Jesu Christo adversus serpentem Paradisiacum & squamas ejus est depugnandum: videbimus itaque qualem sese præstiterit in acerrima isthac, cum impia Judæorum caterva, in templo Hierosolymitano, habita disputatione. Thema nostrum, de quo disseremus, hoc esto:

De vehementi Christi Servatoris cum Judæis συῤῥάξει seu conflictu.

Christi cum Judæis disceptatio.

Ἐξήγησις.

Occasionem contentioni præbuit invisa admodum, & auribus Judæorum planè intolerabilis assertio, quâ vanam eorum jactantiam in dubium vocare ausus fuerat Christus, non absque ra-

tione ambigens, utrum γνήσιοι illi sint & Dei & Abrahami, quod plenis buccis jactitabant, filii? Pro affirmativa Judæi, tanquam pro aris & focis, ad ravim, immò ad sangvinem fermè usque pugnabant; negativam ex adverso Servatore nostro manifestè statuente & defendente. Ostendit enim Judæos, hostes Christi juratissimos, non Dei, sed satanæ esse progeniem; vers. 44. ratione petitâ ab ingenio istiusmodi monstrorum, seu spuriorum filiorum: quod est, mendaciis & homicidio sive sangvine delectari, veritatemque monstratam odiosè sectari.

Ceterùm in tota hac συῤῥάξει ad duo potissimùm capita principalia est respiciendum: (1) ad materiam: (2) ad formam. Materiam velitationis quod spectat, in quatuor quæstionum διαλήψει totius negotii cardo vertitur.

Doctrinæ Christi veritas. I. Prima est, *de doctrina Christi veritate & sinceritate*, utrum vera illa sit an falsa? Priorem ζητήματος partem probat Christus; *1. ab hostium suorum testimonio*; quò intrepidè ille provocat;
2. à doctrinæ suæ principio, quod ad Deum auctorem unicè refertur.

Inserviunt hæc omnia nostræ

1. consolationi: Christus enim ἀναμάρτητος peccatis nostris expiandis est vel maximè idoneus. Vide præced. dispos.

2. Exhortationi, ad verbi divini studium, quod Christianorum est verorum τεκμήριον infallibile. Quisquis enim est ex Deo, verba Dei audit. Sap. 7, 14.

3. Refutationi Pontificiorum, qui non contenti perfectissimâ Christi sanctitate & innocentiâ, propriam stabilire conantur, nimiùm interim peccatum extenuantes; immò concupiscentias, in renatis reliquas, ex peccatorum, verè ac propriè ita dictorum, censu ac numero planè eximentes. Confer conc. Trid.

Papistæ concupiscentiam negant esse peccatum.

Christi opera. II. Secunda quæstio agit, *de operum & miraculorum Christi majestate.* Ἀφορμὴν quæstioni huic suppeditat blasphema Judæorum criminatio, quâ tàm doctrinam, quàm opera ejus calumniabantur. Quoad doctrinam audire cogitur Samaritanus, h. e. hæreticus: quoad opera, diaboli illa collusioni & συνεργείᾳ adscribuntur. Priore cavillo præterito, posterius falsitatis concinuit Christus, *1. à contrario*; quia honoro Patrem:
2. à Patris testimonio.

Usus horum sit,

1. Ap-

1. διδακτικός, de ingenio hostium Christi; qui vi veritatis in angustias redacti ad convitia sese convertunt. — Hostes Christi.

2. παιδευτικός, ut in omnibus nostris studiis solius Dei gloriam unicè attendamus. 1.Cor.10,31. Honoratur ille — Gloria Dei soli.

1. *corde contrito*; Psal.51,19. Dan.9,7. Apoc.4,11.

2. *Ore ad confitendum aperto*; Matth.12,34. Rom.10,10.

3. *opere expresso*; Matth.5,16. & 15,8.

4. *patientiâ.* Psal 116,13. Job.1,21.

III. Tertiâ quæstione, *de verbi virtute & efficacitate* contenditur; quam Christus juramento confirmat; Judæi sophisticè calumniantes impugnant. Sciendum autem, mortem esse duplicem: primam seu temporalem, omnibus, tàm piis, quàm impiis communem: & secundam seu æternam, quæ est mors animæ, propria damnatorum. Esa.66,24. Apoc.21,8. — Verbi vis. — Mors duplex.

IV. Quartâ quæstione agitur, *de vera Christi Deitate.* Hanc Judæi, quantum in ipsis, cunctis viribus negabant & pernegabant: Christus verò argumentis aliquot superstruit, quorum — Christi Divinitas.

1. *à Patris sui testificatione*;
2. *ab intima ejus cognitione*;
3. *à firma omnium fidelium exspectatione*;
4. *ab æternitatis connotatione* desumitur. Hactenus συῤῥάξεως materia.

Formam quod spectat, in armorum illa contemplatione unicè consistit. Triplici autem Judæi utuntur adversus Christum armorum genere: 1. *calumniâ*; — Arma Judæorum.

2. *blasphemiâ*;

3. *violentiâ* confidentes. Simplici contrà Christus contentus verbo, quo solo pugnans, omnes hostium suorum machinationes insidiasque & eludit & evadit. Oremus: *Deus, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta quæsumus, ut plebs tua te largiente temporalibus non destituatur auxiliis, & te servante æternis proficiat institutis, per Jesum Christum Filium tuum dilectum, Dominum nostrum. Amen. Amen. Amen.*

NB.

Dispositionem Evangelii, Dominicâ Palmarum prælegi & explicari soliti, quære suprà Dominicâ primâ Adventûs.

Quæcunq; doctrina contradictione manifestâ seipsam refellit illa non est ex Deo:

Talis est tua doctrina. Ergò.

Minorem probant: quia Abraham mortuus est ante annos circiter bis mille; tu verò nondum habes quinquaginta annos; quî ergò Abraham te, aut tu Abrahamum videre potuisti? Ἀδύνατον, ἄτοπον.

Depulsio habet responsionem Christi ad probationem minoris, quâ in personæ suæ demonstrationem digreditur, ostendens, se non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, sed verum Deum; idque non tàm propter Judæos obstinatos, quàm propter fideles suos, duplici juramento confirmat: absurdum non esse significans, si dicat Abrahamo priorem se fuisse, juxta divinitatem. Ait ergò: antequam Abraham nasceretur, ego sum. Abrahamo attribuens τὸ γενέσθαι, h. e. tale esse, quod non ex se initium suum habet, sed aliunde accepit; sibi verò τὸ εἶναι, quod notat personam, quæ essentiam suam habet in se & per se, non per alium, quippè verè & essentialiter Deus. Exstat hæc appellatio Exod. 3, 14.

Facto concluditur disputatio; Judæis victis, & de Divinitate Christi convictis, lapidibus ipsum obruere tentantibus; Christo verò se abscondente, & è templo per medium eorum exeunte; ita ut à nemine nec prohiberetur, nec comprehenderetur, nec læderetur; quorum illud est infirmitatis humanæ; hoc potentiæ & virtutis divinæ.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Sophistica. I. Impii, veritatis cumprimis cœlestis hostes, solent verba Christi malitiosè in sensum alienum detorquere: Johan. 2, 19. Matth. 26, 61. quod artificium hodiè sibi quodammodo proprium ac peculiare effecêre Jesuitæ: specimen vide in Colloquio Ratisbonensi.

Carnalis gloriatio inanis II. Carnalis de prosapia gloriatio inanis est, & neminem salvat. Matth. 3, 7. Johann. 1, 12. Act. 10, 34. Roman. 9, 7. seqq. D. Theod. p. 688.

Notæ θεογνωσίας. III. Notæ θεογνωσίας sive cognitionis Dei veræ sunt; 1. Deum nosse in Filio; 1. Joh. 5, 12.

2. servare sermonem Dei. Mal. 1, 6. Johan. 13, 17. & 15, 10. 14. Per primam notam excluduntur à vera θεογνωσία Turcæ, Judæi, Papistæ, Photiniani &c. per secundam hypocritæ & Pseudo Christiani omnes.

IV. Una & eadem semper fuit via consequendi salutem, nimirùm, per solam fidem in Christum, Act. 4, 12. & 10, 43. & 15, 11. Joh. 1, 29. Rom. 4, 3. Hebr. 2, 17. & 8, 3. 9. & 10, 7. 8. & 11, 4. seq. Apoc. 13, 8. D. Theodoric. p. 689. 690. 691.

Via salutis una.

V. Errant itaque Pelagiani docentes, homines in primo millenario salvatos esse per legem naturæ; in secundo per legem Mosis; in tertio per legem Christi, h. e. per Evangelium. Vide Dn. D. Chemnit. part. 1. L. C. pag. 54.

Pelagiani.

VI. Errant & Pontificii, novitatis, nescio cujus, religionem nostram insimulantes, cùm ad oculum jampridem ipsis sit demonstratum, in avita priscorum patrum fide nos per Dei gratiam etiam dum persistere

Papistæ novitatis nos insimulant.

VII. Summa Christianorum exultatio est videre diem Christi. Videtur autem ille tùm corporaliter tùm Spiritualiter, tùm æternaliter. Vide D. Theod. p. 692. 693. 694.

Visio Christi.

IIX. Monstratur ordo, quo Deus electos suos ad salutem perducit:

Ordo salutis.

1. per verbum promissionis in ipsis excitat ἀγαλλίασιν, & ardens aliquod salutis desiderium: Psal. 2, 11.
2. Sequitur visio, seu interna illuminatio, quâ per fidem Christum cum omnibus beneficiis amplectuntur: 2. Timoth. 1, 12.
3. Hinc oritur gaudium & conscientiæ tranquillitas. Rom. 5, 1. 2. 3. & 8, 39. Psal. 73, 25.

IX. Mysteria regni Dei hominibus carnalibus sunt stultitia. 1. Cor. 1, 18. & 2, 14. Vide Dominic. Lætare.

X. Postremum hostium refugium est, ut quos rationibus convincere nequeunt, convitiis & falsis criminibus obruant.

Hostium convitia.

XI. Potest h. l. dici, de persona Christi; de æterna ejusdem Divinitate; Mich. 5, 2. deque personali duarum Naturarum unione; sed consulantur libelli hac de materia methodici.

XII. Notetur discrimen propositionum: antequam Abraham esset, ego sum: & Matth. 28, 20. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi: hæc loquitur de persona Christi ἐν-

σάρκω, post incarnationem; illa de Christo ἀσάρκω, ante incarnationem. Confer. D. Theodoric. p. 696. D. Hunn. in Johann. pag. 455. 456.

XIII. Margaritæ porcis non sunt projiciendæ Matt.7,6.

Ecclesia falsa occidit. XIV. Ecclesia malignantium regitur spiritu homicidii. Act.7,59. 2.Cor.11,25. Matt.10,23. Rom.10,2.

XV. Hostium arma & argumenta sunt furores, violenti impetus, saxa & lapides. D.Theod. p. 697.698.699.

XVI. Deus tyrannis limites certos constituit. Gen. 33,3. Es. 37,29. Psal.2,4. & 34,21.

XVII. Christus in statu etiam exinanitionis divinis instructus fuit donis. Luc.4,30. & 24,31.

XIIX. Pericula fugâ licet declinare. Vide Dominic. Reminiscere.

Actiones cum hostibus. XIX. Actiones cum hostibus veritatis plerunque vel tragicos, vel infelices habent exitus.

XX. Deus hostibus verbi & Scripturæ templum relinquit vacuum.

Christi æternitas. XXI. Christus dicendo, antequam nasceretur Abraham, ego sum, æternum se esse Deum adseruit, quod negant Photiniani. Vide D.Tarn. in Joh. p.739.740.741.

XXII. Deus hodieq; suos mirabiliter abscondit, & hostium furori subducit. 2.Reg.6,18.19: Jer.36,19.

XXIII. Ex vers. 58. contra Photinianos per bonam consequentiam probari æternam Patris generationem, ostendit D. Bald. in C.C. pag.94. & seq. Si fuit ante Abrahamum, utique & Patrem habuit ante eum, non secundum humanam naturam, quæ Abrahamo fuit posterior.

Fuga in persecutione. XXIV. A fuga in persecutione particulari, ad fugam in Ecclesiæ persecutione universali, non valet consequentia. D. Finck. cent.4. can.14.

Auditorum notæ. XXV. Tandem observentur verorum verbi auditorum sive γνωρίσματα, sive notæ ac proprietates: (rechte vnd echte Kirchkinder: *Non omnes sancti, qui calcant limina templi:*) nimirùm;

I. Verum vera Ecclesia doctrinam amplexari: Vide Pollion. post. f.420. 421. Quæ autem est illa vera doctrina? Quæ

Doctrina vera.

1. Dei gloriam propagat;
2. vitam communicat;
3. veritatem amat;

4. cum

4. cum patrum doctrina concordat. Vide D. Bald. post. pag. 246. & 254.

II. Verbo prædicato auscultare: Audiendum est illud,
- *1. diligenter;*
- *2. obedienter;*
- *3. patienter.* Ibid. p. 271.

III. Verbum Christi servare. Cyrillus: *Verbum Dei audire, est præceptis ejus obedire.* Vide Poll. f. 408. seqq. D. Bald. p. 292.

IV. Deum honorare. Quomodo verò Deum honoramus?

Honorare Deum.

1. Corde: *1. Christum suscipiendo;* *2. gloriam propriam fastidiendo;*

2. Ore: prædicando Dei. 1. bonitatem, quam præstat, homini non secundum iniquitatem retribuendo: *2. veritatem,* promissa exolvendo.

3. Opere: *1. inculpatè vivendo:* *2. operibus bonis studendo.*

V. Mortem non reformidare: Poll. p. 424.

VI. Crucem non recusare.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Positum esse Christum εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, in signum, cui contradicitur; Luc. 2, 34. vel sola præsentis Evangelii historiâ abundè satis comprobatur, in quo acerrima Christo cum Judæis intercedit disceptatio: hanc itaque nos διὰ βραχέων considerabimus;
I. quoad textum;
II. quoad usum.

PARS I.

Tria potissimum in præsenti Evangelio inter Christum ac Judæos disceptantur capita, quorum primum

I. agit *de Christi vita*, quam ipse evincit esse inculpabilem. Occurrit

1. sancta Christi protestatio, producens

1. vitæ innocentiam; quis ex vobis arguit (convincit) me de peccato? Accusabant multorum criminum, ut blasphemiæ, Matth. 9, 3. intemperantiæ; Matth. 11, 19.

Christus innocens.

1. καὶ ἀποσιώπησιν ἢ ἀποδιώξιν, quâ primum ἔγκλημα rejicit reſponſione illud indignum judicans, ob manifeſtam falſitatem, & quia nihil erat aliud, quàm impotentis iræ maledictum, omni ratione carens, & parùm ad rem faciens. Tungerlarius part. 2. promt. p. 717. 718. quinque recenſet ſilentii ad iſtam calumniam cauſas. *Innocentia & bona conſcientia, optima eſt apologia.* Confer B. Aret. p. 890. & Pelarg, in Joh. f. 97. b.

2. καὶ ἄρνησιν, comprobatam oppoſitione effectorum contrariâ. Oppoſita ſunt, honorare Patrem, & habere dæmonium. Hinc argumentamur:

Quicunq; honorat Patrem cœleſtem, ille dæmonium non habet:
Ego Patrem meum cœleſtem honoro: Ergò dæmonium non habeo.

Hoc unum diſceptationis caput.

II. Secundum agit *de Chriſti doctrina.* Notetur hoc loco.

1. *doctrinæ commendatio.* Deſumitur autem illa,

1. *ab adjunctâ nativa proprietate*, quâ ſuſpicionem ambitionis & privatæ gloriæ removendo, inquit: *Ego non quæro gloriam meam,* h. e. non ſum κενόδοξος, ambitioſus, ut vos de me judicatis. Illuſtratur ἀντιθέτως: ſed honoro Patrem meum, h. e. ea loquor, quibus Patris mei honor in terris promovetur.

2. *Ab effectûs ſingularitate*; morti enim fugandæ verbum ſuum inſervire Chriſtus adfirmat, immò jurejurando conteſtatur. verſ. 51. Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Vide dicti hujus peculiarem ἐξήγησιν apud Tungerl. d. l. pag. 739. ſeqq.

2. *Judæorum contradictio*, quâ Chriſtum arguere conantur,

1. mendacii: Contrarium enim in Abrahamo & Prophetis, jampridem fato functis, conſpiciendum exhiberi. Ita autem per dilemna concludunt:

Aut major eſt Chriſtus Abrahamo & Prophetis, qui tale quid non potuerunt, vel ſibi, vel ſectatoribus ſuis polliceri; aut Chriſtus inepta & falſa loquitur. Non illud; Ergò hoc.

2. Arrogantiæ, quâ ſupra omnes Prophetas, atque ipſum adeò Moſen ſeſe extollere præſumat. Ad utrumque cavillum quid reſponſi datum, ſubſequente jam συῤῥάξεως ſive concer-

certationis capite docebitur, quando à realibus ad personalia, tandem à verbis ad verbera devenient Judæi.

III. Tertium itaque caput *de Christi persona* contendit; ubi

Christus Deus.

1. Christi adsertio attendenda, quâ non ψιλὸν sese ἄνθρωπον, sed verum Deum esse probat testimonio duplici:

1. divino, Patris nimirùm cœlestis, qui honorat Filium testimonium ipsi perhibendo infallibile, quôd γνήσιος & naturalis ejus sit Filius. Matth. 3, 17. & 17, 5.

2. Humano, ipsius nempe Patriarchæ Abrahami.

2. Blasphema divinitatis Christi abnegatio, facta tùm irrisione, tùm lapidatione; quam tamen Christus avertit, inopinatâ corporis sui occultatione, quæ inter specimina illa, quibus carni communicatam majestatem, in ipso infirmitatis statu, nonnunquam emicare sivit, meritò refertur. Theophylactus ita interpretatur: ἀόρατον ἑαυτὸν ἐξουσίᾳ θεϊκῇ καταστήσας, invisibilem sese divinâ potestate reddens. *Non enim* (quæ Augustini sunt verba) *in templi angulo, quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum & columnam divertens, sed cœlica potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit.*

PARS II.

USUS I. Informatorius.

Christianorum verorum & falsorum discrimen.

I. De accurato inter veros falsosque Christianos discrimine. Veri Christiani

1. sunt ex Deo, sc. renati; Joh. 3, 3. 1. Pet. 1, 23.

2. audiunt verbum Dei; Psal. 1, 2. illudque

3. servare contendunt. Rom. 1, 16. Jac. 1, 21. Hinc facilè de falsis Christianis potest fieri judicium: contrariorum enim contrariæ sunt definitiones & proprietates.

Ecclesiæ veræ notæ.

II. Patet inde, quid de γνωρίσμασι sive notis tûm veræ, tùm malignantium Ecclesiæ sit statuendum. Veræ enim Ecclesiæ nota est

1. verbi sinceritas: qui ex Deo est, Verbum Dei audit. Joh. 10, 27. Esa. 8, 20. Luc. 16, 29. Eph. 2, 20. 2. Pet. 1, 19.

2. Sacramentorum integritas. Psal. 111, 3. His

3. adjicitur à quibusdam *obediendi facilitas*, verbo debita. Ecclesia malignantium mendaciis & homicidiis gaudet, immò studet: talis enim diabolus. Joh. 8, 44. Apoc. 13, 6. & 17, 6.

III.

III. De veritate cœlesti intrepidè cum zelo pio propugnanda. In privatis causis & personalibus convitiis patientem quidem & pacificum sese præbere verbi ministrum decet: sed in tuenda Dei gloria, in adserenda veritate, & propugnanda officii dignitate, ne hilum quidem cedere æquum est. Tit.1,9. & 2,15. Act. 15,7. Tit.3,10.11. Matt.5,13. 2.Cor.5,13.14.

Veritas adserenda.

IV. De Divinitate Christi, pro qua confirmanda quinque hoc Evangelio suppetunt argumenta:

Divinitas Christi probatur.

1. *A filiatione*; dicitur enim Filius Dei: unde enim aliàs Deum Patrem suum diceret? Ejusdem ergò cum illo naturæ & essentiæ.
2. *A verbi efficacia:* sermo enim ejus est potentia ad salutem, adversus mortem & interitum. Joh. 6,68.
3. *A firma in Christum fiducia:* quia in ipsum est credendum: Joh. 6,29. & 14,1. quod Judæi facere renuentes graviter reprehenduntur.
4. *A divina potentia:* quia habet vitæ necisque potestatem; aliàs promittere vitam & immortalitatem haut posset.
5. *Ab æternitate*; quia esse dicitur ante Abrahamum, quod contra Neo-Photinianos probè notandum.

V. De multiplici piorum in hoc mundo calamitate, à quo injuriâ illi adficuntur verbali & reali.

VI. De μακροθυμίᾳ & patientia proximo declaranda. Hanc svadeat, immò imperet nobis,

Μακροθυμία & patientia erga proximum.

1. *mandati divini auctoritas*; Rom.12,21. & 15,1. 1. Cor. 6, 4. 6. Gal.6,1.2. Eph.4,2. Col.1,11. & 3,12. Tit.3,2.
2. *Exempli divini claritas:* Exod.34,6. Pſ.103,8. Sap.15,1. Rom. 7,4. Matt.11,29. 2.Pet.3,9.
3. *Mansuetudinis dignitas:* Prov.14,29. & 19,11. Eccl. 7,9.10.
4. *Tolerantiæ necessitas:* Gal.6,1.2.
5. *mansvetudinis utilitas:* Eccl.10,4. Pov.15,19. & 25,14.
6. *divinæ promissionis largitas:* Pſal.37,11. Matth.5,6.
7. *comminationis severitas:* Prov.19,19. Matt.18,34.35.
7. *piorum proprietas:* Num.12,3. 2.Tim.3,10.
9. *præmiorum ubertas:* Vide de his omnibus prolixè disserentem D. Johann. Gerhard. in Schol. piet. part. 4. cap. 20. fol. 282. seqq.

VII. De humanitate in verbis & gestibus exercenda, cujus studium in nobis excitet Dei mandatum & exemplum; Christi factum; virtutis hujus dignitas, utilitas, exemplorum claritas: Et

Humanitas

consistit in salutando, excipiendo, respondendo, docendo, arguendo, consolando, petendo, largiendo, convivando, conversando; Et requiritur in hac virtute, caritas, concordia, prudentia; de quibus omnibus vide d. l. eundem cap. 23 & 24.

IIX. Quòd Verbum Dei sit immotæ veritatis & salutis nostræ basis; quin φάρμακον προφυλακτικὸν contra æternam mortem.

Gloria soli Deo.

IX. De gloria soli Deo debita: conferimus illam Deo,

1. operibus divinis sive bonis studendo: vide D. Bald. p. 291.

2. Dei gloriam vindicando; impietati contradicendo;

3. nos ipsos non laudando. Quomodo Pater Filium suum honoraverit, genus ei humanum donando; prænunciando, clarificando; ad dexteram collocando, Evangelium propagando & conservando, monstrat D. Bald. p. 294. seq.

II. Consolatorius.

Consolationem maximam fidelibus præbet

1. Christi innocentia, quæ veri Messiæ γνώρισμα. Es. 53, 9. Luc. 1, 35. 2. Cor. 5, 21. Heb. 4, 15. & 7, 26. Dan. 9, 24.

2. Christi doctrina, quæ sola morti medetur. Johann. 4, 14. & 11, 25. & 14, 23.

3. Quòd Deus piorum judex & vindex justissimus. Ps. 43, 1. & 135, 10. & 136, 17. Esa. 40, 29. 30. 31.

4. Quòd mors piis non pertimescenda. Rom. 14, 8. Apoc. 2, 11. & 21, 8. & 14, 11. Vide Monrad. thes. p. 297. seq.

III. Monitorius.

1. De ambitione fugienda. Ps. 115, 1. Prov. 27, 2. Rom. 12, 16.

Christianorum sors.

2. De sorte verorum Christianorum, quòd (1) à mundo judicantur & damnantur: Matth. 10, 22. (2) sed illi religionis veritatem defendunt masculè: Sir. 4, 29. (3) omnia a. ad Dei gloriam dirigunt. Apoc. 14, 7. (4) In mortis agone solo verbo nituntur & salvantur, quod facit contra mortem 1. naturalem; 2. Spiritualem; 3. æternalem.

3. De crebris circa articulos fidei in Ecclesia disceptationibus. Luc. 18, 8. 1. Cor. 11, 19.

4. De Christi in vitæ puritate & sanctitate sequela. Vide Monr. thes. p. 295.

5. De verbo Dei diligenter audiendo. Ibid.

6. De

6. De mendacio studiosè devitando, ob divinum mandatum, Dei beneplacitum; Dei exemplum; Christi factum; veritatis encomium; Dei promissum; multiplex commodum; piorum proprium; mendacii vituperium; multiplex damnum; exempla pœnarum &c. consule D. Gerhard. in schol piet. lib. 5. cap. 21. f. 300. seqq. De mendacii per omnes ordines varietate, & modo cavendi, vide cap. 22. f. 317. seq.

Mendacium fugiendum

IV. Refutatorius.

1. Calvinianorum, causas damnationis in absoluto Dei odio quærentium: Christus contrà in verbi sui contemtu.

2. Pontificiorum, qui ajunt, (1) laicos non debere judicare de doctrina. Matth. 7, 15. Johan. 5, 39. 1. Corinth. 2, 15. Philip. 3, 2. 1. Thes. 5, 21. 1. Johann. 4, 1. (2) Sufficere, si credas, quod Papa vel Ecclesia Romano-Papistica credat, aut credendum præcipiat. Joh. 8, 47. 51. & 12, 48. (3) Injuriam sibi fieri, quando dicitur passionem ac mortem Salvatoris nostri Jesu Christi, ratione fructûs maximè salutaris, in Papatu olim fuisse obfuscatam & oppressam; passiones ex adverso & opera sanctorum vitæ æternæ meritoria in immensum deprædicata, idque hodieque fieri totâ die; frustrà sophisticè & extra oleas vagando hoc negante & amoliri conante Tonsore Jesuitico pag. 312. & seq. per integram concionem.

Papismus de laicis: de fide carbonaria: de passionis Christi oppressione.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Iterum semini mulieris Jesu Christo adversus serpentem Paradisiacum & squamas ejus est depugnandum: videbimus itaque qualem sese præstiterit in acerrima isthac, cum impia Judæorum caterva, in templo Hierosolymitano, habita disputatione. Thema nostrum, de quo disseremus, hoc esto:

De vehementi Christi Servatoris cum Judæis σὐῤῥάξει seu conflictu.

Christi cum Judæis disceptatio.

Ἐξήγησις.

Occasionem contentioni præbuit invisa admodum, & auribus Judæorum planè intolerabilis assertio, quâ vanam eorum jactantiam in dubium vocare ausus fuerat Christus, non absque ra-

tione ambigens, utrum γνήσιοι illi sint & Dei & Abrahami, quod plenis buccis jactitabant, filii? Pro adfirmativa Judæi, tanquam pro aris & focis, ad ravim, immò ad sangvinem fermè usque pugnabant; negativam ex adverso Servatore nostro manifestè statuente & defendente. Ostendit enim Judæos, hostes Christi juratissimos, non Dei, sed satanæ esse progeniem; vers. 44. ratione petitâ ab ingenio istiusmodi monstrorum, seu spuriorum filiorum: quod est, mendaciis & homicidio sive sangvine delectari, veritatemque monstratam odiosè sectari.

Ceterùm in tota hac συῤῥάξει ad duo potissimùm capita principalia est respiciendum: (1) ad materiam: (2) ad formam. Materiam velitationis quod spectat, in quatuor quæstionum διασκέψει totius negotii cardo vertitur.

Doctrinæ Christi veritas.

I. Prima est, *de doctrinæ Christi veritate & sinceritate*, utrum vera illa sit an falsa? Priorem ζητήματος partem probat Christus; *1. ab hostium suorum testimonio*; quò intrepidè ille provocat;

2. à doctrinæ suæ principio, quod ad Deum auctorem unicè refertur.

Inserviunt hæc omnia nostræ

1. consolationi: Christus enim ἀναμάρτητος peccatis nostris expiandis est vel maximè idoneus. Vide præced. dispos.

2. Exhortationi, ad verbi divini studium, quod Christianorum est verorum τεκμήριον infallibile. Quisquis enim est ex Deo, verba Dei audit. Sap. 7, 14.

Papistæ concupiscentiam negant esse peccatum.

3. Refutationi Pontificiorum, qui non contenti perfectissimâ Christi sanctitate & innocentiâ, propriam stabilire conantur, nimiùm interim peccatum extenuantes; immò concupiscentias, in renatis reliquas, ex peccatorum, verè ac propriè ita dictorum, censu ac numero planè eximentes. Confer conc. Trid.

Christi opera.

II. Secunda quæstio agit, *de operum & miraculorum Christi majestate.* Ἀφορμὴν quæstioni huic suppeditat blasphema Judæorum criminatio, quâ tàm doctrinam, quàm opera ejus calumniabantur. Quoad doctrinam audire cogitur Samaritanus, h. e. hæreticus: quoad opera, diaboli illa collusioni & συνεργείᾳ adscribuntur. Priore cavillo præterito, posterius falsitatis concinvit Christus, *1. à contrario*; quia honoro Patrem:

2. à Patris testimonio.

Usus horum sic,

1. ἀδιδακτικός, de ingenio hostium Christi; qui vi veritatis in angustias redacti ad convitia sese convertunt. Hostes Christi.

2. παιδευτικός, ut in omnibus nostris studiis solius Dei gloriam unicè attendamus. 1.Cor.10,31. Honoratur ille Gloria Dei soli.

1. *corde contrito*; Psal.51,19. Dan.9,7. Apoc.4,11.

2. *Ore ad confitendum aperto*; Matth.12,34. Rom.10,10.

3. *opere expresso*; Matth.5,16. & 15,8.

4. *patientiâ*. Psal 116,13. Job.1,21.

III. Tertiâ quæstione, *de verbi virtute & efficacitate* contenditur; quam Christus juramento confirmat; Judæi sophisticè calumniantes impugnant. Sciendum autem, mortem esse duplicem: primam seu temporalem, omnibus, iàm piis, quàm impiis communem: & secundam seu æternam, quæ est mors animæ, propria damnatorum. Esa.66,24. Apol.21,8. Verbi vis. Mors duplex.

IV. Quartâ quæstione agitur, *de vera Christi Deitate*. Hanc Judæi, quantum in ipsis, cunctis viribus negabant & pernegabant: Christus verò argumentis aliquot superstruit, quorum Christi Divinitas.

1. *à Patris sui testificatione*;

2. *ab intima ejus cognitione*;

3. *à firma omnium fidelium exspectatione*;

4. *ab æternitatis connotatione* desumitur. Hactenus συῤῥάξεως materia.

Formam quod spectat, in armorum illa contemplatione unicè consistit. Triplici autem Judæi utuntur adversus Christum armorum genere: 1. *calumniâ*; Arma Judæorum.

2. *blasphemiâ*;

3. *violentiâ* confidentes. Simplici contrà Christus contentus verbo, quo solo pugnans, omnes hostium suorum machinationes insidiasque & eludit & evadit. Oremus: *Deus, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta quæsumus, ut plebs tua te largiente temporalibus non destituatur auxiliis, & te servante æternis proficiat institutis, per Jesum Christum Filium tuum dilectum Dominum nostrum. Amen. Amen. Amen.*

NB.

Dispositionem Evangelii, Dominicâ Palmarum prælegi & explicari soliti, quære suprà Dominicâ primâ Adventûs.

IN FESTO PASCHATOS.

EVANGELIUM

Marc. 16. à verſ. 1. ad 9.

Matt. 28,8. Luc. 24, 1. Joh. 20, 1.

1. ΚΑὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου, Μαρία ἡ Μαγδαληνή, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, καὶ Σαλώμη, ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν.

1. ET cùm præteriiſſet ſabbathum Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venirent & ungerent eum.

2. Καὶ λίαν πρωῒ, τῆς μιᾶς σαββάτων, ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου·

2. Et ſummo diluculo diei primi ſabbathorum, veniunt ad monumentum, exorto Sole:

3. Καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτάς· τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου;

3. Dicebantq; inter ſeſe: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?

4. (Καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος·) ἦν γὰρ μέγας σφόδρα.

4. (Et cùm reſpexiſſent, vident lapidem eſſe revolutum:) nam erat magnus valdè.

Matth. 28,1. Joh. 20, 18.

5. Καὶ εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον, εἶδον νεανίσκον καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκήν, καὶ ἐξεθαμβήθησαν.

5. Et ingreſſæ in monumentum, viderunt adoleſcentem ſedentem à dextris, amictum ſtolâ candidâ; & expaverunt.

6. Ὁ δὲ λέγει αὐταῖς· μὴ ἐκθαμβεῖσθε· Ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν Ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον· ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν ὧδε· ἴδε ὁ τόπος ὅπου ἔθηκαν αὐτόν.

6. At ille dicit eis: Ne expaveſcatis: Jeſum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus: ſurrexit, non eſt hîc; ecce locus, ubi poſuerant illum.

7. Ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν· ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, καθὼς εἶπεν ὑμῖν.

7. Sed abite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quòd ille præcedit vos in Galilæam: illic eum videbitis, ſicut dixit vobis.

Matth. 28,8.

8. Καὶ ἐξελθοῦσαι ταχὺ ἔφυγον ἀπὸ τοῦ μνημείου· εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· ἐφοβοῦντο γάρ.

8. Et abeuntes citò fugerunt à monumento: habebat enim illas tremor & ſtupor, neq; cuiquam quicquam dicebant: timebant enim.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæſentis feſtivitatis Evangelium verſatur in genere cauſarum Demonſtrativo, quo laudes & vituperia, res item geſtæ continentur; propter lætiſſimam, de reſurrectione Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Christi glorioſa, hiſtoriam. Nos διέξοδον illius tribus partibus commodiſſimè includi poſſe cenſemus, quarum

I. de piarum quarundam mulierculárum ad ſepulcrum Dominicum peregrinatione:

II. de Angeli in ſepulcro ſedentis adparitione ac concione:

III. de ipſa Domini Reſurrectione, cogitationem inſtituet.

PARS I.

In prima Evangelii prælecti parte obſervationem vel maximè mereri videntur tria.

I. Temporis notatio, quando nimirùm mulierculæ iſtæ, quarum paulò pôſt mentio fiet, profectionem ſuam inſtituerint; idque proponitur

1. *generaliter,* cùm tranſiſſet ſabbathum; magnum nempè illud, primus aliàs ſabbathorum dies dictus, qui à ſepultura Domini erat tertius. Pridie enim ſabbathi magni (nobis eſt dies Veneris, παρασκευῆς Judæis;) circa horam veſpertinam tertiam, vitâ exceſſerat Chriſtus, æternus ille Dei Filius, victima in ara crucis, pro omnibus omnium hominum peccatis, factus; & ante Solis occaſum, ſub veſperam illius diei, ſepulturæ traditus fuit honorificæ; ſequentem verò diem integrum, qui Judæis erat magnum ſabbathum, (nobis Saturni, quem vocant, dies) quievit in ſepulcro, & tertio demum die, ex quo ſc. mortuus & ſepultus fuerat, reſurrexit; poſtquam horas circiter 39. duasque noctes & unum integrum diem in ſepulcro commoratus eſſet, ſupputante D. Calixto p. 516. conc. Evang. Fuit igitur prima dies hebdomadis, ſive prima feria, quam nos Dominicam adpellamus: in Græco eſt μία τῶν σαββάτων; unam autem pro prima, & ſabbatha pro hebdomade accipi inter Hebræos notum eſt. Videatur D. Gerh. in harmon. reſurr. cap. 1. pag. 21.22.23. ubi ὡς ἀκριβέστατα ea omnia, quæ ad tempus ac momentum reſurrectionis Dominicæ ſpectant, enucleavit, remotis ἀντιλογίαις φαινομέναις. Confer quæ pag. 39.40. habentur.

Sabbathum magnum.

Dies Dominica.

2. ſpe-

2. *Specialiùs* adhuc tempus diei exprimitur per verba; *& valdè manè, orto vel exorto jam Sole,* postquam itineri nempè sese mulieres adcinxissent, tenebris adhuc sub crepusculum existentibus. Vox ἀνατείλαντος, uti annotat D. Gerhard. pag. 26. est temporis indefiniti: ergò non rectè exponitur, sole jam orto, sed intelligitur Sol ortui proximus fuisse. Lyranus: orto Sole i. e. ad ortum jam adpropinquante. Sol enim intelligitur dupliciter oriri; uno modo perfectè, quando primò egreditur & adparet super terram; alio modo lux incipit apparere, sc. in aurora, & sic accipitur hic ortus Solis: ibid. p. 27. Ita enim ortus erat Sol secundum Marcum, ut profundum adhuc secundum Lucam esset mane, & tenebrarum etiam dum notabiles, secundum Johannem, reliquiæ superessent. Post mediam enim noctem Sol adscendere incipit, ad horizontem propriùs accedens, ita ut lucescat quidem, albescente cœlo, tenebræ tamen nondum planè sint repulsæ. Ceterùm ipsum resurrectionis momentum quod spectat, in eo variant Doctores, tàm veteris, quàm recentioris Ecclesiæ. Hieronymus noctu, sub galli cantum; August. lib. 4. cap. 6. de Trinit. sub diluculum circa Solis ortum evenisse statuit, quem modernorum plerique sectantur. D. Gerhard. pag. 45. habet, vel paulò ante Solis ortum, vel cum ipso Sole. Conciliationem Matthæi cum Marco habet idem p. 26. Confer D. Pelarg. qu. in Matth. f. 256. 260. 261. Hoc unum.

Sol oritur dupliciter.

Resurrectionis Christi momentum.

II. Personarum peregrinantium consideratio. Nominantur enim in specie.

1. Maria Magdalene, prima quasi, uti videtur, dux instituti adeo pii & generosi, atque ita, uti Poëta loquitur, *dux fœmina facti.* Nomen habet à vico Galilææ Magdala, Matth. 15, 39. in eo enim adhuc domum Mariæ Magdalenæ monstrari referunt illi, qui terram sanctam perlustrârunt. Utrum fuerit Maria Magdalena peccatrix illa notoria, cujus Luc. 7, 47. fit mentio; an Lazari soror; fundamento carere non absque ratione censet D. Gerh. d. l. pag. 16. ubi videat, qui volet, plura. Adde quæ habet Dn. D. Chemnit. in harm. Evang. cap. 58. pag. 997.

Magdalena

2. Maria Jacobi minoris (& Joses) mater; hos enim filios ex Alphæo ipsa susceperat. Dicitur etiam Maria Cleophæ, Joh. 19. 25. quippe cui defuncto priore marito nupserat, & perhibetur Josephi frater. Soror vocatur Mariæ ἀειπαρθένου καὶ θεοτόκου, vel quia uterina ejus fuit, unde Jacobus dicitur frater Domini: Gal. 1. 19. more

more Hebræorum, qui omnes consobrinos dicunt fratres; vel quia proxima ejusdem cognata fuit.

3. Salome, nupta Zebedæo, Jacobi majoris & Johannis Evangelistæ mater, Josephi, ut putatur soror. Hoc alterum. Vide D.Gerhard. de his personis differentem. p. 16.17.18. ubi quæstioni quoque respondet de Maria matre Domini, utrum illa abfuerit, reliquis mulierculis ad sepulcrum abeuntibus; & concedit in partem adfirmantem, abfuisse illam statuens.

Maria utrũ ad sepulcrũ venerit.

III. *Facti ipsius descriptio*, κατὰ μερισμὸν instituta. Significanter enim exprimitur

1. *aromatum emtio.* Lucas cap. 23, 56. conjungit ἀρώματα καὶ μύρα, h.e. aromata & ungventa, sc. quæ ex aromatibus die parasceves emtis, exacto sabbatho confecerant. Additur simul finis, aromatum comparatorum, ut venirent & ungerent Jesum, h.e. corpus sepulturæ traditum. Fuit enim in populo Israëlitico usitatum, corpora defunctorum preciosis aromatibus, à corruptione eadem diu conservantibus, ungere; Gen. 50, 2. qui ritus fuit testimonium fidei & confessionis de resurrectione corporum. D.Gerh. p. 19.

Unctio mortuorum.

2. *Monumenti accessio*, facta studio unanimi, & celeritate facti laudabili: *nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, cujus unius instinctu opus adeò pium, sanctum ac honorarium adgressæ fuerant mulieres.

3. *Manifesta pietatis seu gratitudinis declaratio.* Studio namque pietatis erga Christum etiam defunctum veniunt mulieres uncturæ pro more gentis corpus Dominicum. Quæritur hîc,

1. Cur unctio non ipso parasceves die peracta, cùm corpus Dominicum sepulcro committeretur? Resp. Vel quòd propter metum Pontificum, Sacerdotum & Judæorum, tantum facinus eo tempore adgredi non ausæ fuerint mulierculæ: Vel quòd in illa temporis angustia non potuerint exactè ungventa parari.

2. Videtur superfluum hoc opus, à Josepho enim & Nicodemo unctum jam pridem fuerat corpus Domini? Cur actum agunt? Resp. Quidam putant, ipsas ignaras fuisse istius unctionis: sed rectiùs tribuitur hoc officium fervori caritatis, in cordibus earum accensæ: & præterea Josephi ac Nicodemi unctio fuit rudior & extemporanea, mulieres verò accuratiorem ac sumtuosiorem meditantur; quia præter ungventa liquida, in hoc casu aliàs usitata, pretiosa etiam aromata secum attulerunt. Erant enim in re satis lauta. Luc. 8, 3. Aromata ista confecta censet Schindl. in Lex.

pentagl. sub R. טחנ, ex myrrha, aloë, cedromelle, sale, cera, bitumine & resina: item ex cassia & balsamo, quod addit Cœl. Rhod. lib. 6. cap. 19. Confer D. Theod. p. 6.

4. *Anxia mulierum consultatio.* Egressæ enim illæ de nulla re alia adeò sunt solicitæ, quàm de lapide ab ostio monumenti revolvendo. Sciebant & viderant ipsæ, ostium sepulcri saxo ingentis magnitudinis advoluto, esse obstructum; dicebant itaque, h.e. consultabant inter sese, quem nanciscantur, qui saxo remoto ingressum in sepulcrum ipsis patefaciat. De custodibus & sigillo nihil quicquam illis constabat: quoad isthoc ergò obstaculum planè erant ἀμέριμνοι.

Amplificatur eventu rei ἀπροσδοκήτω, eoque gemino. Nam 1. simul ac ad sepulcrum veniunt, lapidem devolutum deprehendunt; quod per Angelum Domini, in terræ motu cœlitùs delapsum, factum fuisse Matthæus commemorat. cap. 28, 2. Revolutus autem fuit lapis, non propter ipsum Christi resurrectionem, quæ jamdum in terræ motu facta fuerat; sed propter resurrectionis manifestationem; unde pii veteres unanimi consensu statuunt, clauso adhuc sepulcro Christum divinâ potentiâ resurrexisse, ait D. Gerh. in harm. resurr. p. 34. & post pauca addit: Non indiguit in resurrectione auxilio Angelorum, qui propria virtute claustra dissipavit inferorum. Confer D. Pelarg. in Matth. fol. 262.

Christus resurrexit sepulcro clauso.

2. Propiùs accedentes ad sepulcrum intuitæ, quem quærebant, minimè inveniunt.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Pietatis exemplum.

I. Exemplum pietatis insigne mulierculæ exhibent, nostratibus studiosè imitandum. 1. Tim. 2, 9. Tit. 2, 5. 1. Pet. 3, 1. 2. 4. Vide D. Theodor. in anal. Evang. part. 2. pag. 7.

II. Cum Pontificiis ad sepulcrum Dominicum ex κακοζηλίᾳ & superstitione proficisci nobis integrum non est. Deut. 30, 12. Rom. 10, 6. Matth. 15, 9. Vide Dominic. 1. post Epiphan. D. Gerhard. pag. 30.

Peregrinatio ad sepulcrū Domini.

III. Verus peregrinandi ad sepulcrum Domini modus consistit

1. *in religiosa sabbathi observatione;*
2. *in ungventi præparatione;* intelligitur autem ungventum gratiæ, misericordiæ & concordiæ;

3. in lapidis revolutione, qui est vel iniquitatis, vel paupertatis, vel infirmitatis, vel alterius calamitatis.

IV. Christus in mundum venit propter miseros peccatores. Matth.9,14. & 11,28. Luc.19,10. 1. Tim.1,15.

V. Corpora defunctorum honorificè tractari, inungi & sepeliri debent, exemplo piorum quorumvis; in testimonium fidei de resurrectione mortuorum certò subsecutura. Exempla passim sunt obvia. Gen.23,19. & 35,29. & 50,6. Tob.12,12. 2 Sam.2,5. Joh.11,21 Vide D.Theodoric.part.2. pag.7.8.

Corpora defunctorũ honorificè tractanda.

VI. Libera fidei cõfessio non est opus humanarum virium, ut patet ex discipulis delitescentibus, & mulierculis masculè progredientibus. Phil.1,29. Matth.10,19.20.32. Eph.2,8. Joh.6,29. Gal.3,28.

Fidei confessio.

VII. Pii non semper eodem animi ac Spiritûs robore sunt prædiri; ideoq; infirmi in fide non abjiciẽdi. Rom.14,1.2.2. Cor.12,9

IIX. Fœminæ æquè per Christum sunt redemtæ ac viri. 1. Timot.2,6.15. 1. Pet.3,7.

Mulieres etiam redemtæ.

IX. In regno enim Christi nullus est personarum respectus. Act.10,34. Gal.3,28. 1. Tim.2,9.

X. Colloquium muliercularum de lapide revolvendo, arguit fidei imbecillitatem, judiciique quandam infirmitatem. Luc. 24,11. 1. Cor.2,14. Esa.42,3.

XI. Lapis non ideò est remotus, ut Christus resurgere posset. Resurrexit enim Dominus, lapide adhuc super sepulcrum posito, ait Theophyl. in Matth. f. mihi 49.

XII. Virtutes mulierum imitatione vel maximè dignæ sunt,

Mulierum virtutes.

1. *caritas*: Pro.17,17.
2. *liberalitas*;
3. *religiositas*;
4. *magnanimitas*;
5. *sedulitas*;
6. *unanimitas*. Vide D.Gerh.harm. resurr.pag.29.30.

XIII. Placent Deo nostra opera, si ex fide & amore erga Christum proficiscantur, quamvis multis adhuc infirmitatibus laborent, quas Deus propter Christum benignè ignoscit. Luc.2,8.

Opera ut placeant.

XIV. Sabbathum monet de quiete triplici:

Christus quievit tripliciter.

1. quievit sanctissima ejus anima in manibus Patris cœlestis, cui in cruce eam commendaverat: Luc 23,46.
2. quievit corpus, soluto naturali animæ corporisq; vinculo in sepulcro; Ps.16,8. Act.2,26.

3. ἡσυχάζετο λόγος, quievit Verbum in passione, morte & sepultura, non exerens vim suam adversus hostes.

Sabbatum triplex.

XV. Triplici hac Christi quiete, triplex nobis parta quies; 1. ut Deus in cordibus nostris sabbathum celebret, postquam per mortem Filii sumus reconciliati: Rom.5,1.10.

2. ut corpora nostra in sepulcris suaviter quiescant: Sap.3,1. Apoc.14,13. Esa.26,20.

3. ut tandem sabbathum ex sabbatho agamus. Esa.66,23. Heb.4,5. Vide D. Gerh.p.38.39.

XVI. Tempus & locus resurrectionis Dominicæ quid moneat, eruditè & copiosè edisserit D.Theod pag 15. & seqq. usque ad 26. ubi simul addit, quid modus doceat p. 26. & seq.

PARS II.

Sequitur jam secunda Evangelii pars, tria continens membra:

I. *Ipsam ἀγγελοφάνειαν sive angelicam adparitionem* habet. Mulieres enim ingressæ in monumentum conspiciunt Angelum, qui describitur,

Angeli Juvenes.

1. *à forma venustate:* qui Matthæo Angelus, Marco dicitur juvenis. Causam nominis adsignat Dionysius, de cœlesti hierarch. cap.15. Angeli, inquiens, specie juvenum adparere solent, ut significetur eorum nunquam senescens, & semper vigens vis vitalis & immortalitas.

2. *A situs qualitate*; stare est pugnantis, sedere regnantis.

Albus color in Angelis.

3. *A vestitûs seu habitûs speciositate*; amictus enim perhibetur stola candida; qui color puritatem & integritatem naturæ Angelicæ exprimit; claritatem item corporis, quam Christus post resurrectionem obtinet; notat etiam gloriam, quam Christus sua nobis resurrectione promeruit. Apoc.4,4. & 6,11. & 7, 13. Matth.17,2. Marc.9,3. Luc.9,29. Matth 13,43. στολὴ sive stola erat vestis genus promissæ, Medisq; propriæ; unde alibi pro veste usurpatur sacerdotali. Marc.12,38. Luc.20,46. Matthæus ait: Adspectus ejus erat ut fulgur, & vestis ut nix; nempè speciem humanâ illustriorem præ se ferre eum oportuit, ut Angelus esse cognosceretur, & cœlesti authoritate fidem resurrectioni Domini faceret. Quòd verò à dextris in sepulcro sedet, symbolum est felicitatis illius, quòd Christus à labore ad requiem venerat, uti & cœlestis gloriæ, ad quam per resurrectionem intraverat. Psl.16,11. Vide in hanc sententiam plura apud D.Gerh.p.136.

στόλη.

4. *Effectus singularitate*, in mulieribus nimirum, ad istam tàm splendidam Angeli adparitionem expavescentibus: ἐξεθαμβήθησαν, inquit Marcus: θαμβεῖν significat, pavore attonito obstupescere, admiratione attonitâ stupere; quam significationem auget præpositio, ut sit ἐκθαμβεῖσθαι, toto corpore & animo cohorrescere, sicut in subita consternatione aut accessu horrorum febrilium fieri solet. Marc.14,33. Act.3,11.

θαμβεῖν. ἐκθαμβεῖσθαι.

II. ὁμιλίαν, *sive angelicam concionem*, quæ quatuor constat partibus:

1. *Exordio*, veluti occasione concionis, quam suppeditat mulierum, ad conspectum Angelorum trepidantium, pavor.

2. *Propositione*, & quidem παραμυθητικῇ, consolatoria, per timoris prohibitionem: Ne expavescatis, nolite timere; omnem hoc dicto non solùm stuporem & pavorem, sed etiam motum inanem animis excedere jubens. Matthæus cap.28,5. Significanter addit pronomen vos; μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς; ne timeatis vos: q.d. Custodes quidem sepulcri & alii impii, hostes crucifixi Jesu, causam habent timendi, expavescendi & fugiendi, cùm resurrectionem Christi prohibere vel impedire voluerint; vos autem, qui pristinum ipsius amorem tenetis, qui ipsum quæsitum & unctum venistis, omnem procul hinc expellite timorem.

3. *Confirmatione*, quæ resurrectionis Dominicæ veritatem adstruit ac demonstrat. Probat autem illam Angelus dupliciter:

Resurrectio Christi demonstratio.

1. ἀτέχνως, *testimonium suum infallibile producendo*, quippe Spiritus in veritate confirmatus.

2. ἐντέχνως, *tùm instituti vanitatem ostendendo*; quæritis Jesum Nazarenum, crucifixum & consequenter mortuum; is surrexit: Mentione crucifixionis (D Gerhardus ait. p. 139. harm.) gloriam resurrectionis amplificat, & tacitæ objectioni occurrit. Scio (non solùm ex revelatione divini luminis, sed propriâ etiam intellectûs sagacitate, & ex signis quoque externis:) quòd tristissima species pendentis in cruce fidem resurrectionis apud vos impediat; sed sciatis, ex eo gloriam ipsius magis adparere, quòd qui crucifixus est ex infirmitate, resurrexit in virtute: *tùm ad αὐτοψίαν h. e. monumentum inane & vacuum provocando*: non est hic: ecce locus, vacuus sc. & inanis, ubi corpus Dominicum positum erat. Cæterùm quando Angelus dicit, Surrexit Jesus Nazarenus crucifixus, propriâ ipsum virtute & potentiâ surrexisse innuit: Joh.2,19. & 10,18. sed non exclusâ cooperatione Patris & Spiritûs

Resurrectio Christi opus ad extra.

Sancti; quia opera Dei ad extra sunt indivisa: Rom. 6, 4. Eph. 5, 20. 2. Cor. 13, 4. quando verò dicit non est hic, intellige ita, ut vos eum quæritis, inter mortuos, qui ungi possit: ubi non negatur præsentia corporis Christi gratiosa, ex unione personali promanans; Matth. 18, 20. Eph. 4, 10. Apoc. 1, 13. sed tantùm naturalis, localis seu visibilis omnibus hominibus communis. Ita ergò colligit Angelus:

Quicunq; surrexit vivus, vacuo post se relicto sepulcro, is frustrà inter mortuos quæritur:

Jesus Nazarenus nudius tertius crucifixus, surrexit vivus vacuo post se relicto sepulcro:

Ergò frustrà inter mortuos quæritur, h. e. verè resurrexit.

4. *Conclusione ἐπιτακτικῇ* sive mandatoriâ. Mandatum est geminum:

1. *Unum de resurrectione Christi* discipulis consternatis, & cumprimis Petro *annuncianda*. Mulierculæ quidem intentæ erant, ait D. Gerhard. p. 140. in sepulcrum vacuum; sed Angelus ablegat eos ad discipulos Christi, ut resurrectionem ejus ipsis nuncient. Quia enim fructus resurrectionis distribuuntur per verbi prædicationem; ideò hæ mulieres jubentur nuncium de resurrectione aliis prædicare. Quod autem Petri nomen specialiter exprimitur, id probè notandum; Petrus præ ceteris graviùs peccaverat: erat non solùm Christi desertor, sed etiam abnegator, inde majori consolatione egebat: quapropter Angelus hoc loco resurrectionis nuncium ipsi protinùs adferri jubet; & Christus ipse peculiariter eidem postmodum adparet.

Petro resurrectio nunciatur.

2. *Alterum de Domino in Galilæa quærendo & inveniendo.* Prædicit enim Angelus mulieribus, ex Galilæa Christum secutis, quòd antequam domum redeant, Christus ipsas eò præcessurus, sequè ibidem manifestaturus sit; *προάγειν* est antevertere veniendo. Addit verbum promissionis, *καθὼς εἶπεν ὑμῖν*, sicut dixit vobis, puta Matth. 26, 32. Marc. 14, 28. Sermo est de solemni illa & publica adparitione, quâ Christus omnibus discipulis in monte quodam Galilææ sese revelavit. Matth. 28, 16. 1. Corinth. 15, 6.

προάγειν.

III. Tertium membrum commemorat *τὰ ἐκβάντα tùm visionis, tùm concionis angelicæ*; talia sunt

1. *mulierum trepidatio*; &

2. *mandati exsecutio.* Subitaneo nimirùm ac celeri suo è monumento egressu, & animi consternationem produnt, & obedi-

dientiam erga mandatum debitam declarant. Illustratur,

1. τρόπῳ, quòd fugiendo, h. e. festinatione summâ rem commissam expedierint:
2. αἰτίῳ, causæ adsignatione, ocyùs currebant mulieres, pavore simul & lætitiâ animos earum pertentantibus.
3. Effectu, qui consternationem istam comitari solet; nemini quidquam inter eundum dicunt, quia timebant, & animum tàm subitò recolligere nequibant.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. De promto Angelorum in salutis nostræ mysteriis expediundis ministerio. Heb.1,14. Luc.1,31. & 2,9. & 22,43. Marc.16,6. Act.1,11. 2.Pet.1,11. Rom.4,25. *Angelorũ ministeriũ*

II. Nulla est inter sanctos Evangelistas ἀντιλογία, modò duos, modò unum duntaxat Angelum nominantes. Nam Marcus illius tantùm mentionem facit, qui cum mulieribus locutus est. Vide D.Hunn.comment.in Matt.D.Calixt. p.523. D. Gerhard.pag. 135. scribit, Angelos sex post resurrectionem Christi adparuisse; unus revolvit lapidem à sepulcro & terruit custodes; duo adparuerunt mulieribus Christum uncturis; duo alii adparent Mariæ Magdalenæ; tandem alius adparet mulieribus, ad sepulcrum reversis, quibus dubio procul adfuit totus militiæ cœlestis exercitus, Christo resurgenti ministerium & obsequium præstans.

III. Angelicæ naturæ majestas hominum oculis & auribus intolerabilis. Dan.10,13. Luc.2,9. 1.Cor.15,58. Apoc.7,9.

IV. Mulieres perterritæ exemplum humanæ infirmitatis manifestissimum præbent. Hebr.12,23. Matth.22,30.

V. Deus in confirmandis articulis fidei jam non amplius Angelorum, sed hominum ministerio utitur; quia *Deus non per Angelos sed homines agit.*

1. infirmitas nostra non potest Angelorum conspectum ferre;
2. nostræ inservit consolationi, ut audientes illos, qui ejusdem nobiscum sunt naturæ ac conditionis, magis erigamur;
3. vult Deus omnibus patere accessum ad doctrinam cœlestem in verbi ministerio, nec peculiares revelationes per Angelos quæri; Rom.10,6.

4. vult

4. vult etiam Deus omnem sibi gloriam reservari:
5. vult hominum erga se invicem humilitatem, obedientiam ac reverentiam probatam reddi. Vide plura in harm. resurr. D. Gerh. pag. 71, 72.

Christi praesentia.

VI. Ex verbis Angeli, non est hîc, surrexit, malè omnipraesentia Christi secundum carnem negatur. Distingvendum enim est inter modum praesentiae naturalem vel localem, & supernaturalem illum personalem. Ephes. 4, 10. Matt. 18, 10. & 28, 20. Apoc. 1, 13. D. Theodoric. p. 46.

Christus & Patris & propriâ virtute surrexit.

VII. Christus rectè dicitur & propriâ virtute resurrexisse: Johann. 2, 19. & 5, 26. & 10, 18. & 11, 25. & virtute Patris. Romano. 6, 4. Ephes. 1, 20. 2. Corinth. 1, 4. Virtus enim exsuscitandi mortuos communis quidem est omnibus S. S. Trinitatis Personis, secundum regulam: opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: sed tamen propriam quoque virtutem in hac officii parte exseruit Christus, non, quòd caro ejus, quae tum in sepulcro exsistens, potentiâ vivificandi, quoad actum secundum, profundissimè sese exinaniverat, ad sui ipsius resuscitationem efficaciter operando concurrerit; sed quòd haec virtus ac potentia divinae quidem Naturae esset propria, realiter autem communicata adsumtae Humanitati; quae etsi quoad carnem, non tamen quoad animam, ab actione ista debet excludi. Verba sunt Dn. D. Hütteri disput. 10. super A. C. pag. 326. 327.

Regni Christi initia.

IIX. Initia regni Christi admodum sunt exigua. 1. Corinr. 1, 27. 28. 29. Vide D. Theod. pag. 47.

Mulieres testes primi resurrectionis.

IX. Christus resurrectionis suae testes primos sibi elegit foeminas, ut sexûs quoque foeminei dignitatem ostenderet & commendaret. Act 10, 35. Gal. 3, 28. 1. Petr. 3, 7. Vide D. Gerh. p. 76. 77.

X. Angeli ibi adsunt, ubi tractatur Verbum Dei; quia h. l. commonefaciunt mulieres concionis à Christo habitae 1. Corinth. 11, 10.

XI. Angeli revocant homines ad verbum; diabolus verò abducit eos à verbo. Gen. 3, 2. Vide D. Gerh. pag. 72.

Gloria Christi.

XII. De gloria, ad quam Christus per resurrectionem & post eam est evectus. Joh 11, 25. & 14, 19. 1. Pet. 1, 3.

Angelicae adparitiones.

XIII. Adparitiones angelicae in eo à diabolicis distingvuntur, quòd Angeli praefractos terreant, ut humilientur & gratiam quaerant: territos verò solentur, & de gratia certos reddant: Gen. 21. 17. Jud.

Jud. 6,23. Luc.1,13. & 2,10. diabolus contrà securos soletur, ac tristes magis excruciet: idem faciant Angeli Ecclesiastici.

XIV. Fructus resurrectionis Dominicæ ad pavidas, contritas ac territas conscientias cumprimis spectat.

XV. Christum quilibet nostrûm ibi quærat, ubi sui promisit manifestationem, sc. in verbo. Joh.14,21.

XVI. De fructibus resurrectionis Dominicæ commodè hoc loco disseritur. Fructûs isti sunt duplices: Doctores vocant gratias privativas & positivas. Illarum in censum veniunt;

Resurrectionis Christi fructûs.

1. *peccatorum expiatio*, vel obsignatio: Rom.4,25. & 8,1. 1. Cor. 15,17 Ose.13,14. Mich.7,20. Heb.2,15.
2. *diaboli devictio*: Gen.3,15. 1.Joh.3,8. Col. 2,15. Apoc.12,9.
3. *inferni destructio*: Os.13,14. Zach.9,11. Esa.49,25.
4. *mortis abolitio*, inque somnum dulcissimum conversio. Os. 13,14. 2.Tim.1,10. Joh.11,11.

Harum in numero sunt;

1. *justitiæ acquisitio*; Rom.4,23. & 5,21. & 8,34. Esa.32,17.
2. *pacis restitutio*, de qua alius erit dicendi locus:
3. *vitæ emendatio*, Rom.6,4.5. 2.Cor.5,15. Col.3,1.
4. *corporum nostrorum resuscitatio*. Eph.5,30. 1.Cor.15,12. Joh. 17,22. &c.

XVII. Longanimitatis & bonitatis divinæ erga peccatores resipiscentes argumentum habemus in Apostolo Petro. Matt.11,28. 1.Tim.1,15. Vide de hoc argumento copiosè disserentem Dn. D. Theod. pag. 47.48.49.50.51.

Longanimitas & bonitas Dei.

XIIX. Errant Pontificii, ex verbis Angeli, resurrectionem Christi seorsim Petro denunciari jubentis, primatum ejus aliquem significari & confirmari somniantes. ψεῦδος ὡς αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον. Vera causa erat, quia Petrus præ reliquis Apostolis atrociùs peccaverat, atque inde tristiori ac perturbatiori erat animo; singulari itaque etiam præ aliis consolatione opus habebat. Cui sententiæ adstipulatur Theophylactus, in Marcum fol. 76. ita scribens: Petrum ab aliis discipulis ut præcipuum segregat, ac ob excellentiam, (ratione scil. ordinis & honoris, cujus respectu præeminentiam illi aliquam libenter concedimus) nominat illum præ aliis; vel quia negaverat Petrus: si venissent mulieres & dixissent, quod præceptum esset eis, ut annunciarent discipulis; dixisset Petrus: Ego negavi eum, jam non sum ejus discipulus, abjecit igitur me, abominatus est me: Illius igitur gratiâ adponit: & Petro: ut ne offendatur Petrus, quòd ipse non meruerit verbum, utpote qui negârit, & pro-

Petri primatus nullus.

pterea indignus, qui aliis discipulis connumeretur. Hæc ille. Confer D. Gerh. in harm. resurr. pag. 140. 141.

PARS III.

Resurrectionis Christi probatio.

Ea verò unicè est occupata in articulo, festivitatis præsentis proprio, firmis Scripturarum fundamentis stabiliendo. Porrò resurrectionis Dominicæ veritas probatur quintupliciter:

I. Ex Prophetarum V. T. prædictione. Huc refer oracula Spiritûs Sancti, quæ hac de materia passim exstant, tùm explicitè in vaticiniis, tùm implicitè in typis. Gen. 3, 15. Psal. 8, 6. & 16, 10. & 110, 7. & 118, 17. Esa. 25, 7. & 53, 8. 11. Ose. 6, 2. & 13, 14. Mich. 2, 12. 13. Jon. 2, 11. Jud. 14, 6. & 15, 15. 16. & 16, 3. Gen. 2, 21. &c.

II. Ex temporis observatione; facta nim. illa die tertia, secundum ipsissimum Salvatoris nostri præsagium. Vaticinatus enim ipse fuit de sua resurrectione, partim *tectè*; Joh. 2, 20. & 16, 16. Matt. 12, 40. partim *apertè*. Matt. 16, 21. & 17, 9. Marc. 14, 28. Luc. 18, 33. Tertiâ autem die Christum resurrexisse

Christus tertiâ die resurrexit.

1. *Scripturæ testimoniis* docetur:
2. *typis* præfiguratur:
3. *Ecclesiæ suffragiis* comprobatur. Cur præcisè tertia die, ostendit D. Theodor. pag. 17. 18. 19. 20.

III. Ex miraculorum coacervatione. Terra enim resurgente Domino Jesu movetur; & Angelus è cœlo descendens lapidem revolvit, uti habet Matth. 28, 2. Christus verò clauso adhuc & obsignato sepulcro resurgit, &c. Vide ib. p. 26.

IV. Ex fideli testium ἀξιοπίστων relatione. In testimonium enim rei prodeunt

1. Angeli numero sex;
2. duo discipuli, Petrus & Johannes;
3. mortui cum Christo vivi resurgentes, & multis hinc inde adparentes; Matth. 27, 53.
4. mulieres religiosæ;
5. milites, sepulcri custodes; Confer D. Theodor. pag. 10. 11.
6. quibus adde Apostolorum ea de re habitas conciones, & Evangelistarum cumprimis testificationes; de quibus vide Dn. D. Theodor. p. 12. 13.

V. Ex multiplici Christi adparitione, partim post ipsam statim resurrectionem, partim post adscensionem facta. Act. 2, 32. & 4, 10. & 10, 40. & 13, 30. & 17, 3. Confer D. Theod. pag. 12. Augustinus decem φανερώσεις sive adparitiones recenset, lib. 3. de consens. Evangelist.

list. sub finem. Hæc verò omnia, passim copiosiùs deducta, fidei nostræ roborandæ plurimùm inserviunt. Resurrexisse enim Christum perfrictâ olim fronte cum adseclis suis negavit satanæ ille primogenitus Cerinthus, suo tamen tempore illum resurrecturum impiè ac blasphemè statuens. Augustinus rectè: quod præcessit in capite, hoc sequetur in corpore, & omnibus ejus membris. Rom. 8,11. Qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia nostra corpora. Largiatur hanc nobis gratiam ter-benedicta Trinitas. Amen!

Cerinthus.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

PRæsentis festivitatis solemnitati nostro quoque loco nos facturi satis, duo nobis κεφάλαια, in quibus Evangelii prælecti cardo versatur, expediunda proponimus, dicturi,

I. de ipsa Domini Jesu Christi resurrectione victoriosa;
II. de resurrectionis istius manifestatione gloriosa.

PARS I.

Christum passum & mortuum etiam pagani & inimici ejus credunt; Christum autem resurrexisse, propria est Christianorum fides. August. lib. 17. contra Faust. cap. 29. Firmis itaque fundamentis articulum isthunc superstrui necessum est, ne animus in tentationibus, mortisque adeò ipsius insultu deficiat. Sancti ergò historiæ Evangelicæ scriptores perutilem & admodum necessariam nobis impendere operam, docentes resurrexisse passum, crucifixum, mortuum & sepultum Christum,

Resurrectionis Christi modus.

1. satis maturè, λίαν πρωῒ, uti Marcus habet: orto jam Sole naturæ, è sepulcro vivus prodiit Sol justitiæ. Reliquas circumstantias pete ex præced. dispos. & consule D. Calixt. p. 519. 520.

2. Verè. Nullus hîc præstigiis locus; nullis fabulis anilibus. Scimus Christum resurrexisse à mortuis verè; testimonium nempè veritati perhibente cœlo & terra. Patet enim rei veritas

1. ex Angelorum veriloquio: satanas est spiritus mendax: Joh. 8,44. Angeli verò sunt Spiritus veritatis, in qua steterunt & confirmati sunt. Hinc prima de resurrectione Christi concio ab Angelo habita; sicut etiam in nativitate & adscensione ejus Angeli concionabantur. Voluit autem

Resurrectio Christi probatur.

Christus cœleste & angelicum resurrectionis suæ testimonium habere, ut fides illius esset confirmatior.

2. Ex hominum testimonio. Testimonium enim resurrectioni Christi perhibuêre, tùm amici, tùm inimici. *Amicorum* nomine veniunt mulieres, unctum corpus Domini venientes: sancti redivivi: B. Apostoli, partim vivâ voce; Act. 2, 24 & 3, 15. & 4, 10. & 10, 40. 41. Luc. 24, 47. partim scriptis, ex quibus quàm plurima possent produci testimonia; partim miraculis; partim sangvine ac morte suâ, testimonium reddentes resurrectioni Domini Jesu. Act. 4, 33. *Inimicos* intelligimus, tùm Pharisæos, Pontifices & Scribas, à resurrectione Domini non parùm sibi suæque causæ metuentes, magno itaque illam studio, quantum in se, impedire laborantes. Matth. 27, 62. seqq. tùm Romanos milites, ad sepulcri custodiam destinatos. Confer D. Joh. Gerh. de hac custodia in testimonium resurrectionis adhibita, pag. 148. 150. 158.

3. Ex adparitionum variarum indicio, de quibus Evangelica consulatur historia; & post eam D. Gerh. harm. p. 488.

4. Ex signorum externorum suffragio; sepulcro nimirùm vacuo, linteaminibus, sudario, saxo revoluto, & quæ prætereà veritatis documenta infallibilia sacri referunt historici.

3. Miraculosè. Quemadmodum enim ab intacta virgine: Ita ex clauso & non reserato prodire voluit sepulcro, uti D. Athanasius loquitur. Apage sis cum ineptiis, ne quid gravius dicam, Calvinisticis, de lapide per Angelum ideò remoto, ut transitum præberet resurgenti mortis Orcique Victori; de lapide quodammodò liquefacto &c. Verè (etsi miraculo res non caruerit) glorificatum & clarificatum Domini corpus, per clausum atque obsignatum transiit monumentum; idque probat,

Christus corpore suo transiit sepulcrum clausum.

1. ipsa lapidis revolutio, in eum solummodò finem facta, ut devoluto lapide accessum haberent mulieres ad sepulcrum. Theophyl. Aliàs quomodo de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus, salva virginitate, processit, ait August. Χρισὸς ἀνέστη τάφου κεκλεισμένου; Christus resurrexit sepulcro clauso. Nazianz.

2. Angeli sessio, quæ omnibus jam infirmitatibus Christum vacuum, ad dextram virtutis Dei sedere, certissimo nobis est argumento. Nam stare pugnantis est, sedere regnantis. Beda.

3. Cor

3. *Corporis resuscitati clarificatio*; cujus ea post resurrectionem est conditio, ut ne solida quidem corpora ipsi obsistere valeant. Nullis enim ampliùs, post depositam servi formam, θνητοῖς ἀδυναμίαις, mortalibus hujus vitæ infirmitatibus, ac ne communibus quidem naturæ legibus Caro Dominica est subjecta: experimentum rei tempore diei novissimi in nostris ipsorum corporibus aliquando sumus habituri. 1. Cor.15,43.

4. *Prophetice*. Quia enim rationi absona videtur corporis verè demortui resurrectio, etiam in V.T. articulum isthunc Deus innotescere voluit. Locutus ergò est Spiritus Sanctus de Christi à mortuis resurrectione,

Resurrectio Christi in V. T. prædicta dupliciter.

1. ῥητῶς, per expressa vaticinia: Gen.3,15. & 12,3. & 18,18. & 22,18. (benedictioni locus non est, nisi ubi maledictio est sublata, qui insignis est resurrectionis Christi effectus:) Esaiæ 11,10. & 53,8.11. Ose.6,2. & 13,14. Mich. 2,12. Zach.9,11. Psal.8,6. & 16,10. & 22,23. & 68,1. & 110,7. & 118,17.

2. τυπικῶς, per typos & figuras; cujusmodi sunt, Gen.2,21. & seq. de Adamo dormiente & evigilante: Gen.7 & 8. de Noacho in arcam detruso, & inde iterum egresso: Gen.22. de Isaaco immolando, sed ex mortis faucibus divinitùs erepto: Gen.40 & 41. de Josepho è carcere liberato, & ad summos regni Ægyptiaci honores subvecto: Exod.2. de Mose per fiscellam scirpeam in vita conservato: Exod.3. de rubo ardente, igni verò non absumto: Exod.12. de exitu Israëlitarum ex Ægypto, & transitu eorum per mare rubrum miraculoso: Lex de primitiis; Exod.23,19. & Levit.23,11. & de primogenitis. Exod.13,2. Primitiæ enim dormientium Christus; 1.Corinth.15,20. & primogenitus mortuorum. Col.1,18. Apoc.1,5. Sicut enim primogenitus erat, & Patris sui in cœlis, & matris suæ in terris: Psal.89,28. Luc.2,7. Col. 1,15. Hebr.1,6. Ita etiam mortuorum debebat esse primogenitus. Huc refer typos, de Aarone Sacerdote summo, in medio viventium & morientium cum thuribulo constituto: Num.16,48. de virga Aaronis revirescente: Num.17,8. de Josua pedibus conculcante Regum devictorum colla: Jos.10,24. de Simsone, in civitate Gaza, portis quidem obseratis concluso, sed fractis

seris subtractisque portis securè evadente, uti B. de ipso loquitur Chrysost. Jud. 16,1. seq. de Davide feliciter adversus Goliathum depugnante: 1.Sam.17,45. seqq. de Daniele, è fovea ac faucibus leonum extracto: Dan. 6. 16. seqq. de Jona, in abyssum maris præcipitato, & à pisce quidem absorpto, sed tertiâ die in aridam iterum ejecto. Jon. 2,1. & 3,5. Matth. 12,39. Firma utique hæc sunt, immò robora quodammodo argumentorum, quæ nos erudiunt.

USUS I. Informatorius.

Doctrinæ antiquitas. I. De summa doctrinæ Christianæ antiquitate. 2. Pet. 1, 19. Rom.1,2. 1.Pet.1,11. Falsò itaque novæ doctrinæ à Romanensibus insimulamur. 1.Cor.15,3. Mihi antiquitas Jesus Christus est, dicebat olim Irenæus.

Manus triplex in Christi resurrectione. II. De triplici manu potentissima, quæ de sepulcro Christum protraxit:

1. immutabili verbi divini veritate:

2. immaculata sancti Corporis puritate: Psal.16,10.

3. divina potestate; erat enim Deus absconditus; & Λόγος fuit cum corpore & anima Christi, etiam per mortem distractis. Esaiæ 45.15. Psalm. 68,1. Esaiæ 63, 9.

III. De Sabbathi Judaici transitu, h. e. Legis Ceremonialis abrogatione. Hebr.9,10. Jer.16,14.15.

Muliebris ornatus. IV. De optimo sexûs muliebris ornatu, qui consistit in

1. devota sabbathi observantia; Luc. 2,37, Psalm. 27,4. & 42, 2. Esa.56.4.

2. vigilantia, tàm corporali, quàm spirituali: Pro. 31, 15. Psalm. 5,4. Matt.25,6.7.13. 1.Pet.5,8.

3. amoris erga Christum constantia:

4. promta erga ipsum beneficentia: 2.Reg.4,10. 1. Reg.17,15. Act. 16,15. Matth. 25,40.

5. patientia & concordia.

II. Consolatorius.

Resurrectio Christi probatur. I. De veritate resurrectionis tùm Christi, tùm hominum demortuorum. Illa probatur tripliciter:

1. per oralem relationem; secundum Scripturas; 1. Cor.15,4.

2. per

2. per ocularem demonstrationem;
3. per singularem manifestationem.

Hæc verbo solo nititur, paucis additis exemplis, veluti experimentis, confirmandæ fidei ergò adjectis. Nam & hanc Prophetarum olim prædixere θεαπίσματα. Es. 26,19. & 66,14. Dan. 12, 2. Job. 19,25. Ezech. 37. per totum cap. Confer Thes. Monr. pag. 377. 378.

II. Quòd Angeli boni, quibus nota sunt nomina nostra, in die novissimo, quo resurget caro nostra, revolvent à sepulcris nostris omnia obstacula. Ibid. p. 382.

III. Quòd Angeli in vita æterna nobis sint futuri visibiles. Ibid. pap. 383.

IV. Quòd in vita æterna sabbathum non ampliùs præteribit, sed erit pepetuum. Ibid. p. 384.

III. Monitorius.

I. Monemur, ut præ aliis omnibus mundi thesauris ex toto corde & anima diligamus Dominum Jesum; *Jesus diligendus.*

1. firmiter in eum credendo;
2. constanter in ipsum sperando;
3. filiali timore ipsi adhærendo.

II. Ut matutino pietatis & precationis studio Christum quæramus; in verba sc. & Sacramentis. Psal. 57,9. & 92,3. & 105,3.4. Esaiæ 55, 6.

III. Ut tempore Paschali, exemplo mulierum, simus *Paschales discipuli quales.*

1. quieti & religiosi;
2. in ungventis præparandis seduli & negotiosi; soliciti de ungvendo *1. contritionis*, per peccati agnitionem;
2. devotionis, per beneficiorum recordationem;
3. pietatis, per proximi sublevationem.
3. in audiendis concionibus paschalibus studiosi;
4. in mandato angelico exequendo obsequiosi. 1. Cor. 5, 7.

IV. Refutatorius.

1. De Palpabili Judæorum cæcitate ac vanitate. *Judæorum cæcitas.* Quisquis enim Prophetarum oraculis credit, Christum mortuum & resuscitatum credat necessum est, Act. 10, 43. Joh. 5, 46. Posterius uno ore & animo omnes obstinatè negant & pernegant Judæi: summæ ergò vanitatis fuerit, jactare fidem Propheticam, & Prophetarum vaticiniis fidem derogare.

2. Pon-

Papistæ Christi negantes omnipræsentiam.

2. Pontificiorum, in Calvinianorum castra transeuntium, & unà cum ipsis majestatem omnipræsentiæ, carni Christi realiter ac verè communicatæ negantium, atque ex verbis Angeli, (surrexit, non est hîc) oppugnantium. Schererus pag. 330. a. ita: Hier schlegt der Engel Gottes danieder den Gotteslesterlichen Irrthumb der Ubiquitisten, welche zu vnsern Zeiten fürgeben / Christus sey zwar nach seiner Menschheit aufferstanden aus dem Grab / aber wegen der persönlichen Vereinigung mit der Gottheit / sey die Menschheit / auch nach der Vrstend im Grab / so wol als die Gottheit blieben / sintemal die menschliche Natur / in Krafft bemelter Vereinigung / sich eben so weit erstrecke als die Göttliche / vnd erfülle alle Art vnnd Creaturen. Diesem groben greifflichen Irrthumb widerspricht der Engel / vnd sagt: Christus sey aufferstanden / vnd sey nicht allhier. &c. Huc repete ea, quæ de hac materia dispos. præced. diximus; quibus adde, quæ habet in Vindic. dec. 3. disp. 4. th. 70. Dn. Meelf. Resp. est fallacia à dicto secundum quid: De ipso Christo (non expressâ humanitate vel corpore.) quâ mortuo, loquitur Angelus, ideoque ad sensum & intentionem mulierum, quæ talem quærebant, ad quas modò dixerat: Quæritis Jesum Nazarenum, qui fuit crucifixus. Jam autem certo modo abesse, non importat omnimodam absentiam ἁπλῶς, quod duobus evidentissimis dictis ipsius Salvatoris constat. Luc. 24, 44. Joh. 17, 11. Deinde non confundendus est status exinanitionis, præsertim in ipsa morte, profundissimæ, cum statu cœlestis gloriæ, ex quo plenam exertionem divinæ majestatis inprimis deducimus. Rectiùs igitur credimus Salvatori, etiam post resurrectionem suam repetenti promissionem; Ero vobiscum usque ad consummationem seculi; hancque gratiosam præsentiam, ex divina potentia, plenissimè acceptam, deducenti; Matth. 28, 20. quàm hujusmodi ratiunculis, quarum scaturigo est πρῶτον ψεῦδος, quod neque naturarum veram & realem κοινωνίαν in persona Christi, isti homines sincerè credunt.

PARS II.

Ceterùm innotuit orbi Christiano resurrectionis Dominicæ veritas, tùm per mulieres, tùm per Angelos, unde geminum emergit resurrectionis testimonium; unum mulierum ad sepulcrum Christi peregrinantium; alterum Angeli, de Christo resuscitato verbis disertis concionantis.

Mu-

Mulieres verò, primi resurrectionis Dominicæ testes describuntur.

1. *à summa erga Christum etiam demortuum caritate*, quam declarant pio de ungendo Christi corpore, proposito, pro quo complendo nullis certè ipsæ parcunt sumtibus; hinc commendantur

2. *A liberalitate*, mercantur enim aromata pro Christo preciosa, quem etiam, cùm in vivis esset, cum discipulis suis ἐκ τῶν ὑπαρχόντων sustentaverant. Luc. Luc. 8, 3.

3. *Ab animi constantia & firmitate.* Discipulis enim in angulo obscuro latitantibus, & ne hiscere quidem audentibus, intrepidè mulieres infirmæ prodeunt, egregiam fidei suæ confessionem hoc facto edentes publicè.

4. *à vera pietate*, studio cujus Sabbathum verentur profanare; quo exacto, operi, quod moliebantur, sese accingunt.

5. *A mutua concordia & unanimitate.* Eadem omnium mens est & voluntas, idem studium, idem in Christum adfectus. Dignæ itaque habitæ sunt, quæ in testimonium de Christi resurrectione præ aliis seligerentur.

Angelus verò, secundus resurrectionis Christi testis constituitur, ut in ore duorum aut trium consistat omne verum. Notetur.

1. *occasio*, ad concionandum ipsi subministra, à mulierum consternatarum pavore conspicuo.
2. *Ipsa concio*, quâ Angelus ille Domini
    1. timore perculsas solatio erigit;
    2. nuncium lætum proponit;
    3. locum vacuum ostendit;
    4. discipulis ea quæ evenerunt annunciari præcipit;
    5. promissionem Christi repetit.
3. *Concionis operatio*, continens tùm παραλειφθέντα, *omissa*, lætari debebant; tùm πραχθέντα *commissa*; sed quæ cordis humani est imbecillitas, magis terrentur; quem effectum produnt,
    1. *è sepulcro celeri fugâ sese abripiendo;*
    2. *toto corpore artubusq; omnibus trepidando;*
    3. *planè deniq; obmutescendo.*

USUS I. Informatorius.

I. De cordis humani incredulitate, quæ oritur *Incredulitas unde.*

1. ex oscitanti & superficiali concionum sacrarum auditione:
2. ex carnali persvasione.

Pascha celebrandum & quomodo.

II. De modo rectè festum Paschale celebrandi: ille verò consistit,

1. in devota resurrectionis Dominica contemplatione, quam plurimùm juvabit, frequens ac diligens concionum paschalium auscultatio. Coloss. 3, 16. Luc. 11, 28. Sir. 15, ab initio capitis.

2. In pia beneficiorum sepulcralium collaudatione. Materiam laudis sufficientissimam præbebit.

1. peccati sepelitio & ablatio;
2. justitia perdita reparatio;
3. nostra filiatio;
4. monumentorum nostrorum purgatio & sanctificatio: κοιμητήρια sunt svavissima. Esaiæ 26, 23. & 56, ult. Apocal. 14, 13.

3. In ardentissima Domini Jesu dilectione. Eph. 3, 18. Prior dilexit: Joh. 3, 16. Gal. 2, 20. 1. Joh. 4, 9. ergò reciproca sequitur dilectio. Psal. 18, 2. Pro. 8, 17. Joh. 14, 23. & 21, 16. Rom. 8, 28. 1. Cor. 16, 21.

II. Consolatorius.

Paschale solatium.

Solatium paschale divite venâ profluit

I. *ex Angelica concione*; de timore sublato; quo cessante, jam μετὰ πολλῆς παῤῥησίας καὶ πληροφορίας Patrem cœlestem accedimus, per Christum quippè ipsi reconciliati. Rom. 4, 23. & 8, 1. 34. Gal. 4, 6. Morti ergò & diabolo insultamus. Prov. 14, 32. Joh. 16, 11. Ose. 13, 14. 1. Cor, 15, 55.

II. *Ex resurrectionis fine*: Resurrexit enim tertiâ die Christus.

1. ob Scriptura adimpletionem: 1. Cor. 15, 4. D. Theod. p. 31.
2. in peccatorum nostrorum expiationem; Si vel minimum peccatum expiatum non esset, resurgere non potuisset:
3. in hostium devictionem; vicit Leo de tribu Juda:
4. in conscientia pacificationem:
5. in resurrectionis nostra præfigurationem & certificationem.

Paschales thesauri.

III. *Ex fructuum contemplatione.* Intuere thesauros paschales. Peperit nimirùm nobis Christus suâ ex mortuis resurrectione,

1. cæ-

1. *cœlum apertum*, quod liquet ex Angelorum è cœlo ad nos descensu; Gen.28,12. Joh.1,51. sed & nobis tùm orantibus, tùm morientibus, cœlorum januæ patent. Johan. 12, 26. & 14,6. & 17, 24.

2. *Vestimentum album* vel novum: sic enim juvenis angelicus adparuit. Matth. 13,43. & 22,30. Esa.9,5. & 61,10.2.Cor.5,17. Apoc.6,11. & 19,8.

3. *Promtum Angelorum ministerium*. Psal.34,8. & 91,11. Hebr. 1, 14.

4. *Hostium ludibrium*, in militum consternatione & fuga adumbratum. Ose.13,14. Rom.8,31.

5. *Angelicum colloquium*.

6. *Timoris repudium:* Gen.3,10. audivi vocem tuam Domine, & timui, dicebat πρωτοπλάστης Adam. At Angeli, nolite timere, ajunt.

7. *Miserorum & peccatorum solatium:* idem enim hodieque Christo erga peccatores & calamitosos animus, qualis erga Petrum resipiscentem. Vide thes. Monr. pag.379.

8. *Christi directorium:* præcedet vos. O nos felices, si talem nacti fuerimus tùm in vita, tùm in invocatione quotidiana, tùm in morte demum ipsa ὁδηγὸν! Rom.8,34. Mich.2,12. Luc.23,43. Is enim solus foribus Paradisi apertis, intra æterna cœlorum palatia nos recipere & intromittere potest. Apoc.1,18. & 3,7.

III. Monitorius.

1. De sedula Domini Jesu inquisitione; vide præcedentia.

2. De recta monumentorum contemplatione; monent enim, tùm de mortalitate, tùm de resurrectionis veritate.

3. De abjicienda omni, ob hostes devictos, trepidatione.

4. De peccatorum cum Petro agnitione & deploratione. Ephes.5, 14.

5. De Christi erga errantes & pœnitentes propensione.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

DE triplici festivitatis Paschalis usu, ratione cujus περικοπὴ prælecta nobis subministrat concionem tùm διδακτικὴν ἢ παιδευτικὴν; tùm παραμυθητικὴν; tùm μετανοητικὴν ἢ ἐπανορθωτικὴν. Eine Lehr-Trost- und Bußpredigt.

Paschatos usus.

Ἐξήγησις.

Initiò docet nos præsentis Evangelii paschalis lectio,

I. *Sabbathum ritè sanctificare.* Mulieres non nisi Sabbatho de more exacto ad monumentum excurrunt. Consistit autem recta Sabbathi sanctificatio, non principaliter (1) *in inani à laboribus consuetis vacatione*; Exod.20,9.10. (2) nec *in turpis otii sectatione*; (3) nec *in vestitus superbi ostentatione*: sed

Sabbathi sanctificatio.

1. in attenta verbi divini auscultatione: Deut.6,6. Ps.1,2. & 27,4. Esa.30,21. Matth.7,18. Luc.11,28. Jac.1,22. 2.Par.36,15. Jer.25,4. Matt. 11,20. Esa.8,20. Luc.10,39. Act.16,14.

2. In profunda vitiorum operumq́; carnis exstirpatione: 1.Cor.5,8. Exod.3,5. Rom.13,12. Eph.4,22. Eccl.5,1. Matth.9,17.

3. In jucunda vocis, per tabernacula justorum sonantis exsultatione. Ps.118,15. & 149,1. Sir.43,32. Es.12,4. Eph.5,19. Jac.5,14.

II. *Ungventum spirituale præparare.* Mulierculæ Judaicæ aromata, ungendo corpori Dominico minùs necessaria, magno precio coëmentes, fidei quidem suæ infirmitatem immane quantum produnt: Ps.16,8. Act.2,24. animi tamen erga Christum, optimè de sese meritum, grati τεκμήρια haut fallacia manifestant. Nos studium isthoc rectiùs æmulabimur, si soliciti fuerimus de ungvento, non Papistico, quo in Sacramento, quod vocant, confirmationis & extremæ unctionis, gens ἐθελοθρησκείαις & superstitionibus anilibus dedita, uti consvevit; sed mystico. Dico autem ungventum

1. sanctificationis; (sic pro concione publica docente Dn. D. Salomone Gesnero, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις) quo ipse Sanctus Dei Spiritus cum gratiæ cœlestis donis intelligitur. 1.Joh.2,20. Inungimur sanctissimo hoc oleo, tùm in Baptismi mysterio, Act.2,38. tùm in verbi ministerio. Act.10,44.

Ungventa mystica.

2. Commiserationis, Ps.41,1. & 112,5. Zach.7,8. Matt.5,7. & 10,42 & 25,35. Rom.12,13. Col.3,12. Amos 6,6.

3. Dilectionis. Lev.19,18 Prov.15,15. Joh.13,34. & 15,12. Rom.12,9 & 13,8. 1.Cor.13,1. & 14,1. Gal.5,6. Eph.4,15. & 5,2. 1.Tim.1,5. Hebr. 10,24. 1.Joh.2,3. & 4. passim.

4.

4. *Pacificæ consensionis.* Psal.34,14. & 133,1. Zach.8,19. Marc.9, 50. Rom.12,18. 1.Cor.14,33, 2.Cor.13,11. Eph.4,2. Phil, 2, 2. Col. 3, 13. Intelligitur pax in doctrina & vita.

5. *Gratitudinis*, tùm Deo, tùm hominibus declarandæ. Tob. 12, 7. Psalm. 106, 1. Prov. 17, 13. Col. 2, 7. 1. Tim. 5, 4. Sap. 16, 29. Sir. 29, 23.

III. *Saxum ab ostio monumenti revolvere.* Monumentum est cor hominis, quod variis lapidum variorum oneribus premitur miserè, ac tantùm non opprimitur. Saxum verò illud, de quo jam loquimur, est geminum, publicum & privatum. Suos habet lapides prementes Ecclesia, suos Politia, suos Oeconomica. Privatim premuntur homines, quantumvis pii, hic lapide iniquitatis; Psal.38,5. Thren.1,14. Gen.18, 20. ille lapide egestatis: Deut. 15, 11. Prov.14,20. & 19,4. Sir.34,25. Matt. 26, 11. hic lapide infirmitatis; Esa.38,15. ille lapide crucis & calamitatis: Psal. 73, 14. Thren. 3, 1. qui lapides omnes facilè removentur beneficio, consilio & auxilio illius, qui Angelus fœderis, Mal.3,1. & Eber-ezer, lapis adjutorii 1.Sam.7,12. audit. Atque hæc omnia discipulum paschalem probè didicisse plurimùm interest. Hinc enim sequitur

Lapides à corde removendi.

Secundò, *concio consolatoria*, eò unicè directa, ut animus lapidum istorum pondere oppressus, instar palmæ contra nitendo erigatur. Triplex autem consolationis fons sese aperit in paschali illa concione, quam ad mulierculas habuit in sepulcro Angelus Domini.

Primus consolationis vivificæ fons oritur *ex timoris omnis cessatione & finitione.* Nolite timere, ait Angelus; quia causæ timoris Christi unius beneficio sunt remotæ: Ergò

effectus causâ deficiente perit.

Terrorem nobis incusserat

Timoris nostri causæ.

1. peccatum; sed illud Christi morte est obsignatum: Dan. 9, 24. Col.1,14. Zach.13,1.
2. Ira Dei; at illa merito Christi planè sedata: Rom. 6, 10. 1. Thess. 1, 10.
3. Legis maledictum; atqui huic per Christi obedientiam tàm activam, quàm passivam, examussim satisfactum; Rom. 8,3. & 10,3. Gal.3,13.
4. Mors prima & secunda; verùm utraque per Christum enervata, abolita. 2. Tim.1,10. 1.Cor.15,55.56.57. Apoc.21,4. Mors non nisi *inanis pellicula*, secundum Bernhardum. Lupum timemus vivum, demortui pelle induimur.

 5. In-

5. Infernus; is verò per Christi descensum εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς fidelibus destructus: Ose.13,14. Apoc.20,14.

6. Diabolus, leo ille infernalis; sed & ille per Christi victoriam debellatus, contritus. Gen.3,15. Apoc.5,5. Hebr.2,14. Col.2,15. Rectè ergò Angelus: Nolite timere.

Secundus consolationis fons *ex resurrectionis Dominicæ demonstratione* profluit. Ex limpidissimo hoc solatii paschalis fonte septem alios consolationum rivulos derivare solebat, cujus suprà mentionem feci; B. Dn. D. Gesnerus. Scimus enim verè Christum resurrexisse, idque firma fidei fiducia amplectimur & credimus, ob

Resurrectionis Christi fundamenta.

1. *vaticiniorum antiquitatem*; vaticinia præcipua notavimus præcedente dispositione secundâ, ubi vide:
2. *typorum perspicuitatem*; ibid.
3. *prædictionum Christi veritatem*: Matth.16,21. & 17,9. Luc.18,33. Joh. 2,19.
4. *testimonij angelici claritatem*: 1. Pet.1,12.
5. *Unionis personalis vim ac potestatem*, gratiâ cujus impossibile planè fuisse pronunciat Petrus, ut à morte teneretur Jesus: Act.2,24. Psal.16,8.
6. *regni æternitatem*: Psal.2,6. & 110,2. Dan.7,27. Luc.1,33.
7. *patefactionum pluralitatem*, de quibus vide præced. dispos. August. Laus Christiani est, credere Christum resurrexisse à mortuis.

Tertius denique consolationis paschalis fons resultat, *ex peccatorum resipiscentium in gratiam receptione*, cujus rei documentum licet capere ex mandato Angeli, Petro præ ceteris resurrectionem Magistri denunciari præcipientis. Vide præcedentia. Hucusque concio consolatoria etiam; restat

Concio pœnitentialis, qua ad spiritualem resurrectionem instigamur omnes. Apocal.20,6. prima dicitur resurrectio. Egregiè verò peculiari concione, seorsim hac de materia edita, necessariam hancce piorum omnium resurrectionem illustravit, insignis nostræ ætatis Theologus, Dn. D. Johann. Gerhardus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, ex textu Pauli Romano. 6,4. eamque consistere docet.

Resurrectio spiritualis.

1. *in resurrectionis ante gloriam conditione*; Prov.15,33.
2. *in mortis oppressione*; Resurrectioni locus non datur, ubi mors nondum est abolita;

3. in

3. in justitia acquisitione;
4. in satana devictione;
5. in lucis accensione;
6. in cordis commotione;
7. in angelica defensione;
8. in vita demonstratione. Intra nulla fides, quæ non opera exerit extrà. Ergò qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, (Augustini verba refero,) & ipse ambulare: mortem ille ad horam gustavit; nos semper debemus mortificare membra nostra, quæ sunt super terram; fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, &c. Col. 3, 5. Resurrexit ille à mortuis; resurgere nos jubemur à vitiis; dicente Apostolo, Eph. 5, 14. Expergiscere qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem. Apocal. 20, 6. Oro ego cum Polycarpo: *O Domine Jesu, fac me participem resurrectionis justorum.* Et cum Ecclesia: *Deus, qui per mortem Filii tui peccatum & mortem destruxisti: & per resurrectionem ejus justitiam & vitam æternam donâsti; ut à potestate diaboli liberati in tuo regno viveremus: Concede nobis, ut hæc firmiter credentes, & in fide perseverantes tibi semper gratias agamus per eundem Filium tuum dilectum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.*

DOMINICA QVASIMODOGENITI,

EVANGELIUM

Joh. 20. à v. 19. ad 30.

19. Οὔσης οὖν ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς· εἰρήνη ὑμῖν.

19. *Cùm ergò vespera esset die illo, qui erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit Jesus stetitq; in medio, & dicit eis: Pax vobis.*

Marc. 16, 14. Luc. 24, 36. 1 Cor. 15, 5.

20.

20. Καὶ τοῦτο εἰπὼν ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ. ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τὸν Κύριον.

20. *Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manûs ac latus suum. Gavisi sunt ergò discipuli, viso Domino.*

Matt. 16, 19. & 18, 18.

21. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς πάλιν· εἰρήνη ὑμῖν· καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς.

21. *Dicit ergò eis iterum Jesus: Pax vobis: sicut misit me Pater (ita) & ego mitto vos.*

22. Καὶ τοῦτο εἰπών, ἐνεφύσησε, καὶ λέγει αὐτοῖς· Λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

22. *Hæc cùm dixisset, flavit in eos, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum.*

23. Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.

23. *Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.*

24. Θωμᾶς δὲ, εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος Δίδυμος, οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν, ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς.

24. *Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.*

25. Ἔλεγον οὖν αὐτῷ οἱ ἄλλοι μαθηταί· ἑωράκαμεν τὸν Κύριον. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, οὐ μὴ πιστεύσω.

25. *Dixerunt ergò ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitum meum in vestigium clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

26. Καὶ μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ πάλιν ἦσαν ἔσω οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ Θωμᾶς μετ' αὐτῶν· ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ εἶπεν· εἰρήνη ὑμῖν.

26. *Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intùs, & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.*

27. Εἶτα λέγει τῷ Θωμᾷ· Φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου, καὶ φέρε τὴν χεῖρά σου, καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μου· καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός.

27. *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manûs meas, & adinove manum tuam, & immitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed credens.*

28. Καὶ ἀπεκρίθη ὁ Θωμᾶς, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου.

28. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & DEUS meus.*

29. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὅτι ἑώρακάς με Θωμᾶ, πεπίστευκας· μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.

29. *Dicit ei Jesus: quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.*

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

HOdiernæ Dominicæ περικοπὴ tota est generis Demonstrativi. Proponit enim expendendas duas Christi post resurrectionem adparitiones, quarum utraque facta est coram discipulis; prior quidem Thoma absente, posterior verò eodem præsente. Nos secuti morem hactenus receptum, initiò in tres potissimùm partes dispescemus Evangelium, contemplaturi

I. Christum, discipulis suis omnibus, unico excepto Thoma, sese denuò manifestantem:

II. Thomam errantem; & denique

III. Christum, in viam Thomam ex errore revocantem.

PARS I.

Prima Evangelii pars, peculiarem Christi φανέρωσιν sive adparitionem continens, membris commodissimè tribus includitur, quorum

1. *adparitionis descriptionem*;
2. *resurrectionis demonstrationem*;
3. *discipulorum instructionem* exhibet.

Ac initiò quidem describitur ipsa adparitio certis quibusdam circumstantiis: adsignatur enim

1. *Tempus*, quando adparuerit Christus: ubi Johannes dupliciter circumscribit momentum adparitionis, quam factam fuisse dicit,

1. *sub vesperam ejus diei*, die jam inclinante, vel potiùs inclinato. Si enim Johannem (qui habet ὄσης ὀψίας sc. ὥρας, cùm esset vespera) cum Luca c. 24, 29. conferamus, patebit, ὀψίαν ὥραν commodè extendi ad seram usque noctem, ut Johannes designet non crepusculum, sive primum noctis initium; sed simpliciter significet, transacto die, post Solis occasum, adeoque inter noctis tenebras Christum venisse. Plura vide apud D. Gerhard. in harm. resurr. pag. 246. & D. Tarn. comm. in Joh. pag. 3098. ubi ita scribit: cùm jam multò antè finita esset illa prima dies, & secunda, quæ à vespera incipit, secundum Judæorum computationem, incepisset.

Quæritur à quibusdam, cur non manè, non circa meridiem, sed vesperi demum adparere discipulis voluerit Christus? 1. Quia in Paradiso circa vesperam primis parentibus facta erat hujus vi-

Vesperi cur adparuerit discipulis suis Christus.

ctoriæ promissio. Gen.3,15. 2. Quia priùs explorare voluit Christu discipulorum suorum fidem , quam circa hunc articulum admo dum deprehendit infirmam, unde posteà eorum ἀπιςίαν & σκληρο καρδίαν reprehendere cogebatur. Marc.16,14. 3. Quia ostendere voluit, se in vitæ & mundi vespera solatio Ecclesiæ suæ adfuturum Matth.28,20.

2. *Illa ipsa die*, quâ Christus summo diluculo surrexerat, & Mariæ Magdalenæ comparuerat; mulierculis item à sepulcro redeuntibus, & discipulis Emaunta proficiscentibus vivum sese exhibuerat. Cur verò ipsâ resurrectionis die? cur non exspectat, donec in Galilæam abirent Apostoli, quod Angelum Matth.28,7. & Marc 16,7. prædixisse novimus? Tribuendum hoc est fervori caritatis in Christo, à qua ita urgetur, ut ipso resurrectionis die discipulis adparens ab incredulitate eos quamprimùm liberaret, prædictionis suæ certitudinem & resurrectionis veritatem ipsis confirmando. D.Gerhard. harm. p.246.

2. *Objectum personarum*, quibus adparuerit; videl. discipulis, qui, unico Thoma excepto, in unum convenerant, sententias haud dubiè de Christi resurrectione collaturi. Congregatis autem Apostolis adparere voluit Salvator. 1. ut particularibus generalis aliqua succederet adparitio: 2. ut ab incredulitate discipulos suos liberaret, & in fide hujus articuli confirmaret: 3. ut oculati essent resurrectionis suæ testes. Act.1,8. & 10,41. D.Gerh. p.244. 245.

3. *Locus*, ubi facta fuerit manifestatio, nimirùm in domo quadam, cujus fores firmiter erant occlusæ, propter metum Judæorum, qui finis erat occlusionis unicus. Hierosolymæ ipsos fuisse congregatos, ex Luc.24,33. liquet; qua verò in domo, Evangelica historia non ostendit; quidam dicunt, illam fuisse domum, in qua paucos ante dies Pascha celebraverant; alii censent, fuisse domum Johannis Evangelistæ, qui matrem Domini ad se receperat. Prima itaque hæc fuit φανέρωσις, Hierosolymis facta.

4. *Modus* adparitionis, quem Johannes peculiariter notavit: Adparuit nimirum discipulis suis jam congregatis in domo,

Christus foribus clausis adparet discipulis.

1. *foribus clausis*, sive per januas clausas, ita ut corpore suo clarificato clausas januas penetrârit. Neque enim ipsi ingressuro apertæ priùs fuerunt fores; neque sponte potuerunt; neque pervii ipsi fuêre parietes; neq; per omnipotentiam suam aperuit januam in momento insensibiliter apertam & clausam; vel in momento in nihilum redactam & restitutam, uti ex gente Sacramentaria nimis

pue-

pueriliter & ſtolidè quidam delirârunt; Calvinum dico, Bezam, Aretium, Piſcatorem, Petrum Martyrem & alios: neque januæ clauſæ tempus ſaltem veſpertinum notant, quæ Nahumi eſt ſapientia transmarina; ſed eſt ipſa miraculoſi ingreſsûs ſignificatio, idque duodecim probat ac confirmat rationibus Dn. D. Gerh. harm. reſur. p. 248. 249. 250. 251. 252. Confer D. Chemn. de duabus naturis in Chriſto, cap. 32. fol. m. 263. ſeq. D. Tarn. in Joh. pag. 3098. ſeq. D. Finck. cent. 1. can. 59.

2. *Ex improviſo*, nihil tale diſcipulis vel cogitantibus, vel animadvertentibus, Servator ἔςη, ſtetit in medio eorum, non ſucceſſivè ac pedetentim de loco in locum viſibiliter procedens. Hæc enim ςάσις probat miraculoſum ingreſſum, quod corpore ſuo glorificato inviſibiliter ſeſe medium diſcipulis inferre poſſit. D. Gerh. p. 257. Hoc unum partis primæ membrum.

Deinde reſurrectionem illicò ſuam Chriſtus demonſtrat; ubi iterum occurrunt tria.

1. Λεχθέντα; mox enim in primo ſuo ingreſſu, ſecundum conſvetam Judæis ſalutandi formulam, dicit eis: *Pax vobis.* Hebræum שָׁלוֹם generale eſt nomen, ſignificans pacem, tranquillitatem, concordiam, ſanitatem, ſalutem, adeoque omnem felicitatem. Quia enim in bello eſt omnis mali idea, pax verò omnium bonorum ſumma, ideoq; Schalom verterunt per pacem; & fuit familiaris apud Hebræos ſalutatio, שָׁלוֹם לָךְ, pax tibi. 1. Par. 12, 18. Quando igitur Chriſtus acceſſu primo diſcipulis precatur pacem; non conſveto ſolùm more eos ſalutat, & proſpera quæque ipſis exoptat; ſicut aliàs homines ſeſe invicem ſalutant; ſed reipſa teſtatur, quòd ex mortuis redivivus omnis generis cœleſtia bona ipſis adferat; & quia regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, & fructûs reſurrectionis non ad hanc temporalem & caducam, ſed ad ſpiritualem & æternam vitam propriè ſpectant; ideò intelligitur felicitas regno Chriſti conveniens, quam uno nomine dicit pacem, non tàm temporalem puta, quàm ſpiritualem illam, qua reconciliati cum Deo pacem habemus in cœleſtibus; quæ conſiſtit in remiſſione peccatorũ, reconciliatione cum Deo, liberatione à morte, diabolo & inferno, ac vitæ æternæ donatione &c. Hanc eandẽ ſalutationem Chriſtus paulò pôſt repetit; vide feria 3. Paſchatos plura.

Pax quid.

2. Πραχθέντα; veritatem enim reſurrectionis ſuæ ex αὐτοψίᾳ demonſtraturus, iis utitur τεκμηρίοις, quæ in ſenſûs externos incurrunt, & rei dubiæ aliàs facilè fidem facere ſolent; oſtendendo manûs, clavorum veſtigia & in latere vulnera. Luc. 24, 37.

putabant discipuli, se videre spiritum, vel spectrum. Falsæ huic opinioni refutandæ opponitur suavissima Christi ad videndum & contrectandum se invitatio; ut & corporis & resurrectionis suæ veritatem confirmet.

3. Επίμψα. Ea enim Christus discipulis suis resurrectionis documenta produxerat, ut, Johanne teste, viso Domino ex animo plurimùm gauderent, omni planè dubitatione longè valere jussa, in memoriam sibi revocantes promissionem illam Joh. 16, 20. dulcissimam: iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Nulla est hic inter Evangelistas, Lucam & Johannem, ἀντιλογία. Quod enim ille dicit consternatos discipulos, intelligendum est de iis, quæ in principio adparitionis contigerunt, antequam errore de viso Spiritu liberarentur. Johannes verò loquitur de iis, quæ post liberationem ex illo errore, per explorationem sensuum acciderunt. Huc usque secundum partis primæ membrum; restat tertium.

Tandem enim docendi ministerium Christus discipulis suis denuò committit, ne quis dubitationis scrupulus in animis eorum vel oboriretur, vel relinqueretur. In hac verò instructione notetur.

Missio Apostolorum

1. *missio*, comparatione similium declarata. Ita enim mittit eos, quemadmodum à Patre suo ipse anteà missus fuerat; ut nimirùm par sit omninò utrobique efficacia, unum idemque Evangelium, idem prædicandi modus, similis utrobique conditio, idem quoque Ecclesiæ tutor ac defensor. Verba enim illa: sicut me misit Pater &c. propheticum saltem Christi, h. e. docendi munus, quatenus is ministerialiter illud administravit, concernunt. Vide de similitudine missionis Christi & Apostolorum apud D. Tarn. in Joh. pag. 4003.

Spiritus S. Apostolis adflatu datus.

2. *Collatio vel confirmatio*: Pignoris enim loco, singulari planè modo, Apostolis confert Spiritum Sanctum, corporali sive oris interveniente adflatu sensibili, tanquam medio sive instrumento quodam externo, non quidem vacuo & otioso, sed tamen ipsi rei promissæ verè unito. ἐμφυσᾶν propriè est insufflare, flatum immittere, sc. in os & faciem alterius. Genes. 2, 7. 1. Reg. 17, 21. 2. Reg. 4, 34. Ezech. 37, 9. D. Gerh harm. resurr. p. 264. ubi hæc addit: Non propriè h. l. sermo est de essentia Spiritûs Sancti, qua est unus cum Patre & Filio Deus, sic enim omnia replet; Sap. 1, 7. ac ponitur h. l. πνεῦμα sine articulo: ergò juxta regulam Didymi lib. 1 de S. S. non ipsam personam, sed dona Spiritûs Sancti significat. Nec de adnumerandis illis donis in die Pentecostes discipulis postmodùm collatis

ἐμφυσᾶν

Spiritus pro donis Spiritûs S.

hic

hic agitur, cùm nondum adpareant in illis linguæ dispertitæ velut ignis; sed sermo est de donis Spiritûs, ad ministerium Evangelii necessariis. Et post pauca: Dicendum igitur, quòd Spiritum S. jam antè acceperint ratione sanctificationis: hic accipiant eum ratione ministerii Evangelici: in die Pentecostes accipiunt eum ratione miraculosorum donorum. Hæc ille.

Ceterùm cum flatu datur Spiritus Sanctus & in flatu; quia

1. ratione essentiæ est Spiritus incorporeus & invisibilis:
2. ratione personalis suæ proprietatis à Filio non minùs, quàm à Patre procedens, ex intimo essentiæ divinæ ore spiratur; Gen. 1, 2. Job. 33, 3. Psal. 33, 6. Esa. 11, 4. 2. Thess. 2, 8.
3. Flatus cùm sit corpus tenuissimum, magnæ tamen virtutis est ac roboris: sic Spiritus Sanctus potens est & efficax:
4. Spiritus est homini coævus, non posterior tempore animâ, corpus informante: ita Spiritus S. Patri & Filio est συναΐδιος.
5. Respiratione ne ad momentum quidem ad vitam carere possumus: ita Spiritûs Sancti præsentia & gratia ad vitam in nobis spiritualem conservandam perpetuò opus habemus. Joh. 3, 6.
6. Prædicatio Evangelii, per Apostolos in toto orbe revelandi, fieri debebat Spiritu oris. Vide D. Gerh. d. l. pag. 266. 267.

Spiritus S. cum flatu cur detur.

3. *Clavis solventis ac ligantis traditio:* Concedit enim illis potestatem remittendi & retinendi peccata. Remittendi quidem iis, qui de admissis peccatis seriò dolent, & in Christum omnem salutis suæ spem ac fiduciam unicè collocant: retinendi verò illis, qui contumacia inexpugnabili in peccatis contra conscientiam obstinatè perseverant. Tradiderat Christus denuò discipulis officii ministerialis sive Apostolici partes, & mediante flatûs corporalis organo Spiritum Sanctum contulerat; jam subjungit plenam agendi potentiam, inquiens: Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis retenta sunt. Quibus verbis Apostolis ipso actu traduntur claves Ecclesiasticæ, quas Matth. 16, 19. in persona Petri omnibus Apostolis, immò toti Ecclesiæ promiserat, Matth. 18, 18. Ecclesia enim est domus Dei; 1. Tim. 3, 15. Heb. 3, 6. Dominus hujus domûs est Christus; Heb 3, 6. Eph. 2, 21. domestici sunt omnes fideles, Ephes. 2, 20. in hac domo habentur omnes thesauri, Christi merito acquisiti; scil. gratia Dei, remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritûs Sancti & vita æterna. Materfamiliâs

Vide Tarn. in Joh. p. 4205.

Clavium traditio.

est itidem Ecclesia; Psal.68,13. (domus est respectu inhabitationi divinæ, materfamiliâs respectu administrationis ac dilectionis di vinæ) cui claves committuntur, ut iis & ad aperiendum & ad clau dendum regnum cœlorum utatur. Plura invenies apud D. Gerh pag.288. & 289. ubi hæc adjicit: Vox ἀφίενται alibi de remission peccatorum coram Deo usurpatur; ostendit igitur, remissionem i lam Ecclesiasticam coram Deo ratam & efficacem esse. Κρατεῖν vic lentam & fortem retentionem propriè significat; non quòd min stri externam quandam vim impœnitentibus inferre debeant; se veritas & efficacia hujus retentionis coram Deo exprimitur.

κρατεῖν.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Resurrectio Christi probatur.

I. Articulus fidei de Christi resurrectione iterum argumen tis firmissimis probatur; reperitur hoc loco, ne nos Judæorum v pertinacia vel blasphemia à certitudine resurrectionis Jesu Naz reni abducat. Vide D. Theod. in anal. Evang. part.2.p.60.61.

Precum conjunctio.

II. In adflictionibus & calamitatibus, sive publicis, sive priva tis, vota precesque, exemplum Apostolorum imitati, unanimiter conjungamus; suo enim effectu non carent. Psal.50,15. & 145,18.1 Jac.5,13. Jac.5,13. Matth.18,20. & 28,20.

III. Christus discipulis suis adparens, manifestum edidit bonitatis & misericordiæ suæ τεκμήριον. Esa.42,5. & 49,15. 1 Ps.103,9.17.

IV. Christus adventu suo vespertino innuere voluit, quo in omni adversitate, quando lux temporalis felicitatis nobis occ dit; cumprimis verò in vespera vitæ nostræ, sua consolatione gratiâ adesse nobis velit, ac vulnera sua nobis demonstrare, ut in lis conquiescere possimus. Psal.23,4. & 91,15. Cant.2,14.

Christi præsentia.

V. Christus nobiscum est, quando pia de ipso colloquia i stituimus. Matt.18,20. Luc.24,15. Col.3,16. Jac.4,8. D. Theod. p.58.

VI. Homines in luctu & tristitia constituti, vitent solitud nes. Vide Dom. Invocavit.

Cor hominis perversum.

VII. Cor hominis inconstans est & varium, præsumtuosu nimis in prosperis, timidum nimis in adversis. Jer.17,9. Deut.28,6 1. Par.29,19. Matth.26,13. Luc.21,33. Joh.13,37. 1.Cor.10,12. D. Theo pag.60.

Christus foribus clau-

IIX. Christus corpore clarificato revera ingressus fuit discipulos foribus clausis; quam corporis majestatem gloriosan

meritò pia admiratione veneramur. Testatum quidem fecit, in resurrectione sese sua verum & naturale corpus, adeoque illud ipsum corpus, in quo passionem illam suam sustinuerat, è sepulcro retulisse: illud autem corpus jam non ampliùs θνητοῖς ἐνεργείαις obnoxium, sensibus aut legibus physicis aliis subjacere; sed esse glorificatum, & proprietatibus corporis spiritualibus præditum; adeoq; nullum sibi corpus solidum obstare, quò minùs invisibiliter & incomprehensibiliter queat esse, ubicunq; velit. 1.Cor.15,45. Phil.3,21. Confer D.Theod.p.62.63.64.65.66.67. D.Gerh.p.248. seqq.

[margin: sis venit ad discipulos.]

IX. Inde de corporum nostrorum post resurrectionem glorificatione reddimur quam certissimi. 1.Cor.15,43. Philip.3,21. Job. 19,25.

X. Malè autem hoc claritatis gloriosæ specimen, contra expressa Scripturarum testimonia, negant Calviniani ad unum fermè omnes, nullo alio innixi (sed admodum ruinoso) fundamento, quàm imaginaria sua corporis humani veritate, quod ex intrinseca & essentiali necessitate perpetuò & ubique palpabile ac visibile fingunt; quodvis potiùs somniantes miraculum, quàm ultra communem sortem quidpiam, atque ita etiam miraculosam hanc corporis gloriosi majestatem, admittant corpori Christi, in unitatem & sublimitatem personæ τ̃ Λόγυ adsumto.

[margin: Calviniani negantes corporis Christi gloriam.]

XI. Christus, utpote unicus Dei & hominum Mediator, inter Deum iratum & genus humanum medius consistens, sua nos passione & resurrectione Deo reconciliavit; beneficia etiam, merito ipsius parta æqualiter omnibus verè credentibus distribuit. 1.Timot.2,5. Rom.5,10.

[margin: Christus Mediator.]

XII. Christus non fastidit, multò minùs abjicit imbecillos atque meticulosos, sed medium se illis ingerit. Esa.42,3. Matt. 18,20.

XIII. Quicquid Christus, ut verus Deus & omnipotens veritas, suis precatur & optat, id reipsa etiam confert, & juxta optionem ejus est efficax. Deus enim, secundum B.Lutherum, non verba, sed res loquitur.

[margin: Christi precari est dare.]

XIV. Falsum est & erroneum, quòd Calvinus in Luc.24. scribat, ex ignorantia linguæ ortum esse, quando nos pacem illam, quam Christus discipulis precatur, ad fructûs resurrectionis pertinere statuimus. Christus enim est pax nostra, quam peperit & imprimo post resurrectionem suam accessu annunciavit. Confer D. Theodor. pag.68. & seqq.

[margin: Calvinus negat pacem esse fructum resurrectionis.]

XV. Fru-

Resurrectionis Christi fructus.

XV. Fructus enim resurrectionis Christi certissimus est
1. pacificatio: quia unius Christi beneficio, morte ac resurrectione pax firma & perpetua cum Deo inita est. Esa.9, Zach.9,10. Luc.1,79. Eph.2,14. Rom.5,1 & 8,31. Psal.3, & 73,25. & 119,165. Joh.14,27. Act.10,36. Habemus exinde pacem
1. supra nos, cum Patre cœlesti: Coloss.1,22. & 2,14. Rom. 5,10. Jer.29,11.
2. intra nos, cum corde nostro: Rom.5,1. & 8,16. Phil.4, 1.Joh.3,21.
3. circa nos, in mundo: Joh.16,33.
4. infra nos, à diabolo & inferno liberati: Ose.13,14. 1.Corint.15,55. Col.1,13. Esa.32,17. Rom.16,20. Col.2,15. Joh. 14,27. Phil.4,7.
2. Gaudii participatio. Rom.14,17. Job.19,27. Joh.17,24. 1.Johan.3,2.
3. Ministerii instauratio. Psal.68,12. Eph.4,8. 2.Cor.3,8. Matth. 10,20. Luc.10,16. 2.Cor.5,20.

Ministerium reconciliationis.

XVI. Ministerium est illud medium, per quod Deo reconciliamur; ideoque pacem precatur, ministerium Apostolis commissurus. 2.Cor.5,19. Esa.52,7. Nah.1,15. Zach.9,10. Act.10,36. Eph. 2,17. & 6,15.

Christus corpore suo vero resurrexit.

XVII. Christum vero suo corpore, quod in sepulcrum erat depositum, resurrexisse, manuum, pedum ac corporis vulnera manifestò probant; quod contra Eutychianos & Anthropomorphitas diligenter est observandum. D.Theod.p.70.

XIIX. Unde colligere promtum est, respectu etiam nostri idem aliquando numero corpus, quod vermibus absumendum in terram deposuimus resurrecturum. Job.19,26. Esa.26,19. Ez.37,5. 1.Cor.15,43,44. Phil.3,21.

Vulnera & στίγματα in corpore Christi glorioso.

XIX. Christus vulnera & στίγματα in corpore clarificato retinuit, non ex necessitate, sive indigentia quadam naturali; sed οἰκονομίᾳ & dispensatione singulari. D.Theod. p.71.

XX. Statuunt pii veteres unanimi ferè consensu, retinuisse Christum στίγματα seu vestigia vulnerum suorum, etiam in ipsa cœlos adscensione, retenturum etiam in reditu ad judicium, quin in ipsa etiam vitæ æternæ gloria. Vide de his meditationibus veterum ἐπίκρισιν & judicium D. Gerh.pag.318.319.

XX

XXI. Retinuit autem vulnera, in resurrectione quidem sua, & post eam, resurrectionis suæ confirmationem; in adscensione verò, ad gloriæ Christi victoris testificationem; in extremo die, ad hostium & impiorum confusionem; Zach.12,10. Joh.19,37. Apoc. 1,7. in æterna demum vita retinebit, ad electorum lætitiam & consolationem. Esa.49,16. Zach.13,1. Confer D. Tarn. in Joh. p. 4013. 4014.

Vulnera cur retinuerit Christus

XXII. Stabilitur hoc loco ordo Ecclesiasticus, in docendo verbo Dei, & promovendo hominum salute occupatus. Rom.10,15. Eph.4,11. Act.1,8. Jer.23,21.

Ministerii fundatio.

XXIII. Auctor & fundator ministerii est ipse Deus, unde summa ejus dignitas perspicitur. Esa.61,1. 2.Cor.5,20. Esa.41,27. Jer.1,5. Vide Dn. D. Theod. p.73.74.75.76.77.78.

XXIV. Ad officium itaque docendi nemo sese ingerat. Jer. 23,23. Sir.7,4. Hebr.5,4.

XXV. Apostolis non data est potestas politica, sed remittendi peccata facultas. Malè ergò facit Papa cum universo clero suo, sibi rapiens & usurpans jurisdictionem politicam. Sicut me misit Pater &c. Joh.6,15. & 18,36. Luc.12,14. & 22,26.

Papa politicam jurisdictionem rapit.

XXVI. Nemo est idoneus ad docendum in Ecclesia, nisi instructus sit virtute ex alto. Exod.4,10. Luc.24,49. Jer.1, 6. Es.11,1. 2. 2. Cor.3,6.

XXVII. Missus est Christus à Patre suo duplici fine;

Missionis Christi finis.

1. *ad opus redemtionis*; Matth.20,28. 1.Tim.2,5. Esa.63,3.
2. *ad officium prædicationis*. Joh.1,18. & 18,37. In hjus officii societatem admittit & vocat Apostolos & alios, ita tamen, ut ipse maneat supremus Ecclesiæ Episcopus. Heb.3,6. 1.Petr. 2,25.

XXIIX. Apparet ex hac missione, quid verbi ministris incumbat.

Officium ministrorum verbi.

1. Christus non est missus ad dominandum, sed ad prædicandum; ita Apostoli & eorum successores non exerceant regimen politicum, sed verbum Dei annuncient. Deut.18,18. Esa 61,1. Luc.4,18. & 22,25.
2. Christus missus est non suam, sed Patris cœlestis prædicare doctrinam: ita ministri Ecclesiæ non propria somnia proferant, aut novas doctrinas fingant, sed verbum Dei purè ac sincerè doceant. Joh.8,27. & 14,10.24. & 15,15. Jer.23,16. 1.Pet.4,11.

3. Christus non novas tulit, sed veterem legem explicando ad pœnitentiam vocavit homines; idem faciant verbi præcones. Matth.5,17. & 9,13. 1.Pet.5,3.

4. Christus venit non perdere, sed servare animas: ita Ecclesiæ ministri non committant prætextu Evangelii Reges ac Principes, nec bellis implicent, sed prædicatione verbi salutem hominum curent. Johan. 3, 17. Luc. 9,56. 2.Cor.13,10. Patet inde, cujus Vicarius & successor sit Papa Romanus. D. Gerh. p. 286.

Trinitas. XXIX. Expressum h.l. habemus testimonium S.S. Trinitatis: quia omnium personarum perspicua fit mentio, & ita quidem, ut realiter à se mutuò distingvantur.

Christi divinitas. XXX. Pro Divinitate Filii Dei adserenda militat id, quòd eandem cum Patre potestatem mittendi Ecclesiæ Doctores obtinet. Psal.68,12. & 147,15. Matth.23,34.

Spiritus Sancti à Filio processio. XXXI. Spiritum S. non à Patre tantùm, sed & à Filio procedere, probatur inde, quòd adflatu suo Spiritum S. discipulis conferat & communicet: Rom.8,9. Gal.4,6. 2.Thess.2,8. Joh.15,26. Phil. 1,19. quod contra Græcos notandum, tantùm per Filium procedere Spiritum S. adfirmantes.

Spiritûs Sancti divinitas. XXXII. Sed & Deitas Spiritûs Sancti ex hoc loco invictè exstruitur, quòd

1. à Patre Filioque procedit; processio autem illa nihil est aliud, quam divinæ essentiæ Patris & Filii participatio:
2. ad regimini ministerii Ecclesiastici adhibetur, quod ipsum divinam planè potentiam præsupponit, uti ex modò dictis patet:
3. remissio peccatorum, soli aliàs Deo propria, illius potestati transscribitur. Marc.2,7.

Ministerii director. XXXIII. Spiritus Sanctus est primarius Ecclesiastici ministerii director. Gen.6,3. Joh.16,8. 2. Cor. 3, 8. Confer D. Theod. p. 79. seqq.

XXXIV. Deus cœlestia sua dona per media contemta & abjecta distribuit. 1.Cor.1,26. 2.Cor.10,4.

Papistarum insufflatio. XXXV. Nihil ex adflatu Christi patrocinii accedit ad Papistarum insufflationem superstitiosam & ridiculam, quam Baptismo infantum adhibere illi solent. Factum narrat Evangelista, non institutionem operis faciendi. Caret mandato, caret pro- mis

missione; falsa ergò Costeri adsertio: flatu in Baptismo diabolus expellitur.

XXXVI. In divinis inter infinitum & finitum aliqua datur proportio, quod ex sensibili flatu & Spiritûs Sancti per illum collatione probat D. Finck. Cent 4. can. 76.

Finiti & infiniti proportio.

XXXVII. Monemur de potestate clavium, ministris Ecclesiæ concessa. Matth. 18, 18. 2. Sam. 12, 13. 1. Cor. 5, 5. Chrysostomus ait: Vox ministri, vox Dei est: quæ in terris agunt Sacerdotes, ea in cœlis rata habet Deus, & servorum sententiam confirmat Dominus.

Claves Ecclesiæ.

XXXIIX. Gravissimum itaque errorem artârunt olim Novatiani, post Baptismum in peccata prolapsis omnem veniæ spem denegantes: quâ quidem ratione clavis solventis nullus esset in Ecclesia usus. Luc. 24, 47. Ambrosius, injuriam Deo fieri summam adseverat.

Novatiani

XXXIX. Abutitur clave solvente & ligante Papa Romanus, tùm ad primatum stabiliendum, tùm ad loculos suos nummis complendos. Vide D. Theod. pag. 83. 84. 85.

Papa abutitur clavibus.

XL. Ministri Ecclesiæ reverâ remittunt peccata; neque est Christo illud injuriosum: quia potestas remittendi peccata Christo est ἀυτεξουσιαστική ministris ὀργανική sive διακονική. Christi est ea potestas κυρίως, quia est ejus tanquam Domini, & ex ipso: ministrorum ὀργανικῶς, quia sunt ipsius legati, habentes ministerium alienæ potestatis sive claves. D. Tarn. p. 4007.

Peccata remittunt ministri Ecclesiæ.

PARS II.

In secunda Evangelii parte recitatur specialis de Thoma Apostolo narratio; quâ significatur

1. quis fuerit Thomas, tùm ratione cognominis, quòd dictus fuerit δίδυμος, geminus, duplex; vel quia reverâ gemellus, vel quia hoc nominis arbitrariè ipsi in circumcisione fuit adsignatum: tùm ratione functionis; Apostolorum unus; vel uti Johannes habet, unus ex duodecim, non quòd duodecim fuerint Apostoli, cùm hæc historia contingeret; sed quòd duodecim fuerint, cùm hæc historia à Johanne describeretur, Matthiâ jamdum in collegium Apostolorum electo & cooptato.

Thomas Didymus.

2. Quid fecerit, & quàm enormiter per incredulitatem peccârit. Incredulitatis autem istius commemoratur,

1. causa efficiens triplex;

1. concionis paschalis contemtus;

2. Spiritûs S. defectus;

3. rationis humanæ impulsus, vel carnis adfectus.

2. Forma, quæ notis quibusdam exprimitur. Nam

1. audit res gestas, de Domino, à reliquis discipulis viso:
2. discipulos reliquos mendacii arguit omnes:
3. sensu videndi non contentus, singularem patefactionem per visum & contactum requirit. Plura hîc non addo, sed Lectorem benevolum ad festum Thomæ remitto.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Incredulitas. I. Monemur de incredulitate, peccatorum reliquorum omnium fœcunda quadam matre. Hebr.3,12. Apoc.21,8. Marc.16,14. Luc.1,20. Joh.3, 18.36. & 16, 9.

Fides opus Dei. II. Fides non est opus humanarum virium, sed solius Dei. Joh.6,29. 1. Cor.12,6.2. Thess.3,2. Phil.1,29.

III. Conciones publicæ nunquam sunt negligendæ. Fides ex auditu: Ergò incredulitas ex verbi contemtu. Roman.10,18. Matth.18,18.

IV. Verbo simpliciter credendum & adhærendum. Heb.11,1. Joh.20,29.

V. Facilis est lapsus in peccatum incredulitatis, si rationem attendamus, ejusdemque ductum sequamur. 1.Cor.2,14.

Seductio diaboli. VI. Duplici τ̃ μεϑοδειῶν genere mortalium plurimos hodieque, proh dolor decipit ac seducit satanas:

1. à verbo eos abducendo; hic primus ad securitatem est gradus.

2. rationi nimiùm tribuendo. Amemus ergò verbum salutis. Rom.1,16. Act.13,26. Esa.12,3. Jac.1,21.

Thomistæ. VII. Thomistarum inter Christianos non pauci adhucdum reperiuntur, qui cùm sint discipuli Christi, verbo tamen ipsius fidem derogant; aut obliviosi ejusdem sunt auditores. Jac.1,22,25. Es.38,18. Ps.77,3. aut à Christo deficiunt; Joh.11,16. Ps.31,23 aut verbum prædicatum risu excipientes despicatui habent. Gen.19,14. Jer.5,3. & 6,10. Orandus ergò Deus, ne à fide nos excidere sinat. Marc. 9,24. Luc. 17, 5.

Resurrectio creditu difficilis. IIX. Magna est articuli de resurrectione difficultas. Fides verò innitatur *1. Scriptura S. firmitate;*

2.

2. Dei potestate;
3. Dei veritate;
4. Dei justitiâ & æquitate;
5. Sapientiæ divinæ sublimitate.

IX. Grande admisit Thomas peccatum, (1) non credendo; (2) deficiendo; (3) mendacii Christum & Apostolos arguendo; (4) in peccato perseverando; (5) ordinaria media respuendo; (6) rationi nimium indulgendo. **Thomæ peccatum.**

PARS III.

Complectitur hæc tertia pars aliam Domini Φανέρωσιν sive adparitionem, cujus notetur

I. *Descriptio*, in qua exprimitur

1. *Tempus*: iisdem enim fermè circumstantiis hæc adparitio describitur, quibus superior absolvebatur; nisi quòd hoc loco in tempore quædam occurrat varietas; facta est enim octavo post resurrectionem Dominicam die; hunc esse sensum particulæ μεθ', ostendit D. Gerh. in harm. resurr. p. 311. Quæritur hîc à nonnullis, qui factum, quòd post octo demum dierum intervallum adpareat Thomæ Jesus? Sanè agnoscenda est meritò hac quoque in parte liberrima ejus voluntas; adsunt tamen causæ dilationis probabiles; nimirum.

1. *Negligentiæ & oscitantiæ Thomanæ redargutio*;
2. *fidei reliquorum probatio*;
3. *desiderii exsuscitatio*;
4. *glorificationis nostræ præfiguratio*: Sex sunt dies vitæ nostræ; septimus quietis; octavus gloriæ & manifestationis. Confer D. Gerh. p. 311. 312.

2. *Locus*; in domo eadem fuerunt discipuli congregati, in qua ante octiduum convenerant.

3. *Modus*; accedit foribus clausis, medium ipsis sese exhibens.

4. *Finis*; propter Thomam credere nolentem. Timiditatis est & infirmitatis in fide non exiguæ, quòd adhuc foribus clausis sese munivetint Apostoli: φιλαδελφίας verò & humanitatis singularis, quòd Thomam incredulum in consortio suo ferant, amicè eum informantes, neque post unam atque alteram admonitionem excommunicationis fulmen in ipsum vibrantes.

II. *Adparentis oratio*; neque enim mutus adparet, sed loquitur. Oratio verò Christi est

1. φυικὴ, *generalis*, ad omnes conjunctim Apostolos directa, qua suam illis iterum pacem precatur.

2. ἰδικὴ, *specialis*, ad Thomam seorsim instituta: illum enim uti oviculam errantem mollissimè tractat, & blandissimè compellat. Habetur hac oratione

Resurrectionis Christi demonstratio.

1. ἀπόδειξις, *resurrectionis demonstratio*; verè enim sese à mortuis redivivum adesse, h.e. resurrexisse, evincit & probat

 1. σίγματα *corporis ostendendo*; quando jubet

  1. inferre digitos in vulnera & clavorum vestigia; τὸ δεικτικὸν ὧδε, infer digitum tuum huc, illud indicat, Christum vestigia clavorum in manibus, & vestigium vulneris in latere eo ipso simul ostendisse, cùm ad Thomam hæc diceret. Et ἀξιομνημόνευτον est, quòd eadem omninò verba repetat Salvator, quæ ad reliquos discipulos temerè Thomas ante octiduum effutierat.

  2. contemplari manus pedesque perforatos;

  3. immittere manum in latus sauciatum.

 2. *Palpandum sese exhibendo*;

 3. *Verba incredulitatis Thomanæ reponendo*.

2. ἐπιτίμησις, *amica incredulitatis increpatio*, qua hortatur, Thomam, ut posthac, omni valere jussa incredulitate, firmiter Christum resurrexisse credat: noli esse incredulus, sed credens; loquitur non solùm de actu credendi, sed etiam de habitu fidei, ut sit sensus, Thomam non solùm in præsenti debere credere, sed etiam in eadem fide perseverare; ita enim usurpatur vox πιςὸς, Act.10,45. 2.Cor.6,15. Eph.1,1. Apoc.2,10. uti adnotat D. Gerh. p.315.

III. Thomæ conversio & confessio, tanquam fructus & effectus adparitionis novæ. Ille enim in stuporem propemodum totus conversus, nova agnitionis luce & repentino motu, pectus suum illustrari sentiens, præ gaudio exclamat: Domine mi, & Deus mi; vel ut alii rectiùs in Nominativo exponunt, *Dominus meus & Deus meus*, sc. es tu, ut sit sententia enunciativa, non exclamativa, qua affirmatè testatur, quid de Christo sentiat ac credat. Cùm enim ex ipso intuitu & contactu intelligeret, Christum in eodem corpore, in quo clavis & lancea confixus erat, resurrexisse, cumque audiret, Christum exactè omnia novisse, quæ ad reliquos discipulos protulerat, ex eo colligit, Christum non solùm verè resurrexisse, sed etiam per hanc resurrectionem sese Deum ac Dominum potenter de-

Thomæ confessio.

declarâsse; Luc.24,26. Rom.1,3. ideoque Thomas vera fide suum Dominum ac suum Deum esse Christum confitetur. D. Gerhard. p. 322. Dominum autem fatetur, h. e. Redemtorem, Liberatorem ac Salvatorem suum unicum: Deum verò, cujus solius est, corda hominum subitò immutare quod in se factum Thomas persentiscit. Patet ex dictis, Thomam non priùs ad fidem perductum, quàm ipso tactu convictus esset. Debuisset ad primum Christi intuitum pudore ac rubore suffundi; sed audacter & intrepidè digitos suos in vestigia clavorum in manibus, & manum suam in latus Christi ingerir, donec tandem accedente internâ mentis illuminatione resipisceret & exclamaret, Dominus meus &c.

IV. Ulterior Thomæ instructio, quâ Dominus breviter explicat causam fidei ac salutis, tùm veram verbi prædicationem & auscultationem; tùm adparentem miraculorum perpetrationem. Thomas credit, sed convictus miraculis, ipsaque *αυτοψία*; sed rectiùs facit, qui ad solam verbi prædicationem credit. Ita enim habet Christi de Thomæ confessione judicium: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt.* Quibus verbis Thomæ quidem fidem ac confessionem adprobat, atque hoc ipso se verum Deum ac Dominum esse demonstrat: illud verò obliquè improbat, quòd Thomas credere noluit Apostolorum testificationi, antequam ocularis demonstratio accederet & judicium sensuum. Rem ipsam adprobat; at modum rei improbat; beatos interim prædicans eos, qui non videntes crediderunt & posthac credent.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Habemus iterum illustre bonitatis ac misericordiæ divinæ exemplum in Thomæ conversione, quam hodieque deprehendere licet, *Bonitatis divinæ exemplum.*

1. *ex pastoris adsimilatione*, cujus proprium est, errantes oves quærere: Ezech.34,15. Luc.15,4. seqq. Joh.10,12.
2. *ex quotidiana pro nobis intercessione:* Esa. 53,6.12. Rom. 8,34. 1.Joh 2,1.2.
3. *ex nostra per Evangelium vocatione.* Matth.9,14. & 11.28. Esa. 45,22.

II. Chri-

II. Christus veterem salutationem & pristinam pacis comprecationem repetendo docet, se non adferre novum Evangelium, à priore diversum, sed vetus Evangelium prædicare, quod annunciat nobis pacem, h.e. reconciliationem generis humani cum Deo 2. Cor. 5, 18.

Christi majestas.

III. Monemur de Christi-Hominis Majestate, qui sine aliorum relatione novit, quid inter Thomam & discipulos actum ac dictum sit. Col. 2, 3. 9.

IV. De miranda & consolatione plenissima Christi φιλανθρωπία, quòd denuò in gratiam Thomæ adparet, seque ipsum ei videndum & palpandum exhibet.

Pace nihil melius.

V. Christus solam pacem discipulis suis precando monet, nihil in hac vita pace jucundius, præstantius & fructuosius esse. Psal. 34, 15. & 122, 7. & 133, 1. 2. 3. Sir. 25, 1. 2. Eph. 4, 3. Col. 3, 15.

VI. Exemplum ἀρχιποιμένος Jesu Christi secuti Ecclesiarum ministri, sedulam agant animarum curam. 1. Pet. 5, 2. Heb. 13, 17. Act. 20, 31. Ezech. 34, 4.

Vulnera Christi.

VII. Rutilantia Christi vulnera, sunt Biblia practica, de salutis nostræ certitudine testificantia: ex illis enim intelligimus, nos in manibus Christi descriptos esse. Esa. 49, 16. Zach. 13, 1. Roman. 8, 34.

IIX. Conversioni non est pertinaciter resistendum. Jer. 8, 4. 5. 6. Joh. 12, 42.

IX. Christus est θεάνθρωπος, verus Deus & verus Homo, ex confessione Thomæ. Vide locos & libellos methodicos.

Communicatio naturarum.

X. Thomas tangens carnem Christi, tangit Deum incarnatum, unde de communicatione naturarum fieri potest judicium.

Christi divinitas.

XI. Quòd Thomas non solùm Deum, sed & Dominum suum vocat Christum, id ad divinitatis confirmationem haud incommodè refertur. D. Gerhard. harm. resurr. p. 325. Tarn. p. 4014.

Christus Dominus dupliciter

XII. Christus duplici jure est & dicitur Dominus: juxta divinam Naturam est Dominus, per æternam à Patre generationem; juxta humanam Naturam Deus ipsum fecit Dominum. Act. 2, 36. Joh. 17, 2. Psal. 8, 7.

XIII. Ad tertium genus communicationis idiomatum pertinet prædicatio, quâ Thomas Christum vocat Dominum suum: quia secundum humanam Naturam donatum est ei dominium illud super omnia. D. Gerh. p. 325.

XIV.

XIV. Christus Dominus noster est, jure tùm Creationis, tùm redemtionis. Psal.100,2. Joh.1,3. Col.1,16. Hebr.1,2. & 2,15. Joh.8, 36. Job.19,25. Gal.2,20.

Christus Dominus.

XV. De fidei salvificæ natura:

Fidei natura.

1. perpetuâ verbi opus habet miditatione:
2. fide homo salvatur: Rom.3,28. & 10,4.
3. fides est τῶν μὴ βλεπομένων, rerum quæ non videntur: Hebr. 11,1. Rom.4,18. 1.Pet.1,8.
4. confessionem de Christo perspicuam edit. Romano. 10,10.11. Matth. 10,32.

XVI. Si Christus Dominus, nos servi ejus; utique facit hæc consideratio ad nostri

Servi nos sumus Christi.

1. *cohortationem*, ut servos frugi nos præstemus,
   1. *Dominum nostrum verè amando*: Joh.21,16.17. Eph.3,18. 1.Cor.16,21.
   2. *Domino obtemperando*: Psalm.123,2.3. 1.Sam.15,22. Joh. 14,21. & 15,14.
   3. *Domino adpropinquando*: Exod.20,24. Psal.26,9. & 27,9.
   4. *Dominum per angusta sequendo*: Psalm.4,4. Sir.2,1. Act.14,22.
   5. *Munditiei & puritati studendo*: Matth.5,8. Luc.1,75. 1.Thess.4,7.8.
   6. *Fideliter ei serviendo*. 1.Cor.4,2. Apoc.2,10. Matt.25,21.
2. *Consolationem*. Christus bonum sese erga nos Dominum declarabit.
   1. *curam nostri agendo*, ut corpori & animæ benè sit: Ps. 23,1. & 34,11. & 37,4.5. & 55,23. & 132,15.
   2. *in adversitatibus præsentem nobis sese sistendo*; juvando, eripiendo: Ps.91,15. Esa.41,10. & 43,1.2. & 46,4.
   3. *pacem largiendo*;
      1. in vita; Esa.32,17.18.
      2. in morte; Romano.5,1. & 8,1. Gen.15,15. Luc.2,29. Sap.3,3.
      3. in extremo die. Psal.29,11. & 72,7. & 119,165. Esa. 32,18. & 55,12. & 57,2. Luc.19,38. Joh.16,33. Rom. 14,17.

Ter repetit votum pacis, ob triplicem, quam merito suo nobis peperit, pacem;

1. internam;
2. externam; &

3. aeternam. Ipse autem Dominus pacis det nobis pacem semper omnibus modis. 2.Thess. 3, 16.

XVII. Non exspectemus novas in hac vita revelationes è cœlo, sed audiamus verbum, fidei excitandæ & augendæ medium. Joh.17,20. Hebr.11,1. Rom.10,17.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Duplex in hoc Evangelio nobis proponitur Salvatoris post resurrectionem φανέρωσις sive manifestatio; unde duæ emergunt concionis partes; quarum

I. una adparitionem, Thomâ absente;

II. altera adparitionem, Thomâ præsente; factam enarrabit.

PARS I.

Initiò mentionem facit Johannes Evangelista & Apostolus adparitionis cujusdam, quæ contigit ipso resurrectionis Dominicæ die, circa crepusculum vespertinum; fuitque ejus diei ultima, eadem cum illa, de qua feriâ tertiâ Lucam concionantem audivimus. Pro meliori adparitionis istius intelligentia, textum σαφηνείας ἕνεκα in duo dispescimus membra; quorum

1. de ipsa adparitione;

2. de iterata ministerii Apostolici institutione agit.

I. In adparitione describenda utitur Evangelista Johannes

1. temporis notatione, de quo jam modò & dispositione primâ verba fecimus.

2. Modi determinatione; venit Jesus ad discipulos congregatos θυρῶν κεκλεισμένων: Dominus enim naturæ jam nullis ampliùs naturæ legibus subjacet. clausis ergò foribus, & clausis manentibus, seu (quod idem est, quamvis particula διὰ non adsit) per clausas fores ingreditur Christus, repentè & ex improviso, nullâ factâ januarum vel pulsatione, vel adapertione, in medio discipulorum adsistens, secundum illud Poëtæ:

Christus foribus clausis venit.

Improvisus adest & inobservabilis Heros,
Cùm clausæ mansêre fores mansêre fenestræ:

Miraculoso hoc suo ingressu confirmans, *tùm* divinam suam majestatem & potestatem; *tùm* corporis glorificati subtilitatem; *tùm* prædicationis Evangelii posthac in toto terrarum orbe liberta-

tem;

tem; Matth.28,18.19. Marc.16,15. Luc.24,46.47. Eph.2,12.13.14. *tùm* officii mediatorii dignitatem; 1.Tim.2,5. *tùm* inopinati ad judicium adventûs celeritatem. Rationes adsertionis pete ex D. Pelarg. quæst. in Joh. f. 217. a.b.

3. Resurrectionis demonstratione; verè enim Christum resurrexisse, demonstrat dupliciter:

Resurrectionis demonstratio.

1. locutione, vel amicâ pacis adprecatione. Consistens enim in medio discipulorum pacem illis precatur; non tantùm secundum communem Judæorum consvetudinem; sed vel maximè quòd plerique eorum angerentur animi, tùm ob absentiam Magistri, tùm ob imminentia pericula. Porrò pacem discipulis exoptat.

Pacis votū.

1. *ob meliorem per consvetam salutationis formulam manifestationem*: Matth. 10, 12.13.
2. *ob discipulorum exhilarationem & consolationem*;
3. *ob dignitatis sacerdotalis significationem*; Num.6,24.25.26.
4. *ob fructûs, passionis & resurrectionis beneficio parti, declarationem*; pacem enim precando innuit,
   1. Deum hominibus offensum, jam placatum & reconciliatum; Eph.5,2. Psalm.143,2. Jer.29,11. Eph. 2, 18. Rom.5,1.2. Jer. 31, 20.
   2. diabolum mundi principem devictum & prostratum; Johan. 16, 33.
   3. animum malè sibi conscium tranquillatum; Ps.116,7. Joh. 14,27. Hebr.9,14. Rom.4,24.
   4. parietem intergerinum sublatum. Eph. 2, 14. Esa. 11, 6,7. 8. 9. Zach. 3, 9. 10.

2. Manuum laterisq; ostensione, quod ideò factum putatur,

Vulnera cur Christus retinuerit.

1. ut illud corpus, quòd cruci fuerat adfixum, resurrexisse monstraret;
2. ut discipulos in fide confirmaret;
3. ut dilectionem erga nos suam manifestaret;
4. ut dubitantium corda vulnerum suorum retentione sanaret.

4. Gaudij in animis discipulorum oborti significatione. Gavisi enim sunt discipuli viso Domino. Merito discipuli, inquit Haymo, qui de passione Domini contristati fuerant, de ejus resurrectione lætati sunt, ut impleretur, quod eis à Domino prædictum fuerat: iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Johan.16,22. Nec absque magno gaudio esse poterant, cùm Domi-

opus erat, doctrinam Evangelii confirmarent & propagarent. Hæc ille pag. 538. Ter itaque acceperunt Apostoli Spiritum Dei Sanctum, in conversione *ad sanctificationem*; sub adflatu *ad prædicationem*; & sub vento *ad operationem*.

Spiritum S. Apostoli ter acceperunt.

4. *Clavium traditionem*; quâ potestatem eis plenariam concedit, & peccata remittendi credulis atque resipiscentibus; & retinendi peccata incredulis ac impœnitentibus.

Clavium traditio.

USUS I. Informatorius.

I. De auctoritate & dignitate ministerii Ecclesiastici. Est enim illud, non inventum vel figmentum humanum, sed à Deo ipso in salutem hominum institutum. Gal.1,1. 1.Cor.4,1. 2.Cor.5, 20. Vide dispos. præc. plura.

Ministerii dignitas.

II. De fructu resurrectionis Christi, qui est pax, quam commendat,

Resurrectionis Christi fructus.

1. *auctor*, qui Deus: Rom.15,33. & 16, 20. 1.Cor.14,33. 2.Cor.13,11. Phil.4,7. 1 Thess.3,16.
2. *Christi* in pace hac reparanda *labor, dolor, cruor*; Esa.53,5.
3. *valor*; custodit enim corda piorum, ne animum despondeant in tribulatione, tentatione, legis, diaboli & conscientiæ accusatione: Phil.4,7. Rom.8,31.32 33.34.35.39.
4. *perpetuus vigor*. Esa.9,7. & 32,17.18.

II. Consolatorius.

1. Concionatorum, ex legitima ad ministerium vocatione & missione. Opponant illi hæc *tùm* mundi odio & malignitati; Amos.5,10. Psal.118,6. & 120,7. Rom.8.31. *tùm* propriæ indignitati & infirmitati. 2.Cor 3,5.

2. Auditorum; faciunt ipsis hæc omnia,
   1. *ad absolutionis certitudinem*; Matth.18,18. 2.Cor.5,20.
   2. *contra peccatorum magnitudinem & multitudinem*. Esa.38,17 Mich.7,18. Lutherus: *absolutus per clavem potiùs mori debet, & omnem creaturam negare, quàm de absolutione sua dubitare.* Confer Monr. thes. pag. 412.
   3. *Ad beneficiorum*, Christi resurrectione partorum, æstimandam *amplitudinem*; cujusmodi sunt,
      1. *pacis aureæ restitutio*, publicatio & per Evangelii prædicationem oblatio; Esa.52,7. Zach.9,10. Luc.1,79. Act.10, 36. 2.Cor.5.18.19. Rom.5,1. Psal.4.9.

2. *ministerii institutio;*

3. *adoptio;*

4. *Spiritus Sancti effusio, & peccatorum remissio.*

5. *singularis miserorum dignatio*; adest enim consternatis mentibus; Psal. 91, 15. Matth. 28, 20. ipsisque vulnera sua ostendit:

Vulneribus Christi fit medicina meis.

Sim precor in requie propter tua vulnera quinq;.

6. *Futura in altero seculo mutua cognitio*, & svavissima beatorum colloquia, sicut h. l. inter Christum redivivum & Apostolos jucundi sermones miscentur.

III. Monitorius.

Clavium usus.

I. Ad verum clavium usum; ut neque cum Novatianis veniam in peccata prolapsis denegemus:

Scimus conversis veniam non esse negandam;

Sed nulli nostrûm est ultima nota dies:

neque ad flagrantia auditorum delicta mutorum instar canum obmutescamus. Esa. 56, 10. & 58, 1. Ezech. 3, 17. Jac. 4, 4. Gal. 1, 10. Jer. 8, 5. Hebr. 13, 17. 1. Thess. 4, 8. 1. Tim. 5, 20. Monr. thes. p. 413.

II. Ne quis absque legitima missione docendi partes in Ecclesia sibi sumat. Jer. 23, 21.

III. Ne quis legatos Christi eorumque vel solutionem vel ligationem parvi pendat vel ludibrio habeat, sed magni quisque faciat. Luc. 10, 16. 1. Cor. 4, 1. 2. Cor. 5, 20. 1. Thess. 5, 12. 13. & 4, 8. Gal. 4, 13. 14. Confer Monr. thes. p. 414.

IV. Refutatorius.

Papismus ex pœnitentia faciens Sacramentum.

Pontificiorum 1. ex pœnitentia & absolutione Sacramentum N. T. propriè ita dictum, efficientium. Schererus p. 359. Von der Buß vnd Absolution ist zu halten/ daß nicht ein schlecht vnd gering Ding darumb sey/ sondern ein H. Sacrament. Petit principium Suita. Neque enim sufficit ad constitutionem Sacramenti, propriè ita dicti, promissio gratiæ, qualicunque ritu externo annunciata: Sed necesse est, ut promissio gratiæ alicui externo & visibili symbolo, per expressam Christi institutionem, ita sacramentaliter copuletur, quo gratia Evangelica per illud elementum dispensetur. Accedat verbum ad elementum, & ita fit Sacramentum. Vide plura in Vindic. Dn. Meelf. dec. 3. disp. 6. th. 124. seqq. Omne

Sa-

Sacramentum propriè dictum constat externo & visibili elemento divinitùs instituto; est verum & integrum etiam absque fide; non est commune utrique Testamento &c. quod in pœnitentia & absolutione non datur. Quòd autem Apologia A. C. pœnitentiam vocat Sacramentum, id ad imitationem factum quorundam veterum, & accipitur ibi vox Sacramenti ἐν πλάτει, significatione latiori, eò quòd per absolutionem privatam & in illa non generaliter, ut in verbi prædicatione, sed speciatim unicuique in singulari & in individuo promissio gratiæ annunciatur. Confer D. Echart. in pandect. part. 2. p. 259. 2. Ecclesias nostras criminantium, ac si ministerii actiones ad quosvis, universos & singulos homines, etiam citra legitimam vocationem, Anabaptistarum in morem, extendamus, cuilibet permittentes docere publicè in Ecclesia, absolvere & Sacramenta administrare. Hinc Tonsor ille Jesuiticus p. 358. b. huncin modum calumniatur: Dieses alles gehet gestracks wider Martin Luthers Lehr/ welcher zu unsern Zeiten geschwermet hat/ das ein iglicher vollkommenlichen Gewalt hab zu absolviren, zu binden und zu lösen/ da sey kein Unterscheid zwischen Mann und Weib/ Kind und gewachsenen Leyen/ und Geistlichen/ Beruffenen und Unberuffenen/ Engeln und Menschen/ Gabriel und Lucifer/ Teuffel und seiner Mutter rc. Sophistam agit Suita multipliciter, non attendens, malam exstrui consequentiam, à Sacerdotibus spiritualibus, quales à Christo Pontifice omnes sunt Christiani, 1. Pet. 2, 9. Apoc. 1, 6. ad Sacerdotes peculiari vocatione docendi officio præfectos. Ab extraordinario item ad ordinarium, vel à casu necessitatis ad cursum Evangelii non impeditum, concludi per quatuor terminos. Interim & hoc novimus, quanquam omnes credentes sint spirituales sacerdotes, non tamen omnes esse Ecclesiæ Doctores. 1. Cor. 12, 29. Eph. 4, 11. Cum ἀταξίᾳ Anabaptistica nihil nobis est commercii, quam extremè detestamur. Ex Luthero quæ producuntur, opponuntur illa coactioni vel carnificinæ potiùs Papisticæ; quam experiuntur ii, qui in Papatu examen vel torturam confessionariam sustinere coguntur. Inspice contextum Lutheri, videbis nil nisi calumnias pro more eructare Jesubitam. Nos His missis, progredimur ad secundam tractationis propositæ partem.

Pœnitentia quo sensu sacramentum.

Papisticæ calumniæ de ministerio & sacramentis.

PARS II.

Au-

Audivimus priorem *φανέρωσιν*; sequitur posterior, cui ansam Thomæ præbuit incredulitas, cum summa initiò pertinacia conjuncta. In considerationem itaque hoc loco venit

I. Thomæ παράπτωμα, malè factum. Peccat nimirùm ille graviter per *ἀπιστίαν* sive incredulitatem, quæ originem trahit

Incredulitatis Thomanæ causæ.

1. ex negligentiæ vitio. Neglexerat enim Thomas congregationem Apostolorum, atque ita concionem paschalem, superiori adparitione ab ipso Salvatore habitam, eluserat. Ex auditu fides: Rom. 10, 17. Ergò ex contemtu verbi incredulitas.

2. Ex cæcæ rationis judicio. Sensu namque videndi non contentus, contactum insuper Dominici corporis impiè & pertinaciter urget. Existimabat enim Thomas; Collegas suos deceptos fuisse, & non vulnera, sed similitudinem quandam vulnerum tetigisse; se, ait, prudentiorem fore, & non modò vestigia vulnerum, sed ipsam mensuram in manibus digito, in latere palmâ exploraturum; quæ si respondeat, tunc demum adductum se iri, ut adsentiatur. D. Calixt. p. 538.

II. Thomæ κατόρθωμα, rectè-factum. Præstat sese hic Christus

Christus Medicus & Pastor.

1. solertem Medicum & Pastorem, partim amissam ovem quærendo: (eum enim in finem secunda hæc adparitio est suscepta:) partim errantem in viam reducendo; quod fit per

1. repetitam pacis precationem;

2. & voti, sive postulati, licet iniqui, impletionem.

Magister & Doctor.

2. Fidelem Magistrum & Doctorem, cujus officium facit, tùm increpando, tùm informando, tùm ingenio Thomæ se accommodando.

Thomas quibus mediis conversus.

Habentur hoc in loco media, quibus Thomas incredulitate sanatâ in integrum restituitur, numero potissimùm tria.

1. Christi φιλανθρωπία, seu in homines, discipulos præsertim suos caritas, lenitas & *benignitas*, quâ factum, ut Thomæ desiderio annueret, & ei resurrectionis suæ fidem faceret, eodem modo & argumento, quo ceteris ante octiduum fecerat: hoc enim se cupere, verbis suis Thomas præ se tulerat. Quæ Thomæ

mæ cùm verba, tùm desideria sibi cognita esse, Servator præveniens mox ab ingressu suo declarabat.

2. *Christi post resurrectionem gloria & Majestas.* Hæc enim usq; adeò Thomæ perstringit oculos, ut in sonoram erumpat de Christo confessionem, tantò profectò celebriorem, quantò magis anteà fuerat incredulus; & non solùm profitetur, quòd credat Dominum resurrexisse, verùm quod majus erat, Deum illum esse. Tacto enim corpore & vulneribus ejus exclamat: ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, Dominus meus, & Deus meus: quæ verba non exclamationis; sed confessionis esse, articuli indicium faciunt; nempè adspectu & tactu cognovit illum, qui præsens adstabat, esse Dominum, cujus familiæ nomen priùs dedisset. Ex potentia verò, quâ è morte in vitam redierat, clausis januis intrârat, & occulta cordium enarrârat, agnovit Dominum illum suum etiam esse Deum suum. Neque verò homo Judæus ulli, quem non verum Deum agnosceret, Dei titulum & adpellationem tribueret, uti habet D. Calixtus p. 539. Dominum ergò vocat Jesum, non ratione tantùm creationis, redemtionis, sustentationis & gubernationis; sed ratione quoque Incarnationis, ad Humanitatis veritatem oculos convertendo. Deum verò nominat, de omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, misericordia, aliisq; divinæ naturæ, carni Christi verè ac realiter communicatis ἰδιώμασι, perspicuam edens confessionem. Confer Tungerl. promt. parr. 3. p. 511. & seqq.

Thomæ confessio.

3. *Fidei firmitas & integritas.* Non enim simpliciter Dominum & Deum, sed suum Dominum ac Deum vocat, quod solius est fidei, adplicantis sibi Christum cum universo suo merito. Quæ etiam causa est, quod Christus Thomæ conversionem ac beatitudinem soli fidei transscribat, inquiens: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non vident, & credunt. Fidem (Calixtus ait p. 539.) & confessionem quidem laudat, sed modum, quo credidit, reprehendit, nempè quòd non nisi evidentiâ victus crediderit: Fides enim non debet esse extorta, & ut scitè August. tract. 40. in Joh. *quid est fides nisi credere quod non vides?* Alludit autem ad eos etiam, qui non visuri erant Christum & nihilominus in eum credituri. Nam quòd dicit, beati qui non vident & credunt, convenit in omnes nos, qui à die ascensionis ejus, usq; ad extremum seculi, ipso non viso in eum credidimus.

USUS I. Informatorius.

Sanctorum lapsus

I. De sanctorum lapsibus, quibus & illi ex communi carni imbecillitate sunt obnoxii. Job.4,18.&14,4.&15,15. Ps.32,6.& 130,3 &143,3. Jer.10,23. Rom.9,16. 1.Cor.10,12.

II. De fidei veræ natura, quæ per confessionem sese publicam exserit, & rationem captivat. Rom.4,21.& 10,10. 2.Cor.10,5.

III. De causa vera, cur Christus post resurrectionem tangi sese permiserit? Quæstioni huic respondet Theophylactus istis verbis: *Per attemperationem ad illorum infirmitatem facta sunt hæc omnia, quod ingressum clausis januis, & ita tenue ac leve, omniq; liberum fuit crassitudine. Et ut credatur firmiùs resurrectio, hæc monstrantur. Et propterea surgit, habens signa crucis & vulnera: quia & quòd comedit, non necessitatis erat; sed ad confirmationem resurrectionis comedit: sicut & ante crucem in fluctibus ambulans, non alterius naturæ corpus habuit: ita & nunc palpabile ipsum & typos habens ostendit.*

IV. De persona Christi, sive de admiranda duarum in Christo naturarum unione: Est enim θεάνθρωπος, testimonium reddente Thomâ tàm de humanitate, quàm de Divinitate Christi. Consule autem de hac sublimi materia locos.

Beatitudo duplex.

V. De duplici beatitudine, (1) *inchoata*, quæ consistit in credendo; (2) & *consummata*, quæ consistit in videndo.

II. Consolatorius.

1. De Christi erga lapsos peccatores (modò sanabiles) *lenitate* Esa.42,3. Joh.10,12. Ezech.18,23. & 33,11. Matth.9,14. 1.Timoth.2,4. 2. Pet.3,9.

2. De fidelium *beatitate*. 1.Pet.1,8.8. Confer Monr. p. 417.

3. De vitæ æternæ *felicitate*: ibi enim fidere nostrum in videre mutabitur. Joh.16,22. Monrad. p. 418.

III. Exhortatorius.

1. Ad sedulam verbi divini auscultationem, quâ neglectâ facilis est in incredulitatem lapsus.

2. Ad sinceram de Christi persona, officio & beneficiis confessionem edendam. Matth. 10,32. Phil. 2,9.10.11. 1. Petr. 3,15. 1. Joh. 4,15.

3. Ad rationis in divinis cæcæ præjudicium cohibendum. Pro.25.27. 2.Cor.10,5.

4. Ad

4. Ad incredulitatem exterminandam. Johann. 3, 18. Apocal. 21, 8.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, qui 1. rem facilem fidem constituunt; cujus contrarium in Thoma. 2. Credendi facultatem vel libertatem in hominis arbitrio ponunt; quandoquidem Thomæ Christus dicat: ne sis incredulus, sed credens, h. e. Stapletono interprete, converte cor tuum ab incredulitate ad fidem. A præcepto enim ad posse, vel implendi facultatem, nulla planè militat consequentiæ ratio. 3. De gratia Dei & salute non dubitandum; Thomam enim Christus non jubet dubitare, vel ad sensum suspendere; sed firmiter Deo sese revelanti in verbo credere.

Papismus de fidei facilitate credendi libertate &c.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

SAt multa feriis hisce paschalibus de resurrectionis Dominicæ certitudine audivimus: Jam ergò secuti ductum prælecti Evangelii, *de beneficiis & fructibus, quos quidem sua à mortuis resurrectione Christus nobis peperit*, pauca adjiciemus.

Resurrectionis Christi beneficia & fructus.

Ἐξήγησις.

Beneficia fructusque paschales sunt multiplices. Præsens verò περικοπὴ Evangelica duodecim suppeditat fructûs, ex Christi resurrectione ad piorum quosvis redundantes. Horum

I. est *corporis nostri post resurrectionem glorificatio.* Ea certè est corporis Christi, è mortuis jam modò resuscitati conditio, ut fores clausas penetrâsse Evangelista noster commemoret, quæ corporis clarificati proprietas est characteristica. Jam verò corpora nostra glorioso Christi corpori aliquando futura sunt σύμμορφα; Phil.3,12. quin ergò eandem sint consecutura gloriam, dubium potest esse nemini. 1.Cor 15,42. seqq. 1.Joh.3,2. similes ei erimus, οὐ κατὰ ποσὸν ἀλλὰ κατὰ ποῖον; Theodoretus ait. Job.19,25. Psal.17,15. *Clausæ erant fores*, inquit h.l. Theophylactus, *ut ostendat, quòd ita surrexit, suppposito lapide super sepulcrum.*

Corporis glorificatio

II. Timoris abdicatio. Discipuli metu perculsi latent. Omnis iste timor in fumos abit, quamprimùm verè Dominum suum resurrexisse & vident & credunt. Hoc enim ipsum hostes omnes debellatos, victoriaque Christi triumphantis profligatos, enervatos,

prostratos, indubium planè erat testimonium. Ps.3,7.&27,1. & 34,5. & 46,3. Esa.8,12. & 43,1. Ezech.34,28. Luc.1,74. & 2,9. Joh.14,27. Roman.8,15. 1.Joh.4,18.

Pax Christi. *III. Pacificatio* sive pacis amissæ restauratio: hanc Christus discipulis suis ex morte redivivus precatur, inquiens: PAX VOBIS. Innuitur Paschali hac salutatione,

1. Patrem cœlestem hominibus reconciliatum; quibus antehac irascebatur graviter. Es.48,22. & 57,21. Jer.29,11. & 31,20. Ps.29,11. & 38,4. & 72,7. & 119,165. Esa.9,6. & 32,17.18. Joh.14,27. Eph.2,14.18. & 5,2. Rom.5,1.
2. Diabolum omnibus suis viribus exutum & devictum. Gen.3,15. Joh.16,33. 1.Joh.3,8.
3. Conscientiam esse pacificatam & tranquillatam: Rom.5,1. Psal.116,7. Hebr.9,14.
4. Parietem intergerinum esse sublatum. Eph.2,14. Es.53,5. Inserviunt hæc consolationi piorum, quibus pax isthæc in Evangelio pacis offertur. Esa.52,7. Zach.9,10. Luc.1,79. Act.10,36. 2.Cor.5,18.19. Fide enim justificati pacem habent in polo, choro, foro & thoro. Esa.9,7. & 32,17. Huc referre placet verba Theophylacti de pacis voto in hunc modum scribentis: *Memores eos fecit verbi, quod ante crucem dixerat eis: pacem meam do vobis.* Joh.14,27. *Pacem autem dixit, propter pericula prædicationis. Interim & crucis (& passionis suæ) bona declarat, quæ pacis sunt. Ideò quia per crucem pax facta, mitto vos ad prædicationem.*

IV. Exoptata ab hostibus liberatio. Liberationem isthanc ad animum discipulis Christus revocat, ostendens eis corporis sui στίγματα, manus pedesque perforatos, & latus ferri cuspide perforatum. Job.19,25. Psal.14,7. & 31,6. & 111,9. & 130,7. Esa.1,27. & 43,1. & 45,17. & 53,4. & 63,4.9.16. Ose.13,13. Luc.1,68. Matth.20,28. Rom.3,24. 1.Cor.1,30. Eph.1,7. Col.1,14. Gal.3,13. 1.Timot.2,6. Tit.2,14. 1.Pet.1,18. Hebr.2,15 & 9,12.

V. Gaudii exsuscitatio: Discipuli gavisi sunt viso Domino: Nam & hoc prædixerat eis, ante crucem dicens: iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Joh.16,22. Theophyl. Psal.16,11. & 51,10. & 97,11. & 118,15. Esa.9,3. & 35,10. Luc.2,10. Johan.16,20.22. Rom.14,17. Gal.5,22.

VI. Ministerii ordinatio. Nihil enim post resurrectionem adeò curæ fuit ac cordi ipsi Salvatori, quàm legitima S.S. ministerii

rii constitutio. Denuò igitur Apostolis suis officium isthoc committit, dicens: Sicut me misit Pater; ita & Ego mitto vos. Quæ certè verba non loquuntur de missione ad officium τῆς ἀπολυτρώσεως: hoc enim soli Christo erat proprium, omnibusque creaturis ἀκοινώνητον, Esa. 63, 3. 1. Tim. 2, 5. sed de missione ad officium προφητικὸν, in cujus participationem Apostolos admittere & cooptare his ipsis verbis voluit. *Meum opus*, inquit, *suscipite, & confidite, quòd vobiscum sim futurus*, interprete Theophylacto. Similes itaque ipsi futuri sunt Apostoli, ratione

Missio Apostolorum.

Ministri verbi simi. les Christo.

1. *prædicationis*; Marc. 6, 15. Matth. 28, 20.
2. *ministrationis*; Matth. 20, 28. 1. Corinth. 4, 1. Philip. 2, 7. 1. Petr. 5, 3.
3. *passionis*; Matth. 10, 16. Act. 9, 16.
4. *protectionis*; Matth. 28, 20. Johann. 14, 18. Patet inde, quo loco verbi divini ministri sint habendi. 2. Corinth. 5, 20. Gal. 4, 14. & 6, 7. Luc. 10, 16. 1. Sam. 8, 7. Zach. 2, 8. Ps. 105, 15. 1. Thess. 4. 8.

VII. Sanctificatio. Quemadmodum enim Christus per adflatum Apostolis communicat Spiritum Sanctum, ut ipsorum sit 1. *Doctor*; Matth. 10. 20. Luc. 21, 15. Joh. 16, 13.
2. *animator*, vel animi imperterriti auctor & effector; Johann. 16, 8. 2. Par. 24, 20.
3. *dulcissimus in adversitatibus Consolator*: Joh. 16, 7.

Ita hodieque per verbum, preces & Sacramenta datur, ut noster sit Sanctificator. Romano. 1, 4. & 8, 15. & 15, 16. 1. Corinth. 6, 11.

IIX. Peccati ablatio, vel absolutio. (der Beichtstuel) clavis utraque, & solvens & ligans committitur Apostolis, quibus plenariam simul concedit potestatem, & remittendi & retinendi peccata. Hæc loquendi ratio est ἔγγραφος; Matth. 16, 19. Apoc. 1, 18. & 3, 7. Et datæ sunt istæ claves cœli, non Petro tantùm, sed & Apostolis reliquis, omnibusque eorundem in officio successoribus legitimis ac ordinariis. Matth. 18, 18, Luc. 24, 46. Joh. 20. 22. Hinc Cyprianus: *Hoc*, inquit, *erant utiq; & ceteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis*. 2. Cor. 5, 20. Ingens hic est Ecclesiæ thesaurus, cum nullo vel auro, vel argento comparandus. *Ubi enim remissio peccatorum est, ibi est & vita & justitia.* Ceterùm absolutio illa est vel *generalis*, facta in verbo Evangelii omnibus peccatoribus resipiscentibus: Psalm. 32, 1. & 130, 7. 8. Esa. 1, 18. & 43, 25. Johann. 3, 16. Rom. 5, 21. Col 1, 14. vel *specialis*, ad certa

Absolutio duplex.

 in-

individua in specie directa. Matth.9,2. Luc.7,48. & 23,43, 2. Sam. 12, 13.

IX. *Infirmorum in gratiam acceptatio.* Defecerant Apostoli à Magistro suo: Thomas palàm resurrectioni factæ contradicit: tantum autem abest, ut delinquentes abjiciat, ut errantibus potiùs obviam procedat, in viam eosdem reducturus, inque gratiam pristinam postliminiò benignè suscepturus. *Vide autem*, inquit h.l. Theophylactus, *quomodo propter unum hominem Thomam, non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, ut salvet animam unam incredulam: Ita & nos neq, minimum contemnere debemus.* Esa.42,3. Jer.3,12. Ezech.34,15.16. Matth.9,14. Luc.19,9. Rom. 14,1.3. 1.Tim.1,15. Theophylactus iterum ita: *Dicentibus aliis discipulis de Domino, non credit, non illos mendaces existimans, sed resurrectionem impossibilem putans. Ideò & arguitur, ut supra modum curiosus. Nam quemadmodum facilè credere levitatis est:* (in politicis locum habet) *ita valdè obluctari rusticitatis est crassitudo.*

X. *Vulnerum Christi exosculatio & adplicatio:* sangvis enim Christi est clavis Paradisi. Hieron. Hic fons est ille salutis; Esa. 12,3. fons patens in ablutionem peccati & immunditiei: Zach.13,1. fons irrigans hortum Eden, i.e. Ecclesiam Christi universam. Gen.2,10. & 24,62. & 29,11. Psal.42,1. 1.Joh.1,8. Esa.53,5. Bernhardus: *Nihil est tàm efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm frequens vulnerum Christi meditatio.* Constantinum M. vulnera martyrum fuisse exosculatum Eusebius auctor est: nos vulneribus Christi per fidem oscula subinde figamus. Nam

Vulneribus Christi fit medicina meis.

XI. *Fidei inflammatio.* Quamprimùm Thomæ Servator adparet, corporisque palpandi, & vulnerum laterisque inspiciundi copiam facit, continuò, omni abjecta incredulitate, fidem in Christum egregiam concipit. Vide præced. dispos. Huc refer. confessionem Thomæ, de qua superiùs.

XII. *Beatitudinis seu vitæ æternæ collatio*, de qua ait: Beati, qui non viderunt & crediderunt: Item; hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis in nomine ejus. Quibus verbis unicum, respectu nostri, beatitudinis medium innuitur, vera & salvifica in Jesum Christum Filium Dei fides. Gen.15,6. Roman.4,3. 1.Pet.1,8. Joh.3,16. 1 Joh.5, 4.5. Joh.21,40. Nos concludimus, orantes cum Ecclesia: *Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, da famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt; per Jesum Christum Filium tuum dilectum Dominum no-*

Fides medium salutis.

nostrum, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen, Amen, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI,

EVANGELIUM.

Joh. 10. à v. 11. ad 17.

11. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.

12. Ὁ μισθωτὸς δὲ, καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει, καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα.

13. Ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι, καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων.

14. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.

15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα· καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.

16. Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.

11. *Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus.* Esa. 40, 11. Ezech. 34, 12.

12. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, at deserit oves, fugitq;, & lupus rapit ac dispergit oves.*

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oves non sunt illi curæ.*

14. *Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oves meas, & cognoscor à meis.*

15. *Sicut novit me Pater: ita & Ego novi Patrem: & animam meam pono pro ovibus.*

16. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: illas quoq; oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet unum ovile, unus pastor.* Ezech 37, 22.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

REferimus hodierni Evangelii pericopen ad genus causarum doctrinale, quod Græcis διδασκαλικὸν dicitur. Proponit enim doctrinam de bono Pastore, & huic oppositis malis Ecclesiæ pastoribus. Partes explicationis constituemus tres, quarum

I. boni Pastoris commendationem;

II. Mercenariorum vituperationem;

III. Ovicularum Christi delineationem comprehendet. Audiemus ergò Christum, bonum initiò sese Pastorem probantem, deinde mercenarios depingentem; & denique veras ovilis sui oviculas demonstrantem.

PARS I.

Primæ partis πρότασις sive propositio bis posita & repetita vers. 11. & 14. exstat: *Ego sum Pastor ille bonus.* Continet autem propositio ista

1. Personam Pastoris, Jesum Christum θεάνθρωπον, Dei & Mariæ Filium.

2. Officium ejusdem, quod est pastorale. Profitetur enim expressis verbis sese Pastorem. Erat autem Pastor, non ut reliqui gregarii pastores: Jer. 3, 15. & 10, 21. & 23, 1. 4. & 50, 6. Ezech. 34, 2. Zach. 10, 3. & 11, 16. Eph. 4, 11. 1. Pet 5, 2. sed ἐξοχικῶς, gradu longè eminentiori. Articulus enim Græcus bis positus (ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς) emphasin habet non mediocrem. Digitum nimirùm intendit ad Pastorem illum, qui in scriptis olim Prophetarum erat promissus, & ore omnium decantatus. Esa. 40, 11. Jer. 31, 10. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Zach. 13, 7. Psal. 23, 1. & 80, 2. Bonum itaque sese Pastorem illum nominando, Salvatorem sese mundi promissum designat, in quo officio, nullum habet similem aut socium, Actor. 4, 12. solus ipse est bonus ille Israëlis Pastor. 1. Pet. 2, 25. Heb. 13, 20.

Christus Pastor promissus: Bonus.

3. Προσδιορισμὸν, determinationem vel adjunctum, quòd non simpliciter Pastor, sed cum adjectione epitheti, bonus Pastor sit; quippe qui oviculas suas non solùm creavit; Psal 100, 3. Johan. 1, 3. sed & intra ovile Ecclesiæ suæ vocavit, hodieque gregem sangvine propriò acquisitum, Act. 20, 28. fideliter pascit, ovesque perditas requirit, sanat, curat.

Bonitas Pastoris Christi.

Con-

Confirmatio propositionis desumitur à boni Pastoris sive κριτηρίοις, sive proprietatibus, quibus officium potissimùm Christi ob oculos nobis statuitur.

Boni pastoris κριτήρια.

I. Primum *κριτήριον à boni Pastoris fidelitate* petitum, consistit in oviculαrum ἀπολυτρώσει sive redemtione. Dicit enim

1. θετικῶς, in genere, boni pastoris esse, oves tueri, & vel animam, h. e. vitam pro ipsarum salute ponere.
2. ὑποθετικῶς, in specie ad se accommodando ait: animam meam pono pro ovibus. Quomodo posuerit, ex passionis historia abundè satis constat. Emergit inde ejusmodi ab effectu demonstratio:

Quicunq; Pastor ad mortem usq; pro ovibus suis contra feras dimicare paratus est, ille boni Pastoris nomen & omen meretur.

Atqui Christus ad mortem usq; pro ovibus suis contra feras infernales dimicare paratus est:

Quin ergò bonus ille sit Pastor, dubitari nulla ratione potest.

II. Secundum *κριτήριον à solicitudine Pastoris* mutuatum, in accurata ovium ἐπιγνώσει sive cognitione positum est. vers. 14. Cognitio illa est tùm activa, tùm passiva. Illa novit suos; ideoque addit: Ego cognosco oves meas. Ubi verbum cognoscere non nudam significat notitiam, sed simul diligentem curam & custodiam comprehendit: non adfectum tantùm denotat; sed & effectum. Haec cognoscitur reciprocè ab oviculis suis; vera nimirùm sui agnitione, vero amore, firmaque fide, ex verbo Evangelii prædicato concepta. D. Tarn. comm. in Joh. p. 791. ita: Augustinus & Beda cognoscere impropriè accipiunt, ex Scripturæ idiotismo, pro adprobare, amplecti; quod quidem aliàs in Scriptura usitatum est, sed huic loco non congruit: alii propriè, ita ut Christus oves cognoscat sua omniscientia, quæ divinæ naturæ est per essentiam, humanæ per gratiam: oves Christum fide, attendente ejus vocem in Scriptura. Et iterum pag. 776. agit hoc membro de Judæis fidelibus, quos dicit à se cognosci, sive sincerè amari & curari fideliter: (ita enim verbum γινώσκω, ex Hebræorum idiotismo, accipiendum est: vide Psal. 1,6. & 3,18. Matth. 7,23. & 25,12.) seque vicissim ab ipsis agnosci & amari, quia omnem suam fiduciam in ipsum habent collocatum. Nos concludimus ita:

Cognitio Christi activa & passiva.

Bonus pastor oves suas novit, atq; adeò ut omnes in numerato habeat, & nulla illarum ipso inscio vel perire, vel à grege separari queat, & vicissim à suis cognoscitur:

Atqui Ego, inquit Christus, novi, ea, qua dictum, ratione, oves meas & à meis cognoscor:

Sum ergò bonus ille Pastor.

Minorem declarat collatione similium, conferendo notitiam istam reciprocam cum notitia ea, quæ Patri cum Filio intercedit. Sicut (καθὼς similitudinis hoc loco est nota, non paritatis; & eodem modo usurpatur Joh.17,22. Matth.5,48.) Pater novit Filium

καθὼς.

Pater novit Filium & quomodo.

1. *pro naturali ipsum ac substantiali Filio agnoscendo;*
2. *ardentissimè eum diligendo & amplectendo;*
3. *omnia ejus dicta & acta adprobando;*
4. *in ipsa demum cruce ac morte curam illius habendo.*

Filius similiter novit Patrem,

Filius ut noverit Patrem.

1. *pro æterno ac naturali ipsum Patre habendo & colendo;*
2. *intimè vicissim amando;*
3. *voluntatem ejus faciendo;*
4. *sed ipsi carum curæq; esse, si maximè totus mundus eum persequatur, firmiter statuendo:*

Ita Christus novit suas oviculas, & ab iisdem vicissim cognoscitur. Ille quidem ita, quòd sciat eas à Patre ab æterno sibi esse ad redimendum ac salvandum datas: Hæ verò, quòd nôrint, hunc sibi à Patre cœlesti datum Pastorem ac Redemtorem unicum. Confer. Dn. D. Chemn. harm. cap. 114. pag. 2163.

III. Tertium denique κριτήριον, *à boni Pastoris diligentia ac sedulitate* desumtum, versatur in studio gregem ampliandi, seu ovile dilatandi, quod illis verbis prodit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, illas quoq; oportet me adducere:* quæ verba de gentium vocatione gratuita indubitatò loquuntur, licèt illæ tum temporis adhuc essent alienæ, nec de ovili vel congregatione credentium ex Judæis. Eas, quæ verba sunt D. Tarnovii pag. 777. primùm describit, quòd sint oves aliæ, vocandæ in ovile Ecclesiæ, & quòd nondum sint ex hoc ovili Ecclesiæ: Deinde earundem vocationem, per prædicationem Evangelii denotat, partim ab officio utriusque partis, pastoris nimirùm & ovium: illius est colligere oves per vocem & præconium Evangelii: harum, audire vocem pastoris, eiq; obedire, sive pastorem suum sequi, ut vers. 4. dixit: partim à consequenti, quòd diruta macerie, quæ erat inter Judæos & gentes, Eph. 2,14. fiet unum ovile, & unus utrarumq; ovium pastor.

Gentium vocatio.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Christus est verè Pastor ille bonus, per Prophetas V.T. nobis promissus, & per pastores alios, Patriarchas & Reges typicè adumbratus: Matth.1,20. Gen.42,3. 1.Sam.17,34. Psal.78,70. Esa.53,6. Amos.3,12. h.e. verus inde probatur Messias, contra Judæos id ipsum negantes. Esa.40,11. Ezech.34,23.24. Zach.11,7.

Christus Pastor bonus.

II. Officium hujus Pastoris est, gregem suum

Officium Christi pastorale.

1. tueri ac defendere; Ose.13,14. Matth.10,30. Esa.8,9.

2. pascere; Ps.23,2. Esa.40,11. Ezech,34,14. verbo nimirùm & Sacramentis: Rom.1,16. Joh.6,68. & 10,11. Ps.73,25.

3. redimere; Esa.53,6. Joh.10,17. Act.20,28. Rom.5,6. Matth. 20,28. Eph.5,2. 1.Joh.3,1.16. 1.Petr.1,18.

4. oves agnoscere: Ps.91,11. & 139,1.

5. intercedere pro ovibus. Rom.8,34. 1.Tim.2,5. 1.Joh.2,1.

III. Comparatio Pastoris & ovium in Scriptura sacra satis frequens est. Num.26,17. Esa.53,6. & 56,11. & 40,10. Jer.2,8. & 10,21. & 12,10. & 23,2. & 50,6. Ezech.34,2. seqq. Nah.3,18. Zach.11,4. & 13,7 Matth.9,36. & 10,6. & 15,24. & 25,32. Luc.15,4. In Psalmis undecies. Confer D. Finck. cent.2.can.80.

IV. Patet inde id, quod porism. 1. jam modò innuebamus, Jesum Nazarenum, pro mundi salute passum, crucifixum & mortuum, esse verum Messiam, cui omnes Prophetæ dant testimonium. Act.10,43.

Christus Messias.

V. Est autem Pastor noster

Pastor noster Christus & quomodo.

1. ratione officii prophetici, quo pavit oves suas docendo & quærendo: Joh.18,9. Matt.4,17. & 11,28. & 18,11. Marc.1,15. Luc.15,4

2. ratione officii Sacerdotalis, ponendo animam suam pro ovibus: Act.20,28. 1.Pet.2,25. & 5,10. Heb.13,20. Eph.5,2. 1.Johan.3,16. Zach.13,7.

3. ratione officii regii, pastores Ecclesiæ mittendo. Eph.4,11.

VI. Boni autem Pastoris officio functus est Christus, hodieque defungitur,

Christus ut fungatur officio pastorali.

1. gregem è genere humano sibi colligendo; Matth.18,11. Luc.15,4 seqq. & 19,10. Act.17,30. 2.Pet.3,9.

2. vitam pro ovibus ponendo; Joh.13,1. Act.20,28. 1.Pet.1,18.19. Ioh.1,29. 1.Ioh.3,16. Ioh.15,13.

3. oves ex ore lupi eruendo & redimendo; Genes.3,15. Ose.13,14. 1.Ioh.3,8. Amos 3,12.

Audivimus priorem φανέρωσιν; sequitur posterior, cui ansam Thomæ præbuit incredulitas, cum summa initiò pertinacia conjuncta. In considerationem itaque hoc loco venit

I. Thomæ παράπτωμα, malè factum. Peccat nimirùm ille graviter per ἀπιστίαν sive incredulitatem, quæ originem trahit

Incredulitatis Thomanæ causæ.

1. ex negligentiæ vitio. Neglexerat enim Thomas congregationem Apostolorum, atque ita concionem paschalem, superiori adparitione ab ipso Salvatore habitam, eluserat. Ex auditu fides: Rom. 10, 17. Ergò ex contemtu verbi incredulitas.

2. Ex cæcæ rationis judicio. Sensu namque videndi non contentus, contactum insuper Dominici corporis impiè & pertinaciter urget. Existimabat enim Thomas; Collegas suos deceptos fuisse, & non vulnera, sed similitudinem quandam vulnerum tetigisse; se, ait, prudentiorem fore, & non modò vestigia vulnerum, sed ipsam mensuram in manibus digito, in latere palmâ exploraturum; quæ si respondeat, tunc demum adductum se iri, ut adsentiatur. D. Calixt. p. 538.

II. Thomæ κατόρθωμα, rectè-factum. Præstat sese hic Christus

Christus Medicus & Pastor.

1. solertem Medicum & Pastorem, partim amissam ovem quærendo: (cum enim in finem secunda hæc adparitio est suscepta:) partim errantem in viam reducendo; quod fit per

1. repetitam pacis precationem;

2. & voti, sive postulati, licet iniqui, impletionem.

Magister & Doctor.

2. Fidelem Magistrum & Doctorem, cujus officium facit, tùm increpando, tùm informando, tùm ingenio Thomæ se accommodando.

Thomas quibus mediis conversus.

Habentur hoc in loco media, quibus Thomas incredulitate sanatâ in integrum restituitur, numero potissimùm tria.

1. Christi φιλανθρωπία, seu in homines, discipulos præsertim suos caritas, lenitas & *benignitas*, quâ factum, ut Thomæ desiderio annueret, & ei resurrectionis suæ fidem faceret, eodem modo & argumento, quo ceteris ante octiduum fecerat: hoc enim se cupere, verbis suis Thomas præ se tulerat. Quæ Thomæ

mæ cùm verba, tùm desideria sibi cognita esse, Servator præveniens mox ab ingressu suo declarabat.

2. *Christi post resurrectionem gloria & Majestas.* Hæc enim usq; adeò Thomæ perstringit oculos, ut in sonoram erumpat de Christo confessionem, tantò profectò celebriorem, quantò magis anteà fuerat incredulus; & non solùm profitetur, quòd credat Dominum resurrexisse, verùm quod majus erat, Deum illum esse. Tacto enim corpore & vulneribus ejus exclamat: ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, Dominus meus, & Deus meus: quæ verba non exclamationis, sed confessionis esse, articuli indicium faciunt; nempè adspectu & tactu cognovit illum, qui præsens adstabat, esse Dominum, cujus familiæ nomen priùs dedisset. Ex potentia verò, quâ è morte in vitam redierat, clausis januis intrârat, & occulta cordium enarrârat, agnovit Dominum illum suum etiam esse Deum suum. Neque verò homo Judæus ulli, quem non verum Deum agnosceret, Dei titulum & adpellationem tribueret, uti habet D. Calixtus p. 539. Dominum ergò vocat Jesum, non ratione tantùm creationis, redemtionis, sustentationis & gubernationis; sed ratione quoque Incarnationis, ad Humanitatis veritatem oculos convertendo. Deum verò nominat, de omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, misericordia, aliisq; divinæ naturæ, carni Christi verè ac realiter communicatis ἰδιώμασι, perspicuam edens confessionem. Confer Tungerl. promt. part. 3. p. 511. & seqq.

Thomæ confessio.

3. *Fidei firmitas & integritas.* Non enim simpliciter Dominum & Deum, sed suum Dominum ac Deum vocat, quod solius est fidei, adplicantis sibi Christum cum universo suo merito. Quæ etiam causa est, quod Christus Thomæ conversionem ac beatitudinem soli fidei transscribat, inquiens: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non vident, & credunt. Fidem (Calixtus ait p. 539.) & confessionem quidem laudat, sed modum, quo credidit, reprehendit, nempè quòd non nisi evidentiâ victus crediderit: Fides enim non debet esse extorta, & ut scitè August. tract. 40. in Joh *quid est fides nisi credere quod non vides?* Alludit autem ad eos etiam, qui non visuri erant Christum & nihilominus in eum credituri. Nam quòd dicit, beati qui non vident & credunt, convenit in omnes nos, qui à die ascensionis ejus, usq; ad extremum seculi, ipso non viso in eum credidimus.

USUS I. Informatorius.

Sanctorum lapsus

I. De sanctorum lapsibus, quibus & illi ex communi carn imbecillitate sunt obnoxii. Job.4,18.&14,4.&15,15. Ps.32,6.& 130, &143,3. Jer.10,23. Rom.9,16. 1.Cor.10,12.

II. De fidei veræ natura, quæ per confessionem sese publ cam exserit, & rationem captivat. Rom.4,21.& 10,10. 2.Cor.10,5.

III. De causa vera, cur Christus post resurrectionem tan sese permiserit? Quæstioni huic respondet Theophylactus ist verbis: *Per attemperationem ad illorum infirmitatem facta sunt h omnia, quod ingressum clausis januis, & ita tenue ac leve, omni lib rum fuit crassitudine. Et ut credatur firmius resurrectio, hac mo strantur. Et propterea surgit, habens signa crucis & vulnera: quia quòd comedit, non necessitatis erat; sed ad confirmationem resurrecti nis comedit: sicut & ante crucem in fluctibus ambulans, non alteri naturæ corpus habuit: ita & nunc palpabile ipsum & typos habe ostendit.*

IV. De persona Christi, sive de admiranda duarum in Chr sto naturarum unione: Est enim θεάνθρωπος, testimonium re dente Thomâ tàm de humanitate, quàm de Divinitate Christ Consule autem de hac sublimi materia locos.

Beatitudo duplex.

V. De duplici beatitudine, (1) *inchoata*, quæ consistit in cr dendo; (2) & *consummata*, quæ consistit in videndo.

II. Consolatorius.

1. De Christi erga lapsos peccatores (modò sanabiles) *lenim* Esa.42,3. Joh.10,12. Ezech.18,23. & 33,11. Matth.9,14. 1.Timoth.2, 2.Pet.3,9.

2. De fidelium *beatitate*. 1.Pet.1,8.8. Confer Monr. p. 417.

3. De vitæ æternæ *felicitate*: ibi enim fidere nostrum in vide mutabitur. Joh.16,22. Monrad. p.418.

III. Exhortatorius.

1. Ad sedulam verbi divini auscultationem, quâ neglectâ f cilis est in incredulitatem lapsus.

2. Ad sinceram de Christi persona, officio & beneficiis co fessionem edendam. Matth. 10,32. Phil. 2,9.10.11. 1.Petr. 3, 1.Joh.4,15.

3. Ad rationis in divinis cæcæ præjudicium cohibendum Pro.25.27. 2.Cor.10,5.

4. A

4. Ad incredulitatem exterminandam. Johann. 3, 18. Apocal. 21, 8.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, qui 1. rem facilem fidem constituunt; cujus contrarium in Thoma. 2. Credendi facultatem vel libertatem in hominis arbitrio ponunt; quandoquidem Thomæ Christus dicat: ne sis incredulus, sed credens, h. e. Stapletono interprete, converte cor tuum ab incredulitate ad fidem. A præcepto enim ad posse, vel implendi facultatem, nulla planè militat consequentiæ ratio. 3. De gratia Dei & salute non dubitandum; Thomam enim Christus non jubet dubitare, vel ad sensum suspendere; sed firmiter Deo sese revelanti in verbo credere.

Papismus de fidei facilitate credendi libertate &c.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

SAt multa feriis hisce paschalibus de resurrectionis Dominicæ certitudine audivimus: Jam ergò secuti ductum prælecti Evangelii, *de beneficiis & fructibus, quos quidem sua à mortuis resurrectione Christus nobis peperit*, pauca adjiciemus.

Resurrectionis Christi beneficia & fructus.

Ἐξήγησις.

Beneficia fructusque paschales sunt multiplices. Præsens verò περικοπὴ Evangelica duodecim suppeditat fructûs, ex Christi resurrectione ad piorum quosvis redundantes. Horum

I. est *corporis nostri post resurrectionem glorificatio*. Ea certè est corporis Christi, è mortuis jam modò resuscitati conditio, ut fores clausas penetrâsse Evangelista noster commemoret, quæ corporis clarificati proprietas est characteristica. Jam verò corpora nostra glorioso Christi corpori aliquando futura sunt σύμμορφα; Phil. 3, 12. quin ergò eandem sint consecutura gloriam, dubium potest esse nemini. 1. Cor 15, 42. seqq. 1. Joh. 3, 2. similes ei erimus, οὐ κατὰ ποσὸν ἀλλὰ κατὰ ποῖον; Theodoretus ait. Job. 19, 25. Psal. 17, 15. *Clausæ erant fores*, inquit h. l. Theophylactus, *ut ostendat, quòd ita surrexit, suprapposito lapide super sepulcrum.*

Corporis glorificatio

II. *Timoris abdicatio*. Discipuli metu perculsi latent. Omnis iste timor in fumos abit, quamprimùm verè Dominum suum resurrexisse & vident & credunt. Hoc enim ipsum hostes omnes debellatos, victoriaque Christi triumphantis profligatos, enervatos,

rii constitutio. Denuò igitur Apostolis suis officium isthoc committit, dicens: Sicut me misit Pater; ita & Ego mitto vos. Quæ certè verba non loquuntur de missione ad officium τῆς ἀπολυτρώσεως: hoc enim soli Christo erat proprium, omnibusque creaturis ἀκοινώνητον, Esa. 63, 3. 1. Tim. 2, 5. sed de missione ad officium προφητικὸν, in cujus participationem Apostolos admittere & cooptare his ipsis verbis voluit. *Meum opus*, inquit, *suscipite, & confidite, quòd vobiscum sim futurus*, interprete Theophylacto. Similes itaque ipsi futuri sunt Apostoli, ratione

Missio Apostolorum.

Ministri verbi similes Christo.

1. prædicationis; Marc. 6, 15. Matth. 28, 20.
2. ministrationis; Matth. 20, 28. 1. Corinth. 4, 1. Philip. 2, 7. 1. Petr. 5, 3.
3. passionis; Matth. 10, 16. Act. 9, 16.
4. protectionis; Matth. 28, 20. Johann. 14, 18. Patet inde, quo loco verbi divini ministri sint habendi. 2. Corinth. 5, 20. Gal. 4, 14. & 6, 7. Luc. 10, 16. 1. Sam. 8, 7. Zach. 2, 8. Psl. 105, 15. 1. Thess. 4, 8.

VII. Sanctificatio. Quemadmodum enim Christus per adflatum Apostolis communicat Spiritum Sanctum, ut ipsorum sit *1. Doctor*; Matth. 10. 20. Luc. 21, 15. Joh. 16, 13.
2. animator, vel animi imperterriti auctor & effector; Johann. 16, 8. 2. Par. 24, 20.
3. dulcissimus in adversitatibus Consolator: Joh. 16, 7.

Ita hodieque per verbum, preces & Sacramenta datur, ut noster sit Sanctificator. Romano. 1, 4. & 8, 15. & 15, 16. 1. Corinth. 6, 11.

IIX. Peccati ablatio, *vel absolutio*. (der Beichtstuel) clavis utraque, & solvens & ligans committitur Apostolis, quibus plenariam simul concedit potestatem, & remittendi & retinendi peccata. Hæc loquendi ratio est ἔγκρατος: Matth. 16, 19. Apoc. 1, 18. & 3, 7. Et datæ sunt istæ claves cœli, non Petro tantùm, sed & Apostolis reliquis, omnibusque eorundem in officio successoribus legitimis ac ordinariis. Matth. 18, 18. Luc. 24, 46. Joh. 20, 22. Hinc Cyprianus: *Hoc*, inquit, *erant utiq; & ceteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis*. 2. Cor. 5, 20. Ingens hic est Ecclesiæ thesaurus, cum nullo vel auro, vel argento comparandus. *Ubi enim remissio peccatorum est, ibi est & vita & justitia.* Ceterùm absolutio illa est vel *generalis*, facta in verbo Evangelii omnibus peccatoribus resipiscentibus: Psalm. 32, 1. & 130, 7. 8. Esa. 1, 18. & 43, 25. Johann. 3, 16. Rom. 5, 21. Col 1, 14. vel *specialis*, ad certa-

Absolutio duplex.

individua in specie directa. Matth.9,2. Luc.7, 48. & 23, 43, 2.Sam. 12, 13.

IX. *Infirmorum in gratiam acceptatio.* Defecerant Apostoli à Magistro suo: Thomas palàm resurrectioni factæ contradicit: tantum autem abest, ut delinquentes abjiciat, ut errantibus potiùs obviam procedat, in viam eosdem reducturus, inque gratiam pristinam postliminiò benignè suscepturus. *Vide autem*, inquit h. l. Theophylactus, *quomodo propter unum hominem Thomam, non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, ut salvet animam unam incredulam: Ita & nos neq; minimum contemnere debemus.* Esa.42,3. Jer.3,12. Ezech.34,15.16. Matth.9,14. Luc.19,9. Rom. 14,1.3. 1.Tim.1,15. Theophylactus iterum ita: *Dicentibus aliis discipulis de Domino, non credit, non illos mendaces existimans, sed resurrectionem impossibilem putans. Ideò & arguitur, ut supra modum curiosus. Nam quemadmodum facilè credere levitatis est:* (in politicis locum habet) *ita valdè obluctari rusticitatis est crassitudo.*

X. *Vulnerum Christi exosculatio & adplicatio:* sangvis enim Christi est clavis Paradisi. Hieron. Hic fons est ille salutis; Esa. 12,3. fons patens in ablutionem peccati & immunditiei: Zach.13,1. fons irrigans hortum Eden, i. e. Ecclesiam Christi universam. Gen.2,10. & 24,62. & 29,11. Psal.42,1. 1.Joh.1,8. Esa.53,5. Bernhardus: *Nihil est tàm efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm frequens vulnerum Christi meditatio.* Constantinum M. vulnera martyrum fuisse exosculatum Eusebius auctor est: nos vulneribus Christi per fidem oscula subinde figamus. Nam

Vulneribus Christi fit medicina meis.

XI. *Fidei inflammatio.* Quamprimùm Thomæ Servator adparet, corporisque palpandi, & vulnerum laterisque inspiciundi copiam facit, continuò, omni abjecta incredulitate, fidem in Christum egregiam concipit. Vide præced. dispos. Huc refer. confessionem Thomæ, de qua superiùs.

XII. *Beatitudinis seu vitæ æternæ collatio*, de qua ait: Beati, qui non viderunt & crediderunt: Item; hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis in nomine ejus. Quibus verbis unicum, respectu nostri, beatitudinis medium innuitur, vera & salvifica in Jesum Christum Filium Dei fides. Gen.15,6. Roman.4,3. 1.Pet.1,8. Joh.3,16. 1 Joh.5, 4.5. Joh.11,40. Nos concludimus, orantes cum Ecclesia: *Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, da famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt; per Jesum Christum Filium tuum dilectum Dominum*

Fides medium salutis.

nostrum, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen, Amen, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI,

EVANGELIUM.

Joh. 10. à v. 11. ad 17.

11. ΕΓώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.

12. Ὁ μισθωτὸς δὲ, καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει, καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα.

13. Ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι, καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων.

14. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.

15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα· καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.

16. Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.

11. EGo sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus.

12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, at deserit oves, fugitq;, & lupus rapit ac dispergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oves non sunt illi curæ.

14. Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oves meas; & cognoscor à meis.

15. Sicut novit me Pater: ita & Ego novi Patrem: & animam meam pono pro ovibus.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: illas quoq; oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet unum ovile, unus pastor.

Esa. 40, 11
Ezech. 34, 13

Ezech 37, 22

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Referimus hodierni Evangelii pericopen ad genus causarum doctrinale, quod Græcis διδασκαλικὸν dicitur. Proponit enim doctrinam de bono Pastore, & huic oppositis malis Ecclesiæ pastoribus. Partes explicationis constituemus tres, quarum

I. boni Pastoris commendationem;

II. Mercenariorum vituperationem;

III. Ovicularum Christi delineationem comprehendet. Audiemus ergò Christum, bonum initiò sese Pastorem probantem; deinde mercenarios depingentem; & denique veras ovilis sui oviculas demonstrantem.

PARS I.

Primæ partis πρότασις sive propositio bis posita & repetita vers. 11. & 14. exstat: *Ego sum Pastor ille bonus.* Continet autem propositio ista

1. Personam Pastoris, Jesum Christum θεάνθρωπον, Dei & Mariæ Filium.

Christus Pastor promissus: Bonus.

2. Officium ejusdem, quod est pastorale. Profitetur enim expressis verbis sese Pastorem. Erat autem Pastor, non ut reliqui gregarii pastores: Jer. 3, 15. & 10,21. & 23,1.4.& 50,6. Ezech.34,2.Zach. 10,3. & 11,16. Eph.4,11. 1.Pet 5,2. sed ἐξοχικῶς, gradu longè eminentiori. Articulus enim Græcus bis positus (ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς) emphasin habet non mediocrem. Digitum nimirùm intendit ad Pastorem illum, qui in scriptis olim Prophetarum erat promissus, & ore omnium decantatus. Esa. 40, 11. Jer.31,10. Ezech. 34, 23. & 37,24. Zach.13,7. Psal.23,1. & 80,2. Bonum itaque sese Pastorem illum nominando, Salvatorem sese mundi promissum designat, in quo officio, nullum habet similem aut socium, Actor. 4, 12. solus ipse est bonus ille Israëlis Pastor, 1.Pet.2,25. Heb.13,20.

Bonitas Pastoris Christi.

3. Προσδιορισμὸν, determinationem vel adjunctum, quòd non simpliciter Pastor, sed cum adjectione epitheti, bonus Pastor sit; quippe qui oviculas suas non solùm creavit; Psal 100,3. Johan.1,3. sed & intra ovile Ecclesiæ suæ vocavit, hodieque gregem sangvine proprio acquisitum, Act.20,28. fideliter pascit, ovesque perditas requirit, sanat, curat.

Con-

Confirmatio propositionis desumitur à boni Pastoris sive κριτηρίοις, sive proprietatibus, quibus officium potissimùm Christi ob oculos nobis statuitur.

Boni pastoris κριτήρια.

I. Primum *κριτήριον à boni Pastoris fidelitate* petitum, consistit in ovicularum ἀπολυτρώσει sive redemtione. Dicit enim

1. θετικῶς, in genere, boni pastoris esse, oves tueri, & vel animam, h. e. vitam pro ipsarum salute ponere.
2. ὑποθετικῶς, in specie ad se accommodando ait: animam meam pono pro ovibus. Quomodo posuerit, ex passionis historia abundè satis constat. Emergit inde ejusmodi ab effectu demonstratio:

Quicunq; Pastor ad mortem usq; pro ovibus suis contra feras dimicare paratus est, ille boni Pastoris nomen & omen meretur.

Atqui Christus ad mortem usq; pro ovibus suis contra feras infernales dimicare paratus est:

Quin ergò bonus ille sit Pastor, dubitari nulla ratione potest.

II. Secundum *κριτήριον à solicitudine Pastoris* mutuatum, in accurata ovium ἐπιγνώσει sive cognitione positum est. vers. 14. Cognitio illa est tùm activa, tùm passiva. Illa novit suos; ideoque addit: Ego cognosco oves meas. Ubi verbum cognoscere non nudam significat notitiam, sed simul diligentem curam & custodiam comprehendit: non adfectum tantùm denotat; sed & effectum. Hac cognoscitur reciprocè ab oviculis suis; vera nimirùm sui agnitione, vero amore, firmaque fide, ex verbo Evangelii prædicato concepta. D. Tarn. comm. in Joh. p. 791. ita: Augustinus & Beda cognoscere impropriè accipiunt, ex Scripturæ idiotismo, pro adprobare, amplecti; quod quidem aliàs in Scriptura usitatum est, sed huic loco non congruit: alii propriè, ita ut Christus oves cognoscat sua omniscientia, quæ divinæ naturæ est per essentiam, humanæ per gratiam: oves Christum fide, attendente ejus vocem in Scriptura. Et iterum pag. 776. agit hoc membro de Judæis fidelibus, quos dicit à se cognosci, sive sincerè amari & curari fideliter: (ita enim verbum γινώσκω, ex Hebræorum idiotismo, accipiendum est: vide Psal. 1, 6. & 3, 18. Matth. 7, 23. & 25, 12.) seque vicissim ab ipsis agnosci & amari, quia omnem suam fiduciam in ipsum habent collocatum. Nos concludimus ita:

Cognitio Christi activa & passiva.

Bonus pastor oves suas novit; usq; adeò ut omnes in numerato habeat, & nulla illarum ipso inscio vel perire, vel à grege separari queat, & vicissim à suis cognoscitur:

Atqui Ego, inquit Christus, novi, ea, qua dictum, ratione, oves meas, & à meis cognoscor:

Sum ergò bonus ille Pastor.

Minorem declarat collatione similium, conferendo notitiam istam reciprocam cum notitia ea, quæ Patri cum Filio intercedit. Sicut (καθὼς similitudinis hoc loco est nota, non paritatis; & eodem modo usurpatur Joh.17,22. Matth.5,48.) Pater novit Filium,

καθὼς.

Pater novit Filium & quomodo.

1. *pro naturali ipsum ac substantiali Filio agnoscendo;*
2. *ardentissimè eum diligendo & amplectendo;*
3. *omnia ejus dicta & acta adprobando;*
4. *in ipsa demum cruce ac morte curam illius habendo.*

Filius similiter novit Patrem,

Filius ut noverit Patrem.

1. *pro æterno ac naturali ipsum Patre habendo & colendo;*
2. *intimè vicissim amando;*
3. *voluntatem ejus faciendo;*
4. *seq; ipsi carum curæq; esse, si maximè totus mundus eum persequatur, firmiter statuendo:*

Ita Christus novit suas oviculas, & ab iisdem vicissim cognoscitur. Ille quidem ita, quòd sciat eas à Patre ab æterno sibi esse ad redimendum ac salvandum datas: Hæ verò, quòd nôrint, hunc sibi à Patre cœlesti datum Pastorem ac Redemtorem unicum. Confer. Dn.D.Chemn. harm. cap. 114. pag. 2163.

III. Tertium denique κεφάλαιον, *à boni Pastoris diligentia ac sedulitate* desumtum, versatur in studio gregem ampliandi, seu ovile dilatandi, quod illis verbis prodit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, illas quoq; oportet me adducere:* quæ verba de gentium vocatione gratuita indubitatò loquuntur, licèt illæ tum temporis adhuc essent alienæ, nec de ovili vel congregatione credentium ex Judæis. Eas, quæ verba sunt D. Tarnovii pag. 777. primùm describit, quòd sint oves aliæ, vocandæ in ovile Ecclesiæ, & quòd nondum sint ex hoc ovili Ecclesiæ: Deinde earundem vocationem, per prædicationem Evangelii denotat, partim ab officio utriusque partis, pastoris nimirùm & ovium: illius est colligere oves per vocem & præconium Evangelii: harum, audire vocem pastoris, eiq; obedire, sive pastorem suum sequi, ut vers. 4. dixit: partim à consequenti, quòd diruta macerie, quæ erat inter Judæos & gentes, Eph.2,14. fiet unum ovile, & unus utrarumq; ovium pastor.

Gentium vocatio.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Christus est verè Pastor ille bonus, per Prophetas V.T. nobis promissus, & per pastores alios, Patriarchas & Reges typicè adumbratus: Matth.1,20. Gen.42,3. 1.Sam.17,34. Psal.78,70. Esa.53,6. Amos.3,12. h.e. verus inde probatur Messias, contra Judæos idipsum negantes. Esa.40,11. Ezech.34,23.24. Zach.11,7.

Christus Pastor bonus.

II. Officium hujus Pastoris est, gregem suum

Officium Christi pastorale.

1. tueri ac defendere; Ose.13,14. Matth.10,30. Esa.8,9.

2. pascere; Ps.23,2. Esa.40,11. Ezech.34,14. verbo nimirùm & Sacramentis: Rom.1,16. Joh.6,68. & 10,11. Ps.73,25.

3. redimere; Esa.53,6. Joh.10,17. Act.20,28. Rom.5,6. Matth. 20,28. Eph.5,2. 1.Joh.3,1.16. 1.Petr.1,18.

4. oves agnoscere: Ps.91,11. & 139,1.

5. intercedere pro ovibus. Rom.8,34. 1.Tim.2,5. 1.Joh.2,1.

III. Comparatio Pastoris & ovium in Scriptura sacra satis frequens est. Num.26,17. Esa.53,6. & 56,11. & 40,10. Jer.2,8. & 10,21. & 12,10. & 23,2. & 50,6. Ezech.34,2. seqq. Nah.3,18. Zach.11,4. & 13,7 Matth.9,36. & 10,6. & 15,24. & 25,32. Luc.15,4. In Psalmis undecies. Confer D. Finck. cent.2. can.80.

IV. Patet inde id, quod porism. 1. jam modò innuebamus, Jesum Nazarenum, pro mundi salute passum, crucifixum & mortuum, esse verum Messiam, cui omnes Prophetæ dant testimonium. Act.10,43.

Christus Messias.

V. Est autem Pastor noster

Pastor noster Christus & quomodo.

1. ratione officii prophetici, quo pavit oves suas docendo & quærendo: Joh.18,9. Matt.4,17. & 11,28. & 18,11. Marc.1,15. Luc.15,4

2. ratione officii Sacerdotalis, ponendo animam suam pro ovibus: Act.20,28. 1.Pet.2,15. & 5,10. Heb.13,20. Eph.5,2. 1.Johan.3,16. Zach.13,7.

3. ratione officii regii, pastores Ecclesiæ mittendo. Eph.4,11.

VI. Boni autem Pastoris officio functus est Christus, hodieque defungitur,

Christus ut fungatur officio pastorali.

1. gregem è genere humano sibi colligendo; Matth.18,11. Luc.15,4 seqq. & 19,10. Act.17,30. 2.Pet.3,9.

2. vitam pro ovibus ponendo; Joh.13,1. Act.20,28. 1.Pet.1,18.19. Ioh.1,29. 1.Ioh.3,16. Ioh.15,13.

3. oves ex ore lupi eruendo & redimendo; Genes.3,15. Ose.13,14. 1.Ioh.3,8. Amos 3,12.

4. *oves cognoscendo*; Ps.1,6. 2.Tim.2,19. [Novit autem oviculas sicut Pater Filium:
   1. *amando*; Esa.49,14.15. Ier.31,3. Ioh.13,1.
   2. *respiciendo*; Psal.33,13 14.17. & 34,16. Zach.12,4.
   3. *de illis cogitando*; Esa.49,15. Cant.8,6. Ier.31, 20.
   4. *in cruce curando & juvando*. Ps.91,14. 1.Cor.10,13.]
5. *numerum ovium augendo*: 1.Tim.4,10. Psal. 68,23.
6. *oviculas pascendo*;
   1. *corpore*; Ps.145,16. 1.Tim.6,17.
   2. *anima*, tùm spiritualiter, per verbi prædicationem; Psal. 23,1.2. & 36,10.11. tùm sacramentaliter, corpore & sangvine suo.
7. *defendendo*: Zach.2,5. Ps.125,2. Mich.2,12.
8. *sanando*; Exod.15,26. Psal.103,3. Esa.63,1. Sap.16,12.
9. *vigilando*: Gen.31,40. Ps.121,4. & 127,1.2. Ier.1,11.12. & 31,28.
10. *canes alendo*: Esa.56,10. & 58,1. Cant.3,3. Esa.52,8. & 62,6. Ier.6,17. Ezech.3,17. & 33,7.
11. *amissas oviculas quærendo*: Luc.15,4. seqq. & 19,10.
12. *errantes in viam reducendo*, & in gratiam recipiendo. Vide Domin. Quasimod.

VII. Consolatione ergò plenum, quòd Pastoris, non Regis, aut Principis titulum sibi Christus attribuat, quo ipso curam suam indefessam pro grege Christiano exprimere voluit. Omnia alia opificia & opera suam habent *ἄνεσιν* & remissionem, suasque vices: At pastoris curæ sunt diurnæ & nocturnæ, durantque diebus festis & profestis.

Officium ministrorũ verbi, ut pastorum.

IIX. Monentur inde fideles verbi divini ministri, (nam & ipsi Ecclesiarum audiunt pastores) quid sui sit officii. Dent & illi operam, ut gregem sibi commissum fideliter curent;

1. *ad mortem & sangvinem usq; oviculas amando*; 2.Cor.7,3. Actor. 15,25.
3. *Salutari verbi pabulo illas pascendo*; Act.20,28. 1.Pet.5,2.3.
3. *Accuratam earundem notitiam habendo*; Ezech.3,17. cui notitiæ plurimùm inserviunt crebra in principiis catecheticis examina:
4. *Ecclesiam amplificando*, quod fiet exorbitantium in salutis viam reductione. Opus ad hanc rem est
   1. verbi prædicatione sedula: 2.Tim.4,2. Esa.58,1.
   2. oratione indefessa, Ps.68,34.

3. vi-

3. vitâ honestâ: Tit. 2,7. 1.Pet.5,3.

4. correctione severâ. 1.Cor.4,21. 1.Tim.5,20.

IX. Quoniam Christus verus est Pastor, ex talibus etiam majoribus nasci voluit. Matth 1,20. Gen.42,3. Pf.78,70.

X. Veram Christus habuit & adsumsit cum carne nobis ὁμοούσιον animam: quod enim quis non habet, deponere utique non potest. Matth.26,38. Luc.2,53. Quod contra Apollinaristarum hæresin observandum, qui animam Christum adsumsisse negabant, loco animæ verò fuisse Λόγον sive Divinam Naturam. Hac ratione sequeretur, animâ Christi depositâ, Λόγον quoque depositum fuisse. ἄτοπον, ἀθεόλογον, ἀδύνατον.

Animam habuit Christus.

XI. Christum pro ovibus mortuum esse, Scripturæ sacræ est adsertio: Joh.10,15. Heb.5,9. Eph.5,25. Act.20,28. 2.Cor.5,15. Rom. 8,33. Matth.1,21. Heb.2,17. at tantùm pro ovibus sive electis mortuum esse, Scripturæ propositio non est.

XII. A Christi enim patientis, morientis, merentis acquisitione, ad ejusdem adplicationem aut adprehensionem, non valet consequentia. D. Finck.cent.4.can.57.

XIII. Animam suam Christus ponit pro ovibus; mortem itaque illius causam salutis nostræ fuisse meritoriam, necessarium est consequens, quicquid in contrarium blasphement Neo-Photiniani, meriti Christi hostes pestilentissimi. Matth. 20, 28. 1. Petr. 1, 19. Romano. 4, 24. Coloss. 1, 21. 22. Actor. 20, 28. Johann. 1, 29.

Mors Christi meritoria.

XIV. Consolationem firmam suppeditat notitia oviculatum Christi activa. Esa.49,16. & 43,1.2. 2.Tim.2.19.

XV. Christus novit oviculas suas, non modò visionis, sed etiam adprobationis notitiâ. Confer D.Theod. pap. 103.

Notitia Christi.

XVI. Deus suorum curam habet, quos portat, regit, custodit, novit & defendit. Deut.1,31. Psal. 23,1. & 48,15. & 145,20. Prov 3,12. Matth.10,30. Exod.33,12. Joh.10,14. Apoc.13,8. Psal.1,6.&34,21. Zach.2,8. 2.Tim 2,19.

XVII. Demus autem & nos nostro loco operam, ut ad agnitionem Christi perveniamus, & in eadem indies crescamus. Esaiæ 53,11. Sap.15,3. Joh.17,3. Ose.6,6. Luc.1,77. 1.Cor.1,5. Eph.1,17. Phil. 1,9. Col.1,9.10. 1.Tim.2,4. 1.Pet.3,18.

XIIX. Quid autem propriè sit salvifica Christi notitia, & quibus illa, συντόμως loquendo, partibus potioribus absolvatur, eruditè & nervosè descripsit Dn. Meelführer. in Vindic.dec.3.disp.

Agnitio Christi.

 7.th.

7. th. 44. his verbis: Agnoscere Christum est, ex patefacto verbo ejus discere & credere, quòd ratione personæ sit verus Deus & Homo; quòd ratione officii solus sit noster Mediator, Redemtor, Salvator & Rex in æternum; quòd in solo ipsius Nomine, absque proprio merito, accipiant remissionem peccatorum, qui credunt in eum; & quòd in nullo alio sit salus: quòd peccatum nos omnes damnans, morte suâ expiaverit; justitiam coram Deo valentem nobis acquisiverit; mortem & infernum destruxerit, in cujus potestatem æternam per reatum peccati incideramus; quòd per Evangelium & Sacramenta ad hanc salutem omnes vocet, & convertere velit, qui sese in ovile Ecclesiæ adduci, & à peccatis jugoque mundi se abduci patiuntur; quodque bonum opus ad finem usque perducere, tandem etiam ex morte resuscitatos in regnum suum introducere velit.

Fides notitia nō ignorantia.

XIX. Insignem ergò, cum reliquo Esauuitarum grege, errat errorem Bellarminus, fidem catholicam per ignorantiam potiùs, quàm scientiam definiri debere, delirans. lib. 1. de justif. c. 7.

PARS II.

Mercenariorum velmalorum pastorum descriptio.

Secunda pars occupata est in falsis pastoribus vel doctoribus depingendis, quorum τεκμήρια ac notas proprias Salvator in ἀντιθέσει considerandas proponit. Vituperat autem illos,

1. ob mali nominis impositionem vel circumgestationem; vocantur enim mercenarii, suo modo etiam lupi. Malus pastor est μισθωτὸς, mercenarius; quâ adpellatione nullatenus verbi complectitur ministros, qui pro mercede eâque acceptâ in Ecclesia docent. Dignum enim Christus ipse censet operarium mercede suâ. Matth. 10, 10. 1. Cor. 9, 14. Sed mercenarius, teste D. Chemnitio in harm. Evang. pag. 2171. dicitur,

Mercenarii qui.

1. is, qui precio præbendam Ecclesiasticam redimit, quod in Papatu Canonicis & Clericis admodum familiare esse & novimus & videmus:
2. qui solius stipendii causâ ad ministerium Ecclesiæ accedit:
3. qui absque ulla gravi & justa causa, tantùm amplioris salarii & dignitatis gratiâ, singulis fermè annis mutat parochiam. Hi enim omnis mercedem tantùm respiciunt, illiusque respectu omnia faciunt.

2. Ob

2. *Ob vocationis destitutionem*; non est pastor, sc. verus, non habet vocationem legitimam

3. *Ob officii neglectionem*; oves ejus non sunt propriæ, scil. dilectione & adfectu, licet propriæ sint officio. Propriæ oves sunt, inquit D. Chemnitius p.2172. quæ Christus cuivis pascendas in ordinario suo officio commisit. 1. Petr.5,2. Qui ergò illos, quos Dominus fidei suæ concredidit, pro suis ita agnoscit, ut cogitet, fore tempus, quo Pastorum Principi de iis rationem reddere cogatur, hujus propriæ sunt oves: qui verò illud negligit, de ipso Christus pronunciat, oves ipsius non esse proprias. Ideoque addit; oves ipsi non sunt curæ. Oves propriæ.

4. *Ob fugæ adprehensionem*. Hanc enim constituit Salvator mercenarii notam sive *ἴδιον πάθος*; Mercenarius videns lupum venientem, fugit, stationem suam deserit, neque pugnat pro ovibus: Per lupum intelligit Dominus Jesus, Lupus quis.

1. primò quidem diabolum, animarum humanarum hostem acerrimum, insidiatorem astutissimum, & interfectorem planè insatiabilem. Joh .8,44. 1.Petr.5,8.

2. Deinde omnes falsos Doctores, qui & ipsi satanæ instinctu luporum naturam induentes, oviculas Christi miserè trucidant. Matth.7,15. Actor.20,29.

3. Denique tyrannos & persecutores, qui apertâ vi hostiliter in grege Dominico grassantur; quibus omnibus palmam præripit Papa, lupus ille rapacissimus, Antichristus occidentalis, *tùm* falsâ suâ doctrinâ & adinventionibus papalibus, *tùm* cæde & sanguine ovile Christi immane quantum commaculans, diripiens, vastans. Lupus ergò intelligitur metaphoricus, sicut & Ezech. 22, 27. Matth.7,15. & 10,16. Act.20,24. Papa lupus.

Amplificatur ultima hæc nota dupliciter:

1. effectu, quòd lupus desertas à pastore, vel mercenario potiùs, oves dispergat, rapiat, dissipet, devoret. D. Chemnit. d. l. pag. 2174. ita: Rapit, tum à via salutis abducit, per superstitionum errores & scelera, & si nolint sequi, occidit. Dispergit, dum unitatem Ecclesiæ variis sectis scindit: aut cœtus sacros prohibet, ne oves ad auditum verbi conveniant, quod unicum ad servandam Ecclesiæ societatem maximè necessarium est vinculum.

2. *αἰτιολογία* duplici:

1. quia

1. quia mercenarius est; suum itaq; non ovium commodum sectatur; quod non de salario ordinario, quod petere & sumere licet, est intelligendum. Novi in vicinia hominem politicum ἄθεον, qui vituperat pastores, mercedem tempore hoc perturbato petentes, & viâ ordinariâ quærentes; tempori esse inserviendum inquiens. Fustigatione dignus, non refutatione, hostis ordinis nostri juratus & abjuratus.

2. Quia oves illi non sunt curæ: periculis itaque ingruentibus, pastorali suâ curâ eas deserit; vel officium, delictis auditorum grassantibus, negligit, veritus iras & odia hominum, in aliqua cumprimis eminentia constitutorum. Nam & ejusmodi pastores inter mercenarios numerantur meritò. Gregorius: Fugit mercenarius, non mutando locum, sed subtrahendo ministerium.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Monemur initiò de falsis in Ecclesia doctoribus, eorundemque notis sive characteribus infallibilibus. Esa.56,10. & 42,19. 22. Ezech.13,5. & 34,3.4.5. Phil.1,15. & 3,18.

Donatistæ & Anabaptistæ de malis verbi ministris.

II. Errant cum Donatistis Anabaptistæ, ministerium pastorum, improbitate aliquâ, sive in doctrina, sive in vita ac moribus, laborantium inefficax pronunciantes, atque ita verbi prædicationi, Sacramentisque ab ipsis administratis, omnem vim derogantes. Matth.23,3. Phil.1,17.18. Mercenarius etiam Evangelium sincerè docet, (ait Dn. D. Chemnitius pag. 2171.) non minùs quàm verus pastor, quàm diu est tranquillitas & serenitas. Quamprimùm autem oritur tempestas persecutionum, mox cedit. Hinc Augustinus dicit: *Pastor diligendus; latro cavendus, tolerandus mercenarius.*

Mercenarii qui dicendi

III. Caveant autem sinceri verbi divini ministri, ne numero mercenariorum adgregentur, quales sunt

1. *non animas, sed pecuniam quærentes:* Phil.2,4. 1.Thess.2,5. 1. Tim.3,3. 1.Pet.5,2.
2. *oves nec amantes, nec curantes,* sed sua: Ezech.34,4.
3. *lupum non inclamantes,* sed canes mut[o]s agentes; Jer.12,10. & 14,13. & 23,14. & 50,6. Ezech.13,10. & 34,2.3.

4. per

4. *persecutionibus ingruentibus aufugientes*, & oves dilaniandas relinquentes: Heb.13,13. Gal.6,16. Esa.58,1. 1.Tim.5,20. Matth. 10,23. Act.20,28. Num.16,48. Esa.58,1.

5. *precio parochias ementes & vendentes*, similes Menelao, trecentis talentis Pontificalem dignitatem ab Antiocho redimenti; 2.Maccab.4,24. & Judæ dicenti: quid vultis mihi dare? Matth.26,15. Hodie quoque (inquit D. Chemnitius) in Papatu nihil usitatius est, quàm quòd Clerici præbendas ab invicem emunt, licèt id in canonibus ipsorum sit prohibitum. Caveant etiam nostri, ne ipsis verè objici possit πολυθρύλλητον istud: die schmierende Narren kriegen die besten Pfarren. Væ illis, qui Simoniam pudendam in Ecclesias nostras introducentes, pro pecunia promotiones mutant & permutant! Quid respondebunt ἀρχιποιμένι Christo?

IV. Patet inde, quæ sit differentia, inter bonum pastorem & mercenarium. Ille enim novit & amat ad sangvinem usque oviculas, non quærit lucrum, sed Dei gloriam; vocem adversus lupum venientem extollit; persecutionem fert patienter; & ministerio suo salvat animas: Hic oves nec novit, nec amat, nec curat, sed sua tantùm quærit; est canis mutus; fugit crucem, & incuria sua perdit animas. Galat.6,16. Esa.58,1. 1.Timoth. 5,20. Tit.1,9. Esa.56,10. Matth. 10,23. Hebræor.11,33. Actor. 20,28.

Differentia boni pastoris & mercenarii.

V. Mercenarius non est, qui mercedem in Ecclesia pro labore sive stipendium sumit, atque ex ministerio victum quærit. Matth.10,10. 1.Corinth.9,7. seqq. 2.Cor.9,6.7. Gal.6,6. 1.Tim. 5,17.18. 2.Cor.11,8. Confer legem & statutum Dei in V.T. Deut.5,19 & 16,17. & 25,4.5. Ezech.44,29. Vide de mercenariis D. Theod.p. 107. seq.

Mercenarii non sunt qui mercedem sumunt.

VI. Quòd autem Matth.10,8. Salvator inquit: gratis accepistis, gratis date; opponendum est simoniæ, quæ extremè damnatur; Actor.8,18. & intelligendum de solis Apostolis, immediatè à Spiritu S. doctis.

VII. Omnis fuga simpliciter ministro verbi non est interdicta. Licet fugere & non licet: licet, in persecutione personali: non licet in persecutione vel periculo generali. Ergò κατά τι fuga hoc loco in pastore reprehenditur, quando nimirùm fugit

Fuga quæ & quando licita.

1. privato motu vel impetu;

2. viso lupo vel periculo;

3. oves sua desertione aut fuga periculo exponens. Matt.10,23. 1.Reg.19,3. Act.9,25. Confer Dn. Meelführer. in Vind. dec.1. disp.8 ubi prolixè & sufficienter hanc de fuga pastorum quæstionem pertractat. Vide etiam D.Theod.pag.109.110.111. D. Tarn. p.790.

Lupus imago diaboli &c.

IIX. Lupus imago est diaboli, hæreticorum, tyrannorum & persecutorum, omniumque adeò Ecclesiæ hostium, tùm quoad nativam ἀντιπάθειαν & hostilitatem; tùm quoad astutiam, fraudulentiam & calliditatem; tùm quoad prædæ qualitatem; tùm quoad rapacitatem & voracitatem; tùm quoad insatiabilitatem. Vide D. Theodor. p.114.115.116.117.

Hæretici lupi.

IX. Quantum gregi Dominico detrimenti inferant hæretici, adpellatio arguit, quòd & illi dicantur lupi, sangvinis ovicularum sitientissimi: quo loco tyranni etiam ac persecutores sunt habendi. Matth.7,15. & 15,14. Joh.10,8.

PARS III.

In tertia Evangelii parte notetur.

I. Ovicularum distributio, in præsentes & absentes adhuc dum isto tempore, h.e. nondum vocatas ad communionem Ecclesiæ. Illæ sunt ex Judæis; hæ verò ex gentibus. Illæ & istæ ad ovile Ecclesiæ, ministerio tùm Christi, circumcisionis ministri, Rom.15,8 tùm Apostolorum, omniumque, qui in eadem sinceritate illos sunt secuti, congregandæ & adducendæ.

Ovium Christi nota.

II. Ovium descriptio, ab effectu unico & principali. Unica enim & primaria oviculârum Christi nota est, audire vocem Pastoris sui. Est autem audire vocem Pastoris, non externum solummodò præbere auditum: nam & hirci quandoque h.e. impii, impœnitentes & increduli idem factitare solent: sed audire idem est, quòd obedire, & fideli obsequio jussis ac mandatis pastoris sui satisfacere; sequi ipsum simplici fide; non ab alterius voce pendere; sed iis tantùm delectari pascuis, quæ unicus hic Pastor bonus in verbo suo nobis commonstrat. Obedientiam itaque sive sequelam suam declarant, tùm parendo; tùm agendo; tùm patiendo, tùm moriendo.

Audire.

III. Effectus consecutio; fiet ex Judæis & gentibus unus grex, una Ecclesia; quemadmodum unus est Pastor primarius, reliquorum ὑποποιμένων, qui non nisi istius ministri sunt, ἀρχιποιμὴν Jesus

sus Christus θεάνθρωπος: Fiet unum ovile, & unus Pastor. Græcum ποίμνη significat, non ipsum ovile, sed gregem ovium, qui est in ovili; intelligiturque metaphoricè Ecclesia universalis, ex Judæis & gentibus colligenda.

ποίμνη.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Oviculis, non canibus invidis ac mordacibus, non cattis infidelibus, non porcis lutulentis, non pavonibus superbis, non hircis olentibus, non bobus cornupetis; sed oviculis, inquam, confert Christus suos sectatores, ut de propria illos & quasi connata moneat tùm miseria, tùm infirmitate. Es. 53,6. Sap. 5,7. Rom. 3,23. Eph. 4,18. 1. Pet. 2,25.

Christiani oviculis nō porcis &c. conferuntur.

II. Danda itaque nobis est opera sedulò, ut ovicularum naturam imitantes Christo ἀρχιποίμενι placeamus. Oves sunt

Christiani ovium naturam induant.

1. *ad reversionem ex errore faciles:* sic gaudium est in cœlo super peccatore resipiscente: Luc. 15,7. & 18,13. Jer. 8,4. Ps. 141,5 & 119,176.
2. *In pastore dignoscendo subtiles:* sic nos Christum rectè novisse discamus: Jer. 9,23. 1. Cor. 1,21.
3. *In audiendo pastore solertes:* sic pii libenter vocem Christi Pastoris audiunt: Psal. 1,2. & 26,8. & 27,4. & 84,1. Ioh. 14,23 & 18,37. Ose. 4,6. Matth. 7,23.
4. *Pastori suo obsequentes:* Sic Christiani facto student exprimere voluntatem Dei, quam ex verbo revelato didicerunt. Heb. 13,17. Jac. 1,22. Rom. 2,13. Joh. 13,17.
5. *Possessori vel Domino suo fructuosæ ac utiles,* carnes in cibum, lac in potum, fimum ad stercorandum & impingvandum agrum, lanas ad vestitum, intestina ad honestam recreationem subministrantes: sic Christiani proximi utilitati subservire adlaborant sedulò: Matt. 7,17. & 25,35. Luc. 3,11. Eph. 2,10. Ps. 112,5. 2. Cor. 9,7. Hebr. 13,16.
6. *Humiles,* non lana superbientes, ut pavones pennis; non in sublime adscendentes, ut capræ: tales pii. Sir. 3,20. Matth. 11,29.
7. *Simplices:* ita Christiani in simplicitate cordis ambulant. Matt. 10,16. 1. Pet. 2,12. Job. 1,1. Mat. 5,37. Ps. 15,2. & 25,21.
8. *Sordium expertes:* Christiani sunt mundi coram Deo & mundo, non prop[...]o merito, sed vi meriti Christi. Matth.

5,8. Psal.24,4. 1.Cor.6,11. 1.Petr.1,19. 2.Cor.7,1. 1.Thess.4,3. Heb.12,14.

9. In victu continentes, macris & tenuibus pascuis contentæ: Christiani vivunt parvo benè. 1.Tim.6,8. Ps.62,11. Pro.30,8.

10. Sociabiles, gregi se libenter adgregantes. Heb.10,25.

11. Unanimes & concordes. Ps.133,1. Phil.2,2.

12 Patientes, nec dentibus, nec ungvibus lædentes; si adversi quidpiam illis accidat, voce querula balant, vel tacent: Christiani student prodesse multis, nocere nemini; adversitates in sinum Patris cœlestis piis precibus securè deponentes, & cum patientia animas suas possidentes. Esa.53,7. 2.Tim.2,11. Matth.5,9. Rom.12,18. Ps.50,15. Luc.21,19. Confer D.Chemn. harm.p.2167. seqq. & D. Theodor. pag.103. 104.105.106.

Ecclesiæ nota.

III. Ex oviculárum Christi propria nota, quæ in verbi consistit auscultatione, facilè etiam fieri potest judicium, de vera veræ Ecclesiæ nota. Quæ verò illa? Verbi prædicatio pura, (auditus enim & prædicatio habent se correlativè) cum legitimo Sacramentorum usu conjuncta. Ps.95,8. Esa.58,10. & 66,2. 5. Hagg.1,12. Luc. 10.39. Ioh.8,46. & 14,23.

IV. Malè itaque faciunt Pontificii, à verbi divini lectione, vi quasi quadam adhibita, laicos arcentes. Actor. 15, 21. 1. Johann. 4, 1.

Ovis homo simplex.

V. Ovis in Scriptura per metaphoram notat hominem simplicem, pium ac probum. Esa 40,11. 1.Pet.2,26. Matth.7,15. & 18, 11. & 25,33.

Christus pro omnibus satisfecit.

VI. Pessimè autem inde inferunt Calviniani, Christum non pro omnibus satisfecisse, quia tantùm pro ovibus. Exclusiva enim, pro solis ovibus in textu non habetur; sed contrarium, quòd pro omnibus satisfecerit, habetur. 1.Johann.2,2. 1.Timot.2,6. 1.Pet.2,1.

Ecclesiæ vilitas.

VII. Nemo Ecclesiæ vili specie offendatur: Christus ipse ovili eam comparat: loquitur autem de Ecclesia, qualis adparet coram hominibus. Matth 11,6. Luc.12,32. Esa.54,11.

Gentes Ecclesiæ membra.

IIX. Gentes non minùs quàm Judæi ad societatem Eccles[illegible] pertinent: quia Ecclesia N.T. constat ex Judæis & gentibus. Joh. 11,52. Eph.2,14. 1.Pet.2,9.10. Gal.3,28. & 5,13. Act.10,34.35. Gen.49,10. Psal.2,8. & 72,8. Esa.11,10. & 60,3. & 65,1. Mich.4,2. Matth.28,18. Marc. 16,15. Act.13,47. & 17.30. D. Theod.p.119.

IX.

IX. Peccant in ἐλλείψει sive defectu cum Judæis Papicolæ, ad ledem urbemque Romanam Ecclesiam alligantes, atque ita nimis angustis finibus eandem concludentes. In ὑπερβολῇ sive excessu contrà delinquunt, qui cum Puccio nimis late extendunt terminos Ecclesiæ, unumquemque in sua religione salvari posse contendentes, modò bonâ intentione Deo serviat: quasi Ecclesia canum aut porcorum sit stabulum.

Ecclesia loco non alliganda.

Puccianismus.

X. Impia est & planè Epicurea eorum sententia, qui svaviter somniant, ante diem novissimum unam fore religionem, unam omnium populorum fidem: contrarium adserit Christus cum Apostolis. Luc. 18, 8. Matth. 24, 12. Apoc. 12, 12. Confer præ ceteris D. Theodor. pag. 119. 120, 121.

Non una omnium fides.

XI. De universali Judæorum, Turcarum, aliorumvé ante mundi consummationem conversione, quam novi quidam prophetæ ex hoc loco divinare moliuntur; sed absque fundamento vero ac solido. Vide D. Tarn. comm. in Joh. pag. 791. & D. Bald. in C. C. pag. 189.

Conversio universalis num speranda.

XII. Omnes salvandi debent fieri membra Ecclesiæ: quia extra eam non dantur salutis media ordinaria.

XIII. Erronea est opinio illa, quæ Origeni adscribitur, quod damnati impii, quin ipsi etiam dæmones tandem à pœnis infernalibus liberandi sint & salvandi. Matth. 25, 41. Esaiæ 66, 24. Luc. 16, 26. Apocal. 14, 11. & 20, 10. Confer D. Theodoric. pag. 121. 122. 123.

Origenis de damnatis sententia.

XIV. Ecclesia vera est tantum una: 1. Corint. 3, 11. Eph. 4, 3. Roman. 8, 16. Vide locos Theolog. & libellos methodicos. Et Tungerl. parr. 3. p. 658.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Agit præsens περικοπὴ Evangelica de officio Christi, quod vocamus, pastorali. Erat enim verus ille animarum nostrarum ἀρχιποιμήν; 1. Pet. 2, 25. magnus ille oviculárum suarum Pastor, Heb. 13, 20. in quo & per quem intra Ecclesiæ ovile sumus collecti, exspectantes beatam spem, fore, ut ipse aliquandò fideles suos intra caulæ etiam cœlestis septa congregatos æternâ felicitate beet. De hac officii Christi portione, cùm necessariò nobis hac vice sit dicendũ, duo potissimùm ex præsenti Evangelio contemplabimur:

I. *Pastoris nostri dignitatem & bonitatem*;
II. *Oviculularum proprietatem*.

PARS I.

Prima Evangelii pars tota est ἀποδεικτική, in boni Pastoris demonstratione unicè occupata. Quis verò ille sit, divinatione haut opus est. Habemus enim os veritatis, Messiam Jesum θεάνθρωπον, illud ipsum de se exsertis verbis pronunciantem; vers. 11 & 14. Ego sum Pastor ille bonus. Pastor est, quia oves suas, h.e. fideles, in eum credentes scientiâ pascit & doctrinâ, & per rectam salutis viam ducit in æternæ vitæ pascua. 1. Petr. 2, 25. Græci, annotante B. Aretio pag. 910. ποιμένα ovium vocant pastorem, βούκολον boum, αἰπόλον caprarum, σύκολον suum: huic consonat ipsa vox; nam ποιμὴν, quasi ὄμην dicitur. Οἶς autem ovis est, & μαζητῶ, quæro, curo: hinc π addito à fronte, ποιμὴν, curator ovium. Loquitur autem de pastore primario, cujus etiam indicium facit articulus geminatus, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς Pastor ille bonus, qui sc. in Lege fuit promissus. Quod verò dicit Salvator, illud quadruplici continuò argumentorum genere probat. Bonus enim est Pastor

Christus Pastor.

Christus bonus probatur Pastor.

1. *ob singularem personæ suæ bonitatem.* Bonus est, *tùm* Deitatis, (quâ fons bonitatis, τὸ αὐτοαγαθὸν; Deus enim causa boni est in natura, vel Platone teste:) *tùm* humanitatis suæ respectu, ratione cujus justum Davidis germen, Jer. 23, 5. & speciosus formâ præ filiis hominum: Psal. 45, 3. τὸ γεννώμενον ἅγιον, Luc. 1, 35. ὅσιος ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν; Hebr. 7, 26. audit.

Bonitas Christi Pastoris.

2. *Ob ineffabilem caritatem*, quâ factum, ut animam (h. e. per synecd. vel meton. causæ vitam pro ovibus suis poneret.

3. *Ob vocationis ordinariæ sublimitatem*, quam probat per contrarium. Mercenarii hoc est ἴδιον quasi πάθος, invitis sese obtrudere, vel per se, vel per alios. Non ita Bonus hic noster. Vocatus enim ille est à Deo, quemadmodum & Aaron. Heb. 5, 4. Literæ vocationis habentur Psal. 2, 6. & 110, 4. Esa. 42, 1. seqq. & 63, 1. seq. Matth. 3, 17. & 17, 5.

Mercenarius.

4. *Ob dominij, quod in oviculas habet, auctoritatem.* Oves enim ipsius sunt propriæ; non habet mercede conductas, sed proprii sangvinis profusione acquisitas oves. Quæ etiam causa est quòd suas frequenter dicat; & Joh. 10, 4. ἴδια πρόβατα, propria oves, Propriæ verò sunt, jure

Oves Christi propriæ.

1. *crea*

1. *creationis*; Gen. 1, 1. Psal. 100, 3. Joh. 1, 3.

2. *redemtionis*; Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. Edisserit hanc boni Pastoris notam,

1. *generaliter*, vers. 12: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus:

2. *Specialiter* transferendo θέσιν ad ὑπόθεσιν, vers. 15. Ego animam meam pono pro ovibus meis. Unde conclusio per se est manifesta. Esa. 53, 6. Amos. 3, 12. Zach. 13, 7. Matth. 15, 24. Luc. 15, 4. seqq. & 19, 10. Rom. 5, 6.

3. *Collectionis*. Joh. 11, 50. colligit autem oviculas Christus

Ovium collectio.

1. *gratis nos ad ovile suum vocando*, vocatione sancta. 2. Timoth. 1, 9.

2. *Amissas requirendo*: sponte enim suâ ex errore semet recolligere haut valent. Tanta est ovicularum post lapsum tùm cæcitas, tùm mentis imbecillitas. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 3, 5. Eph. 4, 18.

3. *Errantes revocando*. Audire enim facit cornu Evangelii. Jer. 3, 12. 13. 14. Matt. 11, 28. Collectio vel reductio isthæc hodiernâ die fieri solet ἐμμέσως, mediante nimirùm verbi ministerio, quod inde dicitur διακονία τῆς καταλλαγῆς. 2. Cor. 5, 18.

5. Boni demum Pastoris titulo meritò gaudet Servator, *ob officii curæq; pastoralis fidelitatem*. Pascit enim oviculas suas in judicio. Ezech. 34, 16. Huc spectant verba: *Ego cognosco oves meas, & cognoscor à meis*. Quod alibi hoc ipso cap. 10, 3. dixerat καλεῖν κατ' ὄνομα, nominatim vocare, id h. l. dicit oves γινώσκειν, quod est intimè curare & arctissimè complecti. Qualis verò hæc sit cognitio, declarat simili imperfecto; cujus πρότασις habetur: Sicut me novit Pater, & ego novi Patrem: ἀπόδοσις supplenda: Sic ego novi oves, & cognoscor ab ovibus. Habet hoc dictum non æqualitatem cognitionis, sed similitudinem tantùm aliquam, qualem conditio rerum admittit, hoc sensu: Quemadmodum Patris Filiique notitia mutua non est sine amore, cura ac solicitudine: Ita nec cognitio Christi respectu ovium.

γινώσκειν

1. Pater agnoscit, Filium hunc esse naturalem suum Filium: Ita Christus oves suas cognoscit ab æterno. 2. Timoth. 2, 19.

2. Pa-

2. Pater intimè diligit Filium: Ita Christus constanti amore prosequitur oviculas, adeò ut pro ipsarum salute mortem oppetere non dubitet.

3. Pater nihil omittit eorum, quæ faciunt ad ornandum Filium: Sic Christus Pastor nihil negligit omnium, quæcunque ad salutem oviculatum procurandam facere possunt.

USUS I. Informatorius.

Pastor Ecclesiæ unicus.

I. De unico Ecclesiæ Pastore, Domino Jesu Christo. Pro meliori hujus διδασκαλίας enodatione duarum quæstionum resolutio vel maximè videtur necessaria.

Pastorem cur se vocet Christus.

1. Cur Pastorem se vocet (non Regem, non Principem) Christus? Respondeo, factum id esse.

1. nostri causâ; sic enim oves nos esse miseras subindicare statim voluit, fideli bonoque Pastore indigas. Rom. 3, 11. Psal. 119, 176. Esa. 53, 6. Matth. 18, 11. Luc. 19, 20.

2. Sui causâ, ut officii sui conditionem, atque inde ad nos promanantia beneficia tantò dilucidius declaret, id quod ex subsequentis quæstionis pertractatione patebit evidentiùs. Bernh. *Huic Pastori bono securus me credo, qui quomodo salvare me velit, & novit & potest.*

3. Exempli gratiâ, ut suo nos omnes exemplo ad fidelitatem, in munere demandato præstandam, exstimulet. Atque hac occasione,

Pastor qualis Christus

2. Quæritur, qualemnam sese præstiterit, hodieque præstet Pastorem Christus? Resp. Verbo dicit: Bonum h. e. industrium, sedulum, vigilem & ad mortem usque ipsam fidelem. Oviculas enim suas

1. quærit anxiè; Matth. 18, 11. Luc. 19, 10. Ezech. 34, 11. 12. 16.

2. redimit preciosè; 1. Cor. 6, 20. 1. Pet. 1, 19. Eph. 5, 25. Hebr. 9, 12. 1. Joh. 3, 16.

3. pascit lautè; *1. corporaliter* seu temporaliter; Psalm. 33, 19. & 34, 11. & 37, 25. & 132, 15. & 145, 15. Esaiæ 30, 20.

2. spiritualiter, per Verbum & Sacramenta: vide præced. dispos.

4. deducit solicitè: ipse enim nos præcedit; Joh. 10, 4. & 14, 5. nostrûm est, vestigiis illius studiosè insistere. 1. Pet. 2, 12. Ipse errantibus viam monstrat: Psal. 32, 8. Matth. 11, 29, nostrûm est,

est, ὁδηγὸν tàm fidelem κτ' πόδα, quod ajunt, subsequi. Monstrat autem viam nos erudiendo, partim per Spiritûs Sancti subsidium, *internè*; Esa. 11, 2. Rom. 8, 26. 2. Tim. 1, 7. partim per verbi ministerium *externè*. In curam quidem ovium constituit hodieque Episcopos, Actor. 20, 28. ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit διὰ ἰδίου αἵματος: dat Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores ac Doctores; Eph. 4, 11. verùm *nisi intùs sit qui doceat, frustrà lingva docentis laborat*.

5. *collocat securè*. Satis enim pastas tandem intra ovile suum cogit, cœlesti illas sede reponens. Psal. 55, 23. Ioh. 10, 10. & 14, 3. & 17, 24. Ps. 16, 11. & 23, 6. Confer Monr. p. 420. 241.

II. De vera & æterna Christi Pastoris divinitate, quæ probatur ex 1. *propria Christi confessione*, qua Deum Patrem suum vocat: **Christi divinitas.**

2. *perfecta ovium, ut & Dei Patris cognitione:*

3. *ex anima pro ovibus εἰς λύτρον positione ac resumtione*. Ioh. 10, 11. 15. 18. Sap. 16, 13.

II. Consolatorius.

I. Profluens ex duplici boni Pastoris τεκμηρίῳ, quorum unum est, oves ad mortem usque diligere; Joh. 13, 1. & 15, 13. alterum oves suas exactè cognoscere. Novit autem oves Christus **Christus novit oves.**

1. *benignè eas respiciendo*; Ps. 34, 16. Esa. 66, 1. Zach. 12, 4.
2. *promtè preces earum exaudiendo*; Ps. 91, 15. & 145, 18.
3. *providè illas curando*; Psal. 40, 18. Sap. 5, 16. & 6, 8. 1. Pet. 5, 7. Phil. 4, 16.
4. *paternè castigando*; Ier. 30, 11. 1. Cor. 11, 32. Rom. 8, 28. Ps. 94, 12. Iob. 5, 17. seqq.
5. *masculè defendendo* Zach 2, 5. Joh 10, 29. Job 30, 17. Ps. 121, 4.

II. Pastoris boni qualitas maximo est oviculis solatio, & quidem

1. *contra connatam malitiam seu pravitatem*; Ps. 23, 1. 2. **Pastoris bonitas solatio.**
2. *contra communem miseriam & infirmitatem*; Psal. 103, 14. & 139, 1. 2.
3. *contra hostium sævitiam & immanitatem*. Christus enim oviculas suas agnoscit, quæ ipsius agnitio complectitur **Christus novit oves.**
   1. *ovium inscriptionem & adpellationem*; Luc. 10, 20. Phil. 4, 3. Es. 49, 16. Joh. 10, 3. Esa. 43, 1. Jer. 1, 3.
   2. *notationem vel signationem*, factam *tùm* rubrica sangvinis pretiosissimi; Exod. 12, 23. Ezech. 9, 4. *tùm* multiplici cruce

& calamitate; Gal.6,17. *tùm* donorum Spiritûs Sancti varietate, 1.Cor.12,4.7.8.9.10.

3. *providentiam, dilectionem & curationem.* Diligit & curat oves

1. *lavando*; Esa.1,18. Ezech.16,9. 1.Joh.1,7.
2. *pascendo & potando*; Ps.23,1. Ezech.34,14.
3. *requirendo*, congregando & ad ovile deportando; Ezech.34,16. Luc.15,4. & 19,10.
4. *ab hostibus*, tàm spiritualibus quàm corporalibus, *defensando*: Esa.40,11. Zach.2,5. Ezech.34,14. Ioh.10,28. Ps.121,4.
5. *obligando*, consolidando, sanando. Ezech.34,16. Matth.9,10.12.

Christus Pastor noster.

III. Ita per & propter hunc pastorem habemus vitam & abundantiam; est enim Pastor noster,

1. *naturali conditione*;
2. *merito & redemtione*;
3. *vigili cura & observatione*;
4. *cibo & sustentatione*;
5. *collectione & congregatione*;
6. *custodia & defensione*, de quibus vide Monr. th. p. 421-425.

III. Monitorius.

Officium Pastorum.

I. Ut ὑποποιμένες, subpastores, h.e. Ecclesiæ doctores fideles exemplum ἀρχιποίμενος sui imitati officium faciant sedulò

1. *benè pascendo*, tàm doctrina sana, quàm vita bona, Act.20,28. 1.Pet.5,1.2.
2. *oves commissas accuratè agnoscendo*:
3. *vitam*, si res ita ferat, *pro ovibus ponendo*. 1.Joh.3,16. Vide etiam Monrad.thes.pag.425.

II. Ut oviculæ Deo pro Pastore tàm bono, & pro adductione maximè ad Ecclesiam gratias agant. Ps.117,1.2. Rom.15,9.10. Ps.67,5.6.

IV. Refutatorius.

Papismus de Papa Pastore pastorum.

I. Pontificiorum, qui 1. honori Salvatoris nostri invidentes, ad idolum suum Pontificem Romanum sacrilegè devolvunt soli Christo debitum elogium, caput ipsum Ecclesiæ Catholicæ, & Pastorem Pastorum nuncupando, constituendo. Tonsor ille intonsus

sus p.368. b. ita grunnit: Dieser einige Schaffstall hat nur einen Hirten/ dem alle Schaff Gehorsam leisten müssen: dieser Hirt ist Jesus Christus/vnd sein Stadthalter auff Erden / ein jeglicher Römischer Bischoff vnd Pabst. De Christo concedimus, de Papa negamus. Hæc enim est illa gloria, quam cum nemine communicare decrevit. Esa.42,8. Papam autem ex adverso non pastorem pastorum, sed impostorem veriùs impostorum esse nequissimum, immò lupum in ovili Jesu Christi nocentissimum, ipsa, proh dolor, praxi & experientia planè tragica satis superque edocti & scimus, & intrepidè adserimus.

Quisquis enim Christi doctrinam corrumpit, ejusq; oviculas à via veritatis ad errores avertit; in gregem insuper Dominicum aperta vi, fune, ense, rota, aqua &c. grassatur, ille est ex luporum numero:

Papa lupus.

Papa Romanus studiosè hoc facit, falsa sua doctrina Christi doctrinam corrumpit, & persecutionibus insuper ejus Ecclesiam immane quantum adfligit:

Lupus ergò quin sit dubium nemini cordato potest esse ullum.

Lupo certè duo h. l. attribuit Christus propria, rapere & dispergere oves: Utriusque reus est Papa Romanus. Rapit, dum à via salutis per superstitionem, errores ac scelera abducit, & si nolint sequi, occidit oviculas. Dispergit, dum unitatem Ecclesiæ variis sectis scindit; aut cœtus etiam sacros prohibet, ne oves ad auditum verbi veniant, quod unicum ad servandam Ecclesiæ societatem vinculum est maximè necessarium. Intuêre Belgium, Austriam, Bohemiam, Germaniam, aliasque à bestia Romana subjugatas regiones, verum nimis esse deprehendes id, quod diximus; non Pastorem, sed impostorem exitialem esse Romanum Episcopum.

2. Turpem committunt paralogismum, hunc in modum concludentes: Christus est Pastor bonus: Ergò Ecclesia non potest errare; aliàs Christus non ovium, sed luporum, sed hircorum fuisset, hodieque esset Pastor. Ubi vel tirones Logicæ animadvertunt, plus esse in consequente, quàm antecedens permittit. Quasi alienum sit ab officio Pastoris, gregem etiam morbidum ex μακροθυμίᾳ & misericordia tolerare ac fideliter curare? Ezech.34,14. & seqq. Luc.15,4. & seqq.

Papismus de Ecclesia non errante.

Calvinianismus, de Christo pro solis electis mortuo.

II. Calvinianorum, qui oppositorum ἔλεγχον committunt, ita colligentes: Christus pro ovibus dat animam: Ergò pro solis electis est mortuus. Nam (1) non sequitur: Deus creavit marem: Ergò fœminam non creavit. Noah Munda animalia introduxit in arcam: Ergò porcum non introduxit. Ita neque hæc collectio procedit: Exclusiva enim nuspiam in Scripturis adparet. Sicut ergò Deus quidem creavit marem, sed non solum: Ita Christus pro ovibus seu electis est mortuus, sed non solis. (2) Scire debebant Calviniani, oves alias esse sanas, alias ægras; alias firmas, alias infirmas. Esa. 53, 6. (3) Contra Calvinianorum exclusivam pugnant expressima Scripturarum testimania, 1. Cor. 8, 11. 1. Tim. 2, 6. & 4, 10. 2. Pet. 2, 1. 2. Heb. 6, 4. & 10, 29.

PARS II.

Secunda pars est ἀποδηλωτικὴ, oviculárum descsiptionem earundemque proprietates sive γνωρίσματα comprehendens. Tribus verò potissimùm indiciis suas hoc in loco signat notatque Christus oviculas; quorum

Ovium Christi notæ.

1. positum est, *in reciproca Pastoris agnitione*; verbis: & Ego cognoscor ab illis; scilicet, sicut Pater à me. Quemadmodum itaque Filius agnoscit, Patrem cœlestem esse suum verum ac naturalem Patrem, & se omnia à Patre suo habere; Johan. 16, 15. nec sine Patre quicquam posse facere: Johan. 5, 19: Ita oves quoque agnoscunt Christum suum verum ac legitimum Pastorem, cui acceptum ferre debeant, quicquid boni habent in hac vita, & adhuc accepturi sunt in altera vita, sine quo servari nequeant; sine quo nihil quicquam boni facere possint; Johann. 15, 5. In ipso ergò solo quærunt; quæ unquam ad salutem sunt necessaria.

Filius novit Patrem.

2. *In attenta vocis pastoralis auscultatione*. Addit enim: *Oves vocem meam audiunt*, puta, non externis solùm auribus; Namq; & hypocritæ, & non renati quandoq; verbum prædicatum audiunt; sed internâ potiùs mentis attentione atque devotione, promtaque voluntatis ad verbum attemperatione ac morigeratione; doctrinam Christi fide firmâ amplectentes; mandata ejus, ὅσον ἐν τῷ δυνατῷ, sedulò capessentes, & jugum insuper crucis impositum patienter ferentes.

3. *In studiosa concordiæ conservatione*. Norunt enim, futurum tandem aliquando, ut quemadmodum unus est gregis Domini-

nici Pastor bonus: Ita omnes oviculæ in unum ovile cogantur, ubi summa erit ovicularum, tàm ex Judæis, quàm ex gentibus collectarum, in uno isthoc Pastore unio, consensus & harmonia. Loquitur autem propriè de vocatione gentium, quæ tum temporis adhuc erant alienæ, nec de ovili vel congregatione credentium ex Judæis. Describitur isthæc de gentium ad Ecclesiam sive vocatione, sive adductione concio per sex circumstantias; quarum

Vocatio gentium.

1. est *persona*, gentes ad Ecclesiam adducentis, *auctoritas*: Ego Christus θεάνθρωπος.
2. *Adpellationis suavitas*; gentes adducendas non vocat boves, vel hædos, vel canes; sed oves æquè ut Judæos.
3. *Adductionis necessitas*; κἀκεῖνα δεῖ με ἀγαγεῖν, & illas oportet me adducere, ratione videlicet
   1. *divini decreti & consilii*; Gen.22,18. & 26,4. & 28,14.
   2. *prophetici vaticinii*; Gen. 49,10. Psal.2,8. & 18,44. & 72,11. & 117,1.2. Esaiæ 2,3.4. & 11,6.7.8.9.10. & 49,18.21,22. & 55,5. & 60,3.4.5. & 65,1.25. Mich.4,3. Hagg.2,7.8.
   3. *constituti ab æterno officii*. Esa.49,6. Luc.2,30.
4. *adductionis modus vel qualitas*; mediante voce sive verbo Evangelii: Matth.28,19. Marc 16,15.16.19.20. Act.13,46.
5. *Gentium ad obsequendum pronitas*; audient vocem meam. Psal. 18,44. Act.13,48. & 14,27.
6. *Ovilis & Pastoris unitas*. Psal.118,22. Eph.2,14. Col.3,11.

USUS I. Informatorius.

I. De communi omnium hominum miseria ac infirmitate, quæ sub imagine ovium nobis ob oculos ponitur. Es.53,6. Psal. 14,4. Rom.3,23. De natura ovium plura qui desiderat, is consulat D. Frantzii histor. animal. sacram pag.235. & seqq. & Dn. Tungerl. part.3. promt. pag.644.645.646.647.648. ubi per 20. membra comparatio deducitur.

Hominum miseria & infirmitas.

II. De Ecclesia, quòd sit una, Christi nimirùm, de quo Evangelium loquitur, ovile. Unum illa habet ac veneratur Deum & Patrem; Eph. 4,6. unum agnoscit caput, Jesum Christum; 1.Corinth.12,12. Eph.1,22. & 5,23. Col.1,18. unum ejus est fundamentum: 1.Corinth.3,11. Eph.2,20. unus eam Spiritus illuminat, regit, consociat & conjungit: 1.Cor.12,4.8.13. Eph.4,4. Unam fidem custodit: Eph.4,5. Una erat arca in diluvio; unum

Ecclesia est una.

Judæorum templum; una est Christi sponsa; Cantic.6,7.8. unum ejus corpus; Eph.4,4. una Dei domus, una Ecclesiam repræsentans vinea &c. Sic una tantùm est Ecclesia, à qua si quis vel exsulat, vel aberrat, is in æternum perit: quia extra Ecclesiam non est salus. Vide harm. Chemn.p.2164. & Tungerl. p. 658.

II. Consolatorius.

I. Quòd simus oves Christi, quas ipse novit paterno affectu: & quòd in vita cœlesti unus erit Pastor & ovile unum, in quo securè agentes nullos metuemus luporum insultûs. Confer Monr. thes. p. 428. 429.

II. QuòdChristus per verbum se nobis exhibet cognoscendum, quod contra naturalem inscientiam & cæcitatem tenendum. Luc.24,45. Joh.5,39. 1.Cor.13,12.

Christus gentium etiam Pastor.

III. Quòd Christus etiam gentium sit Pastor, quantumvis ægerrimè illud tulerint Judæi. Vide Monrad. thes. p. 424. & Tungerl. pag. 661.

III. Monitorius.

Christiani sint oves.

I. Ut Christiani imitari studeant oviculas, (non hædos, sues, canes, ursos, lupos, leones, cuculos)

1. avidè ad pascua tendendo; Esa.2,3.
2. Christum bonum Pastorem agnoscendo; Joh.17,3.
3. libenter pro Christo moriendo. Matth.10,39.

II. Ut auditores debito honore venerentur pastores à Deo missos, ceu Christi vicarios. Monr. p. 425.

Ovium officium.

III. Ut operam demus omnes, quò inter oviculas Christi simus, ejusque solius vocem audiamus & sequamur. Fieri illud quàm rectissimè potest,

1. templum frequentando; Johan.8,51. Psalm. 27, 4. & 48, 2. 3. & 122, 1.
2. Verbum servando & faciendo; Joh.8,51. &14,23. & 15,14. Jac.1, 22. Matth.5,16. & 7,21.
3. carnem frenando; 1.Cor.9.27. Gal.5,24.
4. patiendo, & crucem & correptionem; Matth. 10, 24. Luc. 9, 23. 1.Pet.4,12. Psal.116,13. & 141,5.
5. concordiæ studendo. Psal.133,1.2.3. Matth.5, 9. Rom. 12, 16. 18. Eph. 4, 3. seqq.

IV. Re-

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, I. laicos à sacrarum literarum lectione removentium, quòd eorum solùm sit audire, non legere Scripturam, quia Christus tantùm auditûs faciat mentionem. Sed σόφισμα committitur παρὰ τὸ μὴ ἑπόμενον; quandoquidem prædicatio, auditio & lectio non sunt opposita, sed ὑπαλλήλως subordinata.

Papistæ laicos à lectione Scripturæ removentes.

II. Inter genuinas Ecclesiæ notas referentium, *tùm* ejusdem amplitudinem, quòd sit latissimè diffusa, per totum terrarum orbem; *tùm* unitatem, quòd ovile Christi sit unum, sicut unus etiam est pastor. Verùm enim verò neutra istarum est Ecclesiæ propria. Nam primam quod attinet notam, vera illa ac genuina non est: quia amplitudo ac multitudo non semper, nec soli Ecclesiæ, nec eodem modo convenit. Ecclesia enim vera in V. T. ampla initiò non fuit. Cœpit in Adamo & Eva, & per Patriarcharum solummodò domûs est propagata, quin & ad summam tempore antediluviano paucitatem fuit redacta. Post diluvium in tentoriis erat Semi & Japheti. In N. T. primùm Judææ & Samariæ terminis erat circumscripta. Sed nec in fine mundi erit ampla, verùm ad summas potiùs angustias contrahetur, teste Scripturâ Matth. 24, 11. Luc. 18, 7. 2. Petr. 2, 1. 2. Sed nec soli Ecclesiæ Christi convenit. Nam satanas mundi princeps est, & dominatur in omnibus reprobis. Ecclesia igitur satanæ longè amplior est Ecclesiâ Christi, quod vel solum Antichristi regnum testatur, de quo Apoc. 13, 8. admirata est tota terra bestiam, & adoraverunt eam omnes, qui inhabitabant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Et cap. 17, 11. meretrix magna sedet super aquas multas. Contrà Ecclesia Jesu Christi est pusillus grex: Luc. 12, 32. populus pauper & egenus. Soph. 3, 12. Ubi non amplitudinem, sed amplitudinis contrarium de vera Ecclesia prædicari & audio & video.

Ecclesiæ falsæ notæ.

Amplitudo & multitudo nulla Ecclesiæ nota.

Alteram falsò-nominatam Jesuicidarum notam quod spectat, neque illa ità est comparata, ut veram semper nobis monstret Ecclesiam, & à falsa malignantium Ecclesia eandem discerminet. Etsi enim unum sit ovile, atque ita una Ecclesia: tamen semper secundum quid illud est accipiendum; nimirùm secundum rationes unitatis, ab Apostolo Eph. 4, 3. explicatas. Et distingvendum est inter jus & factum; de jure quidem talis esse semper debebat Ecclesia;

Unitas non est Ecclesiæ nota.

sia; sed de facto non semper est, propter dissensiones, quas satanas interdum, permissu Dei, spargit. 1. Cor. 11,19. Unitatem ergò Ecclesiæ agnoscimus; sed talem, quæ cum veritate fidei sit conjuncta. Nam & inter malignos, hæreticos puta, latrones nequissimos, quin ipsos etiam, Salvatore teste Luc 11,17. 18. diabolos, summa quandoque & intima datur unio, qui tamen vera Ecclesiæ membra dici nullo modo possunt. Zach. 8,19. Veritatem & pacem diligite, in qua nos confirmet ac corroboret Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, sermo enim ipsius est veritas. Joh. 17,17. Amen.

Unitas Ecclesiæ.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

DE natura & proprietatibus boni Pastoris ex præcedentibus facilè potest fieri judicium: Jam itaque secuti filum prælecti Evangelii, tantummodò agemus, *de summis Pastoris nostri Jesu Christi beneficiis*; quæ consideratio tùm in fidelissimi hujus Pastoris amorem pios quosvis rapiet, tùm officii quoque sui oviculas admonebit.

Pastoris Christi beneficia.

Ἐξήγησις.

Beneficia, quæ à Christo bono Pastore in oviculas redundant, ex pastorali ipsius profluunt officio. Horum verò

I. primum est *gratæ & gratuitæ pastionis*; Pastor enim à pascendo nomen habet, quòd pascat sibi commissas vel proprias oves. Ceterùm pastori sese comparat Christus quintuplici potissimùm de causa:

1. *propter humilitatem*; Matth. 11,29. Phil. 2,8.
2. *propter vilitatem*; Gen. 46,34. Esa. 53, 2.3.
3. *propter fidelitatem*; Gen. 31,40. 1. Sam. 17,34. Ioh. 15, 13. Rom. 5,8. 1. Ioh. 3, 16.
4. *propter liberalitatem*; Ps. 23, 1.6.
5. *propter utilitatem*; quæ vel maximè ex gratuita Christi pastione luce meridiana clariùs emicat. Porrò qualis Pastor, tale ejus pabulum. Pastor est spiritualis: Ergò pabulum etiam spirituale, verbi nimirùm & Sacramentorum. Ioh. 6, 33. 54. 55. 56. 68. Ps. 23, 1.2.

II. Secundum, est beneficium *plenariæ redemtionis*. Nam bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, h. e. paratus est ad mortem usque dimicare contra lupum ingruentem, & alias ovibus

bus infestas feras. Præstitit hoc officium Christus, *tùm* per universam, quam in his terris inter homines vixit vitam, *tùm* vel maximè in morte sua. In aliis pastoribus voluntas & animus pugnandi sufficit; non enim omnes vitam pro grege profundunt: In Christo autem mors etiam ipsa requirebatur. Act.20,28. Phil.2,8. 1.Pet.1,18. Matth.20,28. Rom.3,24.&5,6. Eph.1,7. Col.1,14. 1.Thess.1,10. 1.Timoth.2,6. Heb.9,12. Et hoc quidem redemtionis sive opus, sive officium ita plenè & perfectè expedivit & absolvit, ut nihil quidquam ampliùs ad ejus consummationem requiratur. Liberavit enim nos ab omnibus inimicis nostris; & à manu omnium, qui oderunt nos; Luc.1,71.74. à maledictione legis; Gal. 4,5. à servitute & metu mortis, immò ab eo quoque, qui mortis habebat imperium, h. e. à diabolo; Heb.2,14. 15. à peccato denique, sic indefinitè posito, h.e. ab omni peccato, & quicquid peccati rationem ac reatum præ se ferre potest. Tit.2,14. Unde redemtio etiam hæc non simpliciter λύτρωσις, sed ἀπολύτρωσις dicitur, ad significandam nimirùm plenariam, perfectam, omnibusque numeris absolutam redemtionem, uti ex Chrysostomo adnotavit Dn.D. Hütterus, in locis Theolog. p.447. a. ubi plura in hanc sententiam.

Redemtionis opus totale.

III. Tertium est beneficium *salvificæ agnitionis:* Ego, inquit, cognosco oves meas. At quomodo novit? Non ἔξωθεν tantùm, sive ab extra, ex colore, magnitudine & aliis, in sensûs exteriores incurrentibus, indiciis: sed potiùs ἔσωθεν, ab intra; est enim cordium ac rerum humanarum scrutator acerrimus. Johann.2,24. & 6,70. Luc.8,46. Et ut tantò certiùs cognoscat oves suas, notat illas rubrica sangvinis sui in Baptismo & usu Cœnæ Dominicæ; idque eum in finem, ne quisquam rapiat de manu illius. Johann. 10,28. Aliàs proverbio dicitur, lupum signatas etiam oviculas devorare: sed, hoc Pastore, deque hisce oviculis adagium illud locum non habet. Quemadmodum enim in Ægypto Angelus percussor ædes Israëlitarum transibat, quas quidem Agni Paschalis sangvine, in superliminari & utroque poste, notatas videbat, Exod. 12,23. Sic oviculas sangvine Christi, Agni illius immaculati & incontaminati, 1.Pet.1,19. signatas, nulla vis diabolica lædere potest, immò in ipsa etiam morte hæc sangvinis rubrica durat, unde etiam de manu mortis oves sese suas liberaturum Pastor optimus olim erat pollicitus. Ose.13,14.

Oves ut noverit Christus.

Et ut specialiùs aliquantò beneficium hoc summum exponamus, novit utique Pastor Christus oviculas suas,

1. *providendo*, ne in matris adhuc utero delitescentibus damni quidquam inferatur. Ps.22,10. 11. & 139,16.17.
2. *Prædestinando* eas ad vitam æternam; Eph.1,4. seqq.
3. *Defendendo*, adversus omnes omnium hostium insultus. Psal.91,15.
4. *Preces earum exaudiendo*, quæ si verâ in Pastorem istum fiant fiduciâ, nunquam cadunt irritæ; Esa.65,24.
5. *Commiserando*, Ps.103,13. Heb.4,15.

Christi intercessio.

IV. Quartum beneficium est *gratiosæ intercessionis*. Sicut novit me Pater, quòd scil. venerim in hunc mundum, ut essem generis humani Sacerdos & Mediator: Ita novit etiam meas pro eodem genere humano deprecationes & intercessiones. In statu quidem κενώσεως supplicationes & deprecationes pro ovibus obtulit, modò humiliter se prosternendo; modò preces concipiendo: Johan. 17. At in statu subsecutæ ὑπερυψώσεως, exhibendo & repræsentando in conspectu Dei sua merita, suamque plenissimam pro nobis satisfactionem. Rom.8,34. Hebr. 7,25. & 9,24. 1. Johan. 2,1. 2.

V. Quintum est, beneficium *solicitæ ductionis*;

VI. Sextum *securæ collocationis*, de quibus vide prædicta.

VII. Septimum & postremum est *copiosæ amplificationis*. Dexterâ enim Dei exaltatus, ovilis sui pomœria latiùs extendere cœpit. Non enim Judæorum synagogâ contentus, quæ partem maximam secessione ab ipso facta, lupo infernali deglutiendam sese propinaverat, gentes insuper intra ovile suum admisit, ablegatis in universum terrarum orbem Apostolis, beneficia ex χριστοῦ morte ac merito parta, cunctis gentibus uberrimè & maximo cum fœnore deprædicantibus. Ps.19,4.5. Esa.49,6. Act.13,46. Ideò inquit; *Oportet me & illas adducere*. Δεῖ, oportet, intelligi debet de officio suo, ab æterno sibi constituto, non de fatali necessitate, quæ nulla est, ait Aretius in Joh.p.911. Theophylactus rectè: *Verbum oportet hoc loco non est necessitatis, sed planè eventûs significativum*. Fiet autem unum ovile & unus Pastor, non quidem in hac terra, ut fanatici nonnulli somniarunt, sed in vitâ æterna. Fieri enim nullo potest modo, ut in hac vita unquam plena, solida & universalis in fide concordia statuatur. 1. Cor. 11, 19.

Gentium vocatio.

In-

Insignia hæc sunt, si probè perpendamus Pastoris nostri beneficia, quæ voce elata clamant, Jesum Nazarenum esse solum & unicum illum καλὸν ποιμένα, Patrum ac Prophetarum V. T. quin ipsius Spiritûs Sancti oraculis plurimùm jam olim decantatum. Verùm ut contraria contrariis opposita magis elucescunt: Ita Pastor bonus pastori malo oppositus, majori dilectionis desideriique incendio animos piorum inflammat. Bono itaque Pastori degeneres pastorum ἀντιθετικῶς opponuntur, quos suspecta τῶν μισθωτῶν adpellatione perstringit, & suis quibusdam notis egregiè depingit, arguens eos,

Jesus solus Pastor Ecclesiæ.

Mercenarii qui.

1. *Ut gregem commissum non curantes*; quia oves ipsorum non sunt propriæ: Ezech. 34, 3. seqq. Rom. 16, 18. Phil. 3, 19. Μισθωτὸν esse, per se vitiosum non est: sed quia istiusmodi homines ad mercedem potissimùm respiciunt, illiusque respectu omnia faciunt, negligentiùs etiam aut sedulius pro ratione mercedis laborant: hinc fit, ut Doctores Ecclesiæ vitiosi sint, qui lucrum & præbendas solùm respiciunt, non Domini gloriam & Ecclesiæ commodum.

μισθωτός.

2. *Ut lupum fugientes*. Lupus satan est, & tyrannus, & persecutor, & hæreticus, qui cœtûs fidelium dissipat, qui ignes & carceres minitatur, & saluti animarum plurimùm officit. Lupum ergò venire, est periculum incidere ob confessionem, quod periculum etiam mercenarius prævidens fugit, & in tuta sese confert, vel loci mutatione, vel abnegatione, vel sententiæ immutatione, vel nova interpretatione, vel intempestivo silentio. *Si enim tacuisti, fugisti*, ait Augustinus. Esa. 56, 10. Jer. 10, 21. & 23, 1. & 50, 6. Ezech. 34, 10.

Lupus in Ecclesia.

Sed receptui canimus, orantes ἀρχιποίμενα Jesum Christum, ut ipse requirat oves suas, & visitet eas, & pascat eas; quod periit requirat; & quod errans fuit reducat; & quod confractum fuit alliget; & quod infirmum fuit consolidet; & quod pingue & forte est custodiat. Ezech. 34, 11, 16.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam, ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, hos gaudiis facias sempiternis perfrui, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

DOMINICA JUBILATE,
EVANGELIUM
Joh. 16. à v. 16. ad 24.

16. Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν Πατέρα.

17. Εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς ἀλλήλους· Τί ἐστι τοῦτο, ὃ λέγει ἡμῖν· μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με· καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με· καὶ ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν Πατέρα.

18. Ἔλεγον οὖν, τοῦτο τί ἐστιν ὃ λέγει, τὸ μικρόν; οὐκ οἴδαμεν τί λαλεῖ.

19. Ἔγνω οὖν ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἤθελον αὐτὸν ἐρωτᾷν, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Περὶ τούτου ζητεῖτε μετ' ἀλλήλων, ὅτι εἶπον· μικρὸν, καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με.

20. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι κλαύσετε καὶ θρηνήσετε ὑμεῖς, ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται· ὑμεῖς δὲ λυπηθήσεσθε, ἀλλ' ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται.

21. Ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς· ὅταν δὲ γεννήσῃ τὸ παιδίον, οὐκέτι μνημονεύει τῆς θλίψεως, διὰ τὴν χαρὰν ὅτι ἐγεννήθη ἄνθρωπος εἰς τὸν κόσμον.

22. Καὶ ὑμεῖς οὖν λύπην μὲν νῦν ἔχετε, πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν.

23. Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν.

16. Pusillum, & non videtis me: & iterum pusillum, & videbitis me; quia ego vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergò quidam ex discipulis ejus inter se: Quid est hoc, quòd dicit nobis: pusillum, & non videtis me: & iterum pusillum, & videbitis me: & quia ego vado ad Patrem.

18. Dicebant ergo; quid est hoc, quòd dicit, pusillum? nescimus quid loquatur.

19. Cognovit autem Jesus, quòd vellent ipsum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quòd dixi: pusillum, & non videtis me, & iterum pusillum, & videbitis me.

20. Amen amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos, mundus contrà gaudebit: vos autem mœrore adficiemini, sed mœror vester vertetur in gaudium.

21. Mulier cùm parit, dolorem habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat, hominem esse natum in mundo.

22. Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollit à vobis.

23. Et in illo die me non interrogabitis quicquam.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

VErsatur hoc Evangelium in genere causarum διδασκαλικῶ: docet enim in eo Salvator θυμηγέστατος de discessu, h.e. passione ac morte sua, omniumque simul Christianorum cruce & calamitate, cum adnexa consolatione, cruci, ærumnis atque adversitatibus quibusvis opponenda; idque dicit, non modò propter discipulos suos, verùm etiam propter Ecclesiam universam; ut sciamus, adflictionibus nostris successuram aliquando lætitiam; tristitiam contrà nostram in gaudium perpetuum desituram.

Partes Evangelii, prò more, constituimus initiò tres; quarum

I. passionis, mortis ac resurrectionis Christi prædictionem;

II. tristem de acerbissima Apostolorum cruce ac calamitate concionem;

III. Cruci oppositam Servatoris consolationem continebit. In prima itaque audiemus Christum de cruce disserentem: in secunda discipulos obstupescentes: in tertia Christum solatium opponentem.

PARS I.

Prima ergò Evangelii pars tribus absolvitur membris;

1. Christi προφητεία sive vaticinatione;

2. Discipulorum ἀπορία vel dubitatione;

3. Subsecutâ ἑρμηνεία sive prædictionis interpretatione.

I.

Vatem initiò agit Salvator Christus, prædicens Apostolis

1. futuram passionem vel absconsionem; verbis: *Pusillum & non videtis me*; q.d. breve superest intervallum & mortem meam. Abripient enim me hostes mei, qui me ignominiosè consputum, miserabiliter flagellatum & percussum, tandemque in crucem actum occident; quo tempore me triduo in sepulcro jacentem non videbitis. Cur toties repetatur hæc de Christi abitu concio, explicat Dn. D. Gerhard.part.3.harm.Chemnitio-Lyser. p.1148 1149. τὸ μικρὸν sumitur h.l. adverbialiter; Joh.13,33. Heb.10,37. & subauditur nomen χρόνος, tempus, quia de temporis paucitate est sermo. Vulgata vertit modicum, minùs commodè; rectiùs pusillum, paulisper, & sensus est; quòd pauxillum temporis præteritu-

rum sit, donec sequatur, quod prædicitur. Præsens θεωρεῖτε videtis, ponitur more Hebræis usitato pro θεωρήσετε, videbitis. D. Gerhard. p.1150.

2. *Mox subsecutumm revisionem* vel resurrectionem, verbis: *& iterum pusillum & videbitis me*; i. e. passio isthæc brevi durabit tempore: post triduum enim à mortuis iterum resurgam, quo tempore vivum me vobis exhibebo, atq; ita vicissim mei videndi vobis dabitur copia. Dupliciter ergò intelligi possunt hæc verba:

1. de tempore mortis, quo discipuli Christum visuri non erant, & resurrectionis, quo iterum ipsum erant visuri.
2. De tempore, quo post adscensionem Christi in his terris victuri erant Apostoli, corporalibus autem oculis illum non visuri: sed breve futurum est illud tempus, & hoc exacto, iterum visuri sunt Christum, vel cùm in novissimo die adparebit judicare vivos & mortuos; vel cùm exactâ vitæ militiâ è vita hac mortali ad immortalem transmigraverint. Vide D. Calixt. Concord. p.460. D.Gerhard.d.l.pag.1150.1151.1152.1153. novem distinctas recenset verborum istorum interpretationes, quas videat, qui volet.

Abitus Christi ad Patrem.

3. *Suam ad Patrem abitionem*, veluti prædictionis istius causam sive αἴτιον ἀνθ' οὗ μή; verbis *quia vado ad Patrem.* Aretius in Johan. pag. m. 982. ita interpretatur: revertar ad eam gloriam, quam deserui. Sed Arianismum sapit hæc interpretatio. Rectiùs itaque intelligunt alii per abitum Christi, vel finem ultimum, gratiâ cujus in mundum venerat, opus nimirùm illud ἀπολυτρώσεως; vel mortem Christi: hoc enim loquendi modo utitur

Mors via.

Matth. 26, 24. Filius hominis vadit, sicut de eo scriptum est; mors enim transitus quidam sive via erat, quâ iretur ad Patrem. Vel denique commodiùs adscensionem ejus ad cœlos: Johann. 20, 17. adscendo ad Patrem meum. Ita enim erat constitutum, & in libris Prophetarum jam olim prædictum, ut redimendi humani generis causâ priùs moreretur & resurgeret, quàm in cœlos ad Patrem adscenderet sive rediret. Augustinus, & qui eum sequuntur τὸ vadere ad patrem, referunt tantùm ad primum membrum, pusillum & non videbitis me; sed rectiùs refertur ad utrumque quia abitus Christi ad Patrem non solam adscensionem notat, sed simul complectitur passionis, mortis, resurrectionis & adscensionis mysterium, quod patebit Domin. Cantate.

II.

II.

Fuit Christi vaticinium; sequitur illius in discipulis effectus; ἀπορία nimirùm sive dubitatio. Aenigmatica enim hæc videbatur Apostolis concio, captum quippe eorum, terrenis cogitationibus præoccupatorum, effugiens. Disputare itaque incipiunt, de vero dictorum sensu eruendo anxiè laborantes; quo ipso insignem suam, cum summa stupiditate conjunctam, haut obscurè produnt ἄγνοιαν, id quod dupliciter manifestant:

1. *aliì ex aliis quærendo*; verbis: quid est hoc, quod dicit nobis, pusillum & non videtis me; &c.
2. *Ignorantiam istam suam apertè profitendo*; verbis: nescimus quid loquatur.

Pressiùs si textum vers. 17. & 18. consideremus & urgeamus, quatuor nobis sese offerunt circumstantiæ. Ostenditur enim

1. τῶν ἀπορούντων indagatio, quinam fuerint illi dubitantes? Evangelista dicit, εἶπον ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ubi subintelligendum τινὲς, quidam, sicut eadem ellipsis occurrit Matth. 23,34. & 27,9. Actor. 21,16. Quidam igitur ex discipulis ista dixisse videntur, sed ad reliquos omnes: quorum (uti D. Tarnov. habet in Johann. p. 1090:) tacita confessio arguit, pariter omnes ignorâsse mentem Christi; nisi mavis vers. 18. esse responsum ad quæstionem, à quibusdam eorum vers. 17. ceteris propositam; quod propter ταυτολογίαν non inconcinnum D. Tarnovio videtur. Sed rectiùs, inquit D. Gerhard. harm. p. 1160. dicitur, omnes in æquali hæsisse ignorantia ἀπορίᾳ; at in eo quandam esse inter ipsos diversitatem, quòd quidam cum ἀγνοίᾳ conjungant ἀμέλειαν, quidam verò genuinum horum verborum sensum scire desiderent.

2. Ἀγνοίας καὶ ἀπορίας h. e. ignorantiæ & dubitationis istius manifestatio, facta per modum discursûs sive disquisitionis, non quòd audiente Magistro sonoris verbis occultas cordium suorum cogitationes protulerint; sed quòd secretò inter sese mussitaverint, perquirentes, an quis eorum geminum verborum istorum sensum adsecutus fuerit. Nam verbum εἰπεῖν de occultis etiam cogitationibus sive λόγῳ ἐνδιαθέτῳ usurpatur. Matth. 9,3. Luc. 16,3. Roman. 10,6. Ita autem inter se mussitant, ut verba Christi sine ulla

εἰπεῖν de cogitatis mendis sum tum.

ulla variatione vel mutatione repetant, dicentes: Quid est hoc quod dicit nobis &c.

3. Rei non intellectæ specificatio. Quidam eò inclinant, quòd τὸ μικρὸν solùm non intellexerint; sed veriùs asseritur, discipulos nihil omninò dictorum omnium intellexisse, quod & Luc. 18,33. in simili concione ipsis evenerat; idque nulli dissimulant, sed apertè fatentur.

Apostoli cur verba Christi non intellexerint.

4. Causarum designatio, vel quid causæ fuerit, quòd verba ista Christi non intellexerint? Ea non nisi in Apostolis est quærenda. Etsi enim obscuriùs aliquantò loquatur Salvator, ob causas, quas recenset p. 1162. D. Gerhardus: triplex tamen potissimùm ἀσυνεσίας istius occurrit causa:

1, connata in rebus fidei hebetudo ac tarditas, immò cæcitas: Luc. 24,25. 1 Cor. 2,14. 2. Cor. 3,5. Eph. 5,8.

2. præconceptæ opinionis de terreno Christi regno tenacitas:

3. tristitiæ gravitas. Joh. 16,6. Vide plura in harm. Chemnitio Lyseriana D. Gerh. p. 1162. 1163. 1164.

III.

Fuit etiam ἀπορία; restat ἑρμηνεία, sive perspicua verborum Christi interpretatio, ideò subjuncta, ut sit veluti τῆς ἀπορίας λύσις, dubitationis solutio, quæ tria continet:

1. ἀφορμὴν sive occasionem, quæ Christo fuerit data, ut prædictionem suam uberiùs exponeret & declararet. Addit enim Evangelista, quòd Christus discipulorum suorum ἐνθυμήσεις sive internas animi cogitationes, pro sua καρδιογνωσία, non modò quà Deus, sed etiam quà Homo cognoverit; verbis: *cognovit autem Jesus, quòd vellent ipsum interrogare.* Volunt nonnulli, Christum hanc discipulorum voluntatem cognovisse, vel ex mutua eorum collocutione sive mussitatione; vel ex indiciorum quorundam externorum observatione; sed huic opinioni ipsi discipuli vers. 30. contradicunt. Cognovit igitur in luce divinæ suæ omniscientiæ secundam divinam Naturam essentialiter ipsi propriæ, secundum humanam verò Naturam personaliter ipsi vi unionis hypostaticæ communicatæ; quo modo verbum γινώσκειν usurpatur Matth. 12, 15. & 22,18. Luc. 8,46. Joh. 2,24.25. & 5,25. Marc. 2,6. Ita verbum ἔγνω positum ἀνθρωποπαθῶς, accipiendum est θεοπρεπῶς, scivit enim ex se & per se quid sit in homine.

Christus novit cogitationes.

Omniscientia Christi

2. Quæstionis præoccupationem, quòd omniscientiæ istius suæ specimen editurus, & divinitatem suam cogitationum in cordibus la-

latentium cognitione manifesturus, interrogare volentes discipulos prævenisse, quidque ex ipso quærere vellent prior exposuisse, dicatur. Verbum θέλειν, uti D. Gerhard. pag. 1168. notat, ut plurimùm de voluntate extensa, h. e. non de nudo tantùm voto ac desiderio, sed etiam de firmo animi proposito ac decreto accipitur, cum quo optima ratione consistere potest, quòd pudore ac metu Apostoli dicuntur prohibiti, quò minùs in actum illud suum decretum ac propositum deducerent, quodque Christus responsione sua ipsorum desiderium ac propositum anteverterit. Confer D. Tarn. in Joh. p. 1091.

θέλειν.

3. Ἀπορίας repetitionem; verbis: *de hoc quæritis inter vos* &c. Non directè autem explicat, quodnam sit illud pusillum geminum, res ipsa enim paulò pòst declaravit, quid occulto isthoc sermonis genere sibi voluerit.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Christus passionem suam prænuncians, τὸ ἑκούσιον ejusdem, h. e. spontè, non coactè se passum esse testatur. Ps. 40, 10. Joh. 10, 18. Vide Domin. Quinquag.

Passio Christi voluntaria.

II. Inde verò certi sumus, perfectissimam & numeris omnibus absolutam fuisse Christi obedientiam, inobedientiæ nostræ expiandæ sufficientissimam. Rom. 5, 19. Phil. 2, 8.

III. Errant autem graviter Calvinisequarum nonnulli, & inter illos cumprimis Herbornensis iste Piscator, obedientiam solummodò passivam ad meriti Christi perfectionem requirens, activa interim obedientia, tanquam minùs necessaria, semota; de quo errore admodum periculoso videatur D. Echarti tractatus, seorsim de hac quæstione editus.

Piscatoris error de obedientia Christi.

IV. Collationem inter Apostolos & verè pios, per octo membra deductam exhibet D. Gerh. in harm. p. 1158 & 1159.

V. Fideles Christum modicum non vident (sc. 1. corporaliter seu visibiliter; 2. spiritualiter sub cruce & persecutionibus:) & modicum iterum vident, tùm in hac vita, spiritu, fide & verbo; tùm in altera vita. Vide D. Theodoric. p. 129. 130. 131. 132.

Videre & non videre Christum.

VI. De terrenis soliciti cœlestia raró aut nunquam perpendimus. Vide D. Theodor. p. 133. 134.

Cæcitas humana ejusque rationes.

VII. Ideam habemus in discipulis cæcitatis nostræ natur[alis], quâ fit, ut carnis & rationis nostræ prudentia instar noctuaru[m] sese habeat in illis mysteriis, quæ salutem nostram concernunt. 1.Cor.2,14. 2.Cor.10,5. Rom.8,6.7.

IIX. Hebetudinis & cæcitatis istius rationes dantur istæ:

1. Ingenita in rebus fidei inscitia & fatuitas; Eph.1,9. Matth.16,[...] Esa.55,8. 1.Cor.2,14. & 3,2.

2. præconceptarum opinionum tenacitas;

3. judicij nostri infirmitas;

4. nostra in fidei rebus incuriositas & ruditas. Confer D. Theod[...] 134.135.136.137

IX. Patet inde (1) quàm necessaria sit Spiritûs Sancti il[lu]minatio: Psal.119,34. (2) quàm periculosum sit, ad verbi au[di]tum vel Scripturæ S. lectionem, inveteratas & præconceptas sec[um] adferre opiniones; (3) quàm tædiosum videatur carni tempus [...]rendæ cruci destinatum. Psal.6,4. & 13,1.2.

Sanctorum lapsus.

X. Etiam sancti suis non carent tum nævis, tùm infirmi[ta]tibus. 1.Reg.8,46. Psal.62,10. 1.Joh.1,10.

XI. Animus perversis opinionibus imbutus & præoccu[pa]tus, non facilè intelligit, quæ ex verbo Dei proponuntur. Matt.1[...] seqq. Luc.24,25. Act.1,6. 1.Cor.1,23.

XII. Nisi ergò Spiritus Sanctus mentem illuminet, non [in]telligimus verbum, etiam clarissimè prædicatum. Luc.18,34. J[oh.] 15,5. 1.Cor.12,3. & 10,44.

XIII. Audituri proinde sacras conciones Deum oremus, [ut] oculos mentis nostræ aperiat. Psal.119,18.34. Eph.1,17.18.

Cœlestia homines non curant.

XIV. Nos omnes rerum terrenarum dignitatibus fascina[ti] cœlestia & animarum salutem concernentia, vix ac ne vix quid[em] attendimus. Psal.49,18. Ezech.7,19. Matth.16,26.

XV. Interim quæ in sacris ignoramus, palàm profiteri n[e] vereamur. Act.8,34. & 17,20.

XVI. In divinis rebus Christi os & verbum consulam[us]. Joh.1,9. & 5,39. & 16,13. Psal.25,4.

Personarū pluralitas.

XVII. Christus dicendo, se ad Patrem vadere, pluralite[m] personarum in divinitate adstruit, quod contra Sabellii deliriu[m] est notandum.

Præsentia Christi ipsius abitu nō tollitur.

XIIX. Nihil derogat abitus Christi ad Patrem veræ ips[ius] in terris apud omnes creaturas præsentiæ; externè enim ta[n]tùm conversationis, quæ in terris, durante exinanitionis sta[tu]

visibilis erat, subtractio innuitur, salvâ manente nobis invisibili & incomprehensibili ejus præsentiâ quæ à sublimiori causa dependet, unione nim. personali carnis cum Λόγῳ, claritate resurrectinonis, & humanæ Naturæ ad dexteram Dei exaltatione.

XIX. Christo patent intimi cordium humanorum recessûs. Psal. 94,7. & 139,1. 1. Reg. 8,39. Job. 42,3. Esaiæ 42,9. & 44,7. Johann. 2,25.

Christus καρδιογνώστης.

XX. Colligitur ex hac Christi καρδιογνωσία,

1. vera ipsius Deitas, 1. Reg. 8,39. 2. Par. 6,30.

2. summa Christi benignitas, quam ostendit molliter ac mansvetè Apostolos rudes tractando:

3. magna Christi fidelitas. Vide D. Gerh. p. 1168. 1169. Confer D. Theod. p. 138. & 139. de hac καρδιογνωσία.

XXI. Christus multò promtior est ad nos docendum, quàm nos ad discendum. Es. 48,17. Ps. 25,8.9.12. & 32,8.

PARS II.

Secundâ Evangelii parte concionatur Christus de cruce & calamitatibus discipulorum certò eventuris. Est autem concio ista nihil aliud, nisi dilucidior quædam primæ partis parabolicæ expositio, in qua notantur tria.

Crucis concio.

1. Juratoria dictorum adseveratio; juramento enim consveto & quidem duplici confirmat, certò eventura, quæ jam modo de se suisque discipulis monuerat; inquiens: *Amen amen dico vobis.* Vocula ἀμὴν (uti adnotat D. Gerhard. p. 1170.) Syriaca in Evangelistarum scriptis centies & bis occurrens, & apud Johannem semper geminata, in Græco textu à sacris scriptoribus fuit retenta, vel propter singularem emphasin, vel admonitionis gratiâ, quòd Christus Syriacè locutus fuerit, vel quia Judæis omnibus ac multis gentilibus ad Christum conversis, tum temporis fuit familiaris, vel certè nota. Est autem particula gravis ac seriæ adseverationis, ut patet tùm ex etymologia, quia deducitur ab אמן fidelis, firmus, certus fuit; tùm ex eo, quòd τὸ ναὶ & ἀμὴν conjunguntur. 2. Cor. 1,20. Apoc. 1,7. tùm ex usu Ecclesiæ, quæ benedictiones & preces hac voculâ concludere fuit solita, earum confirmationem & impletionem per eam exoptans. Respectum autem h. l. Christus habet ad præconceptas Apostolorum de terreno Messiæ regno opiniones, propter quas ἀπροσδόκητον imò παράδοξον ipsis videbatur, quicquid Christus de sua passione, morte & resurrectione, quicquid

Juramentum Christi

Amen.

de persecutionibus & adversitatibus ipsis obventuris proferebat. Bis verò ponit hanc jurandi formulam, ut prædictioni & promissioni suæ fidem adhiberent, & in mœrore constituti animos suos ea erigerent.

II. Ipsa crucis denunciatio, ab effectis sive consequentibus κτ̄ μερισμὸν instituta. Nam

κλαίειν. 1. dicit κλαύσετε, flebitis, plorabitis; ἀπὸ τοῦ κλαίειν, quod est lacrymari, plorare, lugere cum gestu & lacrymis: Lacrymæ autem, quod Cyprianus lib. 2. epist. 7. dicit, sunt legati doloris; ac quando cor angoris pondere premitur, ex oculorum fontibus lacrymæ prorumpunt. Habetur Matt. 2,18. Luc. 7,13. Zach. 13,10. Matt. 26,75. Marc. 14,72. & 16,10. Luc. 23,28.

θρηνεῖν. 2. θρηνήσετε, lamentabimini, ἀπὸ τοῦ θρηνεῖν, quod est lugubriter flere, lamentari, vocibus ad fletum & commiserationem accommodatis lugere, voce querulâ ac tristi oratione dolorem exprimere & contestari. Ac quia θρηνεῖν propriè significat ejusmodi luctum ac planctum, qui in funere mortui excitari solet; 2. Reg. 1,17. & 3,33. 2. Par. 35,25. Jer. 22,10. ideò causam hujus mœroris ac luctûs in Apostolis Christus innuit, fore suam mortem. Luc. 23,27.

λυπεῖσθαι. 3. λυπηθήσεσθε, tristitiâ vel mœrore adficiemini. λυπεῖσθαι generale est, omnes doloris species complectens, ex mali præsentis consideratione, propriè autem interiorem mœstitudinem denotat. Matt. 26,37. usurpatur de Christi angore; & paulò pòst nomen λύπης de fœminæ parturientis dolore, quem longè maximum esse, nemo ignorat vel dubitat. Prædicit igitur discipulis suis Christus non mediocrem, sed gravissimum mœrorem.

Mundus ἐπιχαιρέκακος. *III, Crucis amplificatio*, facta ἀντιθετικῶς, per adjunctum contrarium, à mundi gaudio & insultatione hostili: Mundus autem gaudebit, sarcasticè meis & vestris miseriis illudens, & in sinum quasi de pressuris gaudens, id quod ad mœroris augmentum facit plurimùm. Per mundū intelliguntur potissimùm impii & increduli Judæi, quorum instinctu & instigatione Christus in crucem fuit actus: horum virulenti sarcasmi exstant in historica passionis Dominicæ descriptione; prædicti verò Ps. 22,19. & 35,21.25. & 41,9.12. In genere intelligit totam impiorum colluviem, contemtores & persecutores piorum. Per virulenta illa hostium opprobria mœror Apostolorum plurimùm fuit auctus, proinde non una, sed multiplex fuit mœroris ipsorum causa; nimirùm

Mundus. Crucis Apostolicæ causa.

1. Chri-

1. *Christi captivatio, passio & crucifixio;*
2. *ipsorummet Apostolorum fugatio ac dispersio;*
3. *spei, uti videbatur, frustratio;* Luc.24, 21.
4. *hostium exsultatio;*
5. *præ metu exanimatio;*
6. *resurrectionis mora & dilatio.* Confer D. Gerh. harmon. pag. 1175. 1176. 1177.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Quæ Christus tempore ministerii sui ad Apostolos dixit, ea in triplici fuére differentia. Quædam dicta sunt Apostolis, ut Apostolis, quæ scil. sunt mandata personalia, ad solos Apostolos pertinentia: Matth.10,5. quædam dicta sunt Apostolis, ut Ecclesiæ Doctoribus, quæ ad omnes quoque eorundem successores extenduntur; Luc. 24,47. quædam dicta sunt Apostolis, ut Christi fidelibus discipulis, quæ ad omnes Christianos spectant. Matth.5,16. Marc.13,37. Ita quæ h.l. dicuntur, primariò Apostolos, secundariò verò omnes verè-pios concernunt. D. Finck. cent. 2. can. 62.

Dicta Apostolis sunt triplicia.

II. Depingitur ergò hic sors & conditio omnium genuinorum Christi discipulorum. Ecclesia enim in hac vita cruci est subjecta. Ps.129,1. seqq. Job.7,1. Sir.40,1. Prov.3,12. Act.14,22. 2.Tim,3,12 D.Theodoric.p.141. seq.

Sors Christianorum.

III. Ne fingamus igitur nobis sortem meliorem. 1.Reg.19,5. Ps.39,14. Luc.9,23. Act.9,16.

IV. Crux proprius est & individuus Evangelii comes; sicut umbra comitatur corpus. Job.5,7. Ps.34,20. Tob.12,13. Sir.2,1. Rom. 8,29. 1 Thess.3,4.

Crux verbi comes.

V. Unde potissimùm crux proveniat, nimirùm ex Christi sive discessu, sive absconsione. Ps.10,1. & 13,1.

VI. Calamitates temporales non arguunt doctrinæ falsitatem. Rom.5,3. 1 Cor 1,18. Multis itaque modis Ecclesiis nostris injurii sunt Jesuitidæ, qui omnem calamitatum, his ultimis mundi temporibus majori, quam antehac unquam, copiâ ingruentium, culpam in Evangelium, per B. Lutherum à fermento Papistico repurgatum, voce Stentoreâ transferre solent. Evangelium enim per se non est calamitatum causa, sed potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom.1,16. D.Theod.p.142.

Calamitates non arguunt doctrinæ falsitatem.

Crux ἐπιχαιρεκακία augetur.

VII. Piis lamentantibus mundus in sinum quasi ridet. Pro. 2,14,15. Rom.12,2. & 13,13. Ps.10,3. Ibid. p.143.

IIX. Istam piorum crucem non medioctiter auget sarcastica immò diabolica planè mundi exultatio & insultatio. Luc.6,21,25 Confer D.Gerh. in harm. part.3.p.1181.

Piorum lacrymæ.

IX. Pii crucigeri non interiore saltem mœrore adficiuntur; sed etiam propter crucis gravitatem exteriùs plorant & lamentantur.

X. Christiani enim Stoici ἀπαθεῖς non sunt, & interdum variis ærumnis ac calamitatibus pressi, à lacrymis sibi temperare nequeunt, quod vitio ipsis verti non debet. Ps.126,5.6. & 137,3. Matth. 26,38. Luc.19,41. Heb.5,7. Ibid.

Monachorum austeritas.

XI. Tristitia Christianis ex crucis gravitate obveniens, nihil cum tetrica, adfectata & simulata Monachorum sive tristitia, sive austeritate habet commune: fit enim citra vocationem, & absq; ulla necessitate. Col.2,23.

XII. Pii felicitate & gaudio mundi non raro offenduntur. Psal.37,1. seqq. & 73,1. seqq. Jerem. 12,1. Job.4,2. & 31. 2. Psal. 94, 3.

Pii felicitate mundi offenduntur.

XIII. Mundi lætitia est, Augustino teste, impunita nequitia. Job.20,5. Psal.49,18. Esa.29,7. Sap.5,9.10.1.Joh.2,16.

XIV. Eligamus igitur potiùs cum Apostolis & omnibus piis in hac vita plangere & lacrymari, quàm cum impio mundo ad tempus breve lætari.

Crux ferenda & cur.

XV. Forti autem & læto animo feramus & perferamus divinitùs immissas calamitates, quippè quæ non sunt signa iræ vel reprobationis, sed testimonia divinæ dilectionis & filiationis, exercitia fidei & devotionis, incitamenta orationis, remedia humiliationis, & præsagia lætæ permutationis.

Impiorum felicitas.

XVI. Impii in hoc mundo sunt felices & læti Pro.2,15. Psal. 10,3. & 49,10. & 73,3.4. & 79,4. & 80,7. & 137,3. Job.4,7. Mal.2,17. Jer.12,12. Job.31, 2.

XVII. Perpendendæ h.l. veniunt causæ, quas propter pii tribulationibus & calamitatibus in hac vita adeò premantur, quæ in locis Theol. & alibi passim sunt obviæ.

XIIX. In Christo & Evangelio præter crucem & pressuras nihil quæramus, ad quas animum præparemus & obfirmemus. Vide Theodoric. p.143.

XIX. Felicitas mundana est (1) momentanea; (2) fallax; (3) noxia. Ibid, p.143.144.

XX.

XX. De ἐπιχαιρεκακίᾳ fugienda. Ib.p.145.

ἐπιχαιρεκακία fugienda.

PARS III.

Audivimus crucis prædictionem, cui eventus ex asse respondit: audiamus etiam consolationem, cruci & calamitatibus opponendam.

Consolatio cruci opponenda.

I. Primus consolationis fons est *modica duratio:* est enim reverà pusillum, tùm quia brevi distat spatio; tùm quia diu non durabit.

II. Secundus consolationis fons est, *tristitiæ in gaudium commutatio:* verbis: *sed mæror vester* (tristitia vestra) *in gaudium vertetur.* Hæc nimirùm est læta illa καταστροφὴ, quam post tristem admodum ἐπίτασιν Apostolis promittit Salvator; & quâ ex mundi tandem hujus ergastulo liberati, participes evadent pii vitæ æternę. Mirabilis enim fiet ἀντιμεταβολὴ, quâ mundi gaudium in mœrorem, Apostolorum verò omniumque piorum mœror, post breve temporis intervallum, in gaudium est convertendus. Impleri cœpta est hæc Christi promissio, in gloriosa ipsius resurrectione, Joh. 20,20. & in miraculosa illa Spiritûs Sancti effusione; Act.2, 2. 3. 4. perfectè autem impleta est in beatifica Christi post mortem visione. D.Gerh.p.1179. Ceterùm amplificatur hæc secunda consolatio tripliciter:

1. eleganti similitudine, desumtâ à muliere parturiente, quæ perfectè proponitur, secundum πρότασιν & ἀπόδοσιν, quod monstrat D.Gerhard. pag.1184. Quemadmodum enim mulieris partus incredibili cum dolore, immò ipsa vitæ jactura est conjunctus; susceptâ verò & in lucem jam editâ sobole novâ, tanta exsurgit in animo matris lætitia, ut præcedentium dolorum recordatio omnis exspiret, atque hac ratione dolor quidem magnus, sed brevis; gaudium contrà succedens diuturnum est: Ita omnes in universum pii, quantascunque perpessi fuerint adflictiones, experientur tamen aliquando, cùm adsumti ad sempiterna gaudia, Servatorem suum coràm intuiti fuerint, has ipsas calamitates ad æternam ipsis salutem cessisse, & præ gaudio non ampliùs præteritarum calamitatum recordabuntur.

Mulieris parturientis cum cruce comparatio.

Quæritur hîc de causis, quare Christus similitudine hac uti & concionem de cruce declarare voluerit? Factum hoc censetur

Cruce cur Christus simili de muliere parturiente comparaverit.

1. propter V.T. prophetiam, in quo similitudo isthæc usurpatur.

1. de

1. de anxietatibus & angustiis, quas pii experiuntur in publicis vel privatis calamitatibus: 2.Reg.19,3. Esa.26,17. & 37,3 Jer.4,31. & 6,24. & 22,23. & 30,6. Ose.13,13. Mich.4,9. Sir. 48,21.
2. De anxietatibus & angustiis impiorum: Ps.48,7. Esa.13,8. & 21,3. Jer.48,41. Ezech.30,16. 1.Thess.5,3.
3. De machinationibus malorum: Job.15,20.35. Ps.7,15. Es.59,4
4. De laboribus piorum in bono: Es.26,17. Gal.4,19. 1.Cor.4,15
5. De persecutionibus Ecclesiæ: Es.66,8. Apoc.12,1.
6. De Deo, quatenus in utero caritatis ac misericordiæ suæ nos fovet, & in utero verbi nos generat: Esa.42,14. & 46,3. & 66,9.

2. *Propter convenientiam*, de qua in sequentibus. Jam quoad textum observabimus, (1) particulas ὁμοιωτικάς, ὡς & οὕτως, tàm in πρότασι, quàm in ἀποδόσει more Hebræis usitato esse omissas. Frequens enim est Hebræis similitudines ac parabolas simpliciter recitare, & accommodationem sine ulla comparationis nota subjicere.

τίκτειν. (2) Verbum τίκτειν non solùm parere, sed etiam parturire, partui vicinam esse, dolores partûs prævios notare. Ita Christus h.l. non dolores saltem respicit, quos sensuri erant Apostoli in ipso mortis triduo, quod erat q. tempus partûs; sed etiam quos jamdum, cùm hæc loqueretur, ac de morte sua vaticinaretur, sentire cœperant, quod erat q. tempus parturitionis. (3) Mulier ideò & inde dolorem habere dicitur, quia venit hora ejus: ubi per horam intelligitur tempus, partui mulieris divinitùs constitutum ac determinatum. Sap. 7,1. 2.Macc.7,27.

Hora.

τίκτειν & γεννᾶν. (4) Τίκτειν proprium est fœminarum, & τὸ γεννᾶν virorum: verùm ut τίκτειν quandoque de viris; ita γεννᾶν catachristicè interdum dicitur de fœminis: Matth. 2,1.4. Luc. 1,13,57.

παιδίον. (5) τὸ παιδίον puer, utrique sexui est commune, Matt.14,21 & 15,38. Marc.5,39. Quando ergò mulier puerum sive infantem, aut fœtum in lucem edidit, οὐκ ἔτι, non ampliùs recordatur prioris cruciatûs ac pressuræ, quam in partu sustinuit.

θλίψις. (6) Ubi θλίψεως nomen valdè est emphaticum: θλίβειν enim inter alia significat stringere, constringere, Marc.3,19. premere, sicut calceus pedem propter angustiam premit. Ejusmodi constrictionem, pressuram & angustiam mulieres in partu sustinent, διὰ τὴν πεθλιμμένην ὁδὸν, propter angustam viam, per quam infans eluctatur. (7) Causam τῆς ἀμνηστίας vel ἀμνημοσύνης adsignari istam; quia gaudet, hominem natum esse in mundo, h.e. puerperam novâ prole esse auctam.

(8)

(8) Nomen ἀνθρώπου generale esse, non adultis solùm, sed infantibus etiam competens. Joh.1,9. & 7,23. (9) In ἀπολόγος; & vos igitur nunc mœrorem habetis; particulam ἂν ostendere, quòd promissio gaudii ex ipsa similitudine deducatur: præsens autem ἔχετε positum sit pro paulò pòst futuro; quanquam de utraque potiùs Apostolorum tristitia agat, tùm ex prædictione abitûs, tùm ex triduo mortis percepta.

ἄνθρωπος.

2. Secundò amplificatur *causâ gaudii sive efficiente, sive procreante*, unde illud sit oriturum, ex Christi nimirùm reversione, & discipulorum visione: *Iterum videbo vos*, sc post meam resurrectionem. Quæritur hoc loco, cur Christus dicat, Ego videbo vos? Cur non, & vos videbitis me? Subindicat Salvator,

1. à sui ipsius manifestatione & adparitione dependere, quòd Apostoli post resurrectionem ipsum sint visuri.

2. Se magno cum gaudio ipsos iterum visurum, id quod affectum Christi amantissimum testatur: ὄψεσθε enim interdum significat cum singulari quodam gaudio aliquem videre. Matth.5,8. & 28,7.

ὄψεσθε.

3. Spiritualem Christi visionem in hac, & beatificam ipsius in altera vita visionem ab ipsius manifestatione pendere unicè.

4. Gloriam, in resurrectione & exaltatione sibi conferendam, non immutaturum Christi erga Apostolos amorem, quod inter homines multoties fieri videmus ab iis, qui ad aliquod dignitatis fastigium conscenderunt. Honores mutant mores, sed raro in meliores.

5. Se in angore & mœrore ipsis præstò futurum & ex illis liberaturum. Quando enim Deus dicitur videre eos, qui in angustiis sunt constituti, sensus est, quòd eis gratiosa sua præsentia & auxilio adsit, eosque ex angustiis liberare velit. Exod.3,6.

Videre Dei cum auxilio conjunctũ.

3. Tertiò amplificatur *causâ gaudii formali*, quòd ad ipsum usque cor gaudium isthoc sit penetraturum; & gaudebit cor vestrum; delumtumque est hoc comma ex Esa.66,14. Futurum itaque hoc est gaudium solidum & internum, quod nulla afflictio exteriùs superveniens abolere queat. Habes oppositionem gaudii mundani & cœlestis.

III. Tertius consolationis fons est *ex gaudii perennitate* derivatus: *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Loquitur autem in præsenti, αἴρει, ut gaudii vicinitatem & continuitatem cum perpetuitate conjunctam exprimat. Tolli non potest hoc gaudium,

Gaudium piorum cur nemo tollat

1. quia causa efficiens & objectum hujus gaudii est æternum
2. quia reconciliati erant cum Deo; Rom. 8,38.39.
3. quia spirituale gaudium nullæ passiones, nullæ calamitates possunt exstinguere; Act. 5,41. Roman. 5,3. 2. Cor. 6,10. & 7,4.
4. quia fuit consummatum. Esa.35,20. Apoc.11,4.

Innuit itaque Salvator solidam & constantem prosperitatem, perfectamque lætitiam, qualis post mortem demum obtinget. Gaudium enim hujus vitæ variis casibus & perturbationibus est obnoxium, & ipsâ tandem morte abrumpitur; quin gaudium quoque Spiritûs non semper est uniforme, sed suam habet remissionem, unde non rarò planè excutitur; solum alterius vitæ gaudium constans, invariabile ac perpetuum est futurum.

Gaudium hujus vitæ.

IV. Quartus demum consolationis fons est, *perfecta rerum*, quas tum ignorabant, *cognitio*, quam declarat effectu: *in illa die non interrogabitis me quicquam.* Dies illa accipi potest, vel de die resurrectionis Dominicæ; vel de die effusionis Spiritûs Sancti; vel de die vitæ æternæ, unde variæ oriuntur hujus loci interpretationes, de quibus vid. D. Gerhard. pag. 1209. Quæritur, quando hæc promissio fuerit impleta? Non pauci cum Augustino statuunt, ex hujus vitæ conditione; 1. Cor. 13,9.12. diei adpellatione; & locorum aliorum collatione, in futura demum vita complementum illius esse sperandum; q. d. jam non omnia, quæ loquor, intelligitis, unde me interrogate necessum habetis; sed in altera vita quæstionibus istiusmodi locus non erit; mysteria enim omnia perfectè cognoscetis, qui status vitæ æternæ erit beatissimus: Nihil tamen prohibet, quin dicamus, in hac etiam vita impleri cœptam, tùm in Christi post resurrectionem adparitione, tùm in Spiritûs Sancti effusione, quod argumentis aliquot probat D. Gerh. d. l. pag. 1210. 1211. 1212.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Crucis brevitas & mutatio.

I. Tribulationes justorum non diu durant. Ps.30,6. Es.54,7. Sap.3.5. Tob.3,22. 2. Cor.4,17.

II. Tristitia Christianorum vertetur in gaudium. Psal.126,5. Esaiæ 25,8. & 65,13.14. 2. Thess.1,6. Apocal. 7,17.21. Matth. 5,4. Luc. 6,21. & 16,25.

III. Chri-

III. Christus aliter suos consolatur, quàm mundus & illi, qui mundo sese accommodant. Mundus ita consolatur, ut læta tantùm, grata & prospera proponat, tristia verò & adversa supprimat: Christus verò ita solatur, ut non dissimulet tristia, sed de imminentibus malis præmoneat, interim tamen robore Spiritus Sancti animas præmuniat.

IV. Huc spectat illud, quòd mæror piorum in gaudium; contrà verò mundi gaudium in mœrorem convertatur Matth. 5, 4. Luc. 6, 21. 25. & 16, 25.

Tristitia in lætitiam.

V. Non in vita solùm æterna mœror noster vertetur in gaudium, sed in hac quoque vita quædam gaudii illius πρόγευσις, tùm in exteriore crucis mitigatione & ex ea liberatione, tùm in interiore Spiritûs S. consolatione percipitur. Job. 5, 19. Tob. 3, 22.

VI. Muniamus animos adversus scandalum, ex prosperitate impiorum & mundi insultatione ortum, ne vel frangamur animis, vel impiorum exemplum sequamur.

Beatitudo futuræ vitæ

VII. Formalis causa futuræ beatitudinis exprimitur Christi visione, & gaudii ineffabilis solidique notatione. Psal. 17, 15. Sap. 5, 3. 4. 5. 1. Joh. 2, 28. Rom. 14, 17.

IIX. In adflictionibus ergò hujus seculi adversus omnem μικροψυχίαν animus pius est obfirmandus. Rom. 5, 3. 4. & 8, 18. Tob. 5, 13. 1. Pet. 1, 6. 7.

Partûs dolores.

IX. Partûs dolores de peccati atrocitate monent; Gen. 3, 6. secuti enim sunt culpam à fœmina prima admissam.

Pelagianismus de morte.

X. Erravit quondam Pelagius, hominem absque peccato moriturum statuens: quem errorem incrustare hodieque adnitun- Neo-Photiniani, mortis necessitatem ex materiæ conditione derivantes. Rom. 5, 12. & 6, 23.

Conjugii dignitas.

XI. Elucet ex hac Evangelii similitudine honestas & dignitas conjugii, cujus opera benevolo ac propitio planè oculo Christus intuetur. Gen. 1, 28. Job. 10, 8. Ps. 22, 10. 11. & 139, 14. 15. Ubi tamen distingvendum inter rem & accidens rei, inter generationē ipsam, & ipsi cohærens post lapsum peccatum. Psal. 51, 7. Sap. 7, 2.

Papistis πολυτεκνία est maledictio.

XII. Maledicta ergò est vox Esauuitarum, πολυτεκνίαν partem esse maledictionis, blasphemo & impuro ore clamitantium: contrarium Scriptura palàm adserit. Gen. 33, 6. & 48, 9. Psal. 68, 7. & 113, 9. 127, 4. & 128, 4. 5. 6.

Mulier homo.

XIII. Etiam mulier homo est: quicquid enim ab homine nascitur in mundum, homo est. Sic enim verba Christi sonant:

 pro-

propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Nascuntur autem non mares duntaxat, sed & fœminæ.

XIV. Omni naturæ, non hominum solùm, sed & brutorum divinitùs hoc est insitum, ut conservatione & propagatione generis sui delectetur, quod descendit ex primæva benedictione. Gen. 1, 22.

Ecclesiæ cũ parturiente collatio.

XV. Ecclesiæ cum muliere parturiente collationem prolixam vide apud D. Theodoric. pag. 152. 153. 154. 155. 156. 157. & D. Gerhard. p. 1200.

Crux Apostolorum similis parturienti.

XVI. Apostolorum in specie mœrorem, cum doloribus mulieris in partu laborantis, confert Salvator,

1. ob mœroris vicinitatem;
2. ob doloris vehementiam & acerbitatem; Apoc. 12, 2. Es. 26, 17.
3. ob mortis periculum & propinquitatem; Gen. 35, 18.
4. ob doloris brevitatem;
5. ob causæ indentitatem;
6. ob lætitiæ excellentiam & ubertatem;
7. ob resurrectionis Dominicæ qualitatem; fuit enim q. nova quædam ex morte nativitas. Col. 1, 18. Apoc. 1, 5. Matth. 19, 28. Act. 2, 24. Vide D. Gerh. p. 1195. & seqq.

Mulier parturiens quid notet in cruce.

XVII. Porrò similitudo parturientis mulieris monet simul,

1. de crucis necessitate; generatio hominis non sine doloribus:
2. de crucis origine & causalitate;
3. de crucis universalitate;
4. de crucis gravitate;
5. de crucis diversitate;
6. de crucis utilitate; regeneratio promovetur per crucem;
7. de crucis svavitate, quæ oritur ex quadruplici fonte;
 1. divinâ ordinatione;
 2. auxilii divini pollicitatione;
 3. brevi duratione;
 4. gaudii insecutione. Vide copiosiùs de his omnibus disserentem Dn. D. Gerh. p. 1201. 1202. 1203. 1204. 1205.

Gaudium in cruce.

XIIX. Qui Christum verè cognoverunt, etiam in tribulationibus internum quoddam gaudium persentiscunt. Job. 19, 25. Ps. 77, 4. & 94, 19. Rom. 5, 3.

XIX. Dominus majus gaudium suis reddit, quàm præcedens fuerat tristitia. Roman. 8, 18. 2. Cor. 4, 17. Vide de hoc gaudio D. Theod. p. 149. 150.

XX.

XX. Errant Anabaptistæ, ex verbis Christi, in illa die non interrogabitis me quicquam, perperam colligentes, in N. T. nullâ opus esse interrogatione vel institutione: Scholas itaque, Doctores, Professores & Magistros non requiri. Ab Apostolis enim, peculiari beneficio Spiritûs sancti gratiâ illuminatis, non licet concludere ad alios Ecclesiæ sive Doctores, sive auditores, qui scrutari h. e. consulere, discere & docere jubentur Scripturam. Joh. 5, 39. Addo & illud, diem istam, de qua Salvator loquitur, respicere non tantùm tempus post resurrectionem Christi, sed diem etiam futuræ gloriæ, in qua omnia, quæ hîc inchoata solummodò sunt, in electis perficientur. 1. Cor. 13, 9. seqq. Intendit itaque digitum Christus partim ad specialem promissionem de miraculosa Apostolorum per Spiritum S. illuminatione; partim ad formam institutionis aliam; partim ad futuræ vitæ perfectionem, cujus nos omnes quamprimùm participes reddat ter-benedicta Trias, Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Amen. Amen.

Anabaptismus de Scholis.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO ἁπλῶς.

COmplectitur præsens Evangelii lectio duo principalia capita, quorum

I. triste Christi vaticinium;
II. dulce afflictorum solatium;

PARS I.

Primæ partis considerationi inservit

I. *Sortis propriæ prænunciatio*, facta à Christo verbis tectis & subobscuris; pusillum & non videtis me, tàm corporaliter, quàm spiritualiter. In manus enim hostium ferocissimorum internecioni traditus, & in crucem actus moriar, & sepulcro ad breve tempus condar; quo toto tempore ex oculis & conspectu vestro me abrepto, planè à me vos esse desertos existimabitis: Sed benè habet: triduo enim in sepulcro exacto, iterum videbitis me, vitæ ex mortuis divinâ potentiâ restitutum. Atque ita (quod D. Pelargus in Joh. f. 188. b. ait) αἰνιγματικῶς mortem & resurrectionem suam insinuat. τὸ μικρὸν referunt aliqui ad triduum, quo in sepulcro jacuit: & alterum ad 40 dies, quibus visus est post resuscitationem. Rupertus ad instantem refert passionis horam: post hoc modicum, post hanc horam, vel diem instantem, jam non videbitis me. Et

probabilis hic ſenſus eſt: modicum, id eſt, poſt tres horas, tot enim à captivitate in horto aberant; non videbitis me: & iterum modicum, h.e. poſt triduum, videbitis me: ſermo enim hic habitus horâ quintâ noctis labentis, ſive noſtrâ undecimâ. Auguſtinus complectitur priore verbo omne illud ſpacium, quod interceſſit inter paſſionem & aſcenſionem Chriſti ad cœlos: altero omne tempus poſt aſcenſionem uſque ad diem judicii. Hæc ille.

II. *Diſcipulorum de ſenſu verborum genuino diſceptatio*, orta *tùm* ex ſermonis, uti ipſis videbatur obſcuritate; *tùm* ex veteris hominis perverſitate, cujus ea eſt natura ac conditio, ut de rebus ſecundis diſſerenti in verbo ſuô Dominô faciles; de cruce verò rebusque adverſis concionanti difficiles admodum præbeat aures. Idem diſcipulis Chriſti hoc in loco eveniſſe videmus, ideoque

1. tacitè ſecum de concionis iſtius abſurditate colloquuntur;
2. manifeſtè animi morbum produnt, dicentes: neſcimus quid loquatur.

Crucis prædictio & exaggeratio.

III. *Crucis ac calamitatis* (diſcipulis aliisque piis in hac vita eventuræ) *prædictio*, quæ & ipſa eſt ſermonis proverbialis perſpicua quaſi quædam declaratio, facta

1. *feriâ per juramenti religionem atteſtatione:*
2. *emphaticâ mali futuri exaggeratione.* Exaggerantur autem piorum adverſitates ac calamitates ſimilitudine
   1. *ab homine plorante*; verbis plorabitis & lamentabimini vos, non Apoſtoli ſolùm, ſed omnes, quotquot à Chriſti nomine nomen habetis. Marc. 13,37. Luc. 9,23. κλαίω Euſtathius derivat à κλάω frango; quia lacrymis animus quodammodo frangitur; unde ſequitur vultûs laceratio, pectoris percuſſio, crinium evulſio. θρηνέω lamentor, lugubriter fleo, παρὰ τὸ θραύειν τὸν νοῦν, quòd animum vulneret; vel ἀπὸ τοῦ θρέειν, quod eſt tumultuando clamare. Ploratum atque lamentationem verò iſtam procreabit
      1. *certus Chriſti abitus*; Eſa. 49,14.
      2. *multus calamitatum concurſus*;
      3. *Pſeudodoctorum acceſſus.* Phil. 3,18. Amos. 8,10. λυπεῖσθαι eſt dolore ac triſtitiâ adfici, ut ſit λύπη, παρὰ τὸ λύειν εἰς δ[illegible] τοῦ σώματος: Chryſippus apud Ciceronem λύπην dictam putat q. λύσιν ἢ διάλυσιν τοῦ σώμα-

κλαίειν.

θρηνεῖν.

Lacrymæ unde.

λυπεῖσθαι.

τῷ. Sir.38,19. Prov.15,13. & 17,22. & 25,21. Contristantur autem Christiani ob

Christiani cur plorent

1. mundi exultationem.

2. impiorum insultationem; Psal.22,8. & 35,15.17. & 137, 123.

3. temerarium mundi judicium & condemnationem; Job.4,7. & 5,2. seqq. Psal.3,3. & 42,11.

4. diuturnam in Schola crucis retentionem. Psal.120,5.6.

2. A mundo insultante; ἐπιχαιρεκακία enim ad mali acerbitatem plurimùm momenti adferre solet.

3. A muliere ex partûs doloribus laborante, qui certè dolores omnium sunt acutissimi. Unde gentilis illa fœmina, Hecuba apud Euripid. malle se, ajebat, decies in acie pugnæ stare, & cum hoste dimicare, quàm semel parere. Ceterùm similitudine isthac utitur Salvator triplici potissimùm de causa; ut ostendat nim.

1. dolores & labores, quos in hac vita pii sustinent, non esse fortuitos, sed divinitùs cuique impositos, sicut dolores partûs mulieri: Gen.3,16.

2. non esse continuos, sed ex intervallo succedere, ut ὠδῖνες in parturientibus:

3. non fore perpetuos, sed finem tandem aliquando habituros.

USUS I. Informatorius.

I. De communi Christianorum seu piorum omnium γενεθλιακῷ, quod thema nativitatis usitatè vocamus. Producuntur enim illi

Christianorum genethliacon.

1. ut turpiter ignorantes; specimen ignorantiæ in divinis edunt discipuli, tùm hîc, tùm alibi; Luc.18,34. nescimus quid loquatur: (nescio est asinorum responsio) 1.Cor.2,14. 2.Cor.3, 5. Sic nec crucis mysterium satis intelligimus, nulli alioquin ab illa abhorreremus. Psal.73,16.17. Matt.11,30. Vide Tungerl. promt. parc. 3. p.894. seqq.

2. Ut insigniter mœrentes. Joh.16,33 Job.6,2. Psal.38,3.4. seqq. πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

3 Ut miserabiliter ejulantes:

Nascimur in lacrymis; lacrymis consumimus ævum;
In lacrymis morimur, vivere quis cupiat?

Psal.6,7. & 38,9. & 80,6. Sir.35,18. Eccl.4,1. Esa.33,7. Jer.9,1. & 13,17. Mal.2,13. Psal.84,7. Sunt enim

II. Chri-

Christiani Cruciani.

II. Christiani cruciani, idque liquet

1. *Ex Christi ipsius indicio*, tùm hîc, tùm alibi. Matth. 10, 38. & 16, 24, Luc. 9, 23. & 14, 27.

2. *Ex infallibili Scripturarum testimonio*. Gen. 47, 9. Psal. 34, 20. & 73, 14. & 44, 23. Job. 5, 7. & 7, 1. Pro. 3, 12. Sir. 2, 1. & 40, 1. Act. 14, 22. Tob. 12, 13. Quibus posterioribus duobus locis inevitabilis planè crucis necessitas innuitur, idque fit propter

1. *Dei ordinationem*; Rom. 8, 29. Esa. 14, 27. Luc. 22, 29.
2. *Scripturæ impletionem*; Luc. 21, 33. Matt. 26, 54. Luc. 24, 26

3. *Ex communi experientiæ suffragio*. Huc refer exempla omnium piorum συνεῤῥόφων, quæ passim in sacris literis V. & N. T. sunt obvia.

Crucis qualitas.

III. De rectâ crucis æstimatione: sciamus enim illam

1. à Deo nobis immitti; Hebr. 12, 6. Apocal. 3, 19. Prov. 3, 12. Amos. 3, 6.
2. peccatis nos nostris promereri; Psal. 5, 5. & 7, 12. 13. Exod. 20, 5. 2. Sam. 7, 14. Psal. 90, 8.
3. ad pœnitentiam agendam, & misericordiam Dei quærendam nos hortari. Sir. 2, 13. & 17, 28.

IV. Vita hæc terrena est calamitosa & luctuosa, in ingressu, progressu & egressu. Vide Tungerl. d. l. pag. 916. seq.

Modicum.

V. Modicum illud, de quo in Evangelio Salvator disserit, est

1. *misericordiæ divinæ τεκμήριον*; pro æterna enim pœna modicam imponit castigationem:
2. *Moris divini testimonium*; Vide D. Bald. pag. 645.
3. *vanitatis indicium*; quia universa vita est modicum. Ib. p. 650.

II. Consolatorius.

Causæ calamitatum.

I. Ex causis calamitatum: eveniunt nimirùm mala piis, Deo ita permittente,

1. *ad fidei probationem*; Psal. 12, 7. Pro. 17, 3. Sir. 2, 5. & 27, 6. Jac. 1, 12. 1. Petr. 1, 7.
2. *ad peccati revelationem* vel commonefactionem; Pro. 30, 20. 2. Par. 33, 13. Psal. 119, 137. Mich. 7, 9.
3. *ad securitatis eradicationem*; Job. 24, 23. Psal. 39, 7. Jer. 30, 11.
4. *ad regenerationis promotionem*: dolores parturientis promovent partum immò post lapsum partûs αἴτιον sunt αἴτιον δ' ὑπ', cau-

causa sine qua non: Sic sine cruce nulla fieri potest ad vitam æternam regeneratio: Psal. 77,4. & 119,71.

5. *ad virtutum exsuscitationem: τὰ γὰρ παθήματα μαθήματα*; quæ nocent, docent, Per crucem, teste Clemente Alexandrino, teipso fies melior. Operatur enim

1. patientiam; Rom. 5,3.
2. humilitatem; hinc & adfligi in Scriptura dicitur humiliari: Psal, 18,36. & 39,13. & 119,71.
3. precationem; Psal. 50,15. & 77,4. Esa, 26,19.

6. *ad imaginis Jesu conformationem:* Rom. 8,29. Heb. 12,7.8. 2. Tim. 2,12.

7. *ad carnis mortificationem:* 1. Cor. 11,32. 1. Pet. 4,2.

8. *ad impiorum commonitionem*, & siquidem animum exuant obstinatum, emendationem. Luc. 23,31. 1. Pet. 4,18.

9. *ad vitæ æternæ testificationem.* Psal. 58,12. Matt. 5,12. Phil. 1,23.

II. E mentis nostræ per Spiritum sanctum collustratione, quam sequitur tùm veræ sapientiæ, per stultam Evangelii prædicationem, in cordibus nostris excitatio; tùm æternæ salutis per fidem operatio. 2. Cor. 3,14. Luc. 24,45. Act. 16,14. Psalm. 36,10. & 19,8.9. 1. Cor. 1,12.

III. Ex Christi καρδιογνωσία, quòd ipse sit exquisitissimus & accuratissimus cordium humanorum Scrutator. Sap. 1, 6. 7. 8. Johann. 2, 25. Sir. 23, 25. 36. Esaiæ 29, 15. Psalm. 7, 10. & 94, 8. 9. 10. Christi καρδιογνωσία.

III. Monitorius.

I. Ut colloquamur invicem, rogandoque & respondendo discamus sapientiam, de abitu Christi ad Patrem, de cruce & morte nostra, earumque causis & fructu. Monr. thes. p. 434.

II. Ut crucis onus nobis impositum patienter feramus. Ibid. pag. 435. Cruce autem pressis piè condoleamus, repudiumdantes diabolicæ τῇ ἐπιχαιρεκακίᾳ. Ibid. pag. 436. Crux ferenda.

III. Ne mundi felicitate offendamur, aut rebus impiorum prosperis succenseamus. Habent enim illi plerunque successûs rerum feliciores, unde major etiam ipsis suppetit gaudendi ansa atq; materia. Pro. 2,14. Psal. 10,3. & 73,4. seqq. Verum *successus nimiæ felicitatis, signum est æternæ damnationis*, quæ Augustini est sententia. Gaudium enim mundi hujus est Impiorum felicitas.

1. *maledictum;* Luc. 6,25. Gaudium mundi.

2. *vanum*; gaudet enim vel de carnis voluptatibus; gaudium hoc est brutum: vel de bonis seculi hujus caducis; gaudium istud est stultum: vel de honoribus ac dignitatibus; gaudium illud est laboriosum ac periculi plenum: 1.Joh.2,15.16.

3. *impurum*, non merum, sed dolore vario permistum: Esa. 48, 22. Pro.14,13. Psal. 73,18.

4. *perniciosum*: Rom.8,13. Job.21,18.

5. *momentaneum*. Job.20,5. 1.Joh.2,16. Gregorius: Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

IV. Refutatorius.

Papismus de Scripturæ obscuritate.

Pontificiorum, qui. 1. ex hac parte obscuritatis Scripturam arguere conantur, quandoquidem discipuli Christi hanc de Christi abitu & reditu dissertationem non intellexerint. Resp. 1. Non dicimus, in scriptura nihil esse vel obscurum, vel δυσνόητον; sed tantam ejus esse perspicuitatem dicimus, ut ex ea certa & constans de articulis fidei doctrina possit colligi. 2. Si in mysteriis fidei aliquid videtur obscurum, ejus rei causa non est in Scriptura, sed in nativis mentis humanæ tenebris. 3. Obscuriùs interdum loquitur & Christus & Spiritus Sanctus, ut torporem ac fastidium nobis excutiat, ad scrutandum & inquirendum nos excitet, ad humilem ignorantiæ & imperfectionis confessionem nos cogat, congenitæ cæcitatis nos moneat, vanæ & perniciosæ persvasioni de perfecta cognitione obsistat &c. 4. Quæ Christus h.l. obscuriùs protulit, ea in aliis concionibus clarissimè exposuerat; proinde nulla fuisset in his verbis obscuritas, si Apostoli cum vaticiniis Prophetarum & ipsis Christi cōcionibus hæc cōtulissent. Multiplex ergo occurrit in hoc argumento σόφισμα; peccatur enim tùm διὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου; tùm διὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον; tùm παρὰ τὸ πῇ καὶ ἁπλῶς, tùm παρὰ τὸ συμβεβηκός; Si quid occurrit obscuritatis, illud non vitio Scripturæ, sed hominum mente corruptorum accidit; sed & hoc diligenti investigatione locorum parallelorum comparatione, Dei invocatione, & aliorum mediorum usurpatione, ex ipsa Scriptura reddi potest planius & explicatius. 5. Aliud est, obscurum esse, aliud obscure dici: Res sunt difficiles in Scriptura, ut e.g. articulus de Trinitate, de Christi persona, de resurrectione &c. sed non obscurè proponuntur. Distingvendum igitur inter res ipsas & modum dicendi; ibi difficultas, hîc summa facilitas, non carni, sed fidei, sed Spiritui. 2. Cor. 3,14.15.16, & 4,3.4. B. Lutherus

Tom,

Tom. 3. Jen. lat. de servo arbitr. fol. 163. ita: *Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, invulgatum est quidem per impios Sophistas, quorum ore & tu loqueris hîc Erasme; sed nunquam unum articulum produxerunt, nec producere possunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus autem larvis satanas absterruit à legendis literis sacris, & reddidit Scripturam sanctam contemptibilem, ut suas pestes ex Philosophia in Ecclesia facerent regnare. Hoc sanè fateor, esse multa loca in Scripturis obscura & abstrusa, non ob majestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum & Grammatica, sed quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis.* Et post pauca: *Res igitur in Scripturis contentæ omnes sunt proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obscura sint. Stultum est verò & impium, scire, res Scripturæ esse omnes in luce positas clarissima, & propter pauca verba obscura, res obscuras dictare. Si uno loco obscura sunt verba, at alio sunt clara.* Et iterum fac. b. *Duplex est claritas Scripturæ, sicut & duplex obscuritas: una externa in verbi ministerio posita; altera in cordis cognitione sita. Si de interna claritate dixeris, nullus homo unum jota in Scripturis videt, nisi qui Spiritum Dei habet, omnes habent obscuratum cor &c. Si de externa dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguum, sed omnia sunt per verbum in lucem producta certissimam, & declarata toti orbi, quæcunq; sunt in Scripturis.* Hæc Lutherus. Confer locos & libellos methodicos, præ ceteris D. Gerh. Exeg. cap. 10. pag. 447. & seqq.

Papismus, de sola fide justificante

II Schererus in post. pag. 374. cùm osor & hostis conjugii φιλογύνης (reipsâ enim Esauuitæ amplexûs mulierum mirificè & amant & ambiunt) de similitudine à muliere parturiente loqui instituisset, incidit in locum Pauli 1. Tim. 2, 15. salvabitur mulier διὰ τῆς τεκνογονίας, per generationem liberorum, si manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. Inde verò magno hiatu evertere conatur Lutheranorum propositionem: solâ fide justificamur. Sic enim ille περὶ νίκης ἐπινίκιον: Vnd eben mit diesem Spruch wird vmbgestossen der Sectischen Maxima vnnd Grundfest / daß nemlich der Glaube allein selig mache: hie wird die Seligkeit auch dem Kindergebären zugeschrieben/ vnd nicht allein dem Glauben. Mit diesem einigen Argument/ so schlecht es etlichen fürkommen möcht/ wil ich alle Prædicanten/ die auff das Solam allein tringen / weiter jagen / weder sie heim haben/ sie müssen darob stutzen vnd erstummen. Erras, si id credis, Scherere, & Paulum ignoras Esauuitarum ferocissime. Simulatè scribis, quicquid hujus scribis. Papa enim aliàs tuus dicit, in conjugio nemi-

nem Deo placere posse, quomodo ergò salvari? Phraseos autem ignorantiâ & teipsum & alios decipis. Salva fiet per τεκνογονίας mulier, non quòd τεκνογονία sit causa & meritum salutis; sed quòd status matrimonii seu generandi liberos salutem non impediat, ut præpositio διὰ ponatur pro ἐν, salvabitur in liberorum generatione, h.e. non obstante saluti illius τεκνογονία. Sic vocula διὰ etiam usurpatur Rom. 4, 11. δι' ἀκροβυστίας in præputio, h.e. non obstante præputio illorum fidei. Salus ergò nullatenus adscribitur generationi liberorum, quod falsò sibi imaginatur Jesucida, sed solatium duntaxat suggerit Apostolus maritatis, opponendum molestiis, laboribus ac doloribus, in gestandis & pariendis liberis exantlari solitis; quòd nimirùm istis pœnis non impediatur, sed potiùs promoveatur æterna ipsarum salus, modò in fide & fructibus fidei permaneant. Ubi vera salutis causa additur, fides nimirùm, cujus proprietates ex virtutibus mulierum dilectione, sanctificatione, castitate & aliis qualitatibus conspiciuntur, secundùm illud Paulinum: fides est ἐνεργουμένη διὰ τῆς πίστεως. Gal. 5, 6. D. Hafenreff. in locis pag. m. 399. Mulier salva fiet per generationem liberorum, h. e. in statu conjugii, non obstante aut impediente salutem illarum opere conjugali, seu generatione liberorum.

Salus generationi liberorũ non adscribitur.

Quod si verò hoc vult Esauuita, quia fides non sola hic ponitur, sed simul adjunctas habet virtutes, dilectionem, castitatem & alias, atque ita ad cramben relabitur sæpissimè à Papistis coctam & recoctam; quæ simul vel conjuncta sunt, simul justificant; sciat se versari in errore omnium maximo, & turpiter ab ipso peti principium. Non enim quæ simul sunt, simul agunt, quod vel in unico Solis exemplo est manifestissimum. Explicat illud eruditè B. Lutherus in comm. super cap. 15. Gen. *Scio*, inquiens, *reliquas virtutes esse insignia Dei dona: scio, fidem sine his donis non exsistere; sed quæstio est, quid cujusq; proprium sit. Tenes manu varia semina, non autem quæro, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ cuiq; propria virtus. Hîc apertè dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides adprehendit promissionem. Hoc proprium solius fidei est; reliquæ virtutes alias habent materias, circa quas versantur.* De propositione autem, sola fides justificat. Vide D. Gerhard. Tom. 3. L. C. pag. 1260. seqq. D. Johann. Giessen. in Papism. pag. 984. 985. 986. Nos meritò hîc distingvimus inter 1. existentiam & efficientiam: 2. conjunctionem & confusionem: 3. distinctionem &

& separationem: 4. determinationem subjecti & prædicati: quatenus n. particula sola determinat prædicatum, vera est propositio; quia sola fides habet vim adprehendendi meritum Christi: quatenus autem determinat subjectum, falsa est; quia vera fides nunquam est sola, sed cum caritate perpetuò conjuncta, & per eandem efficax. Vide de hac distinctione D. Joh. Gerh. d. l. pag. 1262. Asininus ergò est Tonsoris intonsi ruditus potiùs, quàm triumphus. Asinus enim ruditu suo hominum neminem in fugam conjicit. Narren die dafür lauffen.

PARS II.

Illa verò tota est practica, & in erigendis Apostolorum omniumque adeò συνεργῶν animis unicè occupata. Subministrat enim Salvator fidelibus suis efficacissimas consolationum rationes, quarum desumta est

Consolatio cruci opponenda.

I. à crucis brevitate; Modicum enim sive pusillum in hoc Evangelio vocatur septies. Ps.30,6. Es.54,6. 2.Cor.4,17. Pusillum est & dicitur,

1. *ratione vitæ instantis,* quæ brevis admodum est; Ps.39,7. & 90,11. Job.14,1.2.
2. *ratione vicissitudinis:* Deus enim sanctos suos non finit habere tribulationes continuas, secundum Chrysostomum. Ps.23,5.&97,11. &112,4.& 126,5.6.
3. *ratione vitæ imminentis* ac futuræ beatitudinis. Roman. 8, 18.

II. A Christi propinquitate vel præsentia, quam suis itidem hoc in loco pollicetur discipulis. Psalm. 23,4. & 91,15. Esaiæ 23, 2.

III. A crucis mutabilitate; vertetur enim in gaudium.

IV. A crucis utilitate, de qua vide præcedentia & sequentia, ut & locos Theologicos, regeneratur enim homo ad vitam æternam. Huc facit simile quoq; à muliere parturiente.

V. A gaudii qualitate, h.e. æternitate & perennitate. Es.35,10. Sap 5,16. Confer præced. dispos. Lutherus in postill. domest. Der Christen trawren sol ein kleines seyn/ gleich wie auch der Welt Frewde sol ein kleines seyn. Die Christen müssen weinen vnd trawren/ die Welt dagegen singen/ springen vnd frölich seyn. Aber seid getrost/ vnd haltet ein wenig stille/ es wird nicht lange währen/ darnach wird sichs abwechslen.

USUS I. Informatorius.

Crucis consideratio triplex.

I. De sancta Christianorum cruce, quæ consideratur tripliciter:

1 *Ratione sui*, non ut lignum, in quo Christus pependit; 1. Pet. 2,24. non ut meritum; Gal.6,14. sed ut παθήματα, passiones in carne; quia Christianismus est ordo sanctæ crucis; Matth.16,24. Luc.9,23. & 14,27. Gal.6,17.

2. *Ratione oppositi*; cruci piorum opponitur gaudium mundi & impiorum: Prov.2,14.15. Ps.10,3. Vide præced. dispos.

Crux dulcescit & unde.

3. *Ratione Christi*, qui novit crucem amaram efficere dulcem,

1. *ex Dei prænotione*;
2. *ex brevi duratione*;
3. *ex Patris reconciliatione*;
Et cùm blandiris Pater es, cùm cædis is idem es;
Cædis ne peream, deficiámve facis.
4. *ex Christi visione*;
5. *ex luctûs in gaudium permutatione &c.*

Similitudo mulieris parturientis cur producta.

II. De causis, cur Christus similitudinem de muliere parturiente proposuerit? Causæ potissimum producuntur sex:

1. *ortûs crucis significatio*; Gen.3,16. Amos 3,6. Thr.3,31.
2. *tristitiæ & lætitiæ in cruce alternatio*: 1.Cor.10,13.
3. *læta crucis terminatio*:
4. *via ad vitam & Christi intuitum adapertio*: Act.14,22.
5. *patientiæ in cruce inculcatio*:
6. *adfectionis nostræ in cruce & post liberationem ad animum revocatio.*

Liberorum procreatio legitima.

III. De legitima liberorum procreatione, Deo grata & accepta, quod patet ex

1. *ipsa conjugii sacri institutione*; Gen.2,22.
2. *conjugum benedictione*; Gen.1,28. & 8,17. & 9,1.
3. *fœtûs in utero materno formatione*; Job.10,8.9.10. & 27,3.
4. *fœtûs ex utero materno eductione*; Ps.22, 10. 11.
5. *hominis nati regeneratione & adoptione*; Johan.1,12. & 3,5.6. Tit.3,5.6. Rom.8,15.16. Gal.4,6.

II. Consolatorius.

Consolatio in cruce.

Solatium piis σταυροφόροις adfert non mediocre, crucis cum doloribus parturientium comparatio, quæ consistit,

1.

1. divina crucis immissione; nihil opus, ut crucem nobis vel fingamus, vel spontè attrahamus:
2. in universali Christianorum omnium conditione:
3. in divina crucis æstimatione:
4. in adflictorum perturbatione & ejulatione:
5. in vicinorum, præsertim impiorum exsultatione:
6. in dolorum per intervalla remissione:
7. in crucis per preces revelatione:
8. in subita dolorum fractione, vel crucis immutatione:
9. in grata post partum oblectatione. Vide de his omnibus plura apud D. Schleupn.

III. Monitorius.

Monemur 1. de ἐπιχαιρεκακίας detestatione; est enim

ἐπιχαιρεκακία.

1. odiosa, Deo & homini; Prov. 24, 7.
2. in caritatem & proximum injuriosa; Tob. 4, 16. Rom. 12, 15. Matth. 7, 12.
3. criminosa; Psal. 52, 3. 2 Sam. 16, 8. Ps. 22, 8.
4. perniciosa & exitiosa Prov. 24, 18. Ps. 40, 15. 16.

2. De sexus muliebris dilectione & veneratione; 1. Petr. 3, 7.
3. De expendenda sedulò hominis generatione. Act. 17, 28.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Nihil in hac vita magis Christi fideles, quàm perpetua cum adflictionibus ac calamitatibus conflictatio exercet. Ne igitur iisdem, secundum Dei voluntatem ac propositum, immersi animum penitùs despondeamus, sæpiùs de hac materia nos & cogitare & disserere operæ precium vel maxime fuerit. Nautæ, quæ tempestatibus ingruentibus sunt necessaria, cœlo sereno parant: quantò magis nos, extra teli jactum adhuc constitutos, parare par est, quæ minùs secundis allevamentum adferre aliquod possunt. Occasionem itaque nacti, ex præsentis Evangelii prælectione, *de cruce Christi fidelium* pauca sumus monituri, subjuncturi simul ea, quæ ad leniendum ac minuendum dolorem roboris aliquid habere videbuntur.

Ἐξήγησις.

Tria potissimùm capita, ad præsentis Evangelii ductum, de cruce piorum salutari nobis perpendenda veniunt. Sic enim fermè anno Christi 1601. Dn. D. Salomon Gesnerus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, pro concione publica, Evangelii hujus διάσκεψιν sive tractationem instituebat. Agitur enim hoc loco

I. *De crucis infallibilitate* sive necessitate. Vide disp. prim.

Crucis gravitas unde.

II. *De crucis gravitate*, quibus nimirùm de causis onus tàm grande, carnique nostræ adversum sustinere videamur. Fit enim illud

1. *Ob præsentiæ auxiliiq; divini occultationem:* est enim Deus noster Deus absconditus: Esa.45,15. peregrinum non rarò, rebus cumprimis adversis, habitum induens. Jerem.14.8. Luc.24,16. Ps.10,1. & 13,1. & 44,24.25. Cant.2,9. Esa.49,14. & 59,1. Ps.91,15. Esa.41,10. Quemadmodum enim Dei præsentis auxilium animum homini addit, eumque immane quantum exhilarat: Ps.73,25. & 118,6. Rom.5,3. Ita nulla re adeò dejicitur, turbatur & ad tristitiam commovetur animus, quàm præsentiæ auxiliique divini sive retentione, sive absconsione temporaria. Job.7,15. Psal.77,3. Huc refer simulationem Josephi Gen.42. descriptam. *Admiretur quispiam*, inquit Theophylactus, *quomodo non agnoverint, quæ dicebat? Videtur ergò vel tristitia mentem eorum adeò invasisse, ut abjicerent dictorum memoriam; vel propter obscuritatem verborum* (φαινομένων) *evenit, ne intelligerent.*

2. *Ob Scripturæ verbiq; divini ignorationem.* Habemus ἀγνοίας istius admodum crassæ vivam imaginem in discipulis, ad concionem Salvatoris παθολογικὴν planè surdis, cœcis ac rudibus. Existimat videlicet caro, crucem esse rem malam & perniciosam: sed Scriptura revelat nobis Dei decretum, ostendens, quo consilio ac fine calamitates piis immittantur. Psal. 73,13. Jer.12,1. 1.Sam.2,6. Ose.2,6. Tob.13,2. Regnum Christi in hac vita, est regnum crucis.

3. *Ob insolentem mundi jubilationem & insultationem.* Christo de cruce pendenti & miserabiliter ejulanti, Matt.27,46. virulentissimis sarcasmis illuditur atque insultatur: Eadem hodieq; sors manet fideles quosvis, id quod ad crucis acerbitatem exasperandam plurimùm solet momenti adferre. Job.2.9. Psal. 31,12. & 35,15. & 70,5. & 137,7. Thr.1,21. & 2,15.16. & 3,46.61. seqq.

Theo-

Theophylactus paulò aliter interpretatur in hunc modum: *Vos quidem mœrore adficiemini, sed hæc mea passio, propter quam vos estis tristes, mundi totius gaudium & salus erit.*

III. De crucis utilitate. Eveniunt nim. nobis adversa omnia fine non malo, sed bono, & quidem

Crucis utilitas.

1. *Ut capiti nostro Jesu Christo adsimilemur:* Luc.24,26. Ps.110,7. Rom.8,29. Prov.15,33. Luc.22,29. Matth.16,24. 2.Tim.2,12. 1.Per.2,21.
2. *Ut mortificemur:* Gal.5,17. Rom.5,12. & 7,18.24. 1.Petr.4,2. Lutherus: *Omnis tribulatio est partus, in quo moritur vetus homo, & generatur novus.* Ecclesia rectè:

Ertödt uns durch dein Güte/
Erweck uns durch deine Gnad/
Den alten Menschen kräncke/
Daß der New leben mag.

3. *Ut à mundo servemur:* 1.Cor.11,32. Exempla: 2.Par.33,12. Dan.4,30. Act.9,4. Luc.23, 40. seqq.
4. *Ut tantò ardentiùs precemur.* Esa.26,19. Psal.77,4. Amplificari potest simili,
   1. uvarum pressarum;
   2. thuris, prunis ardentibus superimpositi;
   3. instrumenti Musici, quod absque pulsu non sonat.
5. *Ut probemur:* Crux fidei coticula, ait Hieron. Rom.5,3. Jac.1,12.
6. *Ut de peccato admoneamur*, quod sanctis etiam adhæret.
7. *Ut os Christi consulamus.*
8. *Ut rebus secundis non efferamur*, & securi reddamur.
9. *Ut in constantia & patientia exerceamur.* Sir.2,5. & 27,6. Psal.17,3.
10. *Ut liberationem divinam admiremur*, quod Mosen cum universo populo Israëlitico; Exod.14. Danielis socios; Dan.3. & alios alibi fecisse legimus. Psal.50,15.
11. *Ut vita ærumnosi pertæsi cœlestia desideremus.* Vide suprà.

IV. Denique ne quid solatii adflictis desit, agitur etiam hoc loco *de crucis suavitate*, quam conciliant ipsi consolationum fontes uberrimi, qui promanant

Consolatio in cruce.

1. ab exacta Dei cognitione, quam ex Dominica colligimus prædictione: Matth.10,30. Esa.49,14. Job.1.21.

2. A modica crucis duratione. Vide præcedentia. Quæstionem hic movet Theophylactus: Quare nimirum Christus recessum & mortem suam discipulis in memoriam reducat, cùm magis occultanda videatur? Respondet autem: Mentem, inquiens, eorum exercebat, & probationem efficiebat, & propterea semper commemorans tristia, adsuefacit illos, & ad exspectationem eorum provehit.

3. Ab hominis regeneratione: sine doloribus nasci hominem ἀδύνατον; sine adflictionibus ad vitam æternam eundem renasci ἀμήχανον.

4. A Dei destinatione; εἰς τοῦτο γὰρ κείμεθα. 1. Thess.3,3. hoc est ipsius Dei judicium: 1. Corinth.11,31. 1. Pet. 4,17. hoc Dei onus: Ps.68,20. Matth. 11,30. hic calix Domini est, Psal.116,13. Sir. 2,1. Act.9,16.

5. A Dei visione seu revelatione: Vide disp. 1.

6. A finali liberatione, quâ tandem tristia cum lætis commutabuntur, quando revelabitur Dominus Jesus de cœlo cum Angelis potentiæ suæ. 2. Thess.1,7. γένοιτο, γένοιτο, ô benignissime Domine Jesu! Oramus cum Ecclesia: *Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis, qui Christiana professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari, per Jesum Christum Dominum nostrum,*

Amen, Amen,

Amen.

DO-

DOMINICA CANTATE.

EVANGELIUM

Joh.16. à verſ. 5. ad 16.

5. Νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με· καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με, ποῦ ὑπάγεις;

6. Ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν.

7. Ἀλλ' ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, συμφέρει ὑμῖν, ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς.

8. Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος, ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως.

9. Περὶ ἁμαρτίας μέν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ.

10. Περὶ δικαιοσύνης δέ, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με.

11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται.

12. Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι.

13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

14. Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

15. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, ἐμά ἐστι· διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

5. Nunc autem vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadam.

6. Sed quia hæc locutus ſum vobis, mæſtitudo implevit cor veſtrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Conſolator ille non veniet ad vos: ſin autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.

9. De peccato quidem, quia non credunt in me.

10. De juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & poſthac non videtis me.

11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus eſt.

12. Adhuc multa habeo, quæ vobis dicã; ſed nõ poteſtis portare nũc.

13. Cùm autem venerit ille (qui eſt) Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit, loquetur: & quæ futura ſunt, annuntiabit vobis.

14. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcũq; habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quòd de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

PEricopen Evangelicam hodiernæ Dominicæ principaliter quidem ac primò revocamus ad genus causarum doctrinale; cùm discipulis suis Servator Christus iterum concionetur de suo ex hoc mundo discessu visibili, deque officio Spiritûs sancti, in Apostolos effundendi, salutari: at secundum illam partem, quâ discipulorum consolatio continetur, ad genus quoque deliberativum eandem referimus. Partes ejus constituimus tres, quarum

I. *Christi de suo ad Patrem abitu concionem;*
II. *Spiritûs Sancti respectu impiorum administrationem;*
III. *Ejusdem Spiritûs Sancti respectu piorum operationem* edocebit.

PARS I.

Membra partis primæ dantur quatuor. Ab initio enim habetur

I. *προέτασις, vel concionis iteratæ propositio:* Nunc *vado ad eum qui misit me.* (Cùm hæc scriberem, beatâ ἀναλύσει ex hac miseriarum valle emigrabat, uxor dilectissima simul & desideratissima, ingenti me meosque luctu complens; *beati mori, est vadere ad Patrem cælestem:* factum est illud d. 15. Octobris, intra hor. 10. & 11. pom. anno Christianorum 1641. ætatis meæ 61: quiescat in pace beata animula) Per abitum autem suum, uti præcedente Dominicâ innuebamus, significat, non tantùm victoriosam in cœlos adscensionem, per quam ad Patrem veniens in throno vel dextera majestatis divinæ consedit, rerum omnium Dominus secundum carnem factus; sed includit simul viam, per quam, tanquam medium, eò pervenit, mortem nimirùm ignominiosam, quâ Patri pro universis totius mundi peccatis plenariè sit satisfacturus: hic enim finis erat missionis à Patre factæ primarius. Matth. 15, 24. & 20, 28. Græcum ὑπάγω, ratione originis & compositionis, in strictâ significatione, & subjectionem designat, quâ quis se oneri tanquam jugo subjicit, & sub eo procedit: in latiori verò significatione est, ire, proficisci, vadere, sumtâ metaphorâ à legatis, revertentibus ad legantem, (ut colligitur ex subjuncta descriptione Patris, Filium legatum suum & Mediatorem ad genus humanum mittentis) & per sinecd. consequentis pro antecedente; passio enim præire de-

Abitus Christi.

ὑπάγω.

debebat. Luc. 24, 26. Quidam, D. Gerhardo annotante p. 1028. putant, per illud ὑπάγω nihil intelligi aliud, quàm mortem, quæ vocatur via universæ carnis; Jos. 23, 14. 1. Reg. 2, 2. vadere autem est mori; Psalm. 39, 14: Christus ex adverso non simpliciter dicit vado, sed cum προσδιορισμῷ, vado ad eum, qui misit me. Calviniani hunc abitum Christi sic accipiunt, quòd per eum humanæ suæ Naturæ præsentiam Ecclesiæ ac toti mundo penitùs subtraxerit, nec secundum eam hominibus præstò futurus sit antè extremi judicii diem. Verum ex vers. 28. patet, Christum per hunc suum abitum ad Patrem non omnem omninò, sed duntaxat visibilem, & quidem in corpore passibili & mortali præsentiam mundo subtraxisse. Confer vers. 10. Tantum ergò abest, ut hæc phrasis illocalem, invisibilem, majestaticam & divinam Christi-Hominis præsentiam impugnet, at eandem potiùs stabiliat ac confirmet. Quidam per τὸ vadere intelligunt universum redemtionis nostræ mysterium, omne illud, quod Christus in diebus carnis suæ, ac in cursu ministerii in terris egit. Et paulò post p. 1030. addit: Simplicissimè per τὸ vadere ad Patrē intelligitur curriculum illud, quòd Christo ratione officii sui Mediatorii adhuc absolvendum restabat, videlicet, ipsius passio, mors, resurrectio, adscensio in cœlum & sessio ad Dei dextram. Et hanc interpretationem ibidem probat, ex oppositione, temporis determinatione, termini descriptione, locorumque parallelorum collatione. Johan. 13, 33. 36. & 14, 2. 3. 28. & 16, 10. 17. 28. & 17, 1. 4. 5. quæ omnia ostendunt, per abitum Christi ad Patrem intelligendum esse, non solùm terminum ad quem, sed etiam viam per quam, & terminum à quo illius abitùs, i. e. non solùm gloriosam resurrectionem, adscensionem ad cœlos, & collocationem ad dextram Dei, sed etiam ignominiosam passionem & mortem. Vide d. l. plura. Contenta itaque istius abitùs sunt

Mors via.

Præsentia Christi abitu ipsius nō tollitur.

Vadere ad Patrem.

Abitûs Christi contenta.

1. *spontanea vel voluntaria Christi passio*; cujus promtitudinem demonstrat particula νῦν, nunc: q. d. hactenus in cursu ministerii mei hostes vitæ meæ multoties insidiati fuére, sed frustrà: jam verò instat hora &c.
2. *regni Messiani conditio:*
3. *redemtionis consummatio:*
4. *propinqua passio;*
5. *personalis à Patre distinctio;*
6. *glorificatio.* Ibid. p. 1032. 1033. 1034.

II. Propositioni subjungitur *severa discipulorum reprehensio.* Ipsi enim inopinato hoc nuncio, de Magistri sui discessu graviter perculsi, in majorem tristitiam prolabebantur, parùm interea soliciti, quò abiturus esset Salvator; quare item & in quem finem abitus iste sit institutus. Si enim causam & utilitatem illius cognovissent, utique non adeò perturbato fuissent animo. Hanc ergò oscitantiam & in rebus tàm arduis *ἀμέλειαν* sive incuriam supinam (sed satis molliter ac leniter) reprehensurus servator ait: *Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Quibus verbis discipulis exprobrat Christus stuporem & silentium, quòd non quærant, quod ipsos quærere maximopere oportebat. Sanè interrogârat Johan. 13,36. & 14,5. Petrus & Thomas: sed non simpliciter negat interrogationem; verùm cùm sciret, Apostolos non omnia, quæ dixerat esse adsecutos, invitat hac potiùs ratione eos, ad familiariter de uberiori singulorū explicatione interrogandum, quid abiens acturus, quidve abitu suo, toties prænunciato, consecuturus, quem denique finem sibi propositum habeat mortem voluntariè adeundo: q. d. à visibili mea præsentia toti pendetis, in familiarem conversationem, quam vobiscum hactenus colui, animi vestri unicè sunt defixi, non perpenditis ad quantam gloriam per hunc abitum sim evehendus, sed ob hoc tantùm turbati ac mœsti estis, quòd me abiturum intelligitis.

III. Lenem istam increpationem excipit porrò, *concionis de abitu*, h. e. cruce, passione & morte Christi, *operatio: Quia hæc locutus sum vobis*, de abitu sc. meo & adflictionibus vestris; *tristitia implevit* & tantùm non occupavit *cor vestrum:* q. d. propter discessum meum, quem sinistris intuemini oculis, tristamini, absque causa nimirùm, adeò ut non libeat, quin potiùs tædeat quicquam ampliùs interrogare. Πεπλήρωκεν per metaphoram dicitur, à corporalibus ad spiritualia; καρδία pro animo, per metonymiam subjecti; cor enim est sedes animæ & omnium adfectuum, secundum Scripturam, inquit Tarn. p. 1091. comm. in Johan. D. Gerhard. autem p. 1039. verbum, ait, implendi vehementiam tristitiæ ac mœroris exprimit. Ut enim gaudio & consolatione impleri dicuntur, qui singulare gaudium & eximiam consolationem in corde suo sentiunt: Act. 2, 28. & 13, 52. Rom. 15, 13. 2. Cor. 7, 4. 2. Tim. 1, 4. Ita discipulorum corda mœstitudine & tristitia impleta dicuntur, quia maximopere hoc inexspectato nuncio contristabantur. Christus ergò his verbis, uti idem p. 1031. adnotat,

καρδία pro animo.

1. re-

1. reprehendit Apostolos, quòd à visibili & corporali sua præsentia nimiopere penderent:
2. ostendit ipsos in dilectione non rectum ordinem observare:
3. docet ipsorum tristitiam esse aliquo modo indiscretam & immoderatam:
4. simul autem eos solatur, dum illius sese tristitiæ probè conscium esse demonstrat, & causam, propter quam non interrogent, mœrori ipsorum tribuit, excusans eos quodammodo, quòd non ex malitia, aut negligentia, sed ex tristitiæ magnitudine proveniat.

Quod ergò discipuli ex infirmitate vel non volebant, vel non poterant interrogare, & interrogando adsequi, Christus ultrò commemorat, ostendens abitûs sui utilitatem singularem, eò unicè directam, ut & discipulorum dolorem mitiget, & Ecclesiam simul universam de officio Spirtûs Sancti erudiat.

IV. Additur ergò *firma, tristitiæ opposita consolatio*, eaque gemina; una ab utili seu fructuoso: *Expedit vobis, ut ego abeam.* Sensus dicti est:

Quicquid vobis utile est & salutare, illud non tristandi, sed gaudendi materiam adferre debet:
Abitus meus ad Patrem est vobis & toti mundo utilis ac salutaris:
Ergò abitus ille meus non tristandi, sed gaudendi materiam vobis adferre debet.

Minorem, solatio discipulorum vel maximè inservientem, probat gravi ac magnâ adseveratione, ex personæ suæ conditione petitâ: *Veritatem dico vobis*, h. e. seriò adfirmo & sanctè polliceor vobis, ingentem inde ad vos redituram utilitatem; Ego, qui sum ipsa veritas, Magister vester unicus, Joh. 14,6. Matth. 17,5. & 23,10. hoc dico: Ergò sine ulla dubitatione amplecti & totâ cordis fiduciâ credere debetis, quod adero: Expedit vobis, ad gratiam apud Deum conciliandam, ad remissionem peccatorum & vitam æternam obtinendam, ad gaudium Spiritûs, ad conscientiæ securitatē, ad fructum multiplicem parandum. Quidam particulam ἀλλὰ conjungunt cum verbo συμφέρει; & reliqua verba, veritatem vobis dico, parenthesi includunt. Expedit ergò abitus ad Patrem

Abitûs Christi utilitas.

1. ad veram regni Christi cognitionem;
2. ad vel ob Spiritûs sancti missionem; quod sequens mox comma edisseret;

3. ob

3. *ob beneficiorum accumulationem*, quæ ab abitu Christi immediatè, tanquam effectus à causa, dependent:
4. *ob salutis nostræ promotionem*; Heb 9,24.
5. *ob crucis nostræ sanctificationem*; Act.14,21.
6. *ob beatam ex hac vita emigrationem*; quatenus abire vel ire idem est ac mori, & Christus nobis hoc promeruit, ut mors nostra esset abitus ad Patrem. Joh.14,7.

Argumentum hoc est consolationis generale.

παράκλητος. Probat D. Gerh. part. 3. harm. p. 501.502.

Altera consolatio, à causa adjuvante, mutuata in Spiritûs Sancti missione consistit. Hunc dicit παράκλητον, quod & Advocatum & Consolatorem significat, ratione adpellationis ab effectu petitâ; quia ille solus consolationem in animis piorum veram accendere & solet & potest. Nusquam autem hæc vocula in tota Scriptura usurpatur, nisi in valedictoria hæc Christi concione, in qua tribuitur Spiritui Sancto; & 1. Johan. 2, 2. ubi tribuitur ipsi Christo Dei Filio. Argumentum hoc est consolationis speciale, illustratum αὐτηθέως: *Si enim non abiero, Consolator ille non veniet ad vos*; non quòd simpliciter venire non possit, sed quòd statutum sit à Patre, ut ne priùs veniat, quàm Christus abiisset. Addit ergò: *sin verò abiero, mittam eum ad vos*. Sensus itaque verborum est iste: Missionem Spiritûs sancti antecedere oportet passionem, mortem, resurrectionem & adscensionem meam. Quid enim doceret & proferret Spiritus Sanctus, nisi priùs præstita & effecta sint omnia ea, quæ ratione officii præstare Messiam necessum est? Visibilis quidem mea præsentia à vobis auferetur; sed ejus loco mittam vobis Spiritum Sanctum admiranda in vos dona collaturum, & ministerio vestro res maximas operaturum. Multa ergò insinuat hac locutione αὐτηθετικῇ Salvator; nimirùm

1. missionem Spiritûs Sancti ab abitu suo unicè dependere:
2. personarum (Christi puta & Spiritûs Sancti) æqualitatem:
3. omnes abitûs sui utilitates Spiritûs Sancti missione concludi:
4. Spiritum S. ita mitti à Christo temporaliter, ut ab ipso procedat æternaliter:
5. de Spiritûs Sancti missione nullatenus esse dubitandum:
6. Christum morte suâ missionem Spiritûs Sancti promeruisse:
7. Parakleti nomine usum esse Christum, quòd cum mœstis & contristatis ipsi res esset, qui & Advocato & Consolatore opus habebant.

Cur

Cur autem Spiritus Sanctus venire non potuerit, nisi Christus ad Patrem abiret, explicat nervosè Dn. D. Gerh. d. l. pag. 1048. & seqq. Cur ante adscensionem Christi tàm copiosè & visibiliter effusus non sit, docetur p. 1053. 1054. Tarn. in Joh. 2025.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Ex abitu Christi ad Patrem non rectè negatur vera ac realis ejusdem secundum carnem in Ecclesia præsentia. Visibilis enim & localis præsentia non opponitur invisibili & illocali præsentiæ, sed eidem solummodò subordinatur; quandoquidem abire ad Patrem, non est venire ad locum aliquem, certâ quantitate circumscriptum. D. Theodoric. p. 162. *Præsentia Christi abitu ipsius nõ tollitur.*

II. Adverbia loci κτ' συγκατάβασιν καὶ ἀνθρωποπάθειαν de Deo illocali, absque omni absurditate, qualem Calviniani sibimet imaginantur, dici atque usurpari posse, testis est sermo Christi dicentis: vado ad Patrem, & nemo ex vobis interrogat me, quò (NB) vadis. Esa. 26, 21. Ose. 6, 15. *Loci adverbia de Deo.*

III. De paterna Christi in Apostolos & nos omnes providentia. Vide D. Theodoric. pag. 162.

IV. Miseriis & calamitatibus vitæ hujus immersi, in præsentes duntaxat calamitates oculos habemus defixos, de fine crucis salutari parùm interim admodum soliciti. Nos verò sciamus, scholam crucis esse scholam lucis. Rom. 8, 28. Joh. 14, 18. Psal. 91, 15. & 119, 71. *Crucis finis attendendus.*

V. Ab externa crucis ac mortis specie, ad promissam vitæ æternæ gloriam animos nostros convertere debemus, sicut Christus ipse non dicit, vado ad mortem, sed ad eum, qui misit me, h. e. in gloriam. Luc. 24, 26.

VI. Vita nostra nihil est aliud, nisi transitus, mors nostra est abitus ad Deum: Eccl. 12, 7. cur ergò terrenis nos oneramus? *Vita transitus, mors abitus.*

VII. Totum redemtionis nostræ opus à voluntate & decreto Patris cœlestis dependet.

IIX. Tristitiæ non esse indulgendum, seriâ Christi interdictione edocemur. Sir. 30, 25. & 38, 19. Prov. 17, 22. D. Theodor. p. 163. *Tristitiæ non indulgendum.*

IX. De insigni Christi docendi cupiditate; ideò enim voluit à discipulis interrogari, ut de abitûs sui fructu ipsos informaret; sicut præceptor ejusmodi delectatur discipulis, qui sunt φιλομαθεῖς καὶ ζητητικοὶ, ut in illis informandis officio suo fungi queat.

X. Summa hæc sit nostra cura, ut quæramus quò Christus vadat, h.e. quanta beneficia suo nobis abitu promeruerit.

XI. Christianorum est, illam semper in animo suo volvere ac revolvere quæstionem, quò abeant, qui in Domino moriuntur; quò abituri simus, quando ex hac miseriarum valle nobis migrandum.

XII. Primus peccati gradus est, necessaria ignorare, alter & quidem gravior, ea, quæ quis ignorat, nolle discere.

XIII. Homines hujus seculi vident Christum in membris suis euntem in cœlum, ac per prospera & adversa eò cupidissimè properantem, nemo tamen ex illis quærit, quò vadat, nemo præeuntem sequitur.

Tristitia.

XIV. Tristitia immoderata mentem quasi absorbet, lingvæque usum eripit, ut quærenda non quæramus, & scienda scire non curemus. Job. 2, 13.

XV. Ex abitu, h. e. morte & passione Christi non tristandi, sed piè gaudendi ansam arripiamus. Rom. 8, 31. seqq. Gal. 6, 14. Luc. 23, 28.

Crucis in nobis effectus.

XVI. Idem in nobis, qui in Apostolis, solet esse effectus concionum de cruce; dolemus, quando mentionem ejus fieri audimus, cùm ad eam fortiter tolerandam potiùs nos præparare debeamus: multò magis verò dolemus, quando divinitùs eam nobis immitti videmus, cùm potiùs gaudere debeamus, per eam nos Christo conformari, & ad gloriam cœlestem præparari. Rom. 8, 29. D. Gerh. p. 1041.

XVII. Hic dolor originem trahit ex eo, quòd in cruce non quærimus, quo consilio Deus eam nobis immittat, & quid commodi eadem nobis adferat, sed defigimus oculos in crucem præsentem, nec respicimus utilitatem sequentem. Ps. 13, 2. & 77, 8. & 94, 12.

Mors tristitiã inducit.

XIIX. Quando via universæ carnis nobis ingredienda, idem nobis accidit, quod discipulis, tristitia implet cor nostrum; sed audiamus, quid Christus dicat, non quid sensus, ratio & caro nostra judicet: expedit vobis. Act. 24, 25. Phil. 2, 5. 2. Cor. 5, 6.

XIX. Veritas nec tacenda, nec æquivocationibus dolosè involvenda est. Ps. 15, 2. & 51, 8. Prov. 12, 17. Sir. 4, 32. Eph. 4, 25.

λύτρȣ necessitas & utilitas.

XX. Passione & morte suâ Spiritum Sanctum nobis Christus impetravit; summam itaque λύτρȣ vel meriti istius fuisse necessitatem vel hinc promtum est colligere. 1. Cor. 3, 16. 2. Cor. 6, 14. Zach. 12, 10. Galat. 3, 3. Rom. 8, 11. 14. Johan. 14, 16. Eph. 1, 13. D. Gerh. p. 1055.

XXI.

XXI. Datur autem à Deo Spiritus Sanctus, & mittitur in corda credentium, non tantùm secundum dona, sed & secundum essentiam. Matth.10,20. Rom.8,9. 1.Cor.3,16. 2.Tim.1,14. 1. Thess. 4,8. Gal.4,6. Joh 14,26. Esa.59,21. Act.2,3. Vide de hac quæstione Dn. D. Chemnit. part. 1. L. C. pag. m. 255. & seqq. ubi tandem ita concludit: Teneamus simplicem & veram sententiam; (1) dari credentibus ipsum Spiritum S. unà cum suis donis, quæ operatur non absens, sed præsens exsistens in cordibus credentium. (2) Esse tamen & manere discrimen, inter Spiritum Sanctum & dona ejus creata; & discernendum esse auctorem ab effectibus, ipsum Spiritum Sanctum à suis fructibus. Gal.5,22. Eph.5,9. Confer D. Gerh. Tom.1. L.C. pag. 622. *Missio Spiritûs S.*

XXII. Colligitur ex hac Christi concione, de abitûs sui utilitate, *Abitûs Christi utilitas.*

1. *Christi amor & bonitas*, utilia potiùs loquitur, quàm grata & jucunda; verus ergò noster est amicus.
2. *Christi veracitas:* Joh.8,46. & 14,6.
3. *Christi fidelitas:* juramento enim fidem confirmat.
4. *Crucis utilitas:* subtrahit Deus consolationes rerum, ut locum in nobis inveniant consolationes verborum, h.e. Scripturæ sacræ; aufert à nobis, quod amamus, (conjugem mihi abstulit adamatam, liberos, amicos, omnem temporalem substantiam &c.) ut in solo Deo sperare, ipsi soli confidere, & ipsum super omnia diligere discamus. *anno 1631. 1636. 1641. 1641.*
5. *Spiritûs S. Divinitas*, de qua paulò pòst.

XXIII. Divinitas etiam Christi inde probatur, quòd potestatem habeat mittendi Spiritum Sanctum, quod est opus solius veri Dei proprium. D.Gerh. pag.1054. *Christi divinitas.*

XXIV. Sed inde non rectè proceditur, ad negandam Divinitatem ipsius Spiritûs Sancti; quia missio non ex servili proficiscitur debito, sed ex spontanea & liberrima voluntate. Vide d.l.

XXV. De Spiritûs Sancti à Patre Filioque processione: à quo enim persona divina mittitur ab eodem procedit. Ib.1055. *Processio Spiritûs S.*

XXVI. Duo maxima habemus à Christo beneficia; unum acquisitionis, alterum adplicationis meritorum suorum; illud peregit ignominiosâ in terris passione; hoc gloriosâ ad dextram Patris in cœlis exaltatione.

XXVII. Humana Christi natura à missione Spiritûs Sancti non est excludenda, uti D. Gerh. pag. 1056.

XXIIX. Deus sæpiùs aufert à nobis donum aliquod, ut majori postmodum beneficio illud compenset. Gen. 45,20. Confer historiam Jobi.

PARS II.

Officium Spiritûs S. severum.

Secundâ Evangelii parte agitur de severo Spiritûs Sancti officio. Geminum enim habet, ratione objecti gemini. Prius exercere solet in impios, reprobos ac infideles; posterius erga pios, electos & fideles. De priori hac parte agitur, & describitur officium Spiritûs Sancti ἐλεγκτικὸν ab effectu, hoc modo: Cùm venerit Spiritus ille Sanctus, arguet mundum

Officium S. S. ἐλεγκτικόν.

1. de peccato;
2. de justitia;
3. de judicio.

Ad singulorum priusquam ἐξήγησιν deveniamus, notandum

ἐλθεῖν de Spiritu S.

1. quid per τὸ ἐλθεῖν sive adventum Spiritus Sancti h. l. innuatur; non certè ulla loci mutatio, q. eo modo, quo homines venire solent, ipse quoque venturus dicatur, de loco sc. in locum progrediendo, sed præsentiam suam vel externo quodam symbolo, vel novo opere & effectu manifestando. Hoc respectu per adventum Spiritûs Sancti intelligenda venit, visibilis ejus super Apostolos effusio, facta in die Pentecostes. Sensus itaque est: Cùm Spiritus Sanctus per visibilem sui effusionem, ad Evangelium in toto orbe prædicandum vos instructos reddet, tunc officium illud ἐλεγκτικὸν inchoabit, & ad finem usque mundi continuabit.

Adventus Spiritûs S.

ἐλέγχειν.

2. Quid τὸ ἐλέγχειν significet? Ubi sciendum quod verbum illud duplicem potissimùm in Scripturis N. T. significationem habeat:

1. idem est, quod reprehendere, redarguere, corripere, tàm verbaliter, quàm realiter, quod Græcis est παιδεύειν: Matt. 18,15. Luc. 3,19. Joh. 3,20. Eph. 5,11.13. 1. Tim. 5,20. Tit. 2,15. Jac. 2,9. Heb. 12,5. Apoc. 3,19.
2. Accusando aliquem convincere, contrarium opinantem, eumque ita constringere, ut non habeat, quod rationabiliter opponat; vel quo suam tueatur opinionem.

Hoc autem in loco ἐλέγχειν non est, simpliciter accusare aut reprehendere, sed certis, perspicuis & immotis argumentis ita convin-

vincere, ut conscientia errorem sentiat; tandem etiam damnare, latâ in reum sententiâ. Quidam ita exponunt, Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato commisso; de justitia spreta vel neglecta; de judicio item spreto vel neglecto, quòd peccatum admiserint, justitiam verò & judicium neglexerint.

3. Quid per mundum intelligatur? Quidam exponunt de mundanis in specie hominibus, qui secundum carnis lascivientis desideria ac concupiscentias vivunt. Alii intelligunt de solis Judæis, quam sententiam Calvinianorum nonnulli sectantur, ut vim argumenti, de universali Dei misericordia enervent atque invalidum reddant. Verùm Augustinus rectiùs monet, mundi nomine præcipuè quidem Judæos, non autem solos intelligi, sed gentes etiam, atque adeò totum genus humanum. Probat hanc sententiam Dn. D. Gerhard. d. l. pag. 1062. quintuplici argumento:

Mundus quid.

1. *ex frequentiore nominis hujus significatione*; Joh. 3, 16. & 14, 17. 22. 27. & 15, 18. 19. & 16, 20.
2. *ex scopi consideratione*: sicut enim Filius, non solùm propter Judæos, sed etiam propter gentes, adeoque totum genus humanum missus est: Ita Spiritus Sanctus itidem non solùm ad Judæorum, sed gentium etiam utilitatem missus est.
3. *Ex textûs serie & connexione*; diabolus princeps mundi est, h.e. tàm gentium, quàm Judæorum hostis primarius.
4. *Ex complementi consecutione*: Actor. 2, 23. & 3, 13. & 4, 10. Roman. 3, 9.
5. *Ex Calvinianorum quorundam concessione*. Vide d. l.

Mundus pro toto genere humano.

Ceterùm officium isthoc Spiritûs Sancti ἐλεγκτικὸν amplificatur ἐξεργασίᾳ per ἐπάνοδον, quâ tria illa arguitionis sive accusationis capita resumta explicantur ulteriùs. Ac

I. *de peccato* quidem arguet mundum, quia non credunt in Christum: q. d. Spiritus Sanctus ostendet, & immotis argumentorum momentis evincet, hoc esse peccatorum omnium maximum, si quis non credat. Descriptio hæc est peccati istius, quod incredulitatem vocare consvevimus: hoc peccato quicunque laborat, ille æternùm condemnatus est. Joh. 3, 18. Est enim fons & mater reliquorum peccatorum omnium incredulitas; & propter hoc peccatum in ceteris quoque peccatis manent homines. Credere enim in Christum unica est via, quâ à peccatis liberantur: quoniam itaq; non credunt, in peccatis eos manere oportet.

Peccatum incredulitatis arguet Spiritus S.

Quæritur hoc loco circa primum officii ἐλεγκτικοῦ objectum,

ὅτι. 1. quomodo particula ὅτι sit accipienda? Non tàm εἰδικῶς specificativè, ut sit descriptio ipsius rei, quam Spiritus Sanctus in officio suo ἐλεγκτικῷ sit arguiturus; quàm αἰτιολογικῶς, causaliter, tùm quia peccati nomine absolutè & simpliciter posito, tota naturæ corruptio & quasi massa peccati in Scriptura intelligi consvevit: Joh. 1, 29. Rom. 3, 9. tùm quia Spiritus Sanctus præcipuè quidem peccatum incredulitatis arguit, non tamē eam solam, sed alia etiam peccata arguit; tùm quia verbum ἐλέγχειν in redarguendi significatione illud non admittere videtur, uti habet D. Gerhard. p. 1063.

2. Quale peccatum h. l. intelligatur, quando dicitur; Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato? Hîc datur sententiarum quoddam quasi divortium. (1) Quidam enim exponunt de peccato crucifixionis: (2) Alii interpretantur de peccato in genere & reatu peccati: (3) Alii, inter quos est Augustinus, & hunc secutus B. Lutherus, specialiter exponunt de peccato incredulitatis; ob rationes, quas p. 1065. & 1066. commemorat D. Gerhardus:

Incredulitas quale peccatum.

1. delicta exteriora non solùm à Lege, sed ab ipsa etiam hominum conscientia arguuntur; incredulitas a. est peccatum occultum & mundo absconditum:
2. Incredulitas est peccatum maximum, quo manente, reliqua peccata manent; quo remoto, reliqua tolluntur:
3. est quoque fons reliquorum peccatorum, sicut fides est radix omnium bonorum operum:
4. Christus dixerat, Spiritum S. de se testimonium perhibiturum; quod per incredulitatem repudiatur.

Placet autem D. Gerhardo secunda, quæ est Cyrilli, sententia de omni peccato & reatu peccati, ut sit sensus, quem habet p. 1067. Spiritus Sanctus per legem, Evangelii luce collustratam, efficaciter convincet omnes, quòd sint sub peccato, & consequenter sub ira Dei & æterna damnatione, quia non credunt in me, cùm per solam fidem, beneficia mea, in verbo Evangelii oblata, adprehendentem, à peccato liberari possint. Quatenus ergò & quamdiu non credunt in me; eatenus & tamdiu manent in peccato, h. e. sub peccati jugo ac pondere. Confer Joh. 3, 18. 36. & 8, 24. & 9, 41. 1. Joh. 5, 12. Vide plura pag. 1068.

3. An

3. An Evangelium in propria & stricta significatione, quatenus αἰπολύτρωσιν opponitur Legi, sit concio pœnitentiæ, cùm per illud peccatum incredulitatis arguatur? Negat Dn. D. Gerhard. pag. 1069. & distingvit inter Legem solam, & luce Evangelii collustratam. Et quanquam Spiritus Sanctus arguat mundum de peccato incredulitatis & aliis, hoc tamen facit non per Evangelium, sed Legis ministerium. Vide D. Echart. in fascic. pag. 283.

Evangelium concio pœnitentiæ non est.

II. Deinde de justitia quoque mundum Spiritus ille Dei Sanctus arguet, non quidem sua, quam mundus nullam habet; sed de justitia Dei, quam mundus contemnit. Quid verò mundus hoc loco, quid justitia Dei propriè significat? Mundus, uti jam modò dicebamus, non significat tantùm Judæos, impios Christi crucifixores, quod Piscatoris Herbornensis Calvinisticum est glossema: sed omnes in universum homines impios; vel universum potiùs hominum genus. Verba enim sunt intelligenda καθ' ὑποκειμένην ὕλην, seu secundum subjectam materiam. Jam verò ex prædictis constat, agi secundâ hac parte de officio Spiritûs Sancti, quod erga impios & infideles ille exercet. Vertiginis itaque Spiritu acti homines Calviniani nullibi, ubi pedem tandem figant, inveniunt. Per mundum enim modò solos electos; modò solos reprobos; modò solas gentes; modò solos Judæos intelligunt.

Justitia, quam Spiritus S. arguit. Mundus.

Per justitiam autem intelligunt (1) quidam justitiam fidelium activam & inhærentem; vide D. Gerhard. p. 1070. (2) alii justitiam Christi propriam, quam sententiam, suis subnixam rationibus, non improbamus; vide D. Gerhard. p. 1071. 1072. (3) alii justitiam fidei imputatam. Nihil hic loci agitur, de justitia illa Dei essentiali, quâ Deus in se longè est justissimus, immò justitia ipsa: sed de ea, quam ipse in Filio suo unigenito nobis proposuit. 1. Corinth. 1, 30. quamque abitu Christus suo ad Patrem nobis promeruit. Hanc quia mundus contemnit, & aliam ψευδώνυμον ac fictitiam substituit, quâ Deo se placere autumat; ob id igitur à Spiritu Sancto est arguendus & corripiendus. Hæc est B. Lutheri sententia, qui simplicissimè progreditur ita: Spiritus S. arguet mundum de justitia, h. e. convincet mundum, & invictis argumentis demonstrabit, per meum abitum, h. e. per meam passionem, mortem, resurrectionem &c. veram fidelibus restitutam esse justitiam. Probatur sententia hæc,

Justitia.

1. ex subjecta ratione, quia ad Patrem vado;
2. ex rationis ampliatione; & posthac non videtis me;
3. ex connexione cum primo & tertio membro,
4. ex locorum aliorum collatione; Esa.53,11. Rom.3,24. & 14,6.& 10,4. 1. Cor.10,2. Cor.5,21.
5. ex eventûs consecutione. Vide D. Gerhard. p. 1073. 1074. 1075. 1076.

Summa itaque verborum Christi huc redit: Spiritus Sanctus in actu justitiæ demonstrabit, & convincet me justum esse, & in me credentes justificare posse; eò quòd ad Patrem non tantùm ignominiosè, sed & gloriosè abeam, & me dexterâ Dei exaltatum in statu humilitatis non ampliùs conspicietis, h. e. occasionem non habebitis, ex conspectu carnis & infirmitatis meæ humiliter de me sentiendi. Quamdiu enim hoc servili habitu, peccatoribus similis, in terris versor, habere sibi videtur mundus, quòd prætexat, quò minùs meam justitiam agnoscat; existimans, eâ se justitiâ coram Deo posse consistere, si honestam & religiosam foris vitam ducat: At cùm resurrexero, & gloriosè ad cœlos adscendero, docebit Spiritus Sanctus, me plùs quàm infirmum hominem esse, immò eum potiùs, qui peccatum auferre, & justitiam conferre potest. Abitus ergò meus ad Patrem est vera illa justitia, quæ sola in Dei judicio consistit. Confer D. Tarn. in Joh.p.1094.

Judicium quod arguet Spiritus S.

III. Denique arguet etiam Spiritus Sanctus mundum de judicio, quia princeps hujus mundi judicatus est. Princeps mundi quis sit, divinatione opus non est, ipse nimirùm diabolus, metaphoricè ita nuncupatus, propter magnam suam potentiam, quam habet in mundo Dei permissu super filios incredulitatis, in quibus regnat, & dominatum suum exercet. Eph.2,2. Judicare phrasi Johanneâ idem est quod damnare. Joh.3,17.18. De judicio verò variant Interpretum sententiæ. (1) Quidam accipiunt de judicio condemnationis; quam sententiam D.Geth.p.1078. rejicit.(3) Alii exponunt de judicio extremo, de quo mundus tenuiter admodum sentit, quasi tale nullum unquam sit futurum. (3) Alii de perverso & corrupto mundi judicio: (4) Alii de adjudicatione ad æternam damnationem: (5) nonnulli de potestate judiciaria: (6) aliqui de rerum perditarum restitutione. D. Gerhardus p. 1079. his omnibus suo loco relictis statuit simplicissimam & textui maximè congruam esse illam expositionem, qua mundus propterea dicitur argui de judicio, quia satanæ, à Christo jam judicato & victo, per peccata adhuc servire expetit. Ut enim mundus non intelligit, quid

Princeps mundi.

Judicium.

quid sit peccatum, quæ sit vera coram Deo valens justia: Ita non intelligit judicium i. e. cui omne datum sit judicium. Johan. 5, 27. quis sit totius mundi Judex & Dominus constitutus. Putat diabolum esse mundi principem, eumque pro lubitu in mundo omnia administrare, regna & opes distribuere. Cui enim quis servit, illum etiam pro principe & domino agnoscit, Jam verò mundus per peccata diabolo servit: Ergò eum etiam pro principe & domino agnoscit. Vera & analogiæ Scripturæ conformia hæc sunt; sed nihil prohibet, amplecti etiam secundam & tertiam sententiam, de judicio illo corrupto, quod in solidum dissentit à Dei judicio; quin & de falsa & Epicuræa illa opinione, quâ mundus venturum judicium extremum pro terriculamento habet inani. Hoc judicium falsum esse demonstrabit Spiritus Sanctus, quòd princeps hujus mundi, h.e. diabolus, judicatus, condemnatus, exutus est imperio, quod propter peccatum in genus humanum sibi vendicabat, operibus ipsius à Filio Dei destructis. Principe autem superato, judicato, condemnato, judicabuntur etiam servi vel subditi satanæ, h. e. impii, in quibus ille principatum obtinet. Atque ita Spiritus Sanctus per doctrinam Apostolorum mundum, h.e. homines mundo & mundanis concupiscentiis deditos, convincet de peccato sive propria injustitia, de justitia Christi, peccato opposita, & de judicio sive condemnatione diaboli. Ceterùm an Christus etiam mundum arguerit; cur Spiritui Sancto arguendi officium tribuatur; quomodo in Ecclesia officium isthoc exerceat; & unde mundus convictus fuerit, de principe mundi judicato, has quæstiones enodavit Dn. D. Gerhard. p. 1082. & 1083. ubi videat, qui volet.

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

I. Spiritus Sanctus ex hac parte convincitur verus esse Deus: quia *Spiritus S. Deus.*

1. propriâ virtute arguit mundum;
2. verbum & ministerium Ecclesiasticum ei ὀργανικῶς subservit;
3. ducit in omnem veritatem, quod ex sequente parte patebit;
4. denique futura prædicit: quæ omnia veri Dei γνωρίσματα sunt planè infallibilia. Act. 5, 3. 1. Cor. 3, 16. 17. Vide plura in locis & disputationibus Theologicis. Vide D. Theod. p. 166.

Officium Spiritus S.

II. Spiritûs Sancti officium est, non modò παρακαλεῖν, sed etiam ἐλέγχειν, mundo vel maximè necessarium. Gen.6,3. Ose.4,4

Peccatum nullum veniale.

III. Nullum peccatum ex se & suâ naturâ est veniale; quia omne peccatum à Spiritu S. arguitur, accusatur & damnatur.

Adversarios licet ἐλέγχειν.

IV. Adversarios sinceræ doctrinæ licet ἐλέγχειν; hoc enim ipsius Spiritûs Sancti est officium, quod ἐμμέσως, mediante nimirùm verbi ministerio exercet. 2.Tim.2,9. Gen.6,3.

Ministerii dignitas.

V. De summa ministerii & dignitate & auctoritate, quæ in eo maximè conspicitur, quòd Spiritus Sanctus per illud mundum arguit & judicat. Luc.10,16. Act.7,51. 1.Thess.4,8. 2. Cor.3,8. Matt. 10.20. Vide D.Theodor. p.167.168.

VI. Officium Spiritûs Sancti ἐλεγκτικὸν est universale, & concernit totum hominum genus.

Deus vult salutem.

VII. Quia Spiritus Sanctus totum mundum arguit, ex eo colligitur, velle Deum omnium hominum salutem. Rom.11,32. Ezech.18,33. Joh.3,16. Act.17,30. 1.Tim.2,2. 2.Pet.3,9.

Infantes fidelium.

IIX. Omnes, etiam fidelium, infantes sunt peccatores, quia Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato; mundi autem nomine etiam infantes comprehenduntur. Rom. 11,32. 1.Johann.5,19. Roman. 3,23.

Spiritus S. arguit mediatè.

IX. Spiritus Sanctus arguit mundum, non ἀμέσως, sed ἐμμέσως, mediante verbo scripto, & in specie verbo Legis, quod sonat in ministerio. Rom.3,19.20. & 4,15. & 7,7. Gal.3,22.

X. Non autem per Evangelium, specificè & propriè ita dictum, sed per Legem Spiritus Sanctus mundum arguit de peccato. Rom.3, 20. & 4,15.

Evangelii concio pœnitentiæ non est.

XI. Malè ergò quondam definiebant nonnulli Evangelium concionem pœnitentiæ, quibus opponatur articulus quintus F. C. de Lege & Evangelio.

Officium ἐλεγκτικὸν urgendum.

XII. Monentur verbi ministri, ut increpationes ac reprehensiones Ecclesiasticas nullo modo intermittant, sed fideliter & sapienter urgeant;

1. ob severum Dei præceptionem; Esa.58,1. Ezech.3,17.&33,7. Matt. 18,17. 2.Tim.4,1. seqq. 1.Tim.5,20.

2. ob præmiorum promissionem, & pœnarum comminationem: Ezech.3,18. & 33,8. & 13,18.

3. ob ministerii Ecclesiastici rationem;

4. ob Ecclesiæ militantis conditionem &c. Vide D. Theodoric. p.168.169.

XIII

XIII. In officii ἐλεγκτικοῦ exercitio, reprehensione & argutione Ecclesiastica certus modus est adhibendus. 1. Tim. 4, 12. 2. Tim. 2, 22. Tit. 2, 7. D. Theod. p. 169. 170. 171.

XIV. Auditores etiam increpationes Ecclesiasticas nec negligant, nec ægrè ferant. Ibid. p. 171, 172.

XV. Nullum peccatum, etiam minimum, est parvifaciendum. Vide ibid. p. 173. 174. 175. 176.

XVI. Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato: peccatum ergò cane pejus & angue fugiendum, ne officium ejusdem ἐλεγκτικὸν incurramus. Esa. 59, 2. Ps. 5, 7. Jac. 2, 10.

Peccatum fugiendum

XVII. Omnium peccatorum maximum est incredulitas, si quis non credat in Christum. Omnia enim peccata reliqua, quantacunque sint, non damnant hominem, si verè resipuerit, & in Christum crediderit. Qui verò oblatum Redemtorem Christum pertinaciter repudiaverint, neque in illum crediderint, his omnia etiam reliqua peccata non condonantur, sed ad damnationem imputantur.

Incredulitas.

XIIX. Præcipua itaque damnationis causa est incredulitas. Marc. 16, 16. Joh. 3, 18. 36. 1. Cor. 16, 22.

XIX. Vera ergò est propositio Lutheri: sola incredulitas damnat; (1) vi contrariorum, quia sola fides salvat: Rom. 3, 28. Gal. 2, 6. (2) quia Christus hoc dicit, Marc. 16, 16. Joh. 3, 18. (3) Quia non est in prædicamento qualitatis, sed relationis, quatenus rejicit & contemnit Christum cum officio & merito suo.

Sola incredulitas damnat.

XX. Spiritus Sanctus per Apostolos judicavit & arguit mundum de incredulitate. Actor. 7, 51. 52. 1. Corinth. 2, 8. Rom. 1, 18. seqq.

XXI. Justitia coram Deo valens non in operibus aut meritis humanis est quærenda; hanc enim justitiam arguet Spiritus Sanctus, eandemque à foro justificationis excludet; quippe quæ aliunde, quàm ex abitu Christi ad Patrem quæritur. Rom. 9, 31. 32. & 10, 3. 1. Cor. 1, 30. Vide de hac materia prolixè disserentem D. Theodor. p. 177. & seqq.

Justitia vera.

XXII. Cuicunque verò plenaria Christi satisfactio, totumque ejus meritum per fidem imputatur, hic verè coram Deo justus est. Christi enim meritum nostra est justitia. Rom. 3, 21. seqq. & 4, 5. & 11, 6. Gal. 2, 16. & 3, 22. Eph. 2, 8.

XXIII. Consolationi nostrę subservit, quòd princeps mundi judicatus à Christo dicitur. 1. Joh. 3, 8. Col. 2, 15. Luc. 11, 22. Joh. 12, 31. Nullum ergò ampliùs in credentes potestatem ac jus habet.

Princeps mundi judicatus.

XXIV. Bono igitur simus animo. Etsi enim peccaverimus; tamen si in Christum crediderimus, Dominus accusationes satanæ adversus electos non audiet; quin & frænum libidini ejus injiciet, ut pro lubitu in pios grassari non possit. Rom. 8, 31. Apoc. 12, 10.

XXV. Quia Christus ex peccati captivitate nos liberavit, perfectam justitiam adduxit, & principatu suo satanam exuit, ideo ipsi in sancta obedientia servire debemus.

Judicia frivola.

XXVI. Vitemus judicia frivola, temeraria, privata atque adfectuosa. Vide D. Theod. p. 181. 182. 183. 184.

PARS III.

Quale futurum sit officium Spiritûs Sancti respectu impiorum audivimus; restat ut porrò etiam audiamus officium ejusdem Spiritûs Sancti, quod erga pios ille exercebit. Ubi initiò præmittitur officii hujus objectum personale, quos nimirum in officio suo διδακτικῷ informaturus sit; discipulos rerum divinarum adhuc rudes. Sic enim Christus ait: Adhuc multa habeo vobis dicenda, sed non potestis portare nunc. Cùm autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem &c. Quibus verbis non illud Salvator innuit, quasi aliena vel diversa sint ea, quæ discipulos suos ipse præsens nunc doceat, ab his, quæ docturus sit, cùm advenerit Spiritus Sanctus, quemadmodum præ ceteris hoc loco ad traditionum effictarum farraginem stabiliendam hodieque abutuntur Pontificii; sed illud modò significat, difficiliorem esse præsentem sive quæstionem, sive doctrinam, quàm eam Apostolorum ruditas carnisque infirmitas capere hoc tempore queat. Quæ enim à Christo dicebantur, nondum satis præ mœrore & ingenii habetudine adsecuti fuerant, sed nec adsequi poterant; reliqua itaque, quæ de tantis mysteriis prolixiùs & pleniùs dici debuissent, eò usque differt, donec à Spiritu S. illuminentur. Loquitur ergò tantùm de Apostolorum persona, & demissione Spiritûs Sancti, in die Pentecostes subsecutura, perspicuè significans, Apostolos tunc ita Spiritu Sancto illuminandos, ut omnia, ad salutem Ecclesiæ necessaria, rectiùs sint intellecturi.

Traditiones Papisticæ.

Officium Spiritûs S. respectu piorum triplex.

His igitur jam subjungit specialius Spiritûs Sancti officium, idque respectu Apostolorum & piorum omnium futurum est triplex;

I. Primum consistit ἐν τῷ ὁδηγεῖν, *in deductione*, & quidem in omnem veritatem. In officii hujus disignatione occurrunt tria:

1. Ne-

1. necessitas;
2. utilitas;
3. Spiritûs Sancti idoneitas.

I. Necessitatem ὁδηγητικοῦ officii subindicant hæc verba: *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed non potestis portare nunc.* Habent hæc verba præteritionis q. cujusdam vim, quâ causam exponit, cur de mysteriis istis in præsentia pluribus agere nolit. Particula enim ἔτι, adhuc, innuit, Christum de multis rebus utilibus simul ac salutaribus Apostolos hactenus monuisse, de quibus adhuc pluribus agere vellet & posset, si præsens eorum conditio ferret. Verbum ἔχω apud Græcos interdum quidem significat idem quod possum; Act. 4,14. & 25,26. sed rectiùs h. l. exponitur per τὸ ἔχειν habere: q. d. Et possem & vellem de hisce rebus pluribus vobiscum agere, constitueram multa insuper in hanc sententiam proferre, sed præsens vester status id non permittit. Eadem loquendi ratio est Luc. 7,40. Joh. 8,27. Act. 19,38. Eph. 3,13. Verbum βαστάζειν usitatè significat bajulare, portare onus aliquod; hîc verò per metaphoram transfertur à corpore ad animum, vel potiùs intellectum, ut sit sensus, non potestis portare, i.e. non estis idonei, ut intelligatis, non potestis capere, propter virium defectum. Emphasin non mediocrem habet προσδιορισμὸς adjectus per voculam ἄρτι, nunc, modò, non potestis ea, quæ dicenda adhuc haberem, capere, & cum fructu audire; sed veniente & mentes vestras illuminante Spiritu Sancto, capaces eorum eritis. Cæterùm causa potest dari triplex, gratiâ cujus capere vel intelligere Apostoli tum temporis non poterant, quæ silentio Christus jam involvere voluit; nimirùm

Officium Spiritûs S. ὁδηγικόν.

τὸ ἔχειν.

βαστάζειν.

1. discipulorum ruditas & infirmitas:
2. opinionis præconceptæ falsitas:
3. mœroris gravitas. Patet inde turpem Esauuitas hoc loco committere παραλογισμὸν παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, quando ita ratiocinantur: Christus multa adhuc habuit Apostolis dicenda: Ergò Scriptura est imperfecta: Ergò non omnia ad salutem necessaria discipulis suis revelavit: Ergò (quod per τὸ μὴ ἐπίμ[illegible]ον addunt) defectus iste ex scriptis patrum, decretis conciliorum & traditionibus curiæ Romanæ est complendus. Etsi enim discipulis suis Christus omnia, ad fidem & mores necessaria, revelârit; ipsi tamen propter innatam ruditatem ea priùs plenè intelligere haut potuerunt, quàm à Spiritu S. illuminarentur. Aliàs Joh. 15,15.

Papistæ imperfectionis Scripturam insimulant.

Salvator inquit, se omnia ipsis revelâsse; cui adsertioni impudentissimè contradicunt Romanenses. Confer Act.20,23.&26,22.Luc.16,29. 2.Tim.3,14.

2. Utilitatem officii ὁδηγητικῦ exprimunt hæc verba: *Cum autem venerit ille* (qui est) *Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem.* Pronomini ἐκεῖνος masculino subjungitur neutrum τὸ πνεῦμα, per ἑτέρωσιν generis Scripturæ usitatam, quando de personis & actionibus personalibus sermo est. Matth.28,19. Act.26,17. Roman.2,29. & 9,23.24. Galat.3,16. & 4,10. Philip.2,15. Coloss.2,19. Et pertinent huc loca parallela, in quibus de Spiritu S. ejusmodi permutatio generis usurpatur. Johan.14,26.&15,26. Eph.1,13. Loquitur autem de tertia persona Divinitatis, quæ Spiritus dicitur

Spiritus cur dicatur tertia persona,

1. *ratione essentiæ*, quæ est Spiritualis & incorporea, eandemque cum Patre & Filio communem, vel numero potius habet eandem. Joh.4,24.
2. *ratione personæ*, quia hæc est personalis Spiritûs Sancti proprietas, Spirari ab æterno à Patre & Filio, modo ineffabili & incomprehensibili.
3. *ratione voluntatis*, quatenus spiritualiter est adfectus, & delectatur cogitatis, dictis & factis ejusmodi: Sap.1,4.
4. *ratione nostræ necessitatis*; sine Spiritu homo vivere nequit:
5. *ratione operationis & effectûs*, quatenus motus in hominibus Spirituales excitat. Vide D. Gerh. part. 3. harm. pag. 487. 488. & 946.

Per nomen itaque Spiritûs h. l. insinuare Christus voluit causam, quare Apostoli non possint ea portare, quæ adhuc dicenda erant, nim. quia adhuc erant carnales, indulgentes carnalibus de Messiæ regno somniis: Luc.22,24. 1.Cor.3,1.3. per promissum verò Spiritum facti sunt spirituales.

Spiritus veritatis cur dicatur S.S.

Spiritus veritatis vocatur itidem

1. *ratione essentiæ*; quia ut est verus cum Patre & Filio Deus; ita quoque ipsa essentialiter veritas: 1.Joh.5,6. Spiritus veritatis Hebræâ phrasi est Spiritus verax.
2. *Ratione personæ*, quia procedit à Patre, qui est veritas, & à Filio, qui est veritas: Joh.14,6.
3. *ratione differentiæ*, quatenus opponitur Spiritui malo, qui est Spiritus mendacii: 1.Reg.22,22. 1.Tim.4,1.
4. *ratione permanentiæ*; quia firmum & stabile Hebræis dicitur verum: Esa.39,8. & 61,8.

5. ra-

5. ratione efficientiæ sive operationis, de qua multiplici operatione vide quæ adnotavit D. Gerh. p. 488. 489. præcipuè autem pag. 500. item p. 946. Hoc in loco rationem nominis Salvator ita exprimit: *is ducet vos in omnem veritatem*, h. e. veritatis cognitionem vobis elargietur, revelando ea, quæ nunc non capitis vel intelligitis; quemadmodum fidus magister discipulum suum manu ducere, aut fidelis ὁδηγὸς peregrinantibus per loca deserta & periculosa viam monstrare solet. Est enim verbum ὁδηγεῖν valdè emphaticum, & usurpatur (1) in genere de viæ duce; Matth. 15, 14. Luc. 6, 39. (2) in Specie, de Israëlitarum ex Ægypto, per mare rubrum & desertum, in terram Canaan deductione: Num. 14, 8. Deut. 1, 33. Jos. 24, 3. Ps. 105, 10. Sap. 10, 17. Neh. 9, 19. 20. Esa. 63, 10. 14. (3) De matre vel nutrice, pueros adhuc parvulos manuducente. Ps. 48, 15. (4) De pastore tenellos agnos ducente. Psal. 77, 20. & 80, 2. (5) De Magistro, discipulum ita informante, ut q. manu eum ducat, viamque veritatis illi accommodatè ad ingenium ejus ostendat, ut non omnia simul, non ordine præpostero, sed suo quodque tempore & loco, prout potest discipulus capere, proponat. Ps. 25, 9. Act. 8, 31. Confer D. Gerh. pag. 1098. 1099. 1100.

ὁδηγεῖν.

Omnem dicit veritatem, quantâ nimirùm cognitu opus habebant. Quidam per πᾶσαν ἀλήθειαν intelligunt Christum; Joh. 14, 6. sed verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, de veritate doctrinæ cœlestis: loquitur enim Christus de regno gratiæ, & ejus per prædicationem Evangelii propagatione. Vide D. Gerh. pag. 1100. 1101. Veritas, addit ille ibi, opponitur

1. ὑποκρίσει, dolis & mendaciis, quæ in regnis mundi dominantur:
2. falsæ doctrinæ; Joh. 8, 44. 1. Tim. 4, 1.
3. figuris & typis;
4. humanæ veritati;
5. bonis hujus vitæ caducis & transitoriis.

Ceterùm officium isthoc ὁδηγητικὸν amplificatur, tùm ἐνδείξει τρόπου, significatione modi, quo usurus sit Spiritus Sanctus, & ἐν τῷ λαλεῖν, in loquendo consistit: loquetur, i. e. docebit vos & alios per vos, in vobis, & ex vobis loquetur: tùm causæ materialis adjectione, quid ipsos sit docturus. Neque enim novi aliquid suggeret; neque à semetipso loquetur, sed quæcunque audierit loquetur. Quemadmodum enim non est à semetipso; ita nec loquitur à semetipso, sed ea tantùm, quæ à Patre Filioque procedendo accepit. Nulla ergò hinc Spiritûs Sancti infirmitas, vel minor pote-

Spiritus S. nihil novi loquitur.

stas

ſtas elicitur; ſed ejus tantum τὸ ὁμοούσιον his verbis manifeſtatur. Ideò enim à ſeipſo nihil loquitur, quia non à ſe, ſed à Patre & Filio eſt, per æternam ἐκπόρευσιν. Confer D. Pelarg. in Joh. f. m. 187. b. Atque inde;

3. *Idoneitatem* ſibi ſufficientiam Spiritûs Sancti etiam derivamus; His ipſis enim verbis docere Chriſtus voluit Spiritum S. eſſe ſatis idoneum & ſufficientem, ad deducendum Apoſtolos in omnem veritatem, cùm non loquatur à ſemetipſo, ſed quæcunque audit, loquatur. Intelligenda autem hæc ſunt οἰκονομικῶς; loquitur enim de Spiritu Sancto, velut de quodam nuncio & legato, cujus fides in eo conſiſtit, ut nihil ex ſe dicat, ſed tantùm ea, quæ à legante ipſi ſunt commiſſa, ac inſtructionem (quam ita vocant) ſibi traditam, velut amuſſim, exactiſſimè ſequatur. D. Gerhardus d. l. pag. 1112. ita: Genuina & principalis hujus loci interpretatio eſt: Spiritus Sanctus non loquetur à ſeipſo, quia non eſt à ſeipſo, ſed eſt Spiritus ex Deo: 1. Cor. 2, 12. ab æterno ſc. procedens, ut ſic tùm unitas divinæ eſſentiæ, tùm perſonalis ejus proprietas ſignificetur. Hanc verò ſententiam probat

Spiritus S. legatus.

1. *ex ſcopi conſideratione*, qui eſt docere ſufficientiam & idoneitatem Spiritûs Sancti:
2. *ex locorum parallelorum conſideratione*: Joh. 5, 19. & 14, 10. 1. Cor. 2, 9. ſeqq.
3. *Ex oppoſitione*; quæcunque audierit: ubi audire idem quod ſcire, & ſcire idem quod eſſe:
4. *ex textûs ſerie & connexione*;
5. *ex aliorum Interpretum conſenſione.* Vide d. l. pag 1112. 1113. 1114. 1115. Huc usque primum Spiritûs Sancti officium.

Officium Spiritûs S. ἀναγέλλειν. ἐρχόμενα.

II. Secundum Spiritûs Sancti reſpectu Apoſtolorum & omnium piorum officium poſitū eſt, ἐν τῷ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγέλλειν, in futurorum annunciatione, vel prædictione; verbis: *& quæ futura* (ventura) *ſunt, annunciabit vobis.* Per τὰ ἐρχόμενα, D. Gerhardus inquit p. 1118. intelliguntur non abſolutè & ſimpliciter quævis futura; quia Spiritus Sanctus non omnia futura Apoſtolis revelavit, ſed quædam tantùm videlicet ea, quæ ipſos ſcire vel ipſis Apoſtolis, Eccleſiæ utile erat; unde etiam Chriſtus non loquitur univerſaliter, πάντα ἐρχόμενα, ſed indefinitè τὰ ἐρχόμενα; h. e. non modò ſtatum futuri ſeculi, quæ Bedæ fuit olim ſententia; ſed propriè & principaliter ejusmodi futura, quæ in Moſaicis & Propheticis Scripturis nondum fuêre patefacta, & absque ſpeciali prophetiæ dono non potuerunt cognoſci. Inter alia itaque dona, quæ in

in Apostolos contulit Spiritus Sanctus, effudit etiam simul donum prophetiæ, beneficio cujus multa Ecclesiæ de piorum sorte, h.e. de cruce & calamitatibus venturis, de hæresibus exorituris, de adventu & revelatione Antichristi; de Epicuræismo, paulò ante mundi finem invalituro; de luce Evangelii è tenebris iterum emersura &c. revelavit, qualia leguntur Act.11,28. &20,29.&21,11. 1.Thess.5,3. 2.Thess.2,3.seqq. 1.Tim.4,1. 2.Tim.3,1. & 4,3.6. 2.Pet.2,1. 1.Cor.12,10 Eph.4,11. Huc refer Apocal. Johannis. Verbum ἀναγγέλλειν innuit non conjecturalem, sed certam, firmam, indubiam & infallibilem futurorum notitiam & prædictionem: Est enim, intrepidè & publicè aliquid annunciare, de cujus veritate nullus sit dubitandi relictus locus. Marc. 5, 14.19. Johann.5,16. &16,25. Actor.14,27. &15,4. Cur autem futurorum manifestationem Apostolis suis promittat Christus, hujusce rei causas producit sex, D. Gerhard. pag. 1120. 1121. quò te, benevole Lector, brevitatis studio, remitto.

ἀναγγέλλειν.

III. Tertium Spiritûs Sancti, respectu Apostolorum & piorum omnium officium consistit ἐν τῷ δοξάζειν, in Christi glorificatione; verbis: *ille me glorificabit*; h.e. gloriæ meæ amplificandæ operam dabit; nomen meum, in vobis præcipuè & per vos illustre efficiet, docendo de mea persona & officio, ut intelligat Ecclesia, me non hominem tantùm, sed æternum ac consubstantialem Dei Filium esse, & me etiam juxta humanitatem ad dexteram Dei sedere, & Dominum esse cœli & terræ, licèt quoad plenarium usum domini & regiminis majestatem illam in statu exinanitionis non semper usurpârim; Legem quoque perfectè me implevisse, & acerbissimâ meâ passione ac morte, totius humani generis peccata expiâsse, atque ita verum me mundi Messiam ac Salvatorem declarâsse. Cur officium hocce Spiritûs Sancti δοξαστικὸν reliquis subjiciatur, ejus rei causas adsignat D. Gerhard. p. 1122. 1123. Nihil obstat huic sententiæ id, quod Johann.17,1.5. Christus à Patre vult & petit glorificari: Pater glorificat Filium, à mortuis eum resuscitando & ad dexteram suam collocando: Spiritus Sanctus verò per Evangelii prædicationem ipsius gloriam in toto terrarum orbe manifestando. In Specie glorificavit Christum Spiritus Sanctus,

Officium Spiritûs S. δοξαστικόν.

1. *per visibilem sui effusionem*; Act.2,33.
2. *per Apostolorum illuminationem*;
3. *per Evangelii prædicationem*; 2.Cor.4,4. 1.Tim.1,11.
4. *per miraculorum operationem*; Act.3,6.13.16.

Spiritus S. glorificat Christum.

Aaaaa 5. per

5. per multorum millium conversionem. Act. 2, 41. 47. & 4, 4. D. Gerh. p. 1123. 1124. 1125.

Amplificatur hoc Spiritûs Sancti officium dupliciter:

1. argumenti superioris repetitione; verbis: *quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, de mea enim scientia, quæ mihi essentia est, novit, quicquid novit, essentiam & sapientiam à me procedendo habet: quia τὸ λαμβάνειν accipiendum est de æterna Spiritûs Sancti processione à Filio: & pronomen meum non sumitur possessivè, sed essentialiter: D. Gerh. p. 1126. Iterum etiam loquitur de Spiritu S. οἰκονομικῶς, ut de legato, qui à Legante accipit, quod nunciat illis, ad quos missus est: q.d. Spiritus S. in meo nomine, & quasi mandatis à me acceptis, ut Legatus mittetur: missio autem in divinis præsupponit processionem. Simul illud quoque insinuat, quòd Spiritus Sanctus non sit novam, multò minus contrariam doctrinam adlaturus; sed ea suggesturus, quæ Christus è sinu Patris protulit; oblaturus etiam hominibus beneficia, merito Christi acquisita.

Spiritus S. Legatus.

2. Subjectâ ratione, à miranda illa & ineffabili Patris ac Filii in Trinitate κοινωνίᾳ, ratione cujus Pater omnia, quæcunque est & habet, Filio per æternam generationem, quemadmodum Spiritui Sancto Pater & Filius per æternam ἐκπόρευσιν sive processionem, communicat. *Omnia enim, quæ Pater habet, mea sunt*, ea videlicet, quæ rationem filiationis non evertunt; aliàs nihil habet Pater majestatis, potentiæ, scientiæ, gloriæ, quod non tàm de me, quàm de Patre dici queat. Quæ igitur à Filio Spiritus Sanctus accipit, à Patre simul accipit, & contrà: Sicut ab utroque procedit, ab utroque mittitur, ab utroque datur, utriusque thesauris fruitur, non ut alienis, sed ut propriis; quia unus & idem Deus est, personis saltem distinctus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Aret. in Johann. pag. 981. D. Gerhardus pag. 1131. & 1132. monstrat dictorum συνέπειαν & connexionem pulcerrimam; & pag. 1133. varias loci hujus expositiones profert, tandem autem pag. 1134. addit; proprius & principalis Christi scopus est, suam & Patris ὁμοουσίαν hisce verbis adserere, idque probat

1. ex textus serie & connexione;
2. ex ipsa verborum consideratione;
3. ex locorum parallelorum collatione; ut Joh. 5, 16. 17. 17. & 10, 30. & 14, 9. 10. & 17, 10:
4. ex veterum testificatione;

Po-

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Monemur de communi generis humani imbecillitate, quæ in discipulis Christi contemplanda nobis proponitur, de qua in præcedentibus aliquoties jam diximus.

Imbecillitas humana

II. Officium Spiritûs Sancti doctorale est, dicere, docere ac ducere in omnem veritatem; non immediatè, sed mediatè, per ministerium & verbum Dei. Vide D. Theod. pag. 185. 186.

Officium Spiritûs S. doctorale.

III. Non rectè concludunt ex hac particula Pontificii, Scripturam sacram esse imperfectam, mancam & obscuram, traditionibus itaque defectum esse supplendum: Ecclesiam errare non posse: Apostolis non omnia esse revelata, & quæ prætereà ψευδογραφήματα sunt alia, de quibus, præter dicta, Act. 20, 23. 24. & 26, 22. 2. Tim. 3, 4. videantur vindiciæ Dn. Meelfuhreri, de hac materia h. l. uberiùs disserentis: & D. Theod. p. 186. 187. 188.

IV. Ministros Ecclesiæ decet, exemplo Christi ἀρχιποιμένος ad captum auditorum suorum συγκαταβαίνειν. 1. Corint. 3, 12. Heb. 5, 11.

Auditorum captus

V. De verbi divini auscultatione continuanda; non enim omnia uno eodemque tempore possunt vel doceri, vel addisci.

VI. Hîc ignoramus, quæ ibi sciemus; sicut Apostoli quædam ignorabant in Schola Christi, quæ postea didicerunt in Schola Spiritus Sancti. Eph. 5, 5.

VII. Orandus est Deus, ut & nos Spiritu S. suo veritatem nos doceat in verbo, inque eadem ad finem usque vitæ constantes nos conservet. Matt. 10, 22. Luc. 11, 13. Ps. 51, 12. 13. & 143, 10.

IIX. Spiritum Sanctum à Filio non minùs, quàm à Patre procedere, ex eo patet, quòd is mittendi Spiritum Sanctum jus ac potestatem habeat; & prætereà omnia, quæcunque Patris sunt, Filii quoque esse dicantur. Nisi enim de Filio quoque procederet, Spiritus Sanctus, sicut à Patre, non de Christo, sed de solo patre acciperet. Vide D. Huun. de Trinit.

Processio Spiritûs S. in Filio.

IX. Ex ὁδηγίᾳ Spiritûs Sancti, Apostolis & omnibus Christi fidelibus promissa, falsò colligunt Romanenses, Ecclesiam errare non posse. Vide locum de Eccesia.

Ecclesia errat.

X. Spiritus Sanctus Apostolos in omnem veritatam deduxit,

ὁδηγία Sdiritûs S.

1. per suggestionem; Joh. 14, 26.

2. *per interiorem illuminationem;*

3. *per internam inspirationem;*

4. *per opinionum erronearum eradicationem;* 2.Cor.5,16.

5. *per immediatam adsistentiam & gubernationem.*

Macedoniani.

XI. Falsò ex hac ὁδηγίᾳ olim Divinitatem Spiritûs Sancti impugnârunt Macedoniani, contendentes, τὸ ὁδηγεῖν esse verbum ministerii. Quia non semper hoc verbum ministerium, sed interdum etiam magisterium notat, ut cùm mater puerulum, pastor oviculam, præceptor discipulum dicitur ὁδηγεῖν, quâ significatione h.l. illud usurpari suprà monuimus.

Spiritûs S. divinitas & personalitas.

XII. Divinitas quoque Spiritus Sancti h.l. adstruitur; quia solius Dei est, omnem docere veritatem. 1.Cor.2,10. Ps.25,5.

XIII. De Spiritus Sancti personalitate, quæ probatur

1. ex generum ἐναλλαγῇ sive permutatione; ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα:

2. ex operum personalium adsignatione; qualia sunt venire, mitti, ducere in veritatem, loqui, audire, annunciare:

3. ex articuli adjectione; quod tamen universale non esse, ostendit D.Gerh. pag.1106. & 1141.

Scripturæ perfectio.

XIV. De Scripturæ Apostolicæ perfectione & integritate; quia Spiritus Sanctus Apostolis factus est ὁδηγὸς in omnem veritatem.

XV. Voluntas Dei de nostrâ salute non est abscondita: quia Spiritus Sanctus Apostolos docuit omnia.

XVI. Colligitur ex hoc textu, Spiritum S. à Patre Filioque ab æterno procedere; & esse eum verum cum Patre & Filio Deum; quin & ea solùm in Ecclesia loqui, quæ sunt doctrinæ Christi conformia.

Ministri verbi à seipsis non loquantur.

XVII. Quemadmodum Spiritus Sanctus ea solùm locutus est Apostolis, quæ in sacratissimo Trinitatis consessu audivit: Ita qui verbi ministerio, quod est διακονία τοῦ πνεύματος, 2.Cor. 3,6. funguntur in Ecclesia, non loquantur à seipsis, sed quæ à Deo in verbo audierunt. 1.Pet.4,11. Jer.23,16.

XIIX. Futurorum prædictio arguit & ipsa Spiritûs Sancti Divinitatem. Es.41,22.23.26. & 45,21. & 46,10. 1 Cor.2,10.

XIX. Qui Christi personam officiumque non glorificant, sed extenuant & elevant, quod cum Papistis, Calvinianis, Neophotinianis alios quoque sectarios facere videmus; hi non aguntur Spiritu Dei, glorificante Christum; sed eo Spiritu compellantur

tur & aguntur, qui Christi nomen ac gloriam obscurare adnitituntur. Confer Decad. disput. Theol. D. Joh. Gerhardi, in quibus gloria Dei per corruptelas Pontificias, Calvinianas & Photinianas labefactari ostenditur.

XX. Vera Filii Dei Divinitas ita probatur: Omnia quæ Pater habet, ea sunt Filii: Pater habet æternam Deitatem: Ergò & Filius eandem habet. *Christi divinitas.*

XXI. Ab eo, quod singulariter tribuitur uni personæ, rectè concluditur, quòd etiam conveniat alteri. D. Finck. cent. 4. can. 71.

XXII. Spiritûs illi, qui contra Christum loquuntur, non sunt ex Deo D. Theod. pag. 191.

XXIII. De summo & ineffabili mysterio κοινωνίας, inter tres illas S.S. Trinitatis personas. Joh. 17, 10. Rom. 8, 11. Gal. 4, 6. *κοινωνία personarũ Trinitatis.*

XXIV. De summa credentium dignatione. Qui enim Christum per fidem habet, is certâ ratione omnia habet, quæ Patris sunt. Rom. 8, 17. 32. 1. Joh. 5, 11. 12. 2. Cor. 6, 10.

XXV. Christo, etiam quà Homo, nihil impossibile. Quicquid enim potentiæ Filius Dei habet τῇ φύσει per naturam, illud habet Filius Hominis τῇ χάριτι ex gratia Matt. 28, 18. Eph. 3, 20. Ipsi gloria in secula. Amen. Concludo cum D. Gerhardo: *Christus homo omnipotens.*

Peccatum mihi condona, dulcissime Jesu,
Justitiam dona, judicioq; leva!

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Περὶ τῶν διδασκαλικῶν est hoc Evangelium, futuræ Pentecostes festivitati non parùm inserviens. Agitur enim hîc

I. de Spiritûs Sancti per Christi abitum acquisitione;

II. de ejusdem Spiritûs Sancti per Apostolorum ministerium operatione; quæ duo capita, pro meliori textûs prælectii intelligentia, διὰ βραχέων considerabimus.

PARS I.

Circa primam ἐξηγήσεως propositæ partem tria, notatu vel maximè digna in considerationem veniunt.

I. Molesta discipulis Christo abitio, de qua iterum vaticinatur Salvator, abiturum se significans ad eum, qui se miserat. Quo loquendi genere innuit per mortem, resurrectionem & adscensionem

suam ab Apostolis sese discessurum ad Patrem suum, & ad gloriam apud ipsum capessendam profecturum; corporalem interim ipsis præsentiam ac conversationem subtracturum, quâ hactenus in omni fortunæ statu usi, mirificè discipuli fuerant recreati.

II. Modesta discipulorum increpatio, quòd nemo ex ipsis interroget, quò Salvator sit abiturus, quin ansam potiùs inde arripiant, cor animumque tristitiâ adfligendi, ac tantùm non conficiendi: q. d. quærendum potius fuerat, (παραφραστικῶς ita verba hæc enarrante D. Pelargo, in quæst. super Johann. fol. 185. a.) quò abeam, quàm tantopere dolendum: cognoscendum potiùs fuerat iter ad cœlos, quàm indulgendum dolori nimio; immò lætandum potiùs, quàm dolendum ob discessum meum, vobis omnibusque fidelibus summè salutarem. Fecit ἔκστασις ista, quam Theophylactus vocat, ut neque quæ dicuntur intelligant; nec eorum, quæ nesciunt, intellectum verum discere cupiant: quâ quidem ratione duplicem tùm reprehensionem, tùm turpitudinem incurrebant Apostoli. De corporali enim (quod iterum de suo Pelargus addit) Salvatoris præsentiâ adeò sibi spem fecerant, ut nunquam majorem sibi viderentur polliceri felicitatem. Quoties ergò de discessu ejus audirent quicquam, tantus eos dolor invadebat, ac si nulla imposterùm felicitatis illius spes esset reliqua, dubio procul, quòd carnali nimium tribuerent sensui.

III. Blanda Apostolorum informatio, quâ eorum sive errorem, sive mœrorem corrigit, ostensâ discessus hujus sui utilitate eximiâ. Quæ verò illa? Missio Spiritûs Sancti visibilis, quam, ceu certissimum abitionis suæ fructum verbis promittit perspicuis, per ἀντίθετον sive contrarii oppositionem illustratam: Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Consolator ille non venit ad vos: sin autem abiero, mittam eum ad vos. Quia enim è cœlo mitti debuit Spiritus Sanctus, in cœlum priùs adscendere Christum oportuit. Act. 2, 33.

USUS I. Informatorius.

Cordis humani perversitas.

I. De cordis humani perversitate, quæ in eo potissimùm sese exerit, quòd nihil adeò aversari soleat, quàm (1) crucem & adflictionem; (2) mortem, naturæ destructionem. Ad utriusque mentionem homo animalis immane quantum exhorrescit. Hebr. 12, 11. 1. Pet. 4, 12. Sedatur autē animus pii hominis intuitu finis salutaris, qui tùm crucem, tùm mortem adeò ipsam excipere & comitari consvevit. Psalm. 94, 13. & 119, 71. Romanor. 5, 3. 4. & 8, 28. Psal.

Psalm.18,36. Act.14,22. Esaiæ 27,9. & 28,20. Exod.20,20. Levit.26, 41. Deut.8,2. Prov.17,3. Esaiæ 48,10. Jer.31,18. Sir.27,6. 1.Cor.7,10. 2. Corinth. 4,17.

II. De summa abitionis Christi necessitate. Necessarius verò erat Christi ad Patrem abitus, tùm ut reditum in patriam cœlestem nobis exulibus repararet: Gen.3,24. Matth.25,21. Johan. 14,2.3. Mich.2,13. Ose.13,14. tùm ut Spiritûs Sancti missionem nobis impetraret, de qua vide præced. dispos. & Evangel. in fest. Pentec.

Abitûs Christi necessitas.

III. Jesus Christus suo descensu & adscensu est unica, sola & verissima via ad vitam æternam, cujus meritò, quod totum nostrum est, per fidem justificamur. Johann.3,15.16. & 14,6. Act. 15,11. Luc.19,12.

Via ad cœlum.

IV. De morte piorum, quæ consideranda ut opus

Mors piorum.

1. *determinatum*; nunc vado, h.e. non ociùs, nec seriùs: ℞
2. *sanctum & beatum*; est enim itio, profectio ad Patrem;
3. *improvisum*; nemo quærit; securitas plerosque occupat;
4. *tristificum*;
5. *utilissimum*; Expedit vobis, inquit Salvator, abitus meus;
   1. *ad peccati expiationem*;
   2. *ad mortis nostræ destructionem*;
   3. *ad Spiritus Sancti missionem.* Vide D. Schleupn. postill.

II. Consolatorius.

Consolatio ad nos derivatur efficacissima simul & dulcissima,

1. *ex mediatione passionis Christi salutari*, quæ non tristitiæ, sed lætitiæ in mentibus nostris concitandæ subserviat: Rom.8,31 seqq, Gal.6,14.

Passionis Christi solatium.

2. *Ex mortis descriptione singulari.* Loquimur de morte sanctorum Dei filiorum, quorum ex vita hac ærumnosa decessus, abitus ad Patrem cœlestem nominatur. Tò mori Christo est, ad Patrem vadere: Ergò & Christianorum mori est, ad Patris cœlestis gaudia introire. Quod enim præcessit in capite, hoc sequetur in corpore. Luc.24,36. Matth.25,21. Johan.5,24. Luc.2,29. Phil.1,23. 1.Reg.2,2. Rectè ergò Cyprianus: *Ejus*, ait, *est mortem timere, qui ad Christum no-lit*

Mors abitus.

litire. Nazianz. *Mors natalis est vita aeterna.* Vide Monrad. thes. p. 443.

3. Ex præsentia & cohabitatione Christi peculiari: abitus Christi tristificat; præsentia lætificat. Psal. 73, 25. & 91, 15.

III. Monitorius.

1. Monemur, ut sedulò & seriò scrutemur & ponderemus causas atque effectûs mortis victoriæque Christi: quicquid enim hujus egit ac sustinuit, nobis expedit. Monrad.

2. ut vita nostra sit adsiduum, *nunc-vado.* Veteres dicebant, tria adverbia temporis cuilibet quotidie expendenda: olim, nunc & tunc; h. e. quis olim fuerit in peccatis conceptus, ante regenerationem; quid nunc, singulis momentis exspectandum; quòd tunc sistemur tribunali Christi. Ibid. p. 443.

3. Ut tristitiam vitemus, quam à suis alienam cupit esse Salvator θυμηρέστατος. Hostibus enim per Christi meritum debellatis, nullus ampliùs tristitiæ locus in piorum animis esse debebat. Prov. 17, 22. Psalm. 33, 1. Sir. 30, 22. 23. & 38, 18. Matt. 5, 12. Johann. 16, 33.

PARS II.

Sequitur jam secundâ parte, Salvatoris de Spiritûs Sancti, per ministerium Apostolorum operatione sive officio dissertatio. Officium istud constituitur h. l. triplex.

Officium Spiritûs S. consolatorium.

I. Παραμυθητικὸν ἢ παρακλητικὸν, *consolatorium*, in consolando quippe unicè occupatum. Hinc dicitur Spiritus Sanctus παράκλητος, quod est, si vim vocis spectes, idem quod παρακλήτης, tutor, monitor, advocatus causæ. Ratio nominis est ab officio, quo de agitur hoc loco. Talis enim dicitur, διὰ τὸ παρακαλεῖν, καὶ παραμυθεῖσθαι, καὶ συναντιλαμβάνεσθαι τῆς ἀσθενείας ἡμῶν, uti Cyrillus Hierosolymitanus interpretatur; i. e. propter opitulationem, consolationem & auxilium infirmitatis nostræ. Causam enim fidelium agere Spiritus Sanctus debebat in synedriis, in judicio & tribunali etiam divino; solari, hortari, animare suos in media persecutione, ipsaque adeò morte. Præstitit hoc officium Spiritus Sanctus fideliter, ut leonino planè animo quibusvis periculis B. Apostoli sese opponerent.

Officium Spiritûs S. increpatorium.

II. Ἐλεγκτικὸν, increpatorium, in redarguendo occupatum. In describendo secundo hoc Spiritûs Sancti officio, triplici usus est Salvator circumstantiâ, Ostendit enim

1. quid

1. *quid facturus sit* Spiritus Sanctus? ἐλέγχει, arguet: est autem ἐλέγχειν, ita convincere hominem, ut conscientiæ propriæ testimonio convictus errorem fateri cogatur, quod fit argumentis apodicticis, quæ eludi nullo modo possunt, objectis. ἐλέγχειν.

2. *Quem ita convicturus sit?* Mundum. Aretius in Joh. p. 978. putat cum reliquo Sacramentariorum grege, mundi nomine intelligi reprobos & infideles. Sed malè! Totus enim mundus reus est Deo: οὐ γάρ ἐστι διαστολή; omnes peccaverunt: Ergò omnes etiam sunt arguendi. Rom. 3, 19. 23. Mundus.

3. *Cur increpaturus sit mundum?* Triplici de causa:

1. De peccato, quia non credunt in me, arguet mundum. Intelligit ergò non γενικῶς generaliter peccatum quodvis; sed εἰδικῶς peccatum incredulitatis, quod peccatum maximum, & peccatum peccatorum vocat Augustinus: Germani, die Heckmutter aller Sünden: quia reliqua sine hoc possunt condonari. Incredulitas.

2. De justitia, quia ad Patrem vado, & posthac non videtis me: q. d. mundus sibi aliam fingit vel somniat coram Deo justitiam, quæ non in abitu Christi ad ad Patrem, h. e. passione & morte ipsius consistat. Somnium isthoc arguet Spiritus Sanctus, & falsum illud esse firmis argumentis demonstrabit. Justitia vera

3. De judicio; quia princeps hujus mundi judicatus est. Mundus enim sinistrè judicat, tùm de rebus divinis, quas ex rationis suæ dictamine æstimat; tùm de cruce piorum, quos justè à Deo adfligi ob peccata sua autumat. Neutrum horum verum; à Spiritu itaque Sancto corrigendum: & quia Princeps mundi (h. e. satanas, titulum istum & dominium adfectans) judicatus est, h. e. passione ac morte Christi planè prostratus, enervatus, contritus, utique calumniis, præjudiciis & conviciis suis nihil quicquam obtinet; quia Pater omne judicium dedit Filio. Joh. 5, 22. Judicium.

D. Bernhardus succinctè & nervosè triplex hoc Spiritûs Sancti officium ἐλεγκτικὸν complexus est hoc aphorismo: *Spiritus S. arguit mundum de peccato, quod dissimulat; de justitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo, eam dat; de judicio, quod usurpat, dum tàm de se, quàm de aliis temerè judicat.*

III. Διδακτικὸν, *informatorium*, in docendo consistens. Quæ enim Apostoli, nondum à Spiritu S. illuminati, ruditate item & imbecillitate humanâ præpediti capere non poterant; ea Officium Spiritûs S. informatorium.

omnia cœlestis istius Doctoris ope & operâ percepturos illos Servator adseverat. Doctrinam vel institutionem istam dicit ὁδηγίαν, h.e. deductionem in omnem veritatem. Qui enim veritas & Spiritus veritatis, nil nisi quod verum est docere potest; simulque summam recitat eorum, quæ in officio isthoc, διδακτικῷ potissimùm propositurus & docturus sit Spiritus Sanctus. Redigit autem omnia ad duo capita:

ὁδηγία.

1. Unum concernit *Christi glorificationem:* Nomen enim illius illustrabit, de persona & officio Christi sufficienter Apostolos instruendo.

2. Alterum *futurorum prænunciationem* spectat; quæ omnia fluent ex ὁμουσίᾳ Spiritûs Sancti cum Patre & Filio, quæ hoc in loco firmissimè stabilitur. Confer præced. dispos. Item D. Hunn. de Trinit. pag. 85. exemplari in 8. nec non disputationes Marpurg. part. 1. pag. 44.

USUS I. Informatorius.

Officium ἐλεγκτικὸν quo loco habendum.

Docemur. 1. quo loco habendum sit officium ministerii Ecclesiastici ἐλεγκτικὸν; nimirùm habendum illud est

1. pro re summè necessaria: Qui enim Spiritum Sanctum vult habere Consolatorem, ipsum priùs ferat necesse est Increpatorem. :

2. pro Spiritûs Sancti opere & ministerio. Matth. 10, 20. Luc. 10, 16. Esa. 64, 10. 1. Thess. 4, 8.

Officium S. S. præcipuum solari.

2. Præcipuum Spiritûs Sancti officium in consolando esse positum, eoque perfungitur ille

1. *in divino judicio,* cùm de peccatis admissis ratio nobis reddenda est: Job. 9, 3. Zach. 12, 10. Rom. 8, 31.

2. *in mundi & satanæ odio:* Matth. 10, 19. Apocal. 12, 10. Johann. 4, 4.

3. *in omni infortunio:* Rom. 5, 3. & 8, 35.

4. *in precum exercitio:* Romanor. 8, 26. Zach. 12, 10. Johan. 4, 23. Gal. 4, 6.

5. *In mortis confinio:* Joh. 5, 24. & 6, 40. & 8, 51. & 11, 25. Apoc. 14, 13.

Hinc dicitur Spiritus
1. confirmationis; 2. Cor. 1, 21.
2. fortitudinis; 2. Tim. 1, 7.
3. certitudinis, Psal. 51, 14.

II. Con-

II. Consolatorius.

Consolatio efficacissima profluit

1. ex Spiritûs Sancti donatione, qui nos sibi facit habitacula, & mittitur, ut sit noster *1. consolator;*
2. castigator;
3. Doctor;
4 Ductor.

2. Ex satanæ debellatione; scimus enim ex Christi relatione mundi principem esse judicatum. Johan. 12,31. Luc. 11,22. Col. 2,15. Apoc. 12,10. Der Fürst dieser Welt/
Wie sawer er sich stellt/
Thut er vns doch nicht/
Das macht er ist gericht/
Ein Wörtlein kan jhn fällen. Vide Monr. p. 441.

3. Ex fideli Spiritûs Sancti manuductione; ideò enim est missus, ut sit nobis ὁδηγὸς, & dux viæ in vitam æternam sapientissimus & exoptatissimus, Vide Monr. thes. p. 445. 446.

III. Monitorius.

Monemur 1. ut caveamus peccata, ne incurramus officium Spiritûs Sancti ἐλεγκτικόν. 1. Johan. 3, 8. Jac. 2, 10. Esa. 59, 2. Roman. 6, 12.

2. Ut veram justitiam amplectamur, repudiatâ falsâ. Act. 4, 12. Vide præced. dispos.

3. ut mendacium vitemus, Spiritui veritatis ex asse contrarium, Basilius: *pravitas humanæ naturæ nusquam se magis prodit, quàm in lingva.* Psal. 5, 7. Levit. 19, 11. Pro. 19, 9. Sir. 7, 13. & 20, 26. Eph. 4, 25. Col. 3, 9. **Mendacium fugiendum**

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, 1. ex ὁδηγίᾳ vel deductione Spiritûs Sancti in omnem veritatem concludentium, Ecclesiam, & quidem Romanam non posse errare. Vide apud Scherer. integram concionem in unica hac quæstione insumentem, ob die wahre Kirch Gottes/ (semper præsupponit Romano-Catholicam, cujus caput sit Papa) in Glaubens Sachen irren könne oder nicht? Postill. pag. 380 & seqq. Verùm oleum perdit & operam Jesucida; quia promissio præsentis ne hilum quidem concludit pro negativa Papistica. Spiritus Sanctus enim (1), non absoluto nutu, sed ordinario Verbi medio, **Papismus de Ecclesia Rom. non errante.**

quod fidei obſequio ſuſcipiendum & tenendum eſt, ducit in veritatem. (2) Eccleſiam errare poſſe & ſæpiùs erràſſe, Romanam cumprimis Antichriſtianam, in loco de Eccleſia abundè à noſtratibus eſt demonſtratum. Vide præ ceteris D. Gerhard. Tom. 5. L. C. pag. 773. & ſeqq. (3) Promiſſio in ſpecie hujus Evangelii, propriè & principaliter ad Apoſtolos pertinet, qui cùm immediatam Spiritûs Sancti adſiſtentiam habuerint, in doctrina fidei errare non potuerunt, ad reliquos fideles hæc promiſſio eatenus pertinet, quatenus doctrinæ Apoſtolorum, in Scripturis ſacris propoſitæ, unicè adhærent & inſiſtunt. Promiſſiones enim Eccleſiæ factæ, de magiſterio Spiritûs Sancti, de directione atque cohabitatione Dei, ſunt conditionatæ. Jer. 7, 3. 4. 7. 11. 23. Johan. 8, 31. & 15, 7. Vide plura de hac materia apud D. Gerh. part. 3. harm. pag. 1103. 1104. 1105.

Papiſmus de imperfectione ſcripturæ.

2. Scripturam imperfectionis inſimulantiū, & conſequenter traditionum Eccleſiaſtico-Papiſticarum neceſſitatem ad ravim usque urgentium, eò quòd Chriſtus dixerit: adhuc multa habeo vobis dicenda. Reſp. 1. Σόφισμα παρὰ τὸ μὴ ἑπόμενον; è multis enim adhuc dicendis ad traditiones Papiſticas ἀγράφυς nulla planè militat conſequentiæ ratio. 2. παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχυ; Chriſtus non loquitur de novis fidei articulis ac dogmatibus fundamentalibus; eorum enim reſpectu Joh. 15, 15. dicit, ſe Apoſtolis omnia nota feciſſe: ſed loquitur de uberiori eorum, quæ docuerat, expoſitione. Nihil ergò tacuit, quod per traditiones poſtmodum ſit reſarciendum. Nec ipſi promittit Spiritum S. nova dogmata proferentem, ſed ὑπομιμνήσκοντα ſuggerentem ea quæ dixerat. Johann. 14, 26. Multa ergò illa, quæ tum temporis portare vel capere diſcipuli non poterant, non erant alia, diverſa aut nova, ſed eadem quæ priùs docuerat. Vide plura apud D. Gerhard. part. 3. harm. pag. 1087. & ſeqq. Item in Exeg. pag. 432. 433. 434. Item apud Dn. Meelführer. in Vindic. theſ. 111. & ſeqq. D. Echart. in Pand. p. 109.

Papiſtæ allatrantes Lutheri propoſitionem, de ſola incredulitate damnante.

3. Impietatis neſcio cujus B. Lutherum accuſantium, eò quòd ſolam incredulitatem damnationis cauſam dixerit; vel quod Tonſor ille intonſus habet, ſolam incredulitatem peccatum in mundo ſtatuerit. Ita enim ille pag. 377: Hieraus aber folget nicht/ daß allein der Unglaub in der Welt Sünde sey/ inmassen Lutherus gelehret/ sondern daß auch andere straffmeßige und verdamliche Laster in der Welt gefunden werden. Taceo crimen falſi, quod committit Elauuita in allegatione verborum Lutheri, pro eò quod dicitur, in

in dieser Welt/ supponens in der Welt. Scire autem debebat Tonsor, distingvendum esse inter causam damnationis meritoriam, generaliter acceptam, quæ sunt quævis peccata, in se & sua natura considerata; & inter causam damnationis formalem, propriam & adæquatam, quæ est sola incredulitas. Vide plura apud D. Gerhard. in harm. p. 10. 69. Item in Vindic. Meelführ. th. 61. & seqq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Multùm hactenus verborum fecit Ecclesia, de beneficiorum, per Filium unigenitum in universum genus humanum collatorum, tùm multitudine, tùm magnitudine: quæ sanè gratâ mente recolere pietas hominis Christiani exigere vel maximè videtur. Beneficiis itaque istis recensitis, ad gratitudinem invitare voluit pios animos, à cantando hodiernæ Dominicæ nomen injungens, novumque canticum Domino cantare præcipiens. Nos itaque finem modò dictum attendentes, *considerabimus causas solummodò impellentes, quæ in honorem Dei latum nos canticum cantare jubeant, impellant, invitent, permoveant & exsuscitent.*

Canticum novum in honorem Dei cur cantandum.

Ἐξήγησις.

In laudes Dei, animo læto decantandas exsuscitet pias mentes,

I. beneficiorum ubertas, qualia sunt,

1. Christi ad Patrem profectio: quâ phrasi innuitur, non modò passio, crucifixio, mors, resurrectio, & hanc subsecuta victoriosa ad cœlos adscensio; sed omnia simul bona, tùm privativa, tùm positiva, quæ suo hoc ad Patrem abitu Salvator Jesus nobis promeruit, de quibu alius est dicendi locus. Illa verò ita sunt comparata, ut non tristandi, sed gaudendi potiùs materiam atque ansam subministrare nobis debeant, dicente Christo ad discipulos: quia hæc locutus sum vobis, mæstitudo implevit cor vestrum. Theophylactus in hunc locum ita commentatur: *prætristitia confusi estis, & excessum mentis (ἔκστασιν) patiemini: propter exspectationem gravium concussa sunt corda vestra*

Abitus Christi ad Patrem.

2. Diversorii in cœlestibus procuratio. Hoc enim est συμφέρον illud, ex profectione Christi salutari ad nos promanans. Johann. 14, 2. 3.

Christus via.

3. *Viæ rectæ monstratio:* Ipse enim est noster sive ὁδηγὸς, sive prædecessor; nostrum est, præeuntis vestigia studiosè premere. Ose. 2,13. Ipse in omnibus primas tenet: (πρωτεύει) Col. 1,18, quippè ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως. Hebr. 12,2.

4. *Spiritûs Sancti donatio,* qui Spiritus audit lætitiæ. Psal. 51, 10. seq. Vide præcedentia & subsequens Evangelium Pentecostale. Theophylactus: *Vide, inquit, quomodo solatur eos; etiamsi innumeris modis magis tristitiâ adficiamini: Ego quod nobis utile est dico. Nam vos quidem velletis semper esse mecum: atqui hoc non expediens. Nam si ego quidem abiero, paracletus non veniet ad vos atq; ita etiamsi vos præsentiam meam velletis, non obedirem vobis; sed eligerem potiùs, quod vobis utile, quàm perniciosam vobis vestram voluntatem. Nam nisi ego morior pro mundo, & eo ad Patrem, dato sacrificio & propitiatione pro peccatis, Paracletus mundi non veniet. Quomodo enim adveniat, si inimicitiæ non solvantur, & occisâ morte, si Pater humanæ naturæ non concilietur.*

II. *Cantici qualitas:* Huc facit Christi concio de officio Spiritûs Sancti ἐλεγκτικῷ, non minùs in Ecclesia necessario, quàm reliquæ officii partes. Arguet enim ille mundum de tribus:

1. *De peccati atrocitate:* quando enim viderint, Theophylactus inquit, per manûs discipulorum in Spiritu egregia signa & miracula fieri, & neque sic credent, quomodo non condemnatione digni, & peccato maximo obnoxii? Itaque Spiritus Sanctus de peccato illos arguet, h.e. ostendet, eos absque venia peccare.

2. *De justitiæ perversitate.* Theophylactus particulam hanc ita declarat: *Ostendet eis, quòd Ego, cùm justus fuerim & irreprehensibilem egerim vitam, injustè occisus sim, & in ejus judicium ad Patrem vadam: neq; enim, si injustus fuissem, ad Patrem adscendissem. Quod autem dicit, posthac non videtis me, æternam ejus apud Patrem conversationem manifestat.*

3. *De judicii severitate:* Theophylactus addit: *Omnes, qui credunt in Christum, conculcant & contemnunt rectorem mundi.* Genuinam horum omnium ἐξήγησιν pete ex præced. disposit. Paratus in sermonib. de tempore ita interpretatur; Spiritus Sanctus arguit mundum, i. e. mundi amatores, vel mundanos peccatores de peccato, quod commiserunt, de justitia, quam omiserunt, de judicio, quod non timuerunt. Verùm diluta nimis hæc videtur interpretatio, immò à vero Scripturarum θεοπνεύστων sensu aliena. Non enim peccata

catum geenericè, sed specificè, ad peccatum τῆς ἀπιστίας, peccatorum reliquorum fontem & scaturiginem abundantissimum, restrictum, reprehensurus dicitur sanctus ille Dei Spiritus. Sed neque de bonorum operum vel observatione vel omissione sermo h. l. fuit Servatori; saniorem itaque ex præcedentibus, uti dicebam, pete interpretationem.

III. Cantici novi suavitas, intelligitur Evangelii in N. T. prædicatio) quæ inde promanat, quòd N. T, doctrina congruat.

1. cum veritate. Spiritum Sanctum enim cùm habeat auctorem, falsitatis certè convinci nequit. Is verò Spiritus vocatur veritatis, & inde in omnem veritatem Ecclesiam suam deducere perhibetur.

2. Cum antiquitate. Non enim novam, h. e. à Christi doctrina alienam vel dissentaneam proponet doctrinam; sed quæcunq; audierit Patrem Filiumque loquentem, ea utrique ὁμοφώνως annunciabit Spiritus Sanctus.

3. Cum oraculorum perspicuitate. Novum enim Testamentum in Veteri latet, vetus in Novo patet.

4. Cum Christi claritate: pro gloria namque ejus, adversus satanæ & organorum ejus corruptelas, adserendæ, studio indefesso Spiritus ille Sanctus pugnabit. Papa Romanus contra Christi gloriam, pro Mariæ gloriæ obtinenda acriter dimicat, nulla itaq; in Ecclesia Romano-Catholica fidei consonantia, sed discrepās dissonantia, da gefallen daū citel Roß quintēn. Non immeritò itaq; Amosi 5,23. aufer à me boatū carminū tuorū, & cantica lyræ tuæ non audiā, dicit Dominus exercituū. Concludimus cum Ecclesia Jesu Christi adflictissima orantes: *Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare, quod præcipis: id desiderare, quod promittis. ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda,* „
ubi vera sunt gaudia, per JESUM CHRISTUM, Filium tuum dilectum, Dominum nostrum „
Amen. „

DO-

DOMINICA ROGATIONUM VEL VOCEM JUCUNDITATIS EVANGELIUM

Joh.16. à verſ. 23. ad 31.

Joh.14,13. & 15,7. Matth.7,7. Marc.11,24. Luc.11,9.

23. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν Πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δώσει ὑμῖν.

24. Ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου· αἰτεῖτε, καὶ λήψεσθε, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

25. Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν· ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὐκ ἔτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν, ἀλλὰ παῤῥησίᾳ περὶ τοῦ Πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν.

26. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε· καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα περὶ ὑμῶν.

Joh.17,9.

27. Αὐτὸς γὰρ ὁ Πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε, καὶ πεπιστεύκατε, ὅτι ἐγὼ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον.

28. Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα.

29. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ἴδε, νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς, καὶ παροιμίαν οὐδεμίαν λέγεις.

30. Νῦν οἴδαμεν, ὅτι οἶδας πάντα, καὶ οὐ χρείαν ἔχεις, ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ· ἐν τούτῳ πιστεύομεν, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες.

23. Amen amen dico vobis quacunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Hactenus non petiſtis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum.

25. Hæc per proverbia locutus ſum vobis: veniet tempus, cùm jam non per proverbia loquar vobis, ſed palàm de Patre (meo) annunciabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quòd ego rogaturus ſim Patrem pro vobis:

27. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amâſtis, & credidiſtis, quod à Deo exiverim.

28 Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29. Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce, nunc apertè loqueris, nec proverbium ullum dicis.

30. Nunc ſcimus, quòd ſcis omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget: per hoc credimus, quod à Deo exiſti.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæsentis Evangelii lectio versatur 1. in genere causarum Deliberativo, quoad fidelem Christi ad studium precum cohortationem.

2. In genere etiam Didascalico, quoad iteratam de Spiritûs Sancti missione pollicitationem.

3. In genere demum Demonstrativo, quoad παῤῥησίαν εὐγκωμιαστικὴν, quâ discipuli Christi Magistri sui in docendo perspicuitatem palàm commendant. Partes itaque Evangelii sunt tres:

I. Seria ad orandum cohortatio:
II. Benigna de Spiritûs Sancti missione pollicitatio:
III. Discipulorum ad Magistri consolatoriam declaratio sive responsio.

PARS I.

PRima ergò Evangelii pars est paterna Christi ad preces & invocationem Divini Numinis indesinentem exhortatio; cujus tria potissimùm membra observatu digna:

I. *Splendida exauditionis promissio*, in qua notari debet

Exauditionis promissio.

1. *persona loquens*, ipse Dei Filius, Salvator noster θυμηρέστατος, Jesus Christus; qui postquam de variis Apostolorum adflictionibus, passionibus & persecutionibus, ad nauseam usque concionatus fuerat, commodè jam subjicit exhortationem ad preces & benignam earundem exauditionem promittit, hoc ipso docens, quibus præsidiis armisque sese adversus ingruentia mala munire debeant, seriâ nimirum ac devotâ Dei invocatione; cùm unicum ac tutissimum sit in omnibus ærumnis refugium fidelis oratio, quâ vel crucis ablationem, vel mitigationem, vel consolationem impetrare licet.

2. *Juramentum* geminum, quo promissionem suam, veluti consuetâ sibi adseveratione, confirmet, fidemque simul apud nos sibi conciliet. Etsi enim sola Christi promissio ad fidelium consolationem, bonorumque omnium impetrationem sufficiens esse posset, immò debuisset: Ea tamen est mentis humanæ diffidentia, ut ægerrimè ad credendum induci queat. Plures causas adhibitæ hoc in loco adseverationis juratoriæ, videat & requirat

Lector benevolus part. 3. harm. ChemnitioLyser. D. Gerhard. p. 1217 1218.

3. Subjectum, cui precandi labor incumbat: Exprimit verò illud Salvator pronomine vobis dico, sc. dilectis meis discipulis, & in persona vestra omnibus verè fidelibus.

4. Materia vel res petenda. Loquitur hic Christus universaliter, ὅσα ἂν αἰτήσητε, quæcunque petieritis, h.e. omnia, quæcunque secundum præscriptum & amussim verbi cœlestis, atque ita secundum Dei voluntatem 1. Joh. 5, 14. petieritis, impellente ad preces ritè concipiendas Spiritu Sancto, vero illo rectè orandi Magistro. Zach. 12, 10. Is enim non permittet, ut alia, quàm oportet, aut alio modo, quàm decet & Deo gratum est, petatis. Hæc ergò Salvatoris promissio non simpliciter & in genere de omnibus est accipienda, quæcunque ex rapido quodam & cœco carnis adfectu petimus: sed ad ea solummodò est restringenda, quæ Dei gloriam, Ecclesiæ emolumentum, & nostram denique vel proximi salutem concernunt, sive habeant speciale, sive generale tantùm mandatum, sive ad hanc, sive ad futuram vitam pertineant; sive bona sint privativa, sive positiva. Ita loquitur universaliter etiam alibi Servator. Matt. 18, 19. & 21, 22. Marc. 11, 24. 1. Joh. 3, 22. & 5, 15. Quod autem hæc universalitas non sit simpliciter absoluta, sed certi generis, hoc patet *tùm* ex adjecta Christi determinatione, in nomine meo; *tum* ex Johannæa declaratione; 1. Joh. 5, 14. *tùm* ex multorum exemplorum inductione; *tùm* ex fidei collatione, cui omnia dicuntur possibilia, Marc. 9, 23. Oratio enim, secundum Damasc. lib. 3. c. 24. orth. fid. est τ̃ προσηκόντων, decentium à Deo rerum petitio. Ergò quæcunque sunt ἄθεα καὶ ἄχρηστα, h. e. voluntati divinæ & nomini Christi adversa, illa non sunt ad τ̃ αἰτητῶν vel rerum petendarum classem referenda: e.g. quæ non sunt directa ad Dei gloriam, & nostram vel proximi salutem; quæ verbo Dei non sunt conformia; quæ non faciunt ad pietatem & honestatem; 1. Timot. 2, 2. Tit. 1, 1. quæ non congruunt vocationi nostræ. 1. Cor. 7, 17. 20. 24. 1. Pet. 4, 15. Galat. 5, 24.

Patris nomen non excludit Filium & S.S.

5. Precationis objectum est Pater cœlestis, quod nomen non excludit Filium, nec Spiritum Sanctum, sed includit potiùs. Si enim ad paternam providentiam referas vocabulum Patris, etiam Filius & Spiritus Sanctus Pater noster verè dicitur. Sed & sacræ literæ utrique personæ cultum religiosæ adorationis ἀδιαφόρως adscribunt. Johan. 5, 23. Ps. 97, 7. Hebr. 1, 6. Matth. 15, 22. Apoc. 5, 8. 9.

Es.

Esa.6,3, Act.28,25. Nomen Patris, inquit D.Gerh. p. 1223. harm.eodem modo hic accipitur,quo in formula orationis Dominicæ: Pater noster qui es in cœlis,videl.non ὑποστατικῶς, pro prima tantùm Trinitatis persona,sed οὐσιωδῶς,pro omnibus tribus Deitatis personis,Patre,Filio & Spiritu Sancto: quia ut in operibus ad extra, ita quoque in cultu divino una persona non est separanda ab alia.

6. *Orationis actus*, verbo petendi expressus; αἰτεῖν enim est humiliter aliquid petere, & cupidè idipsum desiderare,sicut mendici eleemosynam petere solent. Act.3,2. & 12,20. Matth.7,9. Admonet nos hæc vocula. αἰτεῖν.

1. necessitatis & indigentiæ;
2. devotionis & attentionis; Psal.10,16. & 38,10.
3. humilitatis; Gen.18,27.
4. filialis fiduciæ; Matth.7,9.
5. perseverantiæ & instantiæ.Luc.11,9. & 18,1. Ita petere est cum desiderio & adfectu, corde potius quàm ore postulare.

7. *Forma* vel modus precandi in eo consistit,quòd fieri debeat precatio in nomine Christi. Nomen Christi significat h.l. agnitionem Christi, meritum ejus, in officio Mediatoris & Intercessoris. Est ergò petere in nomine Christi,non tantùm mandato, sed etiam fiduciâ potentiæ ac meriti Christi orare, ut propter hunc Mediatorem & propter ipsius meritum exaudiamur. Alii ajunt,Christum particulam hanc, ceu formale orationis, opponere corporali suæ præsentiæ,quæ posthac desitura sit. Vide D. Calixt. Concord.p. 464. D. Gerhardus verò part.3. harm. pag.468. vocat *vera orationis proprietatem*; quòd debeat fieri in Christi nomine, i.e. per Christum,propter Christum,interventu Christi Mediatoris, ex vera in Christum fide. Multa ergò complectitur hæc phrasis. Nam in Christi nomine petere, est

Nomen Christi.

Petere in nomine Christi.

1. expendere Christi mandatum de Deo invocando,eodemq; in precibus suis inniti. Ps.27,8. Exod.5,23. Deut.18,20.

2. Fiduciâ meritorum & intercessionis Christi petere,ac firmiter statuere,quòd Deus propter Christum nobis sit propitius,& propter ipsum solum preces exaudiat.

3. Petere ea,quæ ad Dei gloriam pertinent. Matth.18,20.

4. Petere ea,quæ ad promovendum regnum Christi faciunt.

5. Petere ea,quæ ad salutem nostram spectant. Et hæc totidem verbis repetit pag.1224.1225. Inter hæc verò orationis Christianæ requisita principale est secundum, quia fiducia in Christum Me-

diatorem & ipsius meritum est q. anima invocationis: & probatur hæc interpretatio, partim ex Christi officio; 1.Tim.2, 4. Rom.3,25. partim ex nostro statu, qui patrono opus habet; partim ex phraseos hujus significatu; Psal.20,8. & 33,21. partim ex sanctorum exemplo. Dan. 9, 17. Involvit etiam hoc nomen Dei misericordiam, veritatem, quin ipsum Messiam, uti d. l. demonstratur uberiùs p.1126.

8. *Effectus* vel fructus orationis, in certissima ejus exauditione est positus. Joh.14, 13.14. de se dixerat Salvator, ego faciam: hoc verò in loco ad Patrem refert, unde utriusque & Patris & Filii ὁμοουσία invictè demonstratur. Hoc unum.

II. Secundum membrum est, *oscitantiæ & negligentiæ in precibus exprobratio*; verbis: *Hactenus non petiistis quicquam in nomine meo.* Cujus pronunciati sensus haudquaquam est, quòd Apostoli hucusque vel planè non orârint, vel verum precandi modum penitùs ignorârint, quem à Servatore ipsos jampridem didicisse Evangelica testatur historia. Matth.6,9. Luc. 11,1. Sed respicit Servator modum illum orandi priscum, in V.T. usitatum, eumque alium ac diversum fuisse innuit ab eo, qui in N. T. jam sit observandus. In V. enim T. Deus in Nomine Christi non explicitè invocabatur; sed sub umbris, sub integumentis, sub typo & conversione ad propitiatorium: Verùm postquam in crucem jam evectus esset Servator, typi & umbræ istæ desierunt; & potest jam Deus invocari explicitè, sine ullis typis in Christi nomine. Hanc sententiam, quæ est D.Hunnii & aliorum, non per omnia probat D.Gerh. pag.1131. D. Lucas Osiander ita παραφράζων exponit: *Hactenus, etsi orâstis, tamen non cum illa clara cognitione officii mei cælestis, ut intelligeretis, vestras preces propter me Mediatorem exauditas iri. Itaq; posthac multò majori fiduciâ Patrem cœlestem invocabitis, scientes, eum propter me Unigenitum & dilectissimum Filium (qui vos orare jubeo) nihil vobis denegaturum.*

Alii ad absentiam suam (futuram nimirùm) Dominum his verbis respexisse adseverant, & jubere, ut postquam ipse discesserit, (visibilem suam conversationem ipsis subtrahendo) à Patre, in suo, licèt absentis, nomine, quod hactenus factum non fuerit, neque fieri debuerit, petant, quorumcunque usus fuerit. Experturos eos, longè majora Patrem isthoc modo rogantibus daturum esse dona, quàm hactenus præsente Domino & Magistro suo accepissent.

D.

D. Gerhardus itaque recensitis aliorum expositionibus, tandem ita ἀπηχεῖται: *Omnium simplicissima ac convenientissima est Lutheri responsio*, Tom. 7. Jen. Germ. f. 207. *per nomen Christi intelligendum esse omne illud, quod Christus in officio suo Mediatorio pro nobis praestitit, quoq; Patris caelestis favorem & precum exauditionem nobis promeruit; ad quae cumprimis pertinent Christi passio, mors, sepultura, resurrectio &c. quae tunc temporis nondum erant peracta, sed propediem peragenda.* Sensus igitur est: Nondum persolvi redemtionis precium; nondum passione & morte meâ genus hnmanum Deo reconciliavi; nondum ingressus sum in coelum; necdum ad dexteram Dei consedi, ut interpellem pro vobis: sed in proximo est, ut haec omnia, quae ad Mediatoris & Redemtoris officium pertinent, à me peragantur: illis peractis, & per publicum Evangelii praeconium toti mundo annunciatis, in meo nomine orabitis, eritis in agnitione & fide meae passionis, mortis ac resurrectionis confirmati; certò statuetis, me omnia, ad redemtionis opus necessaria plenè peregisse, ac vos Deo reconciliâsse, ut preces in nomine meo factae ipsi sint gratae, & ab ipso exaudiantur.

III. Tertium primae partis membrum est *seria ad preces fundendas exsuscitatio;* cujus propositio exhortatoria unico absolvitur verbo: *petite.* Ratio desumitur

1. *à mandato* Christi jubentis in nomine suo orare;

2. *à fructu* vel effectu utili orationis piae ac devotae gemino.

1. Unus est *certae impetrationis*; accipietis, h. e. non erit vanus hic orandi labor: q. d. hactenus, quia praesentem me habuistis, experti non estis, quantae virtutis sit, Patrem in nomine meo precari; sed posthac experiemini, accipientes ea, quae petetis. Verbum λαμ- λαμβάνειν, quod D. Gerh. pag. 1238. monet, indicat quatuor haec:

1. Deum semper ad dandum esse promtum, nos ad accipiendum non semper capaces.
2. Nos semper accipere quod petimus, si non illud ipsum quod petimus, tamen utilius.
3. Nihil esse causae, quò minùs omnia D i dona in nos deriventur.
4. Deum piis precibus invocatum, interdum plura ac majora dare, quàm homo petit.

2. Alter fructus sive effectus est *perfectae exultationis*; verbis: *ut gaudium vestrum* (in me) *sit perfectum*, h. e. ut solidè gaudere possitis, videntes vos à Patre impetrare, quaecunque rogabitis. De

gaudii hujus perfectione varias recenset D. Gerh. p.1238.1239.1240. sententias, tandem ita concludit: Adjicit ergò Christus hoc membrum, ut utilitatem & fructum exprimat, quem ex eo sint consecuturi, quòd Pater ipsos, in nomine suo petentes, sit exauditurus, ut sit sensus: petite; quando enim in nomine meo Patrem cœlestem petieritis, non solùm accipietis, quæcunque petitis; sed etiam gaudium cordis, quod paulò antè vobis promisi, ex eo plurimùm augebitur ac perficietur. Impletum fuit hoc gaudium,

Gaudium Apostolorum impletum.

1. in Christi resurrectione; Joh.20,20.
2. in votorum ac desideriorum expletione;
3. in precum exauditione; Ps.56,10.
4 in amoris ac benevolentiæ divinæ agnitione;
5. in bonorum spiritualium perfruitione; cujusmodi sunt, gratia Dei, remissio peccatorum, donatio Spiritus Sancti, salutaris Christi mysteriorumque divinorum cognitio, lumen in intellectu, pax conscientiæ, πρόγευσις vitæ æternæ:
6. in vitæ æternæ plenaria participatione. Gaudium enim Apostolorum & piorum reliquorum, quod in hac vita est inchoatum, in futura vita erit consummatum.

Poïsmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Oratio vel invocatio.

I. Principalis doctrina est locus de oratione sive invocatione, de qua consulantur loci Theologici & libelli Methodici D. Theodoricus præ ceteris prolixè hanc materiam elaboravit, per certas incedens quæstiones: ostendit enim ille

1. quod sit orandum; pag. 196.
2. quis sit orandus sive invocandus; pag. 201.
3. quomodo sit orandum pag.210.
4. quid sit orandum; pag.216.
5. pro quibus orandum; pag. 222.
6. ubi, sive quo in loco orandum; pag.229.
7. quando, sive quo tempore orandum; pag. 234.
8. quibus gestibus orandum; pag.240.
9. quâ lingvâ orandum; pag.247.
10. quæ vis, efficacia & fructus orationis. pag. 251.

II. Omnes homines ope divinâ indigent: omnibus itaque orandum.

III.

III. Quando Christus Patrem jubet invocare, vocabulum Patris non ὑποστατικῶς, sed οὐσιωδῶς est accipiendum. Primo enim respectu soli primæ personæ Divinitatis vox Patris competit ἀκοινωνήτως incommunicabiliter: secundo respectu omnibus tribus personis ex æquo competit. Noteturregula, quam tradit D.Gerhard. Tom.1. L.C. pag.390. Quando Divinitas intra se describitur, nomen Patris sumitur ὑποστατικῶς; quando verò fit collatio Divinitatis ad creaturas, nomen Patris sumitur οὐσιωδῶς, & complectitur singulas tres personas. Confer D.Chemn. part.1. L.C.p.103. in 8.

Patris vox οὐσιωδῶς & ὑποστατικῶς.

IV. Promissio exauditionis ad eos, qui non sunt in statu gratiæ, sed in peccatis contra conscientiam, cum impœnitentia conjunctis hærent, non pertinet. Joh.16,27. Qui ergò volunt exaudiri, voluntariis peccatis renuncient. Joh.9,31.

Exauditio quos spectet

V. Promissio exauditionis valet etiam de illis precibus, quæ pro aliis fiunt. 1.Joh.15,16. Si non semper supplicationes istæ exaudiuntur, illud provenit ex promissionis angustia, vel orationis inefficacia, sed vitio & culpa eorum, pro quibus funduntur preces; ipsis autem piorum precibus nihil decedit, tùm quia conditionaliter petunt, quatenus divina justitia illud permittat, & saluti eorum, pro quibus oratur nihil decedat; tùm quia piis non perit orationis fructus. Matth.10,13.

VI. Sub rerum petendarum complexu semper intelligenda sunt, utilia, necessaria, honesta, cum divina voluntate promissionibusq; factis convenientia. Ergò orans preces suas probè intelligat & exploret necessum fuerit. Joh. 4,22. & 9,31. Prov.15,8. Ps.18, 42. & 66,18. Esa.1,15.

Res petendæ.

VII. Temporalia etiam bona referuntur ad τὰ αἰτητά; promissio enim est universalis; sed petenda cum conditione, gloriæ Dei & salutis nostræ: de æternis autem ac spiritualibus maximè simus soliciti. 2.Cor.4,17. Omnia autem petenda oratione Dominicâ continentur. Matth 6,9. Luc.11,2.

Temporalia ut petenda.

IIX. Invocandus est solus verus Deus, qui est Pater cœlestis, in unitate Filii & Spiritûs Sancti. Deut.6,13. Es.45,23. Ps.50,15. & 91,15 Matth.4,10. & 11,27. Joh.4,22. & 5,23.

IX. Excluduntur ab invocatione omnes dii fictitii & factitii, omnes item creaturæ: Ps.96,5. Rom.1,25. Nullatenus autem humana Christi naturam, in unitatem personæ τοῦ Λόγου adsumta, & ad dextram Dei collocata.

X.

Deus est Pater.

X. Patris nomen est calcar orationis. Ephes. 3,15. Pater est Deus ratione creationis, dilectionis, sustentationis, adoptionis, defensionis.

XI. Solius Christi fiducia est orandum. Nobis enim nostrisque precibus nullus ad Deum Patrem patet aditus, nisi per Mediatorem & Intercessorem, à Deo ipso constitutum. 1. Timoth.2,5. Matt.20,28. Joh.2,1. & 14,6. Eph.3,12. Hebr.5,7. & 7,25. & 9,24. & 11,6. Rom.3,25. & 8,15.

Orandum Christi fiducia.

XII. In precibus ergò non meritis nostris nitamur: exaudimur enim propter maximè verò per Christum, qui in exauditione concurrit, non tantùm ratione meriti, sed etiam efficaciæ.

Non orandum pro mortuis & per alios Mediatores

XIII. Patet inde (1) pro mortuis non esse orandum; quia hac ratione illicita & impossibilia rogantur; quandoquidem peccata in hoc tantùm, non futuro seculo remittuntur. 2. Cor.6,2. Psal. 95,8. Eccl.11,3. Luc.16,26. (2) Non rectè orare, qui vel alios Christo adjungunt Mediatores; vel suis, non Christi meritis innituntur. Ps.16,4. Luc.18,11. Eph.2,9.

Sancti non invocandi.

XIV. Sancti non sunt invocandi; nec in Sanctorum, sed Christi nomine Deus invocandus. Hic enim est cultus primæ tabulæ, soli Deo competens. Ps.50,14. Act.10,27. & 14,15. Rectè ergò Epiphanius lib.3. serm.2. cap.29. *Sit in honore Maria: Pater, Filius & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret.* Multò minus statuæ & imagines adorandæ. Levit.25,1. Deut.5,9.

XV. In illius nomine petere debemus, & exaudiri possumus, qui perfectam pro peccatis nostris satisfactionem præstando Patri cœlesti nos reconciliavit, & ad dextram Patris pro nobis intercedit, quæ dignitas & ἐξοχὴ soli Christo competit, quem honorem nulli sanctorum vult communicare. Es.42,43. Actor. 4,12.

XVI. Orandum cum fidei πληροφορία, & spe exauditionis indubia. Hebr.11,6. Rom.14,24. 1. Joh.3,21. 2. Tim.2,29. Ps.145,18. Matth.21,22.

Oratio vera

XVII. Vera Christianorum oratio veram præsupponit χριστογνωσίαν: qui enim Christum non noverunt, non possunt preces Deo gratas fundere.

XIIX. Orandum quoque est sine dubitatione, in cordis humilitate, & conscientiæ puritate Jac.1,6. 1. Joh.5,10. Dan.9,3. Psal. 51,19. 1. Tim.2,8. Esa.1,15. 1. Cor.14,15. Animo item sobrio: 1. Pet.4,11. & reconciliato. Matth.5,23.

XIX.

XIX. Major est Christi cognitio in N. quàm in V.T. Rom. 13,11. Luc.10,23. Es.30,26. & 60,1. Col.2,17. Hebr. 10,1.

XX. Promissio exauditionis, quippe à Christo profecta, Joh.14,6. & juramento confirmata, est certissima & infallibilis, decem innixa fulcris planè immotis, hujusmodi sunt,

Exauditionis fundamenta.

1. cor Dei paternum ; Matth. 6,9.
2. os Dei veracissimum ; Psal. 50,15. Esa.65,24. Matth.7,7.
3. manus Dei omnipotens ;
4. Christi meritum sufficientissimum ;
5. juramentum ejus sanctissimum ;
6. Sacerdotale Christi officium ; Rom.8,34.1. Joh.2,2.
7. Gratiosa Spiritûs Sancti inhabitatio ; 1.Cor 3,16. & 6,19. Joh. 14,23.
8. Spiritûs Sancti operatio ; Zach.12,10. Gal.4,6.
9. Spiritûs Sancti interpellatio ; Rom.8,26.
10. Spiritûs Sancti testificatio. Rom.8,16.

XXI. Etsi exauditio non semper adparet, quandoque etiam differtur, quin secundum carnem denegata videtur; fructus tamen orationis nunquam perit.

XXII. Christi mandatum & ad precandum exhortatio monet,

Orationis mandatum

1. *de naturæ nostræ corruptione ;*
2. *de necessitatis & indigentiæ nostræ exaggeratione ;*
3. *de exauditionis confirmatione ;* Psal.27,8.
4. *de necessaria rerum petendarum enumeratione ;*
5. *de orationis nostræ dignatione.* D.Gerh. p.1236.

XXIII. Nihil autem ex hac Christi ad precandum cohortatione patrocinii accedit ad Pontificios, frequentes suas ψαλμῳδίας, & inanes precum βαττολογίας inde stabilire præsumentes. Joh. 4,22. Matth. 6,7. Amos 5,22.

Papistarum præces.

XXIV. A Deo petenda sunt ea, quæ saluti nostræ sunt proficua & necessaria ; remissio peccatorum, æterna animæ salus, regni Dei propagatio, & similia, ex quibus verum cordis gaudium exsistit. Matth.6,33. & 21,22.

Petenda.

XXV. Precatio fidelium non abit in ventos, sed certam habet exauditionem. Psal.6,10. & 10,7. & 22,25. & 34,5.18. & 81,8. & 102,19. & 120,2. & 145,18. Prov. 10,24. & 15,29. & 18,10. Esa.30,19. & 65,24. Jer.29,13. Joël.2,32. Sir.35,17.21. Matth.7,7. Luc.18,7.

XXVI. Monemur de precum necessitate, quæ veternum nobis excutiat meritò. Rom.8,15.16.26.27. Joh.14,13.

Precum necessitas.

Ddddd XXVII.

Oratio vera XXVII. Oratio vera & Deo grata non opus solummodò estbonum, sed omnium etiam bonorum operum, & virtutum Christianarum fundamentum; includens fidem, spem, caritatem, obedientiam, patientiam, perseverantiam, humilitatem, justitiam, temperantiam, prudentiam, sui cognitionem, Dei agnitionem & gratitudinem.

XXIIX. Verum & solidum cordis gaudium, ex precibus, in fide nominis Christi factis, proficiscitur. Luc. 10, 21. Act. 4, 31.

PARS II.

Secundâ parte promittit Christus discipulis clariorem & uberiorem rerum divinarum intellectum. Quatuor autem ea complectitur membra:

I. *Ruditatis discipulorum correptionem*; verbis: *Hæc in proverbiis locutus sum vobis.* Pronomen ταῦτα respicit ad ea, quæ in tota hac concione valedictoria, de suo ad Patrem abitu, h.e. de sua passione, morte, resurrectione & adscensione, nec non de discipulorum cruce & persecutionibus, abitum illum suum in mundo secuturis, hactenus proposuerat; & ita sumitur etiam alibi, ut Joh. 14, 25. & 15, 11. & 16, 1. 4. 6. 33. & 18, 1.

παροιμία Nomen παροιμίας apud reliquos Evangelistas non habetur, idem quod παραβολή: non autem denotat h.l. similitudinem, sed sermonem de rebus magnis & arduis, aliquantò obscuriorem & intellectû difficiliorem. Obscuritatem puta, quantum ad Apostolos, qui maximè perspicuè etiam dicta, pro mentis suæ caligine, falsaque cordis persvasione, non magis intelligebant, quàm si meras parabolas locutus fuisset Christus. Verba itaque hæc non referenda sunt ad præsentem de exauditione precum concionem ac promissionem; sed ad præcedentem, de Christi ad Patrem abitu, futurisque discipulorum calamitatibus dissertationem; quæ sanè parabolica & parabolis haud absimilis videbatur discipulis; non quod ipsa Domini verba tantâ laborarent obscuritate, sed quòd discipuli, privatis præoccupati, de externo CHRISTI regno, speculationibus, intelligere non possent, quæ vel de passione sua, vel venturis adflictionibus Servator prædixerat. Rectè ergò B. Lutherus exposuit vocem παροιμίας de adagio vel proverbio; obscuritatem aliquam involvente, quia

I. Hæc

1. hæc eſt propria vocis iſtius ſignificatio, etiam apud profanos auctores:

2. congruit cum etymologia; dicitur enim παροιμία, vel à παρὰ & οἶμος, via, q.d. juxta viam, quòd ſit λόγος πάροδος, ut Baſilius vocat, dictum θρυλλούμενον, in compitis viarum, per ora hominum obambulans: vel ab οἴμει, quod verbum notat, ut παροιμία idem ſit quod proverbium.

3. Concordat cum ſcopo Chriſti, qui diſcipulis quodammodo exprobrat, quòd omnia ejus dicta ipſis viſa fuerint obſcura proverbia & mera ænigmata: idq; confirmatur
1. propriâ Apoſtolorum confeſſione;
2. ſubjunctâ oppoſitione;
3. aliorum locorum collatione. Ezech. 17, 2. & 20, 49. Sir. 39, 3. Matth. 15, 15 Joh. 10, 6.

II. Tacitam Spiritus Sancti promiſſionem; verbis: *Veniet tempus*, ſc. poſt reſurrectionem & adſcenſionem meam ad cœlos *quando* miſſo Spiritu Sancto *non ampliùs vobiscum loquar in proverbiis;* ſed per eundem Spiritum palàm vobis annunciabo ea, quæ jam ſubobſcura vobis videntur. Is demum, tanquam Spiritus gratiæ & precum, vos docturus eſt, quomodo in nomine meo Patrem invocare debeatis; adeò ut non ſemper neceſſe ſit, vos ad orandum inſtigare. Ceterùm quod Spiritus Sanctus facturus erat, illud Servator ſibi adſignat; oſtendens ab ipſo mittendum, & in ipſius nomine venturum Spiritum ſanctum. Atque ita promittit dicipulis clariorem intelligentiæ lucem, brevi ſubſecuturam. Quanquam verò non negemus, ultimum & perfectiſſimum hujus promiſſionis complementum in vita demum æterna ſecuturum; tamen reſpectu Apoſtolorum, ad quos hæc promiſſio propriè & primariò pertinet, impleri cœpit, tùm in adparitione Chriſti poſt reſurrectionem; tùm in viſibili Spiritûs Sancti effuſione; in reliquis verò credentibus impletur per prædicationem Evangelii, cujus beneficio, mediante Spiritûs Sancti illuminatione, lux θεογνωσίας ſalutaris in mentibus eorum accenditur.

Παῤῥησία eſt libertas loquendi, quâ omnia dicuntur, etiam ea, quæ tacenda videri poſſint; dicta q. παντρησία; & quia is, qui liberè loquitur, apertè & palàm loquitur, neque quicquam in ſuis ſermonibus occultat, inde παῤῥησίᾳ λαλεῖν, eſt apertè, perſpicuè & palàm loqui. Marc. 8, 32. Joh. 7, 13. 26. & 0, 24. & 11, 14. Eodem

Παῤῥησία.

ἀναγγέλλειν. etiam spectat verbum ἀναγγέλλειν, quod est liberè, publicè & palàm annunciare. Marc.5,14.19. Joh.5,15. Act.15,17. Annunciationis istius indicatur objectum geminum, reale & personale. Reale est Pater cœlestis, respiciens hoc ipso ad prædictionem de suo ad Patrem abitu; ut sit annunciabo de Patre meo, i. e. de essentia & voluntate Patris mei cœlestis, de regno meo spirituali & æterno, quod Pater mihi dedit; de abitu meo ad Patrem, de beneficiis abitu meo partis, de intercessione mea, adeoque omnibus regni cœlestis mysteriis. Personale objectum erant Apostoli, divinarum, ac cœlestium istarum rerum adhuc dum rudes & ignari. D. Gerh. pag. 1256. ita: Quòd dicit, veniet tempus, cùm jam non per proverbia loquar vobis, sed palàm annunciabo vobis de Patre meo, non est tantùm accipiendum de visione intuitiva ac beatifica in vita æterna, quæ fiet à facie ad faciem, 1.Cor.13,12. & per speciem; 2.Cor.5,7 sed etiam de visione fidei, per uberiorem Spiritûs Sancti collustrationem. 2. Cor.3,18.

Patris cœlestis favor. *III. De favore Patris cœlestis erga discipulos contestationem,* verbis: *Non dico vobis, quòd Ego rogaturus sim Patrem pro vobis;* non quòd Christus Mediatoris, Intercessoris atque Advocati officio sese abdicaverit; sed hoc innuere voluit, se deinceps pro discipulis non ita oraturum, quasi aditus ipsis esset interclusus ad Deum Patrem; sed Spiritum Sanctum hoc effecturum, ut ipsi, quippe Patri reconciliati, fiduciâ meriti Christi magnâ animi alacritate accedant ad thronum & conspectum Patris, pias in nomine Christi preces fundentes, immò suas cum Christi precibus preces conjungentes. Pater verò votis istis quàm promtissimè & benignissimè annuet.

Duriuscula quoad literam hæc videntur verba, unde variè à variis Interpretibus sunt exposita. D. Gerhardus in harm. pag. 1259. 1260. 1261. 1262. 1263. 1264. 1265. duodecim in medium prolatis auctorum diversorum sententiis, tandem p. 1266. hanc subjungit ἐπικρίσιν: Genuina & propria interpretatio colligitur ex scopo & contextu. Christus aliquoties discipulis præceperat, ut in nomine suo orarent; Johann.14,13. 14. & 15,16. & 16,23.24. 26. Ne igitur discipuli cogitarent, Patrem ipsis propter peccata iratum, nolle ipsorum preces exaudire, ac proinde Christum eo modo apud Patrem intercessurum, quo pro illis intercedi solet apud Principem, quibus Princeps est extremè infensus, quique nullo apud Principem loco habentur, sed solo alieni nominis & intercessionis intuitu, voti sui apud ipsum compotes red-

redduntur, ideò Christus hanc q. correctionem subjicit: Non dico, quòd rogaturus sim Patrem pro vobis (περὶ sumitur h.l. pro ὑπὲρ, Matth. 26, 28. Marc. 1, 44. Joh. 17, 9.) h.e. non ideò dico, quòd in nomine meo petere debeatis, q. Pater, tanquam severus Judex, nondum reconciliatus, nec favens vobis preces vestras repellat, nullo loco vos habeat, sed solo nominis mei patrocinio tanquam alienos, extraneos & minùs acceptos apud ipsum defendere cogar, ut q. contra suam voluntatem vos exaudiat; sicut Dominus inobedientem servum propter intercessionem filii, aut judex facinorosum, propter intercessionem amici exaudit, quem alioqui à se penitùs repelleret &c.

Additur ratio ab adjuncta Patris benevolentia: Ipse enim Pater amat vos, i.e. non mihi solùm, sed & Patri meo cari & accepti estis. Paravi vobis ad Patrem accessum liberum, ut ipsi ad thronum gratiæ accedere possitis, nec opus sit, ut Patris amorem & benevolentiam semper de novo vobis impetrem, diligit vos suâ spontè, ut non sit opus tali intercessione, quâ ipsum iratum & fulmina minantem priùs conciliem, antequam preces vestras suscipiat. Pater certè nova subinde & auctiora dilectionis suæ erga vos signa edit, unde benè vos sperare undique jubeo.

Amplificatur hæc ratio causâ amoris istius impulsivâ duplici:

1. mutuâ Christi & discipulorum dilectione; &

2. veræ in Christum fidei testificatione. Dixerat Salvator discipulis suis, à Patre ipsos amari: quæritur jam, unde hoc constet, & unde certi esse possint discipuli, se à Deo Patre amari? Resp. ex eo, quòd in Christum, unigenitum Patris cœlestis Filium credant, & ex fide ipsum diligant. Sensus igitur, D. Gerhardo interprete p. 1268. est; non dico, me rogaturum pro vobis Patrem, ut vobis faveat, ipse enim spontè suâ & ultrò vos diligit, quia vos me amâstis, & credidistis, quòd à Deo exiverim; h. e. quia verbo Evangelii fidem habuistis, quòd sim verus & unigenitus Patris cœlestis Filius, ex ipsius essentia ab æterno genitus, quodque per adsumtionem carnis in mundum ab eo missus venerim, ut voluntatem ipsius de salute humani generis annunciem, & pro peccatis totius mundi meipsum in sacrificium offeram: Hanc autem fidem dilectione meî testatam fecistis. Summa ergò fidei istius huc redit, quòd Christus sit æternus & unigenitus ille Dei Filius, qui venit in hunc mundum, h.e. adsumtâ carne à Deo exivit, ad reconciliandum mundum.

IV. Digressionem, ad personæ & officii sui descriptionem, qua testatur,

 1. de

Christi vocatio & exinanitio. 1. *de vocatione & exinanitione sua:* verbis: *exivi à Patre;* h.e. adsumsi humanam naturam, missus è cœlesti gloria; & veni in mundum, Homo factus, propter homines & salutem eorum; & servi formâ adsumtâ, omnes simul infirmitates & miserias, solo peccato excepto, adsumsi; eum solummodò in finem, ut opus redemtionis exsolvere, & genus humanum passione meâ Patri reconciliare possem.

2. *De resurrectione & adscensione sua: Iterum,* inquit, *relinquo mundum*, peractis iis, quæ ad generis humani ἀπολύτρωσιν fieri oportet; *& vado ad Patrem:* non depositurus quidem humanam Naturam, quam in personæ unitatem semel adsumsi; sed, depositis post mortem humanis δυσχερείαις, infirmitatibus & miseriis, ingressurus, etiam ratione humanitatis, in cœlestem gloriam, quam ratione Divinitatis habui, priusquam hic mundus esset. Johann. 17,5.

Hac autem digressione multa comprehendit Salvator:

1. fidem Apostolorum confirmat;
2. proprium & adæquatum fidei objectum ostendit, exitum à Patre, & reditum ad Patrem;
3. fidem Apostolorum augere & ulteriùs provehere cupit;
4. opinioni de regno Messiæ falsò præconceptæ occurrit;
5. ad abitum suum eos denuò deducit.

In specie autem continentur hac παρεκβάσει quatuor membra:

Christi progressus. 1. *Christi progressus*, de quo inquit: *Exivi à Patre;* quæ verba, referente ex Cyrillo D. Gerhardo pag. 1274. & seqq. tres distinctas olim habuerunt expositiones:

1. quidam interpretati sunt de æterna Filii à Patre generatione sive nativitate, cujus sententiæ d. l. decem producuntur rationes;
2. Alii exposuerunt de Filii Dei Incarnatione; cujus sententiæ rationes enumerantur quatuor, pag 1276.
3. Alii denique intellexerunt de missione ejus ad officium redemtionis ac prædicationis; fundamenta hujus sententiæ itidem quatuor vide pag. 1278. Tribus hisce interpretationibus ex Cyrillo adductis, addit
4. eorum expositionem, qui de Christi exinanitione verba ista accipiunt; eamque ex vi oppositionis adducit; quemadmodum mundum relinquere, & ad Patrem abire denotat gloriosam Christi exaltationem: ita à Patre exire, & in mun-

mundum venite, significat humilem Christi exinationem. p. 1279.

2. *Christi ingressus*, de quo ait: veni in mundum. Hæc verba agunt secundum quosdam de incarnatione vel temporali Christi nativitate; secundùm alios, de missione ad opus redemtionis, ratione cujus venit in mundum ut legatus; Joh. 8,42. & 17,8. & Sacerdos: secundum nonnullos de exinanitione. Phil. 2,8. Conciliatio est talis: propriè ac principaliter per τὸ exire à Patre, & venire in mundum hoc intelligitur, (verba refero D. Gerh pag. 1280. 1281.) quòd Filius Dei à Patre suo cœlesti in hunc mundum, ad peragendum opus redemtionis missus, veram Naturam humanam adsumserit, inque ea sese humiliaverit, Patri suo usque ad mortem obediens factus; quam expositionem non solùm oppositio inter exire à Patre, & venire ad Patrem, atque inter venire in mundum, & relinquere mundum, sed etiam locus Apostolicus Phil. 2,6. seqq. evidenter comprobant. Interim non negatur, hunc à Patre exitum, & in mundum adventum, per missionem ad peragendum redemtionis officium, præsupponere exitum à Patre per æternam ex ipsius substantia generationem, tùm quia in divinis persona in tempore non mittitur, nisi ab ea, à qua ab æterno emanat; tùm quia ad arduum illud redemtionis munus divina & infinita virtus, ac proinde etiam vera Messiæ Deitas requiritur.

Christi ingressus.

3. *Christi egressus*, verbis: *iterum relinquo mundum*: ubi particula πάλιν non referenda ad terminum, sed ad viam, hoc sensu: ego hanc viam meo in terras descensu semel absolvi, jam tempus est, ut altera vice eam absolvam, meo nim. è terris in cœlos adscensu. Reliquit autem Christus mundum, non per naturæ semel adsumtæ depositionem; nec per totalem præsentiæ suæ subtractionem; sed

Christi egressus.

1. per adscensionem;
2. per visibilis præsentiæ subtractionem;
3. per formæ servilis depositionem;
4. per legationis renunciationem. Joh. 17,4.

Relinquere mundum, ut dicatur Christus.

4. *Christi regressus*; verbis: *& vado ad Patrem*; quâ phrasi h. l. innuitur, non terminus à quo, nec via per quam, sed terminus ad quem illius abitûs, gloriosa Christi exaltatio, ejusque ad dexteram Patris collocatio. Luc. 24,27.

Christi regressus.

Po-

Porismata & Theoremata Theologica secundæ partis.

Cœcitas humana.

I. Monemur exemplo discipulorum, de congenitâ cordis nostri in rebus divinis cœcitate & stupiditate, 1. Corinth. 2, 14. Luc. 24, 46. Act. 16, 14. D. Theod. p. 253.

ὁδηγία S. S.

II. Docemur iterum de ὁδηγίᾳ Spiritus Sancti, quòd per illum verbum Dei nobis reveletur: quia absque ejusdem illuminatione verba Scripturæ, hominibus maximè carnalibus, meræ sunt parabolæ. Vide Dom. Cantate.

Fides habet sua incrementa.

III. Quemadmodum discipulorum olim cognitio suos habuit gradûs & profectûs: Ita piorum hodieque fides sua habet incrementa, quibus per verbi auscultationem & meditationem sedulam subinde aliquid accedit. 1. Cor. 3, 18. Ps. 92, 13. Zach. 6, 12. Act. 12, 21. & 19, 20. 2. Cor. 10, 15. Col. 1, 10. 2. Thess. 1, 3.

IV. Perfecta mysteriorum divinorum cognitio est futuræ vitæ.

Scopus doctrinæ Christi.

V. Scopus doctrinæ Christi unicus est, de Patre nobis annunciare, h. e. revelare Patrem. Matth. 11, 26. Joh. 14. 6. & 17, 3.

Papistæ obscuritatis Scripturam insimulant.

VI. Sophistas & agyrtas agunt Jesuitidæ, ex hoc Christi pronunciato: in proverbiis locutus sum vobis: ad absolutam Scripturæ sacræ obscuritatem concludentes. Proverbia enim erant sermones Christi discipulis, non per se, sed per accidens, propter præconceptas nimirùm de regno Messiæ opiniones carnales. Ab eo autem quod est per se, ad id quod per accidens accedit, nulla militat consequentiæ ratio. Psal. 19, 9. & 119, 105. Prov. 6, 23. 2. Pet. 1, 19. Deut. 30, 11.

Homo fugit Deum.

VII. Homo post lapsum fugit Deum, præsertim conscientiâ evigilante, & lege Mosaicâ peccatum arguente, ut de amore ipsius incertus diffidat: sed ex Evangelio discimus, obedientiâ & satisfactione Christi perfectissimâ Patrem cœlestem nobis placatum, nobisque reconciliatum esse, ut cum fiducia ad thronum gratiæ accedere queamus, non deterriti à precibus, vel peccati gravitate, vel propriâ indignitate. Heb. 4. 17. nullâ indigentes sanctorum intercessione.

Christi intercessio continua.

IIX. Non cessat enim hodieque Christus apud Patrem cœlestem pro nobis intercedere; non quòd in statu gloriæ supplex in genua prolabatur, sed perpetuâ meriti sui virtute & efficaciâ. Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 1. 2. Joh. 17, 9. Hebr. 5, 1. & 7, 24. D. Theod. p. 253.

IX.

IX. Amor Dei est duplex; (1) generalis, quo totum mundum complectitur; Joh.3,16. 1. Tim.2,4. (2) & specialis, quo credentes in Christum singulariter prosequitur, & h.l. exprimitur verbo φιλεῖν, quod amorem notat ardentissimum, qualis solet esse matris erga sobolem. Esa.49,15.

Amor Dei duplex.

φιλεῖν.

X. Dilectio nostra, multis quippe modis imperfecta, falsò adsignatur pro causa amoris Dei erga nos, ac si tantæ esset apud Deum & dignitatis & meriti, ut propter eam vicissim à Deo diligamur, uti Romanenses argutantur: sed argumentum tantùm sumitur ab effectu. Particula enim ὅτι, quòd vel quia non usurpatur h.l. αἰτιολογικῶς, ut denotet causam, quasi amor Apostolorum erga Christum fuerit causa meritoria divini amoris; sed σημαντικῶς, symbolicè & significativè, quòd amor iste fuerit indicium, signum, argumentum & symbolum divini amoris, & adoptionis veræ in Dei filios, quemadmodum fumus est signum ignis; vel quod idem est, συλλογιστικῶς ratiocinativè, ut non causa rei, sed præcedentis adsertionis probatio significetur. Et novimus aliàs, omnem operum dignitatem Scripturam in negotio salutis & justificationis penitùs excludere. 1. Joh.4,10. Luc.7,5.47. Vide locum de Justificatione.

Dilectio nostra non est causa divinæ.

XI. Evertitur potiùs κατὰ τὸ βίαιον his verbis omnis proprii meriti opinio & gloriatio, cùm nihil in nobis sit, propter quod à Deo diligi & exaudiri mereamur.

XII. Pater cœlestis omnes amat, & preces eorum exaudit, qui in Christum credunt, eumque verè diligunt: est enim fundamentum divini amoris. Matth.3,17. Eph.1,6. via autem ad amorem Dei certissima est fides. Joh.14,6.

Fideles Deus amat.

XIII. Ab amore itaque Dei excluduntur omnes, quotquot in Christum non credunt, nec eum verè diligunt. 1. Cor.16,22.

XIV. Fides etiam infirma, & dilectio Christi inchoata Deo placet in credentibus. Esa.42,3.

XV. Vera fides cum dilectione Dei & proximi nexu indivulso est, & debet esse conjuncta. Ps.34,8. Hebr.6,4. 1. Pet.2,3.

XVI. Proprium & adæquatum fidei justificantis objectum est Christus θεάνθρωπος, in Mediatorio suo officio consideratus.

Fidei objectum.

XVII. Abusi sunt olim Ariani, hodieque abutuntur verbis Christi, à Patre sese exivisse adserentis; colligentes inde, Patri Filium non esse ὁμοούσιον, non attendentes, exitum hunc, de quo h.l. differitur, nullam essentiæ vel divisionem, vel inæqualitatem, sed Filii saltem in carne manifestationem innuere. 1. Tim.3,16.

Ariani.

XIIX. Christus est verus Dei Filius, à Patre in hunc mundum missus, ut in adsumta carne sese humiliando, pro peccatis humani generis satisfaceret, & peracto redemtionis officio in gloriam suam intraret.

Christi præsentia nō sublata.

XIX. Christus licèt quoad visibilem præsentiam, & conversationem inter homines externam, mundum reliquerit, nullo tamen modo inde sequitur, quòd planè nobiscum corpore suo esse desierit. A visibilis enim præsentiæ negatione, ad generis universi h.e. omnimodæ præsentiæ negationem, ἀλόγως καὶ ἀσυλλογίστως proceditur. Vide plura Domin. Cantate: & apud D. Theod. p.254. & D. Gerh. harm. part.3. p.1283.

Ecclesiæ Christus est præsens.

XX. Non itaque deponens miserias & infirmitates, & in plenam Majestatis communicatæ χρῆσιν sive usurpationem ingrediens Christus, Ecclesiam suam, in terris adhuc commorantem ac militantem, deseruit; sed eidem præstò sese futurum usque ad consummationem seculi sanctè est pollicitus. Matt.28,20. Jos.1,3. Hebr. 13,5. Atque hujus unius præsidiô, contra tot tantasque satanæ μυριοτέχνου insidias, immò contra ipsas inferorum portas, hodieq; aliqua perstat Ecclesia. Matth.16,18. Ps.46,1. seqq.

Viæ Christi triplex.

XXI. Christus tres quasi vias in salutem humani generis suscepit; prima fuit via caritatis, è cœlo in terram; secunda via obedientiæ, usque ad crucem; tertia via gloriæ. D. Gerh. p.1285.

XXII. Demus operam, ut & nos per viam caritatis & obedientiæ incedamus; ita fiet, ut tandem per viam gloriæ ad Patrem cœlestem transeamus.

Transivêre patres, simul (semel) hinc transibimus omnes;
In cœlo patriam, qui benè transit, habet.

PARS III.

Tertiâ parte habetur discipulorum responsio, continens

1. Perspicuitatis commendationem. Conantur nimirùm Apostoli à sese amoliri omnem ruditatis suspicionem, cujus antehac aliquoties fuerant, neque sine causa, insimulati. Nolunt ergò videri adeò indociles, qui non intelligant ea, quæ de abitu suo concionatus fuerat Dominus. Ecce, inquiunt illi, nunc apertè loqueris, nihil obscuritatis in sermonibus tuis habens, & proverbium nullum dicis: q.d. promisisti quidem, venturum tempus, quo sine proverbiis de te & Patre tuo nobis sis locuturus: at nunc hoc ipsum præstas; non sunt nobis tua dicta ænigmata, quæ intelligere vel adsequi

qui non valeamus. Clariùs utique loqui non posses, te Filium Dei esse, quàm nostras in corde latitantes cogitationes, quod modò fecisti cognoscendo, & in apricum eas protrahendo. Novo itaque Præceptore opus non habemus.

2, Fidei concepta testificationem; verbis: Nunc scimus, h.e. firmiter credimus; quid verò?

1. Te esse Deum omniscium, & arcanas etiam cordium humanorum cogitationes habere cognitum. Non itaque opus est tibi, ut ex sermone aut interrogationibus hominis animum perdiscas & explores.

2. Te esse ipsissimum Dei Filium & mundi Salvatorem. Credimus te à Deo exivisse, non tantùm secundum divinam Naturam, ex substantia Patris ab æterno genitum; sed in temporis plenitudine ad id in carne adsumta missum, ut salutem humani generis procurares. Atque ita Apostoli animum demissum iterum erigunt, & ex consternatione quodammodo sese recolligunt, idque profectum putant Interpretes

1. *ex amplissima Christi*, de lætitia mœrorem subsecutura & precum efficacia, *pollicitatione:*
2. *ex dulcissima Christi, de amore & favore cœlestis Patris, adsecuratione:*
3. *ex fidei & dilectionis Apostolicæ commendatione:*
4. *ex amoris reciproci contestatione.* Factum est inde, ut responsione sua profiterentur:
   1. σύνεσιν, perspicuam sermonum Christi *intellectionem*;
   2. γνῶσιν, *omniscientiæ in Christo agnitionem*;
   3. πίστιν, *fidei confirmationem.* Vide D. Gerh. harm. p. 1286. & seqq.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Testimonium perhibent discipuli hac suâ responsione, cordis humani temeritati, cujus ea est natura, ut sibi pulcrè sapere videatur, ac propterea nolit videri id, quod tamen est, h.e. non vult inscitiæ, ruditatis ac stoliditatis in rebus divinis argui Philipp. 2, 12. 1. Cor. 10, 12. Matth. 2, 22. Luc. 22, 33. Joh. 3, 37. Confer D. Theod. p. 225. **Cordis humani temeritas.**

II. Sed & magna simul in Apostolis sese prodit infirmitas, dum **Apostolorum infirmitas.**
1. Magistro suo in os contradicunt;
2. in sui cognitionem non descendunt;

3. se imperitos haberi & dolent & ægrè ferunt;
4. laude propriâ gaudent;
5. plus æquo in spiritualibus sibi arrogant.
6. de sua in rebus fidei sapientia plus quàm par est præsumunt.

Majestas Christi.

III. Testimonium insuper habemus majestatis carni Christi communicatæ; quia omnium rerum scientia, (ἰδίωμα hoc est soli Deo proprium, carni verò Christi per unionem personalem, & han subsecutam κοινωνίαν communicatum) ipsi tribuitur. Col. 2, 3, 9. Luc. 2, 40. Joh. 2, 25. Matth. 9, 4.

Christus Deus.

IV. Sed & ipsa Christi Divinitas itidem duplici argumentorum genere h. l. firmissimè stabilitur, quorum unum ex dicta profluit omniscientia; alterum ab ipsius à Patre exitu desumitur, tali nimirùm, qui non tantùm de missione in tempore facta sit intelligendus, sed qui missionem seculis infinitis antevertit, de quo Mich. 5, 2. Neque enim tum primùm esse cœpit Christus, quando in mundo carnem humanam indutus adparuit, sed fuit antequam Abraham, Joh. 8, 58. immò mundus hic fieret, quod contra Photinianorum modernorum κυβείαν probè est observandum.

Fides non est ignorantia.

V. Fides non est definienda per ignorantiam, quod Jesuitarum plerique volunt, sed per spiritualem γνῶσιν ac notitiam: scimus enim & credimus, inquiunt Apostoli. Christus etiam in scientia (non ignorantia) sui justificaturus dicitur homines. Esa. 53, 11. Confer D. Gerh. Tom. 3. L. C. p. 1039. & seqq.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

ORare difficilius esse, quàm arare, ex veteribus quidam non minùs verè, quàm eleganter olim protulit. Præsentis itaque Evangelii περικοπῇ incitati, difficilimam isthanc orandi artem ex ore Christi addiscemus. Duo autem nobis tractanda proponemus, in quibus totius Evangelii prælecti summa consistit, audituri

I. Christum ad orandum discipulos suos seriò exhortantem;
II. Eundem Salvatorem cum discipulis suis suavissimè colloquentem.

PARS I.

Hortatur initiò discipulos suos Servator ad preces pias, studio indefesso fundendas, monstrans illis

I. Fr-

I. Verum precationis objectum, quod geminum constituitur:

1. personale; invocandus est Pater Domini nostri Jesu Christi, in unitate Spiritûs Sancti: nomen verò Patris h. l. non personaliter, sed essentialiter intelligi debere, superiori dispositione innuebamus;

2. reale, seu materia precum: res enim petendæ latissimo vocabulo comprehenduntur; ὅσα, quæcunque petieritis, sive corpus, sive animam spectent, modò sint voluntati Dei congrua, & animæ saluti proficua.

II. Legitimum orandi modum; orandum in nomine Christi. Quo sive τρόπῳ διορισμῷ, sive orandi modo removetur omnis petitio, non facta in nomine Christi; puta quando oratio instituitur, vel sine Christo, vel sine fiducia meriti Christi, vel in aliorum Sanctorum & idolorum nomine: e. g. quando Turcæ per suum Mahomet, Judæi sine Christo orant; Papistæ per Mariam, aliasque Sanctorum ψευδωνύμων intercessiones, preces suas perficiunt. Omnes enim istiusmodi formæ hac limitatione damnantur. Nam Deus Pater per solum Filium μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν, Jesum Christum, invocari & vult & debet. Ceterùm in nomine Christi petere est,

In nomine Christi oratio.

1. indignitatem suam fateri, & de peccatis admissis dolere;
2. ad Christi mandatum & voluntatem sese accommodare;
3. firmâ in Christum fiduciâ Deum invocare;
4. indubitanter exauditionem sperare; &
5. pro acceptis beneficiis gratias agere.

Quæ omnia considerare oportet eum, qui in Christi nomine, atque ita cum adfectu & effectu aliquo orare cupit.

III. Orationis fructum vel effectum, qui futurus est geminus:

Orationis fructus.

1. largissima precum exauditio, quam confirmat Salvator,

1. juramenti sanctitate;

2. benignâ Patris cœlestis voluntate.

2. Gaudij perfectio, faciet nimirùm oratio ad gaudii complementum. Hinc itaque ansam arripit Jesus, *tùm* increpandi discipulos, ob turpem in precando ῥαθυμίαν; *tùm* exsuscitandi, ad majorem posthac in pio hoc cultûs divini studio atque exercitio diligentiam adhibendam: sic enim futurum, ut pleno frui queant post exauditionem gaudio. Bernh.

Quoties langventem animum oratione recreavi! quoties latus abivi, tùm tristis inciperem?

USUS I. Informatorius.

Oratio.

De oratione, cultûs divini parte perquàm necessaria, Deo verò longe omnium gratissima. Doctrina isthæc passim est obvia. Notentur autem ἐν τῷ παρέργῳ tres solummodò de precatione quæstiones.

Orare quid

1. Quid sit orare? Orare est corde, ore, manibusque in cœlum elevatis, verum Deum, in nomine Jesu Christi invocare, & ab eo bona tùm corporalia, tùm spiritualia fide indubitatâ petere, ut suus Deo honos debitus exhibeatur, & omnis generis mala à nobis avertantur, bona verò ad nos plurima convertantur. Dicitur aliàs oratio

1. census nostræ subjectionis;
2. scala nostræ adscensionis;
3. scutum nostræ defensionis;
4. nuncius fidelis legationis.

Adoratores veri.

2. Qui sint veri adoratores? Non ore preculas interdum quasdam demurmurantes; Matth. 15, 8. Esa. 29, 13. non multùm temerè deblaterantes: Matth. 6, 7. sed

1. Christi discipuli audientes, quales sunt omnes veri Christiani, qui professioni satisfaciunt suæ
  1. verbum audiendo; Jah. 10, 27. & 14, 23.
  2. Christum & proximum diligendo;
  3. credendo; Rom. 14, 23. Hebr. 11, 6.
  4. ore fidem profitendo. Matth. 10, 32. Roman. 10, 10. Matth. 12, 34.

2. Verè Deum verum agnoscentes eiq; servientes: Johann. 4, 23. & 10, 27.

3. Spiritum Sanctum in corde gerentes; Johann. 4, 24. 1. Corint. 14, 15. orabo Spiritu, h.e.
  1. purâ conscientiâ; 1. Tim. 2, 8.
  2. animo reconciliato;
  3. Spiritu contrito & humiliato

In veritate orare, est 1. ἀυποκρίτως;
  2. devotè;
  3. nervosè orare.

4. Deum reconciliatum & propitium habentes: Pater amat vos:

5. Ni-

5 *Nihil quicquam dubitantes:*
6. *Ore aperto loquentes*·
7. *Majestatem Christi agnoscentes:*
8. *Eventum divinæ providentiæ committentes;* secundum illud,
Fac tua, quæ tua sunt, quæ functio justa requirit;
Committas uni cetera cuncta Deo.
9. *Perseverantes;*
10. *Crucem patienter gestantes.* Christum præsens.
Excluduntur & non audiuntur.

Adoratores falsi.

1. Idola & multos Deos colentes;
2. personas Divinitatis non agnoscentes;
3. Papam Romanum sectantes, qui (1) sanctos jubet invocare, (2) Deos tutelares & auxiliares fingit; (3) de gratia Dei precumque exauditione dubitare præcipit:
4. hypocriticè orantes;
5. dubitantes;
6. maledicentes & execrationes blasphemas eructantes;
7. superbientes:
8. iram foventes;
9. manus sangvine polluentes;
10. pœnitentiam negligentes &c. Unde colligere cuivis promtum est exiguam admodum esse verorum oratorum segetem. Psal.50,16.17. Esa.5,15. Rom.2,21.

Modus orandi.

3. *Quomodo orandum* ut oratio fiat in auribus Dei vox jucunditatis? Orandum nimirùm est,

1. *reverenter:* quisquis enim erat, in conspectu Dei sese & stare, & loqui sciat; quandoquidem *oratio Christiani hominis*, teste Cypriano, *nil nisi colloquium est cum Deo.* Precibus ad Deum peregrinamur, inquit Nazianzenus. Ps.19,17. 1.Reg.22,19. Esa.6,1. seqq. Job.29,11. Quòd si ergò cum Deo nobis est colloquium, vel maximè ibi tum opus esse videbitur
   1. *summâ devotione;* oraturi q. cœlum ingressuri, Hugo dicebat:
   2. *constanti perseveratione;* Luc.18,1. 1.Thess.5,16.
   3. *maximâ attentione;* Psal.14,18. Sir.18,23. Jac.5,6.
   4. *sobriâ vivendi ratione;* Luc.21,34. 1 Pet.4,8.
   5. *profundâ humiliatione.* 1.Pet.5,5. Luc.15,21. & 18,12. Dan.9,18.
2. *Decenter & competenter*, h.e. secundum nutum ac voluntatem Dei: ita enim Deus est invocandus, sicut in Verbo suo sese

sese revelavit. Solus ergò verus Deus invocandus est. Vide præced. disp.

Pœnitentiæ partes.

3. *Pænitenter:* Esa.1,16. Joh.9,31. 1. Tim. 2, 8. Pœnitentia autem vera requirit

1. *cordis contritionem:* Psalm. 51, 19. Esaiæ 46, 8. & 38, 17. & 57, 15. & 66, 2. Jer. 3, 3. & 4, 3. 4. 8. Joël. 2, 12. 13. 2. Corinth. 7, 14.
2. *fidei inflammationem;* Marc. 1, 15. Act. 19, 4. & 20, 21. Hebr. 11, 6. Rom. 14, 23. 2. Cor. 13, 5. Jac. 1, 6.
3. *vitæ innovationem.* Matth. 3, 8. & 5, 16. Pro. 28, 13. Esa. 1, 16. 17. Jer. 18, 8. Ezech. 18, 21. Jon. 3, 10. Gal. 2, 20. & 5, 6. 23. Jac. 2, 18. 1. Joh. 3, 9. 21. Psal. 66, 18.

4. *Oraliter,* ut ore proloquaris, quod corde meditaris: Matth. 12, 34. Luc. 11, 1.
5. *Fiducialiter vel confidenter,* h. e. firmâ in Christum fiduciâ. Ea est enim veræ fidei natura, ut non nisi in nomine Jesu oret: Deus siquidem aliàs est ignis consumens. Deut. 4, 24. Ignis autem iste furoris divini non nisi meriti ac sangvinis Christi infusione exstingvitur. Dan. 9, 17. 2. Corinth. 1, 20. Marc. 11, 24. Roman. 3, 25. [*Omnis oratio, quæ non fit per Christum, non modò non potest delere peccatum, sed & ipsa fit peccatum,* uti habet Augustinus.]
6. *Innocenter;* 1. Tim. 2, 8.
7. *Sapienter,* h. e. cum distinctione rerum petendarum.
8. *Cordialiter,* h. e. cor benè ac rectè sit dispositum necesse est. Requiritur autem in oratione fideli
   1. *cor contritum:* sit qui pœniteat, & erit qui exaudiet:
   2. *Cor fide plenum:*
   3. *cor morigerum,* moramque divinam patienter ferre adsvetum. [Bernhard. Tria considero, in quibus spes mea omnis consistit: *veritatem promittentis, voluntatem facientis, potestatem largientis.* Etiamsi ille differt, non aufert; aut quod petimus dabit, aut quod noverit esse utilius.]
   4. *Cor pacatum* & reconciliatum. Matth. 5, 23. & seqq. & 6, 14 Sir. 28, 2. seqq. 1. Tim. 2, 8.
   5. *Cor gratum;* gratitudo verò operis optima. [Augst. *Prafracti peccatores, Dei sunt illusores, non oratores.*]

II. Con-

II. Consolatorius.

I. Fluit consolatio efficacissima, ex certissima precum nostrarum exauditione. Vide præc. disp. [August. *Oratio justi est clavis cœli; adscendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Origen. in Esa. homil. 4. *Si me humiliavero, & pœnitens super peccatis meis flevero, exaudiet me Deus, & dabit mihi liberatorem.*]

Exauditio certa.

II. Solatio plenum est illud, quòd Jesus Christus sit noster Mediator & Intercessor apud Deum. 1. Joh. 2, 1. 1. Tim. 2, 5. Vide Monrad. thes. pag. 451. 452. Item,

III. Quæcunque rogaverimus in nomine Jesu, dabuntur nobis. Vide ibid. pag. 453. 454.

III. Monitorius.

Ut juxta mandatum Christi, & juxta consilium Davidis, Psal. 50, 15. orationi semper & ubique invigilemus. Vide Monrad. thes. pag. 455. 456. 457. 458. 459. 460.

IV. Refutatorius.

Papismus de Processionibus.

Pontificiorum, qui 1. hac septimanâ processionibus solemnioribus, quas vocant, student, integrum istis, quod Pater patratus Schererus fatetur, triduum consecrantes, illasq; tanquam rem necessariam Ecclesiæ obtrudentes. Vide Schereri integram concionem, processionum ejusmodi superstitiosarum quandam q. apologiam, pag. 388. & seqq. Verùm processiones istæ abominatione non unâ scatent, inquit Dn. Meelführ. dec. 3. disp. 10. th. 1. & seq. Theatricum enim pharisaismum repræsentant, præcipuè in oberrationibus circa agros cum vexillis, & in visitandis delubris ac reliquiis Sanctorum. Matth. 6, 5. Deinde quod primitùs ob peculiarem casum, intentione fortè non mala, ad imitationem Ninivitarum, institutum fuit; propter sanctionem Papalem, in legem perpetuam & universalem, totum Christianismum obligantem, transformant, non sine violatione Evangelicæ libertatis, præsertim cùm superstitiosa jejunia, & quadragesimalis delectus ciborum decreto Aurelianensi strictè requiratur. Inprimis nituntur propriis meritis, devotione operantis, meritis Sanctorum & Sanctarum, quin & gratiâ & auxiliô eorundem propriô; hinc clamant: Unser liebe Fraw die helff uns wieder heim/ wir haben sie gesucht in ihrem Gotteshaus (Ergò ist Maria eine Göttin) die verzeih uns unsere Sünd/

Fffff (Marc.

(Marc.2,7. quis potest remittere peccata,nisi solus Deus?) so gehen wir ledig aus/Kyrieleison. Verzeihe uns unser Missethat/ Gott behüte die herrlichen Früchte/ die auff dem Felde stehn/ Gott behüt die herrlichen Früchte/ das Korn und auch den Wein/ Maria Gottes Mutter/die woll uns gnädig seyn. (David betet Psal. 51. Gott sey mir gnädig nach deiner Güte. Psal. 67. Gott sey uns gnädig/ und segne uns.)

Papistarum oratio peccatum. 2. Illud quod in Pontificiis notandum, quòd preces eorum fiant peccatum: quia 1. non in nomine Christi, sed sanctorum orant. 2. Non Christi merito, sed suis Sanctorumque meritis exauditionem superstruunt. Prov.15,8. Ps.18,42. & 109,7. & 144,8. Jer 17,5. Ezech.8,18. Ose.5,6. Amos 5,21.

PARS II.

Colloquium constat 1. Christi πρότασι, &
2. discipulorum ἀπόκρισι.

I. Πρότασις Christi quodammodo excusat dictionis obscuritatem, ita tamen, ut per μετάστασιν culpam in præsens tempus & auditores minùs idoneos rejiciat. Fit enim sæpè, ut res, per se satis perspicuæ, obscuritatem φαινομένην habeant, culpâ auditorum. Hæc locutus sum vobis ἐν παροιμίαις, in proverbiis. Theophylactus h. l. ait: Parœmia est sermo, obliquè & occultè, ac per parabolas totum negotium ostendens. Quia igitur Dominus eis multa occultè dixerat, & parabolam narraret de muliere ac partu, dicit: hæc per parœmias nunc locutus sum vobis. Est ergò ἐν παροιμίαις idem, quod obscurius, τὸ ἀσαφὲς καὶ κρυπτικόν, uti Aretius exponit. Est enim omne, quod Deus nobis loquitur obscurum, nisi idem mentis tenebras à nobis expellat. Porrò obscuritatem istam compensat Salvator.

1. Spiritûs Sancti pollicitatione: Veniet tempus, cùm jam non per proverbia loquar vobis; sed de Patre meo palàm (παῤῥησίᾳ) annunciabo vobis, quod & de 40 diebus, inter resurrectionem & adscensionem Christi ad cœlos constitutis, & de Pentecostali tempore exponi debet. Ibi enim αὐτοπροσώπως multa cum ipsis locutus est, & regni sui mysteria satis perspicuè explicuit: hic dato visibiliter Spiritu Sancto gratiam intelligendi uberiorem ipsis contulit. Hinc Theophylactus, *post resurrectionem*, ait, *cùm se exhibuisset vivum, per 40 dies loquebatur eis de Patre magis mystica & manifestius. Prius enim sic putabant, ejus esse Patrem Deum, sicut & noster est* gra-

gratiâ. Iterum autem dat eis fiduciam, quòd habituri sint in tentationibus supernum Adjutorem.

2. Ejusdem Spiritûs Sancti futurâ operatione. Excitaturus enim in eis erat tales motûs, qualis est ipse: Jam verò ipse est Spiritus precum: Ergò ad preces in nomine, h. e. fiduciâ meriti Christi alacriùs fundendas ipsos inflammabit, ut ad orandum futuri sint, quàm antehac unquam, paratiores. Tardos enim & segnes eos fuisse hactenus in precandi studio, ex superioribus constat, & exemplo insuper docetur Apostolorum, in summis Christi angoribus dormientes, altumque, quod dicitur, stertentes eos fuisse deprehensos. Quæ ipsorum ῥαθυμία postmodum corrigebatur, cùm virtute Spiritûs Sancti ex alto imbuti essent, uti patet ex Act.1,14. & 2,2. 42. & 3,1. & 4,31.

3. Suâ apud Patrem interpellatione. Nam verba illa: Non dico vobis, quòd ego Patrem pro vobis sim rogaturus; nonnulli formam præteritionis esse contendunt, quâ dicat maximè, quod se non dicturum dicit, majoris ἐμφάσεως ἕνεκα. Rem enim certissimam facere istam præteritionem: q. d. nihil opus est verbis: hoc vobis certissimè persvadeatis, me pro vobis Patrem rogaturum, quemadmodum cap. 14,16. sine præteritione dicebat; Ego rogabo Patrem. Glossa ordinaria ita interpretatur: Tunc verè cognoscetis & scietis, quòd si ut homo rogo Patrem, ut Deus exaudio cum Patre. Sed non videtur hæc sententia ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, Gal.2,14. quia actiones & passiones sunt totius suppositi. Rectiùs D. Finckius, cent.3. can. 39. Sententiæ Scripturæ S. nonnunquam aliquid non simpliciter negant, sed tantùm secundum quid, aut secundum hypothesin, vel cogitationem eorum, ad quos sermo dirigitur. Do exemplum ex Joh.16,26. 27. ubi Christus ait, se non rogaturum pro discipulis; & sensus est, se non solum, sed discipulos insimul oraturos esse. Eodem sensu Salvator dicit; se non venisse, ut faceret voluntatem suam, sed Patris, Johan. 6,38. cæcum aut parentes ejus non peccâsse: Joh.9,3. Malè igitur & ἀλόγως ex Christi verbis, Joh.16,26. inferunt Photiniani, Christum pro nobis verè & propriè non intercedere. Nec obstat, quòd Christus dicit, Patrem amare nos; quia Patris amor, & Christi intercessio non sunt opposita. Nec ullus putet, inquit Cyrill. lib.11. Joh. c.9. propter tantam Patris benevolentiam non indigere nos Christo: Omnia enim per Christum, ex Patre, in Spiritu sunt: & Filius Dei orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis. Orat pro no-

bis, ut Sacerdos, orat in nobis, ut caput, oratur à nobis, ut Deus noster. Hæc ille.

4. *Favoris paterni significatione*; verbis; Pater amat vos; hinc optima quæque de ipso vobis pollicebimini. Amplificatur αἰτιολογία istius amoris, à persona discipulorum desumtâ; quia 1. vos me amâstis. Hæc non præsumtionis, sed consolationis, immò etiam confirmationis & constantiæ causâ dicuntur, ne in amore deficiant. Aderat enim Judas proditor, hæc unà cum reliquis discipulis simul audiens: q.d. interprete Theophylacto; *quando excideritis meâ amicitiâ, tunc & à Patris amicitiâ excidetis.* Glossa ordin. in hunc modum explicat: Amat nos Pater, quia amamus Filium, cùm à Patre & Filio accepimus, ut amemus Patrem & Filium, datâ caritate per Spiritum, quem & ipsum amamus cum Patre & Filio. Prior amans facit in nobis, quòd ametur. Hæc glossa: quæ ita sunt dicta, ut Pontificiorum delirio, de dilectionis nostræ promerito, rectè opponantur. 2. Quia credidistis, quòd à Deo exiverim: hinc ergo tandem eos solatur.

Exitus Christi & reditus. 5. *Reconciliationis peragendæ mentione*, quæ ἐπιτόμως εἰπεῖν, consistit in exitu & reditu. Per exitum intelligit ἐνσάρκωσιν, quam status exinanitionis secutus est: per reditum è mundo suam innuit resurrectionem, quam status exaltationis ac Majestatis excepit. Reliquit enim mundum, ait glossa, corporali præsentiâ; vadis ad Patrem, quando humanitatem ad invisibilia paternæ Majestatis induxit. Hæc Domini πρότασις; & hic ad discipulos humanitate plenus sermo.

II. *Sequitur discipulorum ἀπόκρισις sive responsio ἐγκωμιαστική*, quâ publicam edunt de Magistro suo confessionem; contestantes

1. *summam ejus in docendo σαφήνειαν sive perspicuitatem:*
2. *divinam ipsius*, in dignoscendis intimis cordis humani recessibus, *παντογνωσίαν ἢ πανσοφίαν*;
3. *firmam fidei suæ πληροφορίαν*, quæ qualis fuerit, & quàm diuturna, subsecuta passionis historia satis luculenter edocuit. *Vide autem*, inquit Theophylactus, *quomodo imperfecti fuerint dicentes, nunc scimus. Qui enim tantas audierunt doctrinas, dicunt, nunc scimus, Christus autem ostendens eis, quòd imperfecti sint, & quòd nondum quicquam magni de se intellexerint, sed deorsum & in terrenis versentur, inquit, nunc creditis.*

USUS

USUS I. Informatorius.

1. De innata mentis humanæ post lapsum caligine. Nisi enim Deus ipse à mentibus nostris expellat tenebras, ἀσαφὲς & κρυπτικὸν est, quicquid nobis loquitur. Coloss.1,26. 1.Cor.2,7.& 4,1 Romanor.1,16. Orandus ergò est Dominus, ut tenebris pulsis, mentes nostras Verbi sui lumine collustret. Psalm.13,4. & 119, 18. Eph.1,18. *Cæcitas humana.*

2. De lapsibus sanctorum; huc facit Canon Theologicus: In Scriptura describuntur lapsûs & peccata sanctorum Dei hominum, non ad imitationem, sed ad emendationem. Augustin. Vide plura Cent.1.can.6. D. Finck. *Sanctorum lapsûs.*

3. De Oratoris veri nota & proprietate. Is enim solùm rectè orare potest, qui habitaculum est Spiritûs Sancti. 1.Corinth.12, 3. Zach.12,10. Romanor.8,15. Excluduntur itaque omnes, qui vel Spiritus Sancti templa nunquam, quoad dona gratiæ, fuêre; vel peccatis contra conscientiam immersi tàm gratum hospitem iterum excußère. Eph.4,30. *Orator verus.*

II. Consolatorius.

1. Fides etiam infirma & fluctuans Christo grata & accepta est; quod pater exemplo discipulorum, fide admodum vacillante præditorum. Luc.17,6. Rom.14,1. & 15,1. 1.Thess.5,14. Luc. 22,32. Matth.26,56. Joh.3,2. & 12,42. & 19,38. *Fides infirma.*

2. Quòd in cœlis Patrem habeamus nostri amantissimum, ad quem ipse Filius nos deducit. Matth. 6,9. Romanor. 8,15. Gal. 4,6. Johann.3,16. Matth.7,9.10. Luc.15,22.23. Psalm.103,13. Esa. 63,16. & 64,8.

3. Quòd obitus noster sit felix transitus, quo mundo relicto ingredimur in domum Dei. Monrad. thes. pag. 461.

4. Quòd in futura vita, sublatis proverbiis, ænigmatibus & speculo Deum apertè audiemus, & invisibilia, quæ hic credimus, videbimus. Ibid. p.462.

5. Quòd gaudium in vita æterna futurum sit perfectissimum. Ibid. p. 472. 463.

III. Monitorius.

1. Ut Dominum Jesum ψυχῆ[?]ν diligamus, quia salutis nostræ causâ exivit à Patre.

2. Ut semper parati simus relinquere mundum & transire ad Deum. Monr.thes.p.461.

Officium concionatorum.

3. Monentur in specie fideles Verbi divini Præcones, ut

1. ἐν παῤῥησίᾳ loquantur: Esa.58,1. & 62,6. Ezech.33,7. seqq. Hab.2,11. Matth.5,13. Act.4,29. 1.Corinth.9,16. 1.Tim.6,20. 2.Timoth.4,2. Tit.2,15. licet malam pro benefactis gratiam referant. Prov.9,7.

2. ἄνευ παροιμιῶν Verbum Dei proponant, h.e. clarè, perspicuè, simpliciter, ita ut ab omnibus sermo prædicatus intelligi & adprehendi facile queat. Matth.13,51. 1.Corinth.2,4.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, qui dilectionem piorum faciunt dilectionis divinæ meritoriam. Errorem hunc nervosè refutavit Dn. D. Gerh. part.3. harm. p.1168 1169. 1170. Confer etiam superiora Dn. Meelf. Vindic. th.93. & seqq.

Præsentia Christi.

II. Calvinianorum, qui ex Christi ad Patrem regressu totalem humanæ Naturæ ἀπουσίαν admodum ἀπαιδεύτως eliciunt: quia à negatione præsentiæ visibilis ac localis, ad negationem vel Sacramentalis, vel majestaticæ, non valet consequentia. Vide præced. disp. & D. Gerh. d.l. pag. 1283. 1284.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

TEmporis præsentis ratio, ut de oratione aliquid dicamus, efflagitare videtur. Præsens enim Dominica Rogationum dicitur. Secuti itaque filum potissimùm prælecti Evangelii, breviter *de vero orandi modo differemus, subjuncturi causas precum adsiduarum impellentes.*

Ἐξήγησις.

Orant gentes & pagani, orant Turcæ & Iudæi, orant alii extra pomœria Ecclesiæ constituti homines infideles: orant etiam intra Ecclesiam diversarum hæresium & sectarum patroni, sed ingenti omnes discrimine. Illi aberrant à vero Deo; isti opus manuum suarum partem maximam adorant. Utrumque satis profanum, impium & cum irrecuperabili salutis æternæ dispendio ac damno conjunctum. Veros itaque προσκυνητὰς requirit Christus Johann.4,23. h.e. qui verum ac legitimum, ab ipso Spiritu pre-

precum, (Zach. 12, 10. in Sacris literis monstratum & revelatum, modum didicerunt. Is verò sequentibus commodissimè sive regulis, sive aphorismis comprehendi potest, quas qui probè observaverit, is gratam Deo oblationem offeret, & cordis sui petitiones indubitatò reportabit. Regularum istarum.

Modus orandi verus per regulas certas.

I. Prima docet, *solum verum Deum invocare.* Verus ille Deus h.l. dicitur Pater Domini nostri Jesu Christi. Stante hoc fundamento immoto, ultrò sequitur, quòd nullam liceat, neque in cœlis, neque in terris, creaturam adorare. Devt. 6,13. Matth. 4,10 Esa. 42,8. Rationem quæris? Quia

Creatura nulla adoranda.

1. solus ille verus Deus est cordium humanorum scrutator; Psal. 7, 10.
2. solus precantium gemitus absconditos novit: Psalm. 38,10. & 102,6.21. Act. 7,34.
3. solus peccata remittit: Psal. 103,3. Marc. 2,7.
4. solus potest omnia. Psal. 115,3. & 135,15. Eph. 3,20. Vult enim Deus invocari, sicut se revelavit. Ariani ergò & Photiniani verum Deum non adorant, quia negant Filium. Johann. 5,23. 1. Johann. 5,12.

II. Secunda jubet, *preces à gratiarum actione inchoare.* Exordia enim debent esse favorabilia. Observavit hanc regulam Patriarcha Jacobus: Gen. 32,10. immò Salvator ipse. Matt. 11, 25. Johann. 11,43. Bernh. *Gratiarum actio est ad plus dandum invitatio.* Basilius inquit: *Preces tuas incipe à glorificatione Conditoris.* Psal. 50,15.23.

III. Tertia præcipit, *in nomine Christi precari.* Vide de hac phrasi dispos. 1. & 2. *Nullus igitur ex his*, ait Theophylactus, *qui mundana petunt ac animabus damnosa, in nomine Christi petit. ideo neq; accipit. Nomen enim Christi divinum est ac salutare, quando autem quis petit, quæ ad animæ perditionem pertinent, quomodo dicemus illum in salutaris nomine petere?*

IV. Quarta *peccata humiliter deprecari* suadet. Psal. 51, 19. Esa. 66, 2. August. *Deus exaudit hominis linguam, si mundam habet conscientiam.* Atqui homo, inquis, peccator sum? Luc. 5, 8. Tales omnes homines. Tu modò vide sis cor habeas pœnitens, sic preces tuas Jehovah nunquam respuet. Ezech. 18,22. & 33,11. Rom. 5,20. & 11,32. Psal. 103,3.

V. Quinta vetat *de precum exauditione quicquam dubitare.* Habes h. l. Christum jurantem, Christi juramentum, nostrum

fin-

3. se imperitos haberi & dolent & ægrè ferunt;
4. laude propriâ gaudent;
5. plus æquo in spiritualibus sibi arrogant.
6. de sua in rebus fidei sapientia plus quàm par est præsumunt.

Majestas Christi.

III. Testimonium insuper habemus majestatis carni Christi communicatæ; quia omnium rerum scientia,(ἰδίωμα hoc est soli Deo proprium, carni verò Christi per unionem personalem, & han subsecutam κοινωνίαν communicatum) ipsi tribuitur. Col.2,3.9. Luc.2,40. Joh.2,25. Matth.9, 4.

Christus Deus.

IV. Sed & ipsa Christi Divinitas itidem duplici argumentorum genere h.l. firmissimè stabilitur, quorum unum ex dicta profluit omniscientia; alterum ab ipsius à Patre exitu desumitur, tali nimirùm, qui non tantùm de missione in tempore facta sit intelligendus, sed qui missionem seculis infinitis antevertit, de quo Mich. 5,2. Neque enim tum primùm esse cœpit Christus, quando in mundo carnem humanam indutus adparuit, sed fuit antequam Abraham, Joh.8,58. immò mundus hic fieret, quod contra Photinianorum modernorum κυβείαν probè est observandum.

Fides non est ignorantia.

V. Fides non est definienda per ignorantiam, quod Jesuitarum plerique volunt, sed per spiritualem γνῶσιν ac notitiam: scimus enim & credimus, inquiunt Apostoli. Christus etiam in scientia (non ignorantia) sui justificaturus dicitur homines. Esa.53,11. Confer D. Gerh. Tom.3. L.C.p.1039. & seqq.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

ORare difficilius esse, quàm arare, ex veteribus quidam non minùs verè, quàm eleganter olim protulit. Præsentis itaque Evangelii περικοπῇ incitati, difficilimam isthanc orandi artem ex ore Christi addiscemus. Duo autem nobis tractanda proponemus, in quibus totius Evangelii prælecti summa consistit, audituri

I. Christum ad orandum discipulos suos seriò exhortantem;
II. Eundem Salvatorem cum discipulis suis suavissimè colloquentem.

PARS I.

Hortatur initiò discipulos suos Servator ad preces pias, studio indefesso fundendas, monstrans illis

I. Ve-

I. *Verum precationis objectum*, quod geminum constituitur:

1. *personale*; invocandus est Pater Domini nostri Jesu Christi, in unitate Spiritûs Sancti: nomen verò Patris h. l non personaliter, sed essentialiter intelligi debere, superiori dispositione innuebamus;
2. *reale*, seu materia precum: res enim petendæ latissimo vocabulo comprehenduntur; ὅσα, quæcunque petieritis, sive corpus, sive animam spectent, modò sint voluntati Dei congrua, & animæ saluti proficua.

II. *Legitimum orandi modum*; orandum in nomine Christi. Quo sive προσδιορισμῷ, sive orandi modo removetur omnis petitio, non facta in nomine Christi; puta quando oratio instituitur, vel sine Christo, vel sine fiducia meriti Christi, vel in aliorum Sanctorum & idolorum nomine: e.g. quando Turcæ per suum Mahomet, Judæi sine Christo orant; Papistæ per Mariam, aliasque Sanctorum ψευδωνύμων intercessiones, preces suas perficiunt. Omnes enim istiusmodi formæ hac limitatione damnantur. Nam Deus Pater per solum Filium μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν, Jesum Christum, invocari & vult & debet. Ceterùm in nomine Christi petere est,

In nomine Christi oratio.

1. indignitatem suam fateri, & de peccatis admissis dolere;
2. ad Christi mandatum & voluntatem sese accommodare;
3. firmâ in Christum fiduciâ Deum invocare;
4. indubitanter exauditionem sperare; &
5. pro acceptis beneficiis gratias agere.

Quæ omnia considerare oportet eum, qui in Christi nomine, atque ita cum adfectu & effectu aliquo orare cupit.

III. *Orationis fructum vel effectum*, qui futurus est geminus:

Orationis fructus.

1. *largissima precum exauditio*, quam confirmat Salvator,
   1. *juramenti sanctitate*;
   2. *benignâ Patris cœlestis voluntate*.
2. *Gaudii perfectio*, faciet nimirùm oratio ad gaudii complementum. Hinc itaque ansam arripit Jesus, *tùm* increpandi discipulos, ob turpem in precando ῥαθυμίαν; *tùm* exsuscitandi, ad majorem posthac in pio hoc cultûs divini studio atque exercitio diligentiam adhibendam: sic enim futurum, ut pleno frui queant post exauditionem gaudio. Bernh.

Quoties langventem animum oratione recreavi! quoties latus abivi, tùm tristis inciperem?

USUS I. Informatorius.

Oratio.

De oratione, cultûs divini parte perquàm necessaria, Deo verò longe omnium gratissima. Doctrina isthæc passim est obvia. Notentur autem ἐν τῷ παρόντι tres solummodò de precatione quæstiones.

Orare quid

1. *Quid sit orare?* Orare est corde, ore, manibusque in cœlum elevatis, verum Deum, in nomine Jesu Christi invocare, & ab eo bona tùm corporalia, tùm spiritualia fide indubitatâ petere, ut suus Deo honos debitus exhibeatur, & omnis generis mala à nobis avertantur, bona verò ad nos plurima convertantur. Dicitur aliàs oratio

1. census nostræ subjectionis;
2. scala nostræ adscensionis;
3. scutum nostræ defensionis;
4. nuncius fidelis legationis.

Adoratores veri.

2. *Qui sint veri adoratores?* Non ore preculas interdum quasdam demurmurantes; Matth.15,8. Esa.29,13. non multùm temerè deblaterantes: Matth.6,7. sed

1. *Christi discipuli audientes*, quales sunt omnes veri Christiani, qui professioni satisfaciunt suæ
   1. *verbum audiendo*; Jah. 10,27. & 14,23.
   2. *Christum & proximum diligendo*;
   3. *credendo*; Rom. 14,23. Hebr.11,6.
   4. *ore fidem profitendo.* Matth.10,32. Roman.10,10. Matth. 12,34.
2. *Verè Deum verum agnoscentes eiq; servientes:* Johann. 4,23. & 10,27.
3. *Spiritum Sanctum in corde gerentes;* Johann.4,24. 1.Corint. 14,15. orabo Spiritu, h.e.
   1. purâ conscientiâ; 1. Tim. 2,8.
   2. animo reconciliato;
   3. Spiritu contrito & humiliato

   In veritate orare, est 1. ἀνυποκρίτως;
   2. devotè;
   3. nervosè orare.
4. *Deum reconciliatum & propitium habentes:* Pater amat vos:

5. Ni-

5 *Nihil quicquam dubitantes:*
6. *Ore aperto loquentes.*
7. *Majestatem Christi agnoscentes:*
8. *Eventum divinæ providentiæ committentes*; secundum illud,
Fac tua, quæ tua sunt, quæ functio justa requirit;
Committas uni cetera cuncta Deo.
9. *Perseverantes*;
10. *Crucem patienter gestantes.* Christum præsens.
Excluduntur & non audiuntur.

Adoratores falsi.

1. Idola & multos Deos colentes;
2. personas Divinitatis non agnoscentes;
3. Papam Romanum sectantes, qui (1) sanctos jubet invocare, (2) Deos tutelares & auxiliares fingit; (3) de gratia Dei precumque exauditione dubitare præcipit.
4. hypocriticè orantes;
5. dubitantes;
6. maledicentes & execrationes blasphemas eructantes;
7. superbientes:
8. iram foventes;
9. manûs sangvine polluentes;
10. pœnitentiam negligentes &c. Unde colligere cuivis promtum est exiguam admodum esse verorum oratorum segetem. Psal.50,16.17. Esa.5,15. Rom.2,21.

Modus orandi.

3. *Quomodo orandum* ut oratio fiat in auribus Dei vox jucunditatis? Orandum nimirùm est,

1. *reverenter:* quisquis enim erat, in conspectu Dei sese & stare, & loqui sciat; quandoquidem *oratio Christiani hominis*, teste Cypriano, *nil nisi colloquium est cum Deo.* Precibus ad Deum peregrinamur, inquit Nazianzenus. Ps.19,17. 1.Reg.22,19. Esa. 6,1. seqq. Job.29,11. Quòd si ergò cum Deo nobis est colloquium, vel maximè ibi tum opus esse videbitur
1. *summâ devotione*; oraturi q. cœlum ingressuri, Hugo dicebat.
2. *constanti perseveratione*; Luc.18,1. 1.Thess.5,16.
3. *maximâ attentione*; Psal.14.,18. Sir.18,23. Jac.5,6.
4. *sobriâ vivendi ratione*; Luc.21,34. 1 Pet.4,8.
5. *profundâ humiliatione.* 1.Pet.5,5. Luc.15,21. & 18,12. Dan. 9,18.

2. *Decenter & competenter*, h.e. secundum nutum ac voluntatem Dei: ita enim Deus est invocandus, sicut in Verbo suo sese

II. Consolatorius.

I. Fluit consolatio efficacissima, ex certissima precum nostrarum exauditione. Vide præc. disp. [August. *Oratio justi est clavis cæli; adscendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Origen. in Esa. homil. 4. *Si me humiliavero, & pœnitens super peccatis meis flevero, exaudiet me Deus, & dabit mihi liberatorem.*]

Exauditio certa.

II. Solatio plenum est illud, quòd Jesus Christus sit noster Mediator & Intercessor apud Deum. 1. Joh. 2, 1. 1. Tim. 2, 5. Vide Monrad. thes. pag. 451. 452. Item,

III. Quæcunque rogaverimus in nomine Jesu, dabuntur nobis. Vide ibid. pag. 453. 454.

III. Monitorius.

Ut juxta mandatum Christi, & juxta consilium Davidis, Psal. 50, 15. orationi semper & ubique invigilemus. Vide Monrad. thes. pag. 455. 456. 457. 458. 459. 460.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui 1. hac septimanâ processionibus solemnioribus, quas vocant, student, integrum istis, quod Pater patratus Schererus fatetur, triduum consecrantes, illasq; tanquam rem necessariam Ecclesiæ obtrudentes. VideIchereri integram concionem, processionum ejusmodi superstitiosarum quandam q. apologiam, pag. 388. & seqq. Verùm processiones istæ abominatione non unâ scatent, inquit Dn. Meelführ. dec. 3. disp. 10. th. 1. & seq. Theatricum enim pharisaismum repræsentant, præcipuè in oberrationibus circa agros cum vexillis, & in visitandis delubris ac reliquiis Sanctorum. Matth. 6, 5. Deinde quod primitùs ob peculiarem casum, intentione fortè non mala, ad imitationem Ninivitarum, institutum fuit; propter sanctionem Papalem, in legem perpetuam & universalem, totum Christianismum obligantem, transformant, non sine violatione Evangelicæ libertatis, præsertim cùm superstitiosa jejunia, & quadragesimalis delectus ciborum decreto Aurelianensi strictè requiratur. Inprimis nituntur propriis meritis, devotione operantis, meritis Sanctorum & Sanctarum, quin & gratiâ & auxiliò eorundem propriò; hinc clamant: Vnser liebe Fraw die helff vns wieder heim/ wir haben sie gesucht in ihrem Gotteshaus (Ergò ist Maria eine Göttin) die verzeih vns vnsere Sünd/

Papismus de Processionibus.

 (Marc.

(Marc.2,7. quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?) so gehen wir ledig aus/Kyrieleison. Verzeihe uns unser Missethat / Gott behüte die herrlichen Früchte/ die auff dem Felde stehn/ Gott behüt die herrlichen Früchte / das Korn und auch den Wein / Maria Gottes Mutter/die woll uns gnädig seyn. (David betet Psal. 51. Gott sey mir gnädig nach deiner Güte. Psal. 67. Gott sey uns gnädig/ und segne uns.)

Papistarum oratio peccatum.

2. Illud quod in Pontificiis notandum, quòd preces eorum fiant peccatum: quia 1. non in nomine Christi, sed sanctorum orant. 2. Non Christi merito, sed suis Sanctorumque meritis exauditionem superstruunt. Prov.15,8. Pf.18,42. & 109,7. & 144,8. Jer 17,5. Ezech. 8,18. Ose.5,6. Amos 5,21.

PARS II.

Colloquium constat 1. Christi προτάσει, &
2. discipulorum ἀποκρίσει.

I. Πρότασις Christi quodammodo excusat dictionis obscuritatem, ita tamen, ut per μετάστασιν culpam in præsens tempus & auditores minùs idoneos rejiciat. Fit enim sæpè, ut res, per se satis perspicuæ, obscuritatem φαινομένην habeant, culpâ auditorum. Hæc locutus sum vobis ἐν παροιμίαις, in proverbiis. Theophylactus h. l. ait: Parœmia est sermo, obliquè & occultè, ac per parabolas totum negotium ostendens. Quia igitur Dominus eis multa occultè dixerat, & parabolam narraret de muliere ac partu, dicit: hæc per parœmias nunc locutus sum vobis. Est ergò ἐν παροιμίαις idem, quod obscurius, τὸ ἀσαφὲς καὶ κεκρυμμένον, uti Aretius exponit. Est enim omne, quod Deus nobis loquitur obscurum, nisi idem mentis tenebras à nobis expellat. Porrò obscuritatem istam compensat Salvator.

1. Spiritûs Sancti pollicitatione: Veniet tempus, cùm jam non per proverbia loquar vobis; sed de Patre meo palàm (παῤῥησίᾳ) annunciabo vobis, quod & de 40 diebus, inter resurrectionem & adscensionem Christi ad cœlos constitutis, & de Pentecostali tempore exponi debet. Ibi enim αὐτοπροσώπως multa cum ipsis locutus est, & regni sui mysteria satis perspicuè explicuit: hic dato visibiliter Spiritu Sancto gratiam intelligendi uberiorem ipsis contulit. Hinc Theophylactus, *post resurrectionem*, ait, *cùm se exhibuisset vivum, per 40 dies loquebatur eis de Patre magis mystica & manifestiùs. Priùs enim sic putabant, ejus esse Patrem Deum, sicut & noster est*

gra-

gratiâ. Iterum autem dat eis fiduciam, quòd habituri sint in tentationibus supernum Adjutorem.

2. Ejusdem Spiritûs Sancti futurâ operatione. Excitaturus enim in eis erat tales motûs, qualis est ipse: Jam verò ipse est Spiritus precum: Ergò ad preces in nomine, h. e. fiduciâ meriti Christi alacriùs fundendas ipsos inflammabit, ut ad orandum futuri sint, quàm antehac unquam, paratiores. Tardos enim & segnes eos fuisse hactenus in precandi studio, ex superioribus constat, & exemplo insuper docetur Apostolorum, in summis Christi angoribus dormientes, altumque, quod dicitur, stertentes eos fuisse deprehensos. Quæ ipsorum ῥαθυμία postmodum corrigebatur, cùm virtute Spiritûs Sancti ex alto imbuti essent, uti patet ex Act.1,14. & 2,2. 42. & 3,1. & 4,31.

3. Suâ apud Patrem interpellatione. Nam verba illa: Non dico vobis, quòd ego Patrem pro vobis sim rogaturus; nonnulli formam præteritionis esse contendunt, quâ dicat maximè, quod se non dicturum dicit, majoris ἐμφάσεως ἕνεκα. Rem enim certissimam facere istam præteritionem: q. d. nihil opus est verbis: hoc vobis certissimè persvadeatis, me pro vobis Patrem rogaturum, quemadmodum cap. 14,16. sine præteritione dicebat; Ego rogabo Patrem. Glossa ordinaria ita interpretatur: Tunc verè cognoscetis & scietis, quòd si ut homo rogo Patrem, ut Deus exaudio cum Patre. Sed non videtur hæc sententia ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, Gal.2,14. quia actiones & passiones sunt totius suppositi. Rectiùs D. Finckius, cent.3. can.39. Sententiæ Scripturæ S. nonnunquam aliquid non simpliciter negant, sed tantùm secundum quid, aut secundum hypothesin, vel cogitationem eorum, ad quos sermo dirigitur. Do exemplum ex Joh.16,26. 27. ubi Christus ait, se non rogaturum pro discipulis; & sensus est, se non solum, sed discipulos insimul oraturos esse. Eodem sensu Salvator dicit; se non venisse, ut faceret voluntatem suam, sed Patris, Johan. 6,38. cæcum aut parentes ejus non peccâsse: Joh.9,3 Malè igitur & ἀλόγως ex Christi verbis, Joh.16,26. inferunt Photiniani, Christum pro nobis verè & propriè non intercedere. Nec obstat, quòd Christus dicit, Patrem amare nos; quia Patris amor, & Christi intercessio non sunt opposita. Nec ullus putet, inquit Cyrill. lib.11. Joh. c.9. propter tantam Patris benevolentiam non indigere nos Christo: Omnia enim per Christum, ex Patre, in Spiritu sunt: & Filius Dei orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis. Orat pro no-

 bis,

bis, ut Sacerdos, orat in nobis, ut caput, oratur à nobis, ut Deus noster. Hæc ille.

4. *Favoris paterni significatione*; verbis; Pater amat vos; hinc optima quæque de ipso vobis pollicebimini. Amplificatur αἰτιολογία istius amoris, à persona discipulorum desumtâ; quia

1. vos me amâstis. Hæc non præsumtionis, sed consolationis, immò etiam confirmationis & constantiæ causâ dicuntur, ne in amore deficiant. Aderat enim Judas proditor, hæc unà cum reliquis discipulis simul audiens: q.d. interprete Theophylacto; *quando excideritis meâ amicitiâ, tunc & à Patris amicitiâ excidetis.* Glossa ordin. in hunc modum explicat: Amat nos Pater, quia amamus Filium, cùm à Patre & Filio accepimus, ut amemus Patrem & Filium, datâ caritate per Spiritum, quem & ipsum amamus cum Patre & Filio. Prior amans facit in nobis, quòd ametur. Hæc glossa: quæ ita sunt dicta, ut Pontificiorum delirio, de dilectionis nostræ promerito, rectè opponantur. 2. Quia credidistis, quòd à Deo exiverim: hinc ergo tandem eos solatur.

Exitus Christi & reditus.

5. *Reconciliationis peragendæ mentione*, quæ ἐπιτόμως εἰπεῖν, consistit in exitu & reditu. Per exitum intelligit ἐνσάρκωσιν, quam status exinanitionis secutus est; per reditum è mundo suam innuit resurrectionem, quam status exaltationis ac Majestatis excepit. Reliquit enim mundum, ait glossa, corporali præsentiâ; vadis ad Patrem, quando humanitatem ad invisibilia paternæ Majestatis induxit. Hæc Domini πρότασις; & hic ad discipulos humanitate plenus sermo.

II. *Sequitur discipulorum* ἀπόκρισις *sive responsio* ἐγκωμιαστικὴ, quâ publicam edunt de Magistro suo confessionem; contestantes

1. *summam ejus in docendo* σαφήνειαν *sive perspicuitatem*:
2. *divinam ipsius*, in dignoscendis intimis cordis humani recessibus, παντογνωσίαν ἢ πανσοφίαν;
3. *firmam fidei suæ* πληροφορίαν, quæ qualis fuerit, & quàm diuturna, subsecuta passionis historia satis luculenter edocuit. *Vide autem*, inquit Theophylactus, *quomodo imperfecti fuerint dicentes, nunc scimus. Qui enim tantas audierunt doctrinas, dicunt, nunc scimus, Christus autem ostendens eis, quòd imperfecti sint, & quòd nondum quicquam magni de se intellexerint, sed deorsum & in terrenis versentur, inquit, nunc creditis.*

USUS

USUS I. Informatorius.

1. De innata mentis humanæ post lapsum caligine. Nisi enim Deus ipse à mentibus nostris expellat tenebras, ἀσαφὲς & χρυπτικὸν est, quicquid nobis loquitur. Coloss.1,26. 1.Cor.2,7.& 4,1 Romanor.1,16. Orandus ergò est Dominus, ut tenebris pulsis, mentes nostras Verbi sui lumine collustret. Psalm.13,4. & 119, 18. Eph.1,18.

Cæcitas humana.

2. De lapsibus sanctorum; huc facit Canon Theologicus: In Scriptura describuntur lapsûs & peccata sanctorum Dei hominum, non ad imitationem, sed ad emendationem. Augustin. Vide plura Cent. 1. can. 6. D. Finck.

Sanctorum lapsûs.

3. De Oratoris veri nota & proprietate. Is enim solùm rectè orare potest, qui habitaculum est Spiritûs Sancti. 1.Corinth.12, 3. Zach.12,10. Romanor.8,15. Excluduntur itaque omnes, qui vel Spiritus Sancti templa nunquam, quoad dona gratiæ, fuêre; vel peccatis contra conscientiam immersi tàm gratum hospitem iterum excußère. Eph.4,30.

Orator verus.

II. Consolatorius.

1. Fides etiam infirma & fluctuans Christo grata & accepta est; quod patet exemplo discipulorum, fide admodum vacillante præditorum. Luc.17,6. Rom.14,1. & 15,1. 1.Thess.5,14. Luc. 22,32. Matth.26,56. Joh.3,2. & 12,42. & 19,38.

Fides infirma.

2. Quòd in cœlis Patrem habeamus nostri amantissimum, ad quem ipse Filius nos deducit. Matth. 6,9. Romanor. 8,15. Gal. 4,6. Johann.3,16. Matth.7,9.10. Luc.15,22.23. Psalm.103,13. Esa. 63,16. & 64,8.

3. Quòd obitus noster sit felix transitus, quo mundo relicto ingredimur in domum Dei. Monrad. thes. pag. 461.

4. Quòd in futura vita, sublatis proverbiis, ænigmatibus & speculo Deum apertè audiemus, & invisibilia, quæ hic credimus, videbimus. Ibid. p.462.

5. Quòd gaudium in vita æterna futurum sit perfectissimum. Ibid. p. 472. 463.

III. Monitorius.

1. Ut Dominum Jesum ψυχῆθεν diligamus, quia salutis nostræ causâ exivit à Patre.

2. Ut semper parati simus relinquere mundum & transire ad Deum. Monr. thes. p. 461.

Officium concionatorum.

3. Moneant ut in specie fideles Verbi divini Præcones, ut

1. ἐν παῤῥησίᾳ loquantur: Esa. 58, 1. & 62, 6. Ezech. 33, 7. seqq. Hab. 2, 11. Matth. 5, 13. Act. 4, 29. 1. Corinth. 9, 16. 1. Tim. 6, 20. 2. Timoth. 4, 2. Tit. 2, 15. licet malam pro benefactis gratiam referant. Prov. 9, 7.

2. ἄνευ περιεργιῶν Verbum Dei proponant, h. e. clarè, perspicuè, simpliciter, ita ut ab omnibus sermo prædicatus intelligi & adprehendi facilè queat. Matth. 13, 51. 1. Corinth. 2, 4.

IV. Refutatorius.

I. Pontificiorum, qui dilectionem piorum faciunt dilectionis divinæ meritoriam. Errorem hunc nervosè refutavit Dn. D. Gerh. part. 3. harm. p. 1168 1169. 1170. Confer etiam superiora Dn. Meclf. Vindic. th. 93. & seqq.

Præsentia Christi.

II. Calvinianorum, qui ex Christi ad Patrem regressu totalem humanæ Naturæ ἀπουσίαν admodum ἀπαιδεύτως eliciunt: quia à negatione præsentiæ visibilis ac localis, ad negationem vel Sacramentalis, vel majestaticæ, non valet consequentia. Vide præced. disp. & D. Gerh. d. l. pag. 1283. 1284.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Temporis præsentis ratio, ut de oratione aliquid dicamus, efflagitare videtur. Præsens enim Dominica Rogationum dicitur. Secuti itaque filum potissimùm prælecti Evangelii, breviter *de vero orandi modo differemus, subjuncturi causas precum adsiduarum impellentes.*

Ἐξήγησις.

Orant gentes & pagani, orant Turcæ & Iudæi, orant alii extra pomœria Ecclesiæ constituti homines infideles? orant etiam intra Ecclesiam diversarum hæresium & sectarum patroni, sed ingenti omnes discrimine. Illi aberrant à vero Deo; isti opus manuum suarum partem maximam adorant. Utrumque satis profanum, impium & cum irrecuperabili salutis æternæ dispendio ac damno conjunctum. Veros itaque προσκυνητὰς requirit Christus Johann. 4, 23. h. e. qui verum ac legitimum, ab ipso Spiritu pre-

precum, (Zach. 12, 10. in Sacris literis monstratum & revelatum, modum didicerunt. Is verò sequentibus commodissimè sive regulis, sive aphorismis comprehendi potest, quas qui probè observaverit, is gratam Deo oblationem offeret, & cordis sui petitiones indubitatò reportabit. Regularum istarum.

Modus orandi verus per regulas certas.

I. Prima docet, *solum verum Deum invocare.* Verus ille Deus h.l. dicitur Pater Domini nostri Jesu Christi. Stante hoc fundamento immoto, ultrò sequitur, quòd nullam liceat, neque in cœlis, neque in terris, creaturam adorare. Devt. 6, 13. Matth. 4, 10 Esa. 42, 8. Rationem quæris? Quia

Creatura nulla adoranda.

1. solus ille verus Deus est cordium humanorum scrutator; Psal. 7, 10.
2. solus precantium gemitus absconditos novit: Psalm. 38, 10. & 102, 6. 21. Act. 7, 34.
3. solus peccata remittit: Psal. 103, 3. Marc. 2, 7.
4. solus potest omnia. Psal. 115, 3. & 135, 15. Eph. 3, 20. Vult enim Deus invocari, sicut se revelavit. Ariani ergò & Photiniani verum Deum non adorant, quia negant Filium. Johann. 5, 23. 1. Johann. 5, 12.

II. Secunda jubet, *preces à gratiarum actione inchoare.* Exordia enim debent esse favorabilia. Observavit hanc regulam Patriarcha Jacobus: Gen. 32, 10. immò Salvator ipse. Matt. 11, 25. Johann. 11, 43. Bernh. *Gratiarum actio est ad plus dandum invitatio.* Basilius inquit: *Preces tuas incipe à glorificatione Conditoris.* Psal. 50, 15. 23.

III. Tertia præcipit, *in nomine Christi precari.* Vide de hac phrasi dispos. 1. & 2. *Nullus igitur ex his,* ait Theophylactus, *qui mundana petunt ac animabus damnosa, in nomine Christi petit, ideo neq; accipit. Nomen enim Christi divinum est ac salutare, quando autem quis petit, quæ ad animæ perditionem pertinent, quomodo dicimus illum in salutaris nomine petere?*

IV. Quarta *peccata humiliter deprecari* suadet. Psal. 51, 19. Esa. 66, 2. August. *Deus exaudit hominis linguam, si mundam habet conscientiam.* Atqui homo, inquis, peccator sum? Luc. 5, 8. Tales omnes homines. Tu modò vide sis cor habeas pœnitens, sic preces tuas Jehovah nunquam respuet. Ezech. 18, 22. & 33, 11. Rom. 5, 20. & 11, 32. Psal. 103, 3.

V. Quinta vetat *de [illegible] eum exauditione quicquam dubitare.* Habes h. l. Christum jurant[illegible]. Christi-juramentum, nostrum

fie-

firmamentum. Matth. 21,21. Hebr. 11,6. Roman. 14,23. Jac. 1,6. Habes Advocatum Christum, pro te interpellantem. Hebr. 2,17.18. & 7,35. 1. Joh. 2,1.2. Rom. 8,34. Habemus mandatum cum promissione infallibili conjunctum. Psal. 50,15. & 91,15. Esa. 65,24. Matt. 7,7.8. Hebr. 6,18. Papistarum ergò oratio, dubitationem involvens, immò præcipiens, peccatum est. 1. Johann. 5,10. Hinc Theophylactus super Luc. 18. cap. *Omnis orationis fundamentum & basis est fides.* (non dubitatio.) *Nisi enim crediderit homo, quòd hoc, quod petit, acceptus sit in suam utilitatem, vana est oratio, quam facit.*

Papistarum oratio peccatum.

VI. Sexta *cum attentione & devotione cordis orare* mandat. Joh. 4.23. Attentè autem ac devotè orabis,

1. cogitationes vanas & alienas longissimè removendo: Gen. 15, 11. Sir. 18,23. 1 Cor. 14,15.

2. sobrietati studendo: 1. Pet. 4,7. Luc. 21,34.

3. præsentia & futura perpendendo.

VII. Septima *ore aperto vel expressè* postulat. Luc. 11,2. orantes dicite. Matth. 12,34. Psal. 77,2.

IIX. Octava *cum distinctione orare* monet. Vide Dominic. 3. post Epiphan. Dom.

IX. Nona demum *patienter exspectare* vel præstolari edicit. Hab. 2,3. Psal. 103,6.

Ceterùm cùm magna sit veteris hominis ad orandum secordia, stimulisq; subinde ac calcaribus opus habeat, proinde sequentes precum piarum causas impellentes semper in conspectu habere operæ precium vel maximè fuerit. Moveat nimirùm ad precum ardentissimarum studium pium quemlibet,

Orationis causæ impellentes.

1. Mandantis auctoritas. Deus est, qui requirit. Psalm. 50,15. Matth. 7,7. Johann. 16,24. 1. Thess. 5,17.18. Psalm. 27, 8. Preces igitur vel omittere, vel negligenter tractare, crimen est Majestatis divinæ gravissimè læsæ. Obedientia optima reverentia.

2. Promissionis tùm singularitas, tùm liberalitas. Matth. 7,8. Johann. 16,24. Psalm. 34,6. & 50,15. & 145,19. Esaiæ 65,24. Jer. 29,13. Sir. 2,11.12. Taulerus: *promtior est Deus ad dandum, quam nos ad accipiendum.*

3. Orationis dignitas. Ps. 50,23. & 141,2. Ambros. Est bonum scutum oratio. Bernhardus: *Fratres, nolite dubitare de oratione vestra; sed scitote, quando verbum per os erumpit, tum oratio vestra scripta est in oculis Dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri.*

4. Sum-

4. *Summa necessitas:* ea verò multiplex, publica & privata. Es. 26,19. Ps. 77,4. Matth. 26,41. Eph. 4.18. Nestor Homericus ait:

εὔχεσθαι πάντες τε θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Ferte preces, superis indiget omnis homo.

5. *Maxima utilitas,* in precum exauditione, & bonorum multiplicium collatione posita.

6. *Fundamenti stabilitas:* fundamenti verò loco Salvator ponit

1. *Spiritûs Sancti missionem:* Zach. 12,10. Rom. 8, 26.
2. *propriam pro fidelibus intercessionem,* de qua paulò antè.
3. *Patris cœlestis dilectionem*, quæ sese extendit, non promiscuè ad omnes homines, sed tantùm ad
   1. *Christum diligentes;*
   2. *in ipsum credentes;*
   3. *palàm eum confitentes,* quòd sit 1. *Doctor sincerus*, & 2. *Mediator verus.*

Quisquis ergò nomen Domini (ritè) invocaverit, salvus erit. Joel. 2,32. Concludimus orantes cum Ecclesia: *Deus à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & Te gubernante eadem faciamus, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.*

DOMINICA EXAUDI,

EVANGELIUM

Joh. 15 26. 27. & 16. à vers. 1. ad 5.

26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ.

27. Καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστε.

1. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε.

2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ.

26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Luc. 24, 49. Joh. 14, 16.

27. *Quin & vos testes estis, quia ab initio mecum estis.*

1. *Hæc locutus sum vobis, ut ne quid offendamini.* Cap. 16.

2. *Alienos à Synagogis facient vos: sed veniet tempus, ut quisquis interficiet vos, videatur cultum præstare Deo.*

3. Καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν Πατέρα, οὐδὲ ἐμέ.

4. Ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύετε αὐτῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν· ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neq; me.

4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit tempus illud, reminiscamini eorum, quod ego dixerim vobis: hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PErtinet hoc Evangelium partim ad genus causarum Demonstrativum, partim ad Didascalicum; & continentur in eo tria:

I. *Spiritûs Sancti, discipulis Christi facta promissio;*

II. *Calamitatum ac persecutionum futurarum prædictio;*

III. *Consolationis efficacissimæ subministratio.*

PARS I.

In primæ partis expositione notanda veniunt duo:

I. *Promissionis faciendæ occasio*, ex præcedentibus capitis 15. verbis repetenda; ubi multa, de insatiabili mundi adversus Christi Apostolos & fideles quosvis odio, disseruerat Servator, quibus ea, quæ hîc sequuntur, consolationis q; loco subjunguntur, ne existiment, fore ut mundus nomen Christi ejusque doctrinam deleat. Hæc causa promissionis quasi impulsiva.

II. Hanc excipit secundo statim loco *ipsa promissio*. In hac verò promissione tres circumstantiæ notanter exprimuntur.

1. *Quis promittens*; Christus nimirum, ipsa veritas, fallere aut mentiri nescius. Joh. 14,6. Ego mittam; ita loquitur
   1. ad insinuandam suam cum Patre ὁμουσίαν & æqualitatem; Sicut Pater & spirat & mittit Spiritum; Joh. 14, 16,26. Ita Filius quoque & spirat & mittit eundem utrique Patri & Filio ὁμοούσιον Spiritum.
   2. Ad confirmandam missionis certitudinem & veritatem:
   3. Ad demonstrandam passionis & resurrectionis suæ utilitatem:
   4. Ad commendandam testimonii, à Spiritu Sancto perhibendi, infallibilitatem. D. Gerh. part. 3. harmon. pag. 963, 964.

2. A

2. *A quo mittendus*; à Patre videlicet: Is enim per mortem Filii reconciliatus, effundit super omnes fideles Spiritum Sanctum, qui est Spiritus gratiæ & precum. Zach. 12, 10. Innuit autem hoc προσδιορισμῷ Salvator,

1. se a Patre habere, ut mittat Spiritum Sanctum: Joh. 5, 19. q. d. mittam eum vobis virtute divinâ, quam per æternam generationem à Patre accepi, à quo habeo, quòd Spiritus Sanctus à me quoque æternâ processione procedens, mittatur à me æquè ac à Patre missione temporali.
2. Patrem esse q. fontem, à quo purus ille fluvius promanat: Apoc. 22, 1.
3. Hoc ipsum facit ad commendationem testimonii, à Spiritu S. perhibendi: mittam à Patre, h. e. ex sinu Patris, cum quo communem, immò numero eandem habet essentiam, potentiam ac scientiam. 1. Cor. 2, 11.

3. *Quid missurus sit* Apostolis suis Christus: Spiritum sc. Sanctum, cujus h. l. egregia inseritur descriptio, tàm ex parte subjecti, quàm ex parte prædicati. Describitur enim

Spiritûs S. descriptio.

1. *ab effectu sive officio*, ratione cujus vocatur Paracletus, h. e. Consolator & Patronus seu Advocatus. Erasmus Græcum παράκλητ@ reddidit Consolatorem, Lutherus der Tröster. Rectè ita verti probat D. Gerh. triplici ratione, pag. 500.

Paracletus.

1. quia cognatum nomen sive conjugatum παρακλήτωρ usurpatur pro Hebræo מְנַחֵם, quod consolatorem notat Job. 16, 2.
2. quia Christus in concione sua valedictoria hoc unicè agit, ut suos erigat ac soletur Apostolos; optimum autem solatium est in promissione de mittendo Spiritu Sancto positũ:
3. quia παράκλησις peculiariter Spiritui S. tribuitur. Act. 9, 31.

Interim tamen paulò pòst ostendit, nomen paracleti non solùm consolatorem, sed etiam advocatum & patronum significare; quia

Paracletus pro Advocato.

1. apud profanos etiam auctores in hoc significatu est in usu:
2. quia verbum παρακαλεῖν non tantùm significat consolari, sed etiam, ac multò magis exhortari, (nulla consolatio fit sine exhortatione) pro alio obsecrare, advocare & causam alterius agere, p. 701.
3. etiam apud Rabinos Paracleti nomen pro Patrono & Advocato sumitur: Ibid. & 702.

4. Syrus quoque nomen Paracleti retinuit, ad emphasin vocis innuendam ::

Christus Paracletus.

5. Christus noster dicitur Paracletus 1. Joh. 2,1. non modò propterea, quòd noster sit Consolator, sed etiam Interpellator; Rom.8,34. Paracletus enim est, qui causam alicujus agit, non verbis tantùm, sed facto etiam, seipsum Mediatorem ac obsidem interponendo ::

6. quia Christus alium Joh.14,16. promittit Paracletum, qui nimir. idem præstet quod Christus, non consolando saltem, sed & informando, gubernando, corrigendo, defendendo, intercedendo &c. quæ omnia διαῤῥήδην Spiritui Sancto adsignantur Rom.8,26,27. ubi ὑπερεντυγχάνειν est convenire aliquem super negotio alterius, velut si quis adeat Principem, commendaturus negotium amici.

Spiritus S. solatur dupliciter.

Ceterùm solatur nos Spiritus Sanctus partim exteriùs, per Evangelii prædicationem; Act.9,31. partim interiùs, per testificationem & obsignationem: Rom.8,16.17. 2.Cor.1,22. Eph.1,14. & 4,30. Ubi verò?:

1. in vita hujus calamitatibus & adflictionibus; Roman.8, 18. 28. 2.Cor.4,17.

2. in peccati tentationibus; Rom.8,38.39.

3. in mundi persecutionibus; 2.Tim.2,12.

4. in mortis insultibus. Joh.5,24. Act.5,41. & 7,55.

Spiritus S. advocatum agit & ubi.

Patronus autem & Advocatus noster est

1. in legis, satanæ & conscientiæ accusatione;

2 in contentione cum peccato, mundo, carne;

3. in cœlestis hereditatis acquisitione;

4 in tutoria bonorum per Christum partorum dispensatione;

5 in verbi & Sacramentorum legitimâ administratione;

6. in oris & sapientiæ subministratione; Luc.21, 15.

7. in telorum satanicorum confractione. D.Gerh. p.506. Vide de hac Spiritûs Sancti adpellatione suprà Domin. Cantate. Speciale hoc locô est,

1. quòd articulus ὁ præpositus voci παράκλητος sit ἀναφορικὸς, revocans discipulis in memoriam promissionem de Spiritus Sancti missione, jam antè datam. Joh.14,16.17.27.

2. Quòd nomen τὸ Πνεῦμα quidam exponant in casu accusativo, referentes ad verbum mittam; alii rectiùs in casu nominativo, in respectu ad nomen παράκλητος, ut sciremus, quis sit ille Spiritus.

3.

3. Quod subjectū prædicato sit accomodandū, de testimonii perhibitione. D. Gerh. p. 959. 960. Hoc unū descriptionis mēbrū.

2. Describitur ulterius *à proprio*, vel proprietate characteristica interna, processione ejus à Patre ineffabili. Processionem hanc (ἐκπόρευσιν) nonnulli exponunt de temporali Spiritûs Sancti ad creaturas sive processione, sive missione, hujusque sententiæ rationes in speciem probabiles adducit D. Gerhard. in harm. p. 947. Huic verò sententiæ subjungit aliam, & quidem veritati magis consentaneam, de æterna Spiritus Sancti à Patre Filioque processione, quam octo in medium productis rationibus roborat ac confirmat; pag. 948. 949. 950. frustrà obmurmurantibus Photinianis; pag. 951. Græci recentiores negant Spiritum Sanctum à Filio æquè ac à Patre procedere, quibus sex opponit D. Gerhard. rationes: p. 953. 954. ex textûs visceribus contrarium adseverans. p. 955. refutatis iis, quæ in contrarium objici solent. p. 956. 957. ὡς ἔπος εἰπεῖν procedere Spiritum S. à Filio quoque inde patet,

Processio Spiritûs S.

Græci negant processionem à Filio.

1. quia à Filio mittitur Spiritus sanctus;
2. quia dicitur Spiritus Filii. Gal. 4, 6. Spiritus oris Christi, 2. Thess. 2, 8. eâdem utique ratione, quâ Spiritus Patris nuncupatur. Matth. 10, 20. 2. Cor. 2, 11.

ἐκπόρευσις illa est proprietas characteristica Spiritûs sancti, quâ ipse à Patre Filioque distingvitur; sicut Patris proprietas characteristica est ἀγεννησία; Filii, γεννησία. Intelligitur autem processio non de locali discessione, sed de divina, mystica & ineffabili, immò & æterna spiratione. Nulla verò h. l. est ἀντιλογία sive contradictio, cum vers. 26. cap. 14. Johann. ubi dixerat Christus; quem (Spiritum sanctum) Pater mittet vobis. Inde enim summa solùm evincitur Patris Filiique æqualitas, eademque utriusque potestas, auctoritas & Majestas. Quia ergò à Patre & Filio mittitur Spiritus sanctus, absonum dixerimus nihil, si ab utroque eundem procedere affirmaverimus.

Processio proprietas characteristica Spiritûs S.

3. *A glorioso adventu.* Christus enim non saltem dicit, venturum hunc Paracletum juxta suam promissionem, sed Apostolis etiam suis illum sese missurum. Τὸ venire autem non de loci mutatione est accipiendum, sicut homines venire solent, locum mutando & de loco in locum progrediendo: sed præsentiam suam, vel externo quodam symbolo, vel novo opere & effectu manifestando. Mitti etiam dicitur persona divina, dum incipit alicubi esse novo modo, quo ibi priùs non erat. Eâque hæc Spiritûs san-

Venire in divinis.

Mitti in divinis.

est missio duplex, visibilis & invisibilis: de priori h.l. est sermo; ut & Luc.24,49. Joh.16,7. Act.1,4.5. de posteriori Gal.4,6.

4. Iterum *ab effectu vel officio Spiritûs Sancti alio*, eoque gemino, quod consistit,

1. in veri prolocutione, hinc Spiritus veritatis audit, de qua adpellatione vide Domin. Cantate:

2. in testimonii perhibitione; ideoque additur: ille testimonium perhibebit de me, publicam edens confessionem, quòd Ego sim Messias, promissus mundi Salvator. Hoc suo de me testimonio ad fidem Christi multos convertet. Ceterùm testimonium illud suum producet Spiritus sanctus non ἀμέσως tantùm, & immediatè, sed & ἐμμέσως mediatè, mediantibus nimirùm Apostolis, quippe qui toto illo tempore, quo docendi ministerio in terris functus fuerat Christus, individui ejus comites fuerant: ut αὐτόπται itaque, oculati & auriti testes, verum de Christi concionibus, factis ac miraculis testimonium perhibere poterant. 2. Petr.1,16. Specialiùs ut agamus de Christo testimonium perhibuit Spiritus sanctus

Spiritus S. testis Christi.

Modus testimonii Spiritûs S.

1. tùm mediatè, per Apostolorum prædicationem, tùm immediatè, per visibilem sui super Apostolos effusionem, publicum hoc ipso innocentiæ, veritati & exaltationi Christi testimonium reddens: D.Gerh.p.965.
2. per efficacem Apostolorum immutationem: ib.p.966.
3. per miraculorum in Apostolis ac per Apostolos operationem:
4. per interiorem in cordibus Apostolorum testificationem:
5. per impiorum convictionem & condemnationem. Ib.

Porismata & Theoremata Theologica primæ partis.

Trinitatis testimonium.

I. Habemus h.l. expressissimum S.S. Trinitatis testimonium; omnium enim trium personarum fit mentio: Paracletus h.e. Spiritus sanctus mittitur; Filius mittit, & quidem à Patre, prima Trinitatis persona; is enim est fons & origo sacrosanctæ Trinitatis. In V.T. probatur hoc mysterium, tùm ex numero plurali, de Deo usurpato: Genes. 1.1.26. & 3,22. & 11,7. Esaiæ 6,8. tùm ex forma loquendi, quâ Deus de Deo loquitur: Gen.19,24. Exod.34,5.6 Psalm.110,1. tùm ex repetitione nominis Jehovah. Num.6,2. Dan.9,19. Esaiæ 3[illegible],22. In N.T. idem stabilitur, & quidem

dem aliquantò clariùs, tùm ex baptiſmo Chriſti; Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 22. tùm ex baptiſmi noſtri formula; Matth. 28, 22. tùm ex diſtincta trium perſonarum mentione. Joh. 5, 3. & 8, 17. & 14, 16. 2. Cor. 13, 13. Eph. 2, 18. Gal. 4, 6. Tit. 3, 5. Rom. 1, 2. & 11, 36. 1. Johann. 5, 7.

II. Explodendus itaque eſt craſſus Sabellii error, qui unam tantùm in eſſentia divina fingebat perſonam, quæ modò Pater, modò Filius, modò ſanctus diceretur Spiritus. Errorem hunc in proſcenium Eccleſiæ à fanaticis quibusdam hominibus reduci, lacrymis certè ſangvineis deplorandum.

Sabellianiſmus.

III. Spiritus ſanctus non eſt motus tantùm ſpiritualis in cordibus piorum, non virtus, vis atque efficacia Dei, quâ res aliquo modo ſignificatur, quod modernorum Photinianorum putidum eſt delirium; ſed eſt αὐθυπόστατος, ſingularis, ſeipsâ exſiſtens perſona, à Patre & Filio realiter diſtincta. Illud patet per id, quòd venire, mitti & teſtimonium perhibere de Chriſto dicatur; hoc per illud, quòd à Patre Filioque procedere, & expreſſa trium perſonarum mentio hoc in loco legatur. Adde Johann. 14, 16. Luc. 3, 22. Johan. 1, 32.

Photinianorum de Spiritu S. deliria.

IV. Spiritus ſanctus verus & eſſentialis eſt Naturâ ſuâ Deus, quia

Spiritus Sanctus Deus.

1. Spiritus & dicitur & verè eſt, non ratione ſeu ſpiritualitate quacunque, ſed ratione illâ prorſus ineffabili, quâ Deus οὐσιωδῶς dicitur Spiritus. Joh. 4, 24.
2. A Patre procedit, non motu quodam phyſico, ſed ex ſubſtantia Patris infinita immanendo procedit. 1. Corinth. 2, 12.
3. Expreſſè dicitur Deus. 2. Sam. 23, 23. Act. 5, 3. 4. & Jehovah, quod eſt nomen Dei proprium & eſſentiale. Eſa. 6, 9. & 42, 8. 2. Cor. 3, 17.
4. Opera verè divina ipſi adſignantur. 2 Cor. 3, 3. & 4, 18. Joh. 3, 5. Rom. 8, 15. Vide plura apud D. Hunn. de Trinit. & locos Theolog. de hoc articulo.

V. Notanda eſt diſtinctio, quâ multa adverſariorum, Photinianorum cumprimis σοφίσματα & παραλογίσματα refelli poſſunt. Conſideratur nimirùm Spiritus ſanctus dupliciter; ſemel ratione divinæ ſuæ eſſentiæ, quam cum Patre & Filio habet communem; deinde ratione donorum ſive χαρισμάτων ſuorum, quæ in cordibus humanis operatur.

Diſtinctio Spiritûs S. conſideratio.

VI. Pro-

Proprietas Spiritûs Sancti.

VI. Proprietas Spiritûs Sancti characteristica sive hypostatica, quâ à reliquis Divinitatis personis discriminatur, est τὸ ἐκπορεύεσθαι, procedere, & quidem à Patre & Filio. Joh.16,7.

Græcorum de S.S. contra Latinos sententia.

VII. Magno olim Græci conatu, hodieque nonnulli, ex hoc Evangelio pugnârunt contra Latinos, adserentes, Spiritum Sanctum solùm à Patre, non item à Filio procedere. Dicendum enim aliàs fuisset: Spiritus qui à Patre & à me procedit. Sed sciendum,

1. quod hic omissum putatur, alibi luculenter exstat, ut in sequenti mox porismate indicabitur:
2. Sed neque hoc in loco planè prætermissum. Quandoquidem enim illam sibi Christus Majestatem vendicat, quòd possit & velit Spiritum Sanctum mittere, eo ipso simul innuit, à se quoque eundem Spiritum S. procedere.
3. Non ergò exclusivè, sed inclusivè Christi oratio est accipienda.

Processio S.S. à Filio.

IIX. Procedere autem Spiritum S. à Filio non minùs atque à Patre inde probatur, quia

1. Spiritus Christi vocatur: Rom.8,9. Gal.4,6. & Spiritus oris ipsius; 2. Thess.2,8 Esa.11,4.
2. In tempore à Filio mittitur, per hunc textum: Luc.24,49.
3. Insufflando Spiritum S. dedit Apostolis: Joh.20,22.
4. Et quæcunque demum Pater habet, ea habet & Filius. Johann.16,15.

IX. Ab elargitione donorum Spiritûs sancti ad ejusdem processionem, non valet consequentia. D. Finck. cent.4. can.71.

X. Ab eo autem, quod singulariter tribuitur uni personæ, rectè concluditur, quod etiam conveniat alteri, quod sine ratione negant Græci. Ib. can.71.

XI. Ab unitate personæ, ad unitatem processionis ac operationis, non valet consequentia. Ibid. can.73.

Spiritus S. non alligatur Prælatis

XII. Superciliosum & fastuosum nimis est, quòd Pontificiorum quidam ad solos Prælatos (Pilatos) Spiritûs sancti adsistentiam & missionem adligare præsumunt: Vobis, inquiunt, prælatis Ecclesiæ, & quidem congregatis, (e.g. in conciliabulo Tridentino) mittam Spiritum veritatis à Patre.

Officium S. S. triplex.

XIII. Officium Spiritûs sancti est,

1. *consolari, & causæ nostræ patrocinari:* Rom.8,16. Gal. 4,6. Eph. 1,14. 2.Cor.1,27.
2. *Veritatem monstrare:* 1.Joh.5,8. Joh. 16,13.

3. De

3. De Christo testari. Act.10,19.20. Rom.8,16. Gal.4,15. 2.Cor.1,22.

XIV. In Scriptura sacra Spiritum S. de Christo ter testatum fuisse legimus: loquimur autem de publica aliqua, solemni & q. visibili testificatione: (1) apud Baptismum Christi: Matth.3,17. Luc. 3,22. (2) apud ejus transfigurationem in nube lucida: Matth.17,5. (3) in die Pentecostes, in lingvis igneis, Act.2,3.

Spiritus S. publicè ter de Christo testatus est.

XV. Aliàs etiam testatus est, & testatur quotidie de Christo, 1.Joh.5,6.7.8. idque facit dupliciter, vel publicè; 2 Pet.1,2. Act.2,8. Ps. 19,5. Rom.10,15. vel privatim in cordibus fidelium. Rom.8,16.17.39 D.Finck.cent.1. can.83.

XVI. Testis requisita examussim conveniunt Spiritui Sancto; nim. (1) scientia, novit τὰ τοῦ θεοῦ: 1.Cor.2,11.12. (2) integritas, est Spiritus veritatis: (3) auctoritas, est fide dignus, quia Deus, ac proinde & ἀξιόπιστος, & αὐτόπιστος.

Testis S. S. idoneus.

XVII. Huic ergò Spiritûs Sancti testimonio tutò inniti possumus, & Christum pro Messia, Dei Filio & mundi Salvatore verâ fide amplecti. 1.Joh.5,9.10. Joh.10,37. & 14,10.

XIIX. Templa Spiritûs Sancti γνήσια duabus insigniuntur notis; quarum una est *efficacissimæ consolationis*; altera *constantis confessionis & testificationis*, de quibus in sequentibus plura.

Templorũ S.S. notæ.

XIX. Scripturæ atque doctrinæ Apostolicæ auctoritas ex eo liquet, quòd scimus, (1) illos electos esse ac constitutos Christi testes. Act.1,8. & 10,39. (2) testimonium eorum cum Spiritûs Sancti testimonio ἀδιαλύτως cohærere.

Apostolicæ doctrinæ authoritas.

XX. Quia itaque tanta est ministerii Apostolici dignitas, testimonii item eorundem certitudo, meritò duodecim Apostolorum testimonio αὐτοπίστῳ fidem adhibemus. Luc.10,16. 2.Cor 5,20.

XXI. Hoc κριτηρίῳ cùm destituantur traditiones Pontificiorum ἄγραφοι, non scriptæ, eâdem à nobis facilitate rejiciuntur, quâ Ecclesiæ ab ipsis obtruduntur. Tantum de prima Evangelii parte.

Traditiones Papisticæ.

PARS II.

Sequitur jam secundâ parte infallibile Christi vaticinium, quò, quàm immani odiò discipulos suos profecuturus esset mundus, perspicuè admodum Salvator prænunciat. Notentur quatuor membra:

1. Προθεραπεία, *præmunitio sive praeoccupatio*, à causa finali petita; cur nimirùm toties de futuris calamitatibus præmoneat; non

Hhhhh cer-

certè ut mœrorem ipsis ulteriorem ingerat; aut tristitiam, ex abitu ipsius magnam satis futuram, majorem efficiat; sed ne offendantur, & à constantia fidei dimoveantur, si improvisa ipsis evenissent. Tela autem prævisa minùs feriunt.

Pronomen ταῦτα respectum habet ad proximè præcedentem prædictionem, de odiis & persecutionibus, à mundo & in mundo ab Apostolis sustinendis; ne iis offensi à confessione & prædicatione Evangelii deficiant. σκάνδαλον propriè est instrumentum, quo decipiuntur mures; vel lignum illud incurvum, quo tendicula seu decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam decipulam in se subitâ ruinâ evertit. Metaphoricè notat obstaculum sive impedimentum, quod in via insidiosè ponitur, ut qui illac transeunt, in id impingant pedem & offendant, ex quo offendiculum, Græcis πρόσκομμα, vocatur: in genere offendiculum, ad quod in via quis impingit. In N. T. significat, quando quis ipse factô aliquô offenditur, vel alium offendit; duo autem hæc σκάνδαλον & πρόσκομμα interdum ἐκ παραλλήλου ἐξηγητικῶς conjunguntur. Roman.14,13. 1.Pet.2,8. Apud profanos authores neque nomen σκάνδαλον, neque verbum σκανδαλίζειν, Henricô Stephanô auctore, usurpatur, unde videtur Scripturæ proprium. Voluit igitur his verbis præmunire discipulos suos Salvator contra scandalum ob persecutiones acceptum, (1) ne in fidei professione hallucinarentur; (2) nec planè deficerent, sed fortiori eis animô obvenirent: Hæc locutus sum vobis, ne scandalizemini, i.e. ne in scandala illa vobis objecta impingatis, & impingentes vel cadatis, vel retrocedatis. Fieri enim non potest, ut in cursu ministerii vestri vobis non objiciantur scandala, sed in id laborandum, ne illis offensi fidem & confessionem Evangelii abjiciatis, ac vocationem vestram deseratis, uti loquitur D. Gerh. pag. 985. harm.

σκάνδαλον (margin)

2. *Ipsa προφητεία sive prædictio*, exempla persecutionum futurarum aliqua proponens. Ad duo autem genera adflictiones Apostolorum revocat.

Excommunicatio. (margin)

1. *Unum ignominiæ, excommunicationem* vocat: Alienos facient, excludent vos à Synagogis, consortiô & Ecclesiâ sive congregatione suâ vos, tanquam hæreticos vel homines nocentissimos, statuentes indignos. In Græco est, ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς: pro meliori verborum istorum intelligentia, sciendum, templum in Palæstina, ex constitutione divina, fuisse tantùm unicum, Hierosolymis; at in singulis civitatibus, populosioribus præsertim, erant Syna-

Templum apud Judæ. unicum. (margin)

nagogæ, i.e. quædam ἀκροατήρια sive scholæ, in quibus Mosis & Prophetarum scripta, publicè prælegebantur, additis interpretationibus & precibus solemnioribus. Act.13,27. & 15,21. In prælectionibus istis certus observabatur ordo, quem vide apud D. Gerhard. p. 990. Si Thalmudistis fides habenda, erant tempore excidii Hierosolymis, ejusmodi Scholæ 431. inter illas verò eminuit una, reliquis augustior, templo contermina, ac ipso templi ambitu exteriore comprehensa, quæ templi nomine generaliter accepto fuit adpellata; Luc.2, 46. invenerunt Jesum in templo, sedentem in medio Doctorum, i.e. in Synagoga templo vicina. In hac significatione, inquit D. Gerh. p. 991. scil. pro schola vel loco publico, in quo Judæorum multitudo, ad exercitia illa spiritualia conveniebat, Synagogæ nomen h. l. accipitur. metonymicè, pro loco conventus Israelitici. Luc 7,5. Act.18,7. Ibi enim non solùm prælegebantur scripta Mosis & Prophetarum, habebantur συζητήσεις, de vero Scripturæ sensu, preces recitabantur &c. sed & delicta, contra Legem admissa, corrigebantur hoc observato ordine.

Synagogæ plures.

Synagogæ delicta corrigebant.

1. Verbis monuerunt, quos contra Legem Mosis docuisse vel egisse judicârunt.
2. Desistere nolentem flagellârunt: Act.5,40. & 9,2. & 22,19. & 26,11. Matth.10,17. & 23,24. Luc.12,11. & 21,12.
3. Non facti meliores, fiebant ἀποσυνάγωγοι, h.e. interdicebatur illis ingressus in synagogam; excludebantur à publicis conventibus Ecclesiasticis; nomen eorum tanquam πονηρὸν ejiciebatur, i.e. nomine publicè recitatô è Synagogis ejiciebantur; Luc.6,22. judicabantur indigni, cum quibus in verbo & doctrina communicarent, adeoq; pro Ethnicis & Publicanis habebantur. Matth. 18,17. quod cum summa erat ignominia & probro conjunctum. Exclusio illa idem fuit, quod in Ecclesia Christiana excommunicatio major; unde Lutherus vertit: sie werden euch in den Bann thun. Excommunicationis istius tres erant species, quas ex Buxdorffio & Schindlero recitat D. Gerh. p. 993. Ceterùm excommunicationem istam Apostolis prænunciat Christus

ἀποσυνάγωγος.

1. ut ostendat, non à gentibus saltem, sed à Judæis ipsos persecutionem esse passuros, intra & extra Ecclesiam:
2. ut innuat, non promiscuum tantùm vulgus, sed proceres etiam Judæorum contra ipsos sævituros:
3. ut significet, rabiem Judæorum cœptam majora post adscensionem incrementa sumturam:

4. ut consolatione efficaci eos muniat:
5. ut hostibus veritatis pietatis simulatæ larvam detrahat. Vide D. Gerh. p. 994.

Occisio Apostolis denunciata. 2. Alterum adflictionis genus est *supplicij*, idque *internecionem* dicit, cum infamia itidem conjunctam. Veniet (ἔρχεται pro ἐλεύσεται, præsens pro futuro, indicans tempus, quo hæc prædictio complebitur, non procul abesse) tempus, (**ὥρα** ὥρα, quia sævitia persecutorum & pressura piorum non diu est duratura) ut (ἵνα pro ὅτι) omnis, qui interficiet vos, arbitretur se præstare λατρείαν, h. e. cultum Deo placentem. Exclusio est fori Ecclesiastici; occisio fori politici: quos enim non possunt sermonibus decipere, inquit Ambrosius, gladio clamant feriendos; cruentas leges ore dictant; manu scribunt, & putant, quòd lex fidem hominibus imperare possit. Occisio itaque ponitur ut majus malum; quia

1. excommunicatio ista non erat legitima, ac proinde non magni æstimanda;
2. corporalis occisio coram oculis hominum gravius censetur malum:
3. is demum occiditur, de quo nulla spes meliorationis superest.

ἀποκτείνειν Per verbum autem ἀποκτείνειν utrumque mortis genus significatur, *tùm* quando quis in repentino hominum privatorum seditiosorum tumultu ad mortem rapitur; Matth. 21,35. & 22,6. Act. 23,14 *tùm* quando quis sub specie quadam judicii à Magistratu interfici jubetur. Matth. 14,5. & 16,27. & 17,23. Hanc vero adflictionem Apostolis quoque Christus prænunciat, ut innuat,

1. non à Judæis tantùm, sed & à gentilibus persecutionem ipsos esse passuros, quam sententiam sex rationibus munit D. Gerh. p. 997.
2. ipsos eo, quod majus est, contemto, cetera, utpote minora, non curare debere:
3. hanc esse brevem τ͂ παθημάτων summam atq; epitomen:
4. Apostolos imagini Magistri sui esse conformandos.

3. *Αἰτιολογία vel causæ redditio.* Si enim quis quærat; quæ quæso tanti furoris causa? Respondet Salvator, geminam perversitatis istius adsignando causam:

Imaginatio hostium Ecclesiæ. *I. Bonæ causæ imaginationem*; arbitrabuntur miseri, se vos interficiendo cultum præstare Deo gratissimum, eò quòd è medio sustulerint capitales Dei & religionis hostes. λατρεία

1. si-

1. significat obsequium &cultum, eum præsertim, qui Deo exhibetur & præstatur. Rom. 9, 4. Hebr. 9, 1.

λατρεία.

2. Sumitur pro sacrificio, præcipua cultûs divini parte. Rom. 12, 1. Hebr. 9, 6. Sensus est arbitrabuntur persecutores 1. se gratum Deo exhibere obsequium; 2. mercedem ac favorem sibi apud Deum conciliare; 3. se gratum Deo offerre sacrificium: & hanc posteriorem significationem esse hujus loci propriam; eventum quoque huic prædictioni, tàm apud Judæos, quàm apud gentes, exactè respondisse, ostendit D. Gerhard. pag. 1000. 1001. Probè autem est notandum, quòd Christus dicat, judicia illa esse meras δόξας sive opiniones, omni veritatis fundamento destitutas. Proinde quòd vulgò dicitur, δόξαν adferre vim veritati, illud etiam hîc locum habet.

2. *Veri Dei ignorationem.* A natura enim hostium argumentando inquit: *Et hæc facient vobis*, (non ex vero & pio Zelo; non ob vestrum aliquod sive meritum, sive facinus; sed ex ignorantia voluntaria, quam adfectatam in scholis vocant;) *quia neq; Patrem, neq; me* (verum mundi Messiam) *noverunt*, h. e. agnoscere voluerunt. Collectio ἐνθυμηματικὴ est talis: Deum verum, & missum mundi Salvatorem ignorant: Ergò mirum non est, in Dei ministros ac fideles quosvis eos tantis odiis æstuare, tantisque persecutionem studiis sævire.

Particula καὶ non est copulativa, sed adversativa, pro ἀλλά, Johann. 15, 21. hoc sensu: videbuntur sibi præstare λατρείαν Deo: sed reverâ non noverunt Deum, ignorant ejus tùm essentiam, tùm voluntatem; Messiæ item personam & officium, ideoque hæc facient vobis, i. e. odio vos habebunt, vos persequentur, sermonem vestrum repudiabunt, (relativum enim ταῦτα respicit etiam ad ea, quæ Johann. 15. cap. discipulis de odio mundi locutus fuerat:) vos excommunicabunt & interficient. Est ergò hæc hostium ignorantia non probabilis, sed adfectata, planè inexcusabilis, Johann. 15, 22. 24. Consistit itaque ignorantia ista in ignorantia S.S. Trinitatis, incarnationis, redemtionis, χριστογνωσίας, veri cultûs, Evangelii, δικαιοκρισίας divinæ. D. Gerhard. p. 1009. 1010. Hæc dicuntur Apostolis loco solatii, quòd falsa sit hostium & gloriatio & persvasio; quòd citra culpam hæc patiantur; (*culpâ autem vacare magnum est solatium*) quòd pro Deo & propter Deum hæc ferant; quòd Zelus hostium sit ἄζηλος, originem trahens ex ignorantia juris adfectata; Romanor. 10, 2. quòd non noverint

Ignorantia hostium adfectata.

pios ac finceros verbi confeffores ; quòd ipfius Dei fint hoftes. 1.Sam.2,30. quæ omnia animum in adverfis poffunt erigere efficaciter.

IV. Ἀνακαίνωσις, *renovatio*, feu nova inftituti expofitio, à fine iterum præmonitionis petita. Sed hæc locutus fum vobis, non ut mœrore adficiamini; multò minùs metu perfecutionum calamitatumque perculfi vocationem abjiciatis; fed ut memores hujus prædictionis, adverfus fcandalum animum præmuniatis, & adverfa quævis tantò fortiùs excipiatis. Ita particula ἀλλὰ vel fimpliciter infervit tranfitioni ad novum fententiæ membrum: Matth.11,7.8. Luc.7,25. Romanor 10,18.19. vel opponitur triftitiæ, in animis difcipulorum oborituræ.

Μνημονεύειν. Μνημονεύειν eft, memoriâ tenere, memorem effe, recordari, in memoriam revocare ea, quæ exciderunt. Utilitatem prædictionis fextuplicem habet D.Geth.p.1015.1016.ubi vide.

Dilatatur προκαταλήψει, occupatione, cujus ἔνστασις five αἰτίασις effe poterat: At cur anteà hæc non monuifti? cur jam demum, fecefsionem à nobis facturus ifta ingeminas?

Λύσις habet διήγησιν τῶν ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους, h. e. narrationem, rem ipfam à novo repetentem, & ad extremum deducentem. Ab initio, cùm vos in numerum Apoftolorum cooptarem, hæc, de calamitatibus certò eventuris, non dixi: neque neceffum erat hæc monere, quia vobifcum eram. Mox difceffurus loquitur, quafi jam difceffiffet; quia de rebus mox futuris Scriptura non folùm verbis præfentis, fed etiam præteriti temporis loqui folet. Propofitum erat Salvatori, de fuo ad Patrem abitu, & à difcipulis difceffu fermonem inftituere, ad quem fibi viam hac loquendi formâ parare voluit. Per phrafin ἐξ ἀρχῆς intelligitur initium minifterii, quod Chriftus in diebus carnis fuæ docendo ac miracula operando per triennium & menfes aliquos exegit: Vel quod idem eft, initium familiaris converfationis Apoftolorum, in Scholam Chrifti vocatorum, D. Gerh. p.1018.

D. Lucas Ofiander hæc verba ita expofuit: *Non erat tunc neceffe, de his rebus admonere: Ego enim vos defendebam, ut nulli periculo expofiti effetis. Ideoq; nolebam vos ante tempus triftibus iftis cogitationibus gravare*. Hæc ille. Recentiores, validiùs textum prementes, exiftimant, conjunctim hæc effe accipienda, de perfecutionibus, & adfuturo Spiritûs S. patrocinio, hoc fenfu: Perfecutiones quidem prædixi, fed poft meum demum difceffum

eve-

evenient, & tùm mittetur Spiritus ſanctus, qui meo loco vos conſolabitur; idque hactenus diſtinctè & expreſsè nunquam propoſui, neque verò opus erat, quàm diu me præſente nec calamitates experiebamini, nec alio Paracleto indigebatis.

D. Gerhardus eruto vero verborum ſenſu ſextuplicem adſignat pag. 1019. 1020. cauſam, cur ab initio hæc non prædixerit; ſimulque reſpondet ad ſcrupulum, quòd ab initio ſtatim & in ipſo decurſu miniſterii ſui non reticuerit crucem p. 1021. 1022. tandem autem hanc ſubjungit expoſitionem: Poteſt etiam addi, quòd Chriſtus non tàm dura & acerba, non tàm clarè & perſpicuè eis talia prædixerat. Quòd enim à Synagogis ſint excludendi, quòd cum opinione ſingularis cultûs ſint interficiendi, hoc nunquam anteà vel certè non tàm perſpicuè prædixerat. Dixerat quidem illos flagellendos eſſe in Synagogis; ſed longè gravius eſt excludi à Synagoga. Hæc reſponſio itidem congruit cauſæ, quia vobiſcum eram, i. e. nihil neceſſarium erat vobis talia prædicere, quia complementum adhuc longè aberat: nunc autem, quia à vobis diſcedo, & poſt meum diſceſſum talia vobis brevi evenient, ideò volui priùs his de rebus apertè & perſpicuè vos admonere.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. In Eccleſia non omnia fauſta ac felicia nobis polliceamur: futuram enim illam ſub cruce, Salvator ipſe & hic & alibi multoties prædixit. Eſaiæ 54, 11. Dan. 12, 1. Zach. 14, 5. Jerem. 25, 29. Pſalm. 34, 20. & 44, 23. Auguſt. epiſt. 119. Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non adprobat, non tacet, non facit. *Eccleſia ſub cruce.*

II. Vaticinia ergò de cruce proſunt adverſus ſcandalum. Rom. 15, 4. 1. Pet. 4, 17. Matth. 10, 28.

III. Moneamur de mercede fidelium Eccleſiæ Doctorum; excommunicatione & trucidatione. Amos. 5, 10. 2. Par. 36, 16. Jer. 18, 18. Ezech. 3, 25. Cant. 1, 6. Matth. 10, 25. Johann. 15, 18. & 17, 14. Luc. 21, 12. *Merces doctorum Eccleſiæ.*

IV. Solentur autem ſe pii contra omnem tyrannidem & perſecutionem, tùm exemplo Chriſti; Matth. 10, 18. Johann. 15, 18. tùm Dei promiſſionibus; Pſalm. 91, 15. & 116, 10. Matth. *Conſolatio perſecutioni opponenda.*

10,

10, 28. tùm bonâ ſuâ conſcientiâ: Romanor. 8, 36. 2. Timoth. 2, 11. 1. Petr. 2, 20. & 4, 14. 2. Corinth. 4, 17. tùm vero perſecutionis objecto; Actor. 9, 5. tùm pœnâ hoſtium ac perſecutorum; Pſalm. 55, 24. tùm demum bono perſecutionum fine; faciunt enim & vergunt ad

Finis perſecutionum bonus.

1. *veritatis Eccleſiæ argumentum;*
2. *fidei augmentum;*
3. *Eccleſiæ incrementum;*
4. *precum fomentum;*
5. *ſanctorum ornamentum.*

Scandalum

V. Pii in hac vita non ſunt à ſcandali periculo immunes; quod duplex, activum & paſſivum. D. Gerh. p. 986.

VI. Inter ea, quæ carni ſcandalum præbent, eminent cumprimis adverſitates & perſecutiones. Matth. 13, 21. & 24, 9. 10.

Crucis prædictiones.

VII. Prædictiones crucis maximo nobis eſſe debent ſolatio; quia

1. *tela nocent leviùs viſa volare priùs:*
2. nihil piis evenit Deo vel neſciente, vel non permittente: Matt. 10, 29. Luc. 12, 7.
3. ſors iſta cum Chriſto & omnibus ſanctis eſt communis. Matth. 5, 12. Hebr. 12, 6. 1. Petr. 5, 9. Apoc. 1, 9. Vide plura apud D. Gerh. p. 987. 988. 1003.

Martyrium

IIX. Martyrium non ex tormentis aut morte, ſed ex cauſa eſt æſtimandum. Latro itaque, quod volunt Jeſucidæ, Luc. 23. martyr non fuit, quia digna factis recepit. verſ. 41.

Eccleſiæ Antichriſtianæ notæ

IX. Antichriſtiana Eccleſia ſuis h. l. notis infallibilibus depingitur: faciet Chriſti fideles ἀποσυναγώγους; & ad ſanguinem uſque contra illos ſæviet. Johann. 9, 22. & 12, 42. 1. Cor. 4, 13. Apoc. 13, 15. 17. & 17, 6. D. Gerhard. p. 1004. falſæ, inquit, Eccleſiæ proprietas eſt, confeſſores Evangelii excommunicare & interficere. Occiduntur pii, non occidunt; pereunt, non percutiunt; fugantur, non fugant.

X. De extrema mundi cæcitate & perverſitate. Ib. p. 1004.

XI. Eccleſiæ Præſides poſſunt errare. Matth. 23, 2. Ibid. pag. 1005.

Excommunicatio.

XII. Excommunicationis fulmen grave eſt ac horrendum, ſi legitimè exerceatur; hominem enim non tantùm à viſibili Eccleſia excludit; ſed è regno quoque cœlorum ejicit, immò ſatanæ poteſtati mancipat. Matth. 5, 29. & 16, 19. & 18, 18.

XIII.

XIII. Excommunicatio ergò legitima cautè exercenda. Matth.18,11. 1.Cor.5,3. 2.Thess.3,6.14. 1.Tim.1,18. Tit.3,10. Proverb. 22,10.

XIV. Fines excommunicationis legitimæ sunto; **Excommunicationis fines.**

1. gloriæ divinæ adsertio, ne doctrina Evangelii propter sceleratos malè audiat; Rom.2,14.

2. sanabilium reductio; Prov 15,32. 1.Cor.5,5.

3. bonorum à malè agendo retractio; 1.Tim.5,20.

4. scandalorum remotio; 1.Cor.5,6.

5. calamitatum publicarum aversio; quandoquidem

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ;

hoc est: - - - - *sæpè*

Unius malefacta viri populus luit omnis.

XV. Sed non omnis excommunicatio pertimescenda; injustè enim vibrata & adhibita, (qualis Pontificiorum in nostras Ecclesias) inane est è pelvi fulgur. Pro.26,2. Psal.7,17. & 109,28. D.Gerhard.p.1005. **Excommunicatio falsa.**

XVI. Bona intentio ad opus bonum non sufficit, sed requiritur insuper, ut sit conforme regulæ in verbo præscriptæ. Mat.23,29 Rom.8,7. & 10,2. Deut.4,2. & 12,8. Col 2,23.

XVII. Potestatis per se bonæ abusus solet esse pessimus, quod videre est in excommunicatione Papistica. D.Gerh.p.1006.

XIIX. Actio & passio differunt; actio hostium & persecutorum Deo summè displicet; passio placet, ut sacrificium Deo oblatum.

XIX. Mundus in pios homines sæviens existimat, se purgare terram ab hominibus facinorosis, quibus sublatis, maximam sibi felicitatem pollicetur. Joh.11,47.48.49.50. Confer rabiem meretricis Pontificiæ, non tàm ovum ovo, quàm hanc Christi Διαγεαφῶ ejusdem praxi, similem dices. **Papæ rabies**

XX. Qui Deum verè noverunt, nunquam pios & innoxios homines persequuntur. Subsume de Pontificiis. Ignorant Deum & Christi officium; mirum itaque non est, sangvinarios & crudeles illos esse veræ Ecclesiæ hostes ac persecutores. **Papistarum rabies unde**

XXI. Persecutiones Ecclesiæ non obsunt, sed prosunt, & quidem **Persecutionum usus.**

1. ad Scriptura, verbiq; divini studiosiorem investigationem;

2. ad majorem pietatis segnescentis inflammationem;

3. ad Evangelij propagationem.

Sangvine fundata est Ecclesia; sangvine cœpit;
Sangvine succrevit, sangvine finis erit.

XXII. Nominato Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus Sanctus. D, Gerh. p. 1012.

XXIII. Dei ignorantia est omnium peccatorum & errorum causa. Ibid.

Hostes Ecclesiæ.

XXIV. Pessimi Ecclesiæ hostes sunt, qui optimi videri volunt Christiani. Act. 4. 5,7.9.14. 17.21.23. 24. capp. Phil. 3, 6. Exemplum tibi cape in Pseudopoliticis, nobilibus & rusticellis nostris.

XXV. Ex verbo Dei solatium in ærumnis desumitur efficacissimum. 2. Tim. 3, 16. Rom. 15, 4.

Tempus crucis.

XXVI. Tempus crucis, est tempus oblivionis; h. e. quando sub crucis onere ingemiscimus, tunc animis nostris plerunque excidere solent, quæ ex verbo Dei priùs audivimus.

XXVII. Ecclesia est φυλακτήριον sive depositorium verbi.

XXIIX. Monemur de Christi benignitate, in docendo dexteritate, & fidelitate.

XXIX. Tristia non intempestivè, sed commodè iis, ad quos potissimùm spectant, sunt denuncianda. Gen. 22, 7. 8.

XXX. Cùm videmus, ea quæ Christus & Apostoli prædixerunt, evenire, hinc fidem nostram confirmari patiamur, eandem de iis, quæ supersunt, spem complementi concipientes. Ps. 33, 4. Ezech. 12, 24. & 33, 33. Amos 3, 7. Act. 1, 16. & 3, 18. Luc. 21, 23.

PARS III.

Fuit secunda etiam propositæ tractationis pars; restat tertia. Ne itaque animi discipulorum ad calamitatum ac persecutionum mentionem deficiant, subinde consolationum dulcissimarum fontes immiscet Salvator suavissimos. Erigere ergò & ad adversa quævis forti ac præsenti animo sustinenda confirmare debet & Apostolos, & nos omnes,

Consolatio cruci & persecutioni opponenda

I. Benignissima Spiritûs Sancti promissio: Is enim ratione officii est παράκλητος, Consolator & fidelis Advocatus, agitque causam fidelium in judicio tùm interno & spirituali, tùm externo & civili. Rom. 8, 26. confer præcedentia.

II. Omnis

II. Omnis culpæ(quoad præsentem actum & statum)*vacatio:* culpâ autem vacare magnum solatium. Sir.14,1. Rom.5,3.4. & 8,28 1.Pet.4,13.

III. Domini præcognitio. Genes.31,13. Exod.3,7. 2.Reg.14,26. Apoc.2,9. Matth.10,31.Ps.56,9.

IV. Dei improbatio: non enim quæ mundo, eadem Deo quoque justa videntur.Ps.116,15.

V. Miranda ex adversitatibus liberatio. Ideò enim suam nobis in verbo præsentiam pollicetur. Psal.34,19.& 91,15. Matth.18,20. & 28,20. Joh.14,18. *Si itaq;*, quod Hieronymi est effatum, *parva animalia absq; Deo auctore non decidunt, & quæ in his peritura sunt, sine voluntate ipsius non pereunt: Vos qui æterni estis, non debetis timere, quasi absq; Dei vivatis prudentia.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Duo ex præsenti Evangelio vobis proponemus κεφάλαια, oculis, auribus, immò mentibus vestris insinuaturi *Christum*,

I. Spiritum Sanctum Apostolis suis promittentem;

II. Et simul de cruce ac persecutione eventura illos præmonentem.

DE PRIMO.

Primum ἐργασίας propositæ κεφάλαιον quod spectat, promittit Salvator discipulis Spiritum S. dupliciter;

1. Naturam illius describendo. Describit autem illum

Spiritus S. descriptio.

1. quoad essentiam, quòd sit Spiritus, non quidem creatus, quales Angeli, tam boni, quàm mali; quales item animæ hominum: sed increatus, atque adeò ipse naturâ suâ Deus, Patri Filioque ὁμούσιος, ὁμοδώναμος καὶ συναΐδιος.

2. Quoad personam, personalemque proprietatem illius, ratione cujus à reliquis Divinitatis personis realiter distingvitur. Proprietas verò Spiritûs Sancti est duplex:

1. Interna, & dicitur ἐκπορεύεσθαι, procedere à Patre, non excluso tamen Filio, quod præcedente disposit. monuimus. Falsum est Græcorum argumentum, dum ita concludunt:

Græcorum argumentum.

Scripturæ sacræ nihil est addendum:

Scriptura verò sacra dicit Spiritum S. tantùm procedere à Patre:

Ergò non addendum eſt, etiam procedere illum à F. .io. Quanquam enim Scriptura hoc non dicat ſecundum verbum, aut literarum apices; res ipſa tamen in ea continetur. Et notandus eſt canon Theologicus, quem habet D. Finckius cent. I. can. 73. Scripturæ S. nihil additur, quando illud adſeritur, quod ex ipſis Scripturæ fundamentis eruitur.

2. *Externa*, quæ dicitur ἐλθεῖν ἢ πέμπεσθαι, venire ſive mitti. Dicit autem Chriſtus, ſe miſſurum Spiritum ſanctum, proceſſionem ſtatim ejusdem etiam à Filio ſubinnuens. Perſona enim divina non mittitur, niſi ab ea, à qua eſt producta. Theophylactus, nobis in hoc fidei articulo planè ὁμόψηφος; *quem ego mittam*, ait, *æqualitatem erga Patrem ſignificans. Nam alio loco de Patre dixit, quod mittat Spiritum; (Joh. 14. 16.) hoc autem loco, quòd ipſe mittat, utriq; ſanè æqualitatem ſignificat. Ut autem ne videatur obluctari Patri, quaſi ab alia ſubſtantia mittat Spiritum, addidit à Patre. Nam ipſe quidem mittam, ſed à Patre, h. e. adprobante Patre & ſimul mittente.* Huc refer ea, quæ pro noſtra contra Græcos ſententia adſerenda, habet D. Pelarg. quæſt. in Joh. fol. 181. b. & 182. a. & confer diſp. Marpurgenſes, part. I. pag. 44. Item D. Calixt. conc. p. 450.

Officium Spiritûs S. triplex.

II. *Officium Spiritûs Sancti oſtendendo.* Triplex verò omninò eſt Spiritûs ſancti officium, & conſiſtit

1. ἐν τῷ παρακαλεῖν, *in efficaci ſolatio*; hinc Παράκλητος dicitur ab effectu.

2. ἐν τῷ ἀληθεύειν, *in veriloquio*, quem in finem Spiritus veritatis adpellatur.

3. ἐν τῷ μαρτυρεῖν, *in divino teſtimonio*. Additur teſtimonii ſive teſtificationis iſtius

Salutem hominis omnes 3 perſonæ operantur.

1. *Objectum*, nimirùm de Chriſto ille teſtabitur, h. e. de doctrina, miraculis & innocentia ipſius; quis ille ſit, nempè verus, ſolus ac unicus mundo promiſſus Servator, extra quem nulla ſit ſalus: Act. 4, 12. & 10, 43. quàm iniquè item agant, qui ipſum oderunt. Statutum enim eſſe divinitùs, ut omnes tres perſonæ procurandæ hominum ſaluti operentur. Pater quidem mittendo Filium, & trahendo homines ad ipſum: Filius docendo & redimendo: Spiritus ſanctus in animis fidelium teſtificando, eos perficiendo, variiſque donis locupletando,

2. ἐργα-

2. ὄργανον *vel instrumentum*; quale Apostoli, eorundemque fideles in ministerio successores. Testimonium itaque Spiritûs sancti quodammodo duplex est futurum, ἄμεσον καὶ ἔμμεσον. Nam & Apostoli de Christo dabunt testimonium, non quidem à superiore, immediato illo diversum, sed subordinatum vel organicum potiùs. Additur ratio, ab adjuncto temporis: quia ab initio (prædicationis meæ) mecum fuistis, quippè testes rerum à me gestarum oculati, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ προκεχειροτονημένοι, atque ob id αὐτόπται.

Testimonium Spiritûs S. duplex.

Ex his ergò, quæ diximus, facilè jam Spiritûs sancti definitionem exstruere quivis potest; *quòd sit Spiritus, h. e. essentia spiritualis, tertia Divinitatis persona, à Patre Filioq; procedens, missa per Filium à Patre, ut sit piorum Consolator, rudiorum Doctor, & fidelis Christi testificator, omni exceptione major* &c.

Definitio Spiritûs S.

USUS I. Informatorius.

I. De Spiritu sancto, quæ doctrina festi imminentis est propria, hîc verò latet in divinis ejusdem nominibus, naturam Spiritûs sancti declarantibus. Spiritus est increatus: Ergò Deus. Johann. 4, 24. Spiritus est veritatis, immò αὐτοαλήθεια; Creatura itaque non est. Et dicitur Spiritus veritatis, *tùm* ratione informationis, quatenus sermo ejus est veritas, cùm ex adverso satanas sit Spiritus mendax, nil nisi mendacium proferens: Joh. 8, 44. 1. Reg. 22, 22. *tùm* ratione confirmationis. Matth. 12, 28. plura alibi.

Spiritus Sanctus.

II. De concionatorum Apostolicorum auctoritate & dignitate, quæ in eo consistit, quòd testes CHRISTI pronunciantur. Luc. 24, 48. Actor. 1, 8. & 10, 39. 1. Johann. 1, 1. 2. Petr. 1, 16. Magni itaque eorum de CHRISTO testimonium est faciendum.

Concionatorum auctoritas.

III. Quòd tres sint distinctæ in essentiæ divinæ unitate personæ. Vide Monr. thes. p. 476.

II. Consolatorius.

I. Quòd Spiritus sanctus sit Paracletus vel Advocatus noster, causam nostram agens & defendens, utpote juris divini peritissimus, quippe cujus digito Lex scripta est, uti loquitur Monrad. p. 477. Vera itaque consolatio profluit ex officio Spiritûs sancti, quo ille perfungitur,

Consolatio ex officio Spiritûs S.

1. *consolando* consternatos, in judicio *tùm* Dei, ubi ipsius præsidio vel maximè indigemus, propter reddendam rationem, ubi nec proderit fuga, nec aurum, nec consanguineus, excepto Christo: Matth.12,36. 2.Cor.5,10. Psal.49, 8. & 139,8.9 10.11. Soph.1,18. Romanor.8,26. 2.Tim.1,6. Zach.12,10. *tùm* conscientiæ: Romanor.8,18. 2.Corinth. 4,17. 2.Tim.3,12. Johann.8,51. Luc.23,43. Apoc.14,13. *tùm* mundi, ut persecutionem intrepidè sustineamus, nec homines, nec eorum iram pertimescentes. Matth.10,19.20,39. Luc. 9,24. Rom.8,31. 1.Joh.4,4. Consolatur enim, muniendo animos nostros adversus.

1. diabolum, quòd judicatus sit: Joh.16,11. 1.Joh.3,8.
2. peccatum, quòd expiatum ac deletum sit: Dan.9,24.Rom. 8,1. 1.Joh.1,7.
3. crucis jugum, quod per Christi crucem multis modis sublevatum, immò sanctificatum: Matth. 11, 29. Signum enim est amoris, non furoris: Prov.3,12. Joh. 16,27.
4. mortem, quòd absorpta sit in victoriam. 1. Corinth. 15,25.

2 *Testificando*: 1. Johann. 5, 6. Romanor. 8,16. Testatur autem de Christo,

1. *externè*, per Verbi ministerium; Act.20,12.
2. *internè*, per fidei suffragium. Rom.8,16.26.

II. Quòd Spiritus sanctus per fidem, propter meritum Christi hìc cum Deo transigat causam nostram; nec in novissimo die peccata, jam in profundum maris abjecta, Mich.7,19. nos in conspectu Dei accusabunt. Mich.7,19. Romanor. 8,33. Apoc.12,10.11.

III. Monitorius.

Notæ Ecclesiæ & Christianorum.

I. De notis Ecclesiæ & Christianorum verorum;

1. Spiritum S. habent;
2. Veritatem & habent & amant;
3. sunt sub cruce, qua de re alibi;

II. Quòd cùm regnum Dei in hoc mundo sit invisibile, Verbum Dei scriptum & vocale sit testimonium infallibile. 2.Cor.4,18. Monrad.thes.p.479.

III. Ut verbi ministri sint digni & honesti testes: Vide de requisitis eorum apud Monrad.p.480.

IV. Re-

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui renatos etiam & per fidem justificatos dubitare de gratia Dei jubent, in eos hac ratione contradicentes ipsi Spiritûs sancti testimonio, Roman. 8, 16. Gal. 4, 6. jubentis nos firmâ fide credere, non dubitare: (hæc enim ἀντιφατικῶς sunt opposita, quorum uno posito, alterum tollitur;) idque suadet, Papismus de dubitatione.

1. *divinarum promissionum firmitas*: Psalm. 33, 4. Matth. 24, 35. Rom. 4, 16. 1. Pet. 1, 25.
2. *juramenti divini stabilitas*: Ezech. 33, 11. Johann. 5, 24. & 8, 51. Hebr. 6, 7.
3. *Sacramentorum utilitas*: Rom. 4, 11. Marc. 16, 16. 1. Petr. 3, 21. 1. Joh. 5, 8. Gal. 3, 27.
4. *Spiritûs Sancti*, promissionem obsignantis, *veritas*: Eph. 1, 13. 14. & 4, 30. 2. Cor. 1, 22. Rom 8, 16.
5. *exauditionis infallibilitas*: Matth. 18, 19. & 21, 22. Johann. 16, 23. 1. Joh. 5, 14.
6. *fidei proprietas*: Hebr. 11, 1.
7. *dubitationis deformitas*; facit enim Deum mendacem. 1. Joh. 5, 10. Rom. 8, 38.

DE SECUNDO

Vidimus primum διεξόδῳ institutæ κεφάλαιον; contemplabimur paucis etiam secundum: in cujus pertractione quatuor potissimùm occurrunt:

I. Concionis (unius atque ejusdem, de cruce videlicet) *toties iterata ratio*. Ea verò adsignatur gemina:

1. ne offendantur:

2. ut reminiscantur.

Tractatur προληπτικῶς; cujus ἔνστασις χρυπτική, hoc sensu: Quid sibi vult ista malorum toties repetita prædictio? Λύσις ἀπὸ τοῦ χρησίμου, ab utili seu fine desumta respondet: Consilii mei ratio hæc fuit, ut vos confirmem, ne offendamini, h. e. metu periculorum de officio deferendo cogitationem susciperetis; vel à constantia & fide dimoveamini, si improvisa vobis evenissent. Facilè enim posseris existimare, vel ista mihi fuisse incognita, vel me vobis imponere voluisse, & tristibus occultatis, tantùm læta irrito eventu promisisse, uti exponit D. Calixtus, pag. 451. ubi plura vide. De reminiscentia mox dicetur.

II. Cru-

Crux duplex.

II. Crucis ipsius distictio, in
1. Spiritualem; &
2 corporalem.

Spiritus adflictio erit excommunicatio; ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς; q.d. Synagoga Judaica vult esse Ecclesia habens titulum populi Dei, & coetûs veri, Deum unum & verum verè colentis. Huic coetui interdicetur vobis; id quod extremæ apud Judæos erat ignominiæ. Vide de triplici excommunicationis genere D. pelarg. in Joh. fol. 183. a.

Corporalis adflictio corpori necem intentabit; verbis: Veniet autem tempus, cùm quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo: q.d. tanto in periculo versamini, ut non solùm impunè occidamini, sed etiam magno quasi proposito præmio, tanquam homines abominabiles & execrandi, uti Calixtus exponit. p. 451.

III. Causarum tanti furoris adsignatio. Facient nimirum hæc vobis

1. *ex falsa ac perversa sive persuasione, sive imaginatione:* putabunt Deo sic præstari λατρείαν, h.e. rem piam & gratissimam. Theophyl.
2. *Ex veri Dei ac Messiæ ignoratione*, non quidem simplici, verùm adfectata: propter me & Patrem meum hoc patiemini, non propter vestrum aliquod malè factum.

IV. Subjuncta consolatio, depromta

1. *ex Spiritûs Sancti præsentia*, quam Παρρησίαν promittit.
2. *Ab ipsorum discipulorum innocentia*, cui luculentum quoad hunc casum, perhibet testimonium is, qui est testis fidelis. Apoc. 1, 5.
3. *A Dei notitia*:
4. *A verbi seu prædictionis reminiscentia*. Quando enim videritis, inquit Theophylactus, molesta illa evenisse, credatis & de reliquis. Non enim poteritis dicere, quòd jucunda prædixerim vobis, decipere vos cupiens; verùm sicut annuncians tristia non decepi: ita neque læta dicens indignus fide fuerim. Insuper ut ne sitis minùs præparati, sed instructi, recordemini, quòd Ego ea vobis dixerim, & idcircò fietis fortiter contra adversa. Hæc tàm dura ab initio non locutus sum vobis, non ut ignorans, sed quia vobiscum eram, & sufficiens confugium ad me habebatis, & omne certamen in me rejiciebatur.

tur. Ipsi verò in omni securitate eratis: igitur non opus erat talibus tunc sermonibus vos præparari & præmuniri. Hæc ille.

USUS I. Informatorius.

I. De sorte piorum omniumque Christi fidelium. Qualis ea futura sit, vel inde colligere promtum est, quòd (1) de Advocato ipsis prospicit. Quicunque enim Advocato opus habet, illi jus experiundum, & cum aliis dimicandum est. Job.7,1.2. 2.Cor. 7,5. Gal.5,17. 2.Tim.4,7. (2) Præterea excommunicationis & internecionis mentionem facit. Act.14,22. 2.Tim.3,12. Vide Domin. Jubilate.

Sors fidelium.

II. Quem potissimùm usum habeant crebriores de piorum calamitatibus conciones; cum nimirum, ne animi illorum terreantur, vel planè loco dimoveantur. 1.Petr. 4,12. Genes. 15,13. seq. Johann.21,18. Actor.9,16. 1.Corinth.7,28. Apoc.17,6. Roman.15,4.

Usus concionum de cruce.

III. De discrimine inter crucem seu calamitates piorum & impiorum. Differunt potissimùm causis; idq; tripliciter.

Discrimen inter crucem piorũ & impiorũ.

1. *Causâ efficiente impulsivâ.* Piorum crux oritur ex paterno Dei amore; impiorum ex ira & justissimo furore. Illa dicitur παιδεία; hæc μάστιξ seu flagellum. Ps.32,10. & 34,20.22. Rom.5,1. seqq. 1.Cor.11,32. Jenes sind Liebschläge/dieses Zornschläge

2. *Causâ formali* certisque proprietatibus. Nam

1. piorum calamitates sunt δοκιμασίαι, impiorum τιμωρίαι:
2. In piorum calamitatibus semper est temperamentum justitiæ: (quatenus etiam suorum peccatis justè irascitur Deus) ac misericordiæ: (quatenus sub cruce eos sustentat:) Ose.11, 8,9. Jon.4,2. Mich.7,18.19. Hab.4,2. At in impiorum castigatione ira tantùm furorq; accensus æstuat. Psal.75,9. Jer.12,3. Eccl.8,13. Rom.2,5. seqq.
3. Pii castigantur in judicio, h.e. moderatè, modicè, leniter, paternè, servato modo & mensurâ: impii in indignatione. Jer. 10,24, & 30.11. & 17,18.
4. Piis Deus adest,
   1. ut benignus *Pater* Psal.103,13. Esa.49,15. Matth.10,30.
   2. Ut *Medicus* peritus: Exod.15,26.
   3. Ut bonus & fidelis *amicus*: 1.Cor.10,13.
   4. Ut *nauclerus* in navi: Matth.8,23.

5. Ut fortis *Opitulator:* adjuvat enim eos, & ἔκβασιν dat clementissimam; Psal.68,20. idq; tripliciter:
1. consolando; 2.Cor.1,3.4.5. Psal.94,19.
2. mitigando; Psal.85,4. Jer.18,7. Thr.3,22.
3. liberando. Psal.91,14.15. Esa.41,10. & 43,2. & 64.4.
Impii verò deseruntur, quod patet exemplo Saulis. 1.Sam.16,14.
5. Pii moderatè ferunt crucem, per patientiam animas suas possidentes. Mich.7,9. Luc.21,19. Impii contrà fremunt & murmurant adversus Deum Psal.59,14. & 106,25. Thren.3, 29, 1.Cor.10,10.
6. Crux piorum brevi durat tempore: Psalm.30,6. Esaiæ 54,7. Johann.16,16. Nah.2,7.8. At impiorum pœnæ nullo finientur tempore. Psalm.49,20. & 140,11. Esa.66,24. Apoc. 14,11. & 20,10.
3. Causâ finali; piis enim omnia cooperantur in bonum. Rom.8,28. Per crucem illi
1. erudiuntur: Roman.5,3. Jer.31,18.19. 1.Corinth.11,32. Psalm.94,12.
2. explorantur: Rom.5,4. Luc.2,35. 1.Cor.3,13.
3. emendantur: 1.Cor.11,33. Psal.119,71. Esa.28,19.
4. glorificantur: Psal.18,36. Pro.15,33. Rom.8,30.
5. ab æternis pœnis præcaventur. Mal.3,16. Sap.3,5.
Impii contrà his finibus omnibus destituuntur, & tandem æternùm pereunt. Mal.4,1. Jer.33,10. 2. Maccab.6,13. Psal.37,36. Esaiæ 57,21. Luc.6,25. 1.Thess.5,3. & 2.Thess.1,9.

II. Consolatorius.

I. Ex testimonio innocentiæ, quod piis σταυροφόροις Salvator ipse perhibuit. Matth.5,11. *Cùm damnamur à mundo, absolvimur à Domino.*

II. Quòd, cùm hîc gestemus imaginem Adami, in futura vita gestabimus imaginem Christi. Vide Monrad. p.484.

III. Quibus in mundo denegatur locus, πολίτευμα suum habent in cœlis; hîc maledicti, ibi benedicti. Ib.p.485.

III. Monitorius.

I. Ut præparemus nos ad persecutiones patienter ferendas. Esa.11,8. Apoc.12,13. Ibid. 481.482.

2. Ut

2. Ut memores adpellationis, quâ hæc Dominica insignitur, de exauditione precum nostrarum simus soliciti. Faciet hoc pietatis studium sive exercitium, *Pietatis usus.*

1. ad calamitatum publicarum propulsationem;
2. ad Spiritûs Sancti (cujus festum præ foribus) *impetrationem:*
officium apud nos ille faciet

1. consolatorium,
1. in judicio tentationum;
2. in judicio tribulationum;
3. in judicio persecutionum:
2. Deductorium, in doctrina & vita:
3. Testificatorium. Vide præcedentia.
3. Ad persecutionum mitigationem. Illa enim non cessabunt:
Pontifices nunc arma juvant, sunt cetera nugæ.
Pharao duplicat lateres: Herodes quærit animam pueri.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui in doctrina de Excommunicatione immane quantum ab orbita verbi cœlestis discedentes, ad solum suum Papam, quem Petri successorem fingunt, jus & potestatem excommunicandi referentes. Vide apud Schererum integram concionem de excommunicatione, pag. 398. & seqq. cujus narratis oppone ea, quæ dec. 4. disp. 2. th. 44. & seqq. habet in vindiciis suis Dn. Meelf. cum quibus conjunge D. Bald. in C. C. p. 1118. ubi probat, ad totam Ecclesiam jus excommunicandi spectare; eò brevitatis studio Te remitto. *Papismus de excommunicatione.*

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Viam sternit præsentis Evangelii περικοπὴ ad festivitatis mox futuræ digniorem atque devotiorem celebrationem. Ut itaque πρόγευμα h. e. prægustum q. quendam vobis exhibeamus eorum, quæ solemnitatis Pentecostalis sunt propria ac vernacula, παρασκευὴν sive præparationem festi aliquam monstrare fert animus. Videbimus proinde, secuti κατὰ πόδα textûs prælecti vestigia, *quibus potissimùm modis animus pii hominis ad Pentecosten instantem possit preparari.* *Pentecostes præparatoria.*

Ἐξήγησις.

Præparatio verò isthæc sextuplici commodissimè potest institui modo.

I. *Doctrinam de Spiritu Sancto accuratè discendo & meditando.* Eum enim in finem pericope hæc à veteribus festo instanti fuit haut dubiè præmissa, ut rudis plebecula præcognita quasi quædam haberet, uberiori hujus doctrinæ cognitioni inservientia. Quæ verò de Spiritûs Sancti persona, officio ac beneficiis h. l. Salvator commemorat, ea ex præcedentibus pete dispositionibus, quibus adde, si placet, locos Theologicos & libellos methodicos. De processione Spiritûs S. Theophylactus ita: *Cùm audieris, quòd procedit, ne intelligas per processionem egressionem, quali emittuntur ministratorij Spiritûs: sed naturalis subsistentia Spiritûs est processio. Nam nisi processionem sic intellexerimus, sed externam quandam missionem, incertum erit, de quo Spiritu dicat. Ceterùm hoc loco singularis quadam & separata proprietas est procedere, uni proprio Spiritui attributa. Non igitur intelligamus per processionem simplicem emissionem, sed naturalem Spiritûs subsistentiam.* Hæc ille. Proprium ergò seu proprietas characteristica interna Spiritûs sancti est procedere. Gloss. ordinaria addit rationem, cur Filius Dei dicat, Spiritum S. à Patre procedere: ad Patrem, inquiens, solet referre, & quod ipsius est, de quo ipse est. A quo ergò habet ut sit, ab illo habet, ut de illo procedat Spiritus Sanctus.

II. *Nos ipsos probè examinando.* Cœlestis enim illa sapientia non introibit malevolam animam; nec habitabit in corpore peccatis subdito. Sap. 1, 5. An igitur domicilia ac templa Spiritûs sancti idonea, atque ita ὑποδοχεῖα δεκτικὰ sint corda nostra, modis omnibus dispiciendum nobis fuerit. Nam si quis Spiritum CHRISTI non habet, hic non est ejus. Romanor. 8, 9. γνωρίσματα sive indicia præsentis atque inhabitantis Spiritûs sancti desideras? Scito agnosci tàm cari hospitis præsentiam,

Spiritûs S. inhabitantis indicia.

1. *ex efficaci consolatione:* hinc dicitur Consolator à Filio Dei missus. Talis autem reverà est, (1) *tùm in vita*, adsistens suis fidelibus, (α) *sive* versentur in foro conscientiæ evigilantis; Esa. 38, 18. Psalm. 77, 3. Job. 7, 15. Sir. 2, 21. Romanor. 5, 10. 21. 1. Joh. 3, 20. (β) *sive* in foro mundi vexantis, condemnantis & trucidantis;

Matth.

Matth. 10,19 20. & 5,11. Jac. 1,12. (2) *tùm in morte* potissimùm, ne illius truculentiâ & horribili adspectu nimiùm territi animum despondeant, Ose. 13,14. 2. Tim. 1,10. Joh. 5,24. & 8,15. & 11,25. Apoc. 14,13. Luc. 2,29. Phil. 1,23. Job. 19,25.

2. Ex veritatis prædicatione; hinc Spiritus veritatis vocatur. Ergò non particulam duntaxat veritatis; sed totam & integram Apostolos docuit. Ergò in omnem hodieque vasa sua veritatem deducit, in eaque illa confirmat, conservat & corroborat. *Vera itaq;*, Theophylactus ait, *testificabitur. Nam à Patre procedit, & omnia clarè novit: Est enim ex eo, à quo omnium scientia.* Consistit autem illa Spiritûs sancti veritas in fide potissimùm sincera, quâ qui præditus est, de inhabitatione Spiritûs sancti dubitare nullo pacto potest. 1. Johann. 5,7. Gal. 5,23. Confer partes fidei Christianæ catecheticas, & justam inde habebis tuæ quoque fidei normam. Vos ipsos tentate, B. monet Apostolus, num sitis in fide, vos ipsos probate. 2. Cor. 13,5. Custodite Spiritum vestrum, & nolite despicere. Mal. 2,15.

3. Ex Christi testificatione, tàm mediata, quàm immediata. Vide præced. dispos. plura. Theophyl. de duplici hoc testimonio ita: *Hic Spiritus testis est prædicationis, & vos quoq; testabimini, quòd non ex aliis audiveritis, sed ipsi ab initio mecum estis. Non parvum autem hoc est testimonium, ab initio simul esse. Duplex igitur testimonium, à vobis & à Spiritu. Nam licèt vos ad gratiam testari videamini: at non item ad gratiam testabitur & Spiritus.*

III. Devotè orando. Ad quid orandum? Ut & nos induamur virtute ex alto. Luc. 24,48. Nam sine Spiritûs sancti Numine, nihil est in homine. Hinc Spiritus gratiæ & precum dicitur; Zach. 12, 10. tùm quòd ad preces instiget; tùm quòd precibus piorum impetretur. Luc. 11,13. Clamandum itaque & orandum: *Exaudi Domine vocem meam, cùm clamavero, miserere mei, & exaudi me.* Psalm. 27,7. Unde nomen huic Dominicæ inditum putamus. Ora insuper: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis! Ne projicias me à facie tua! Et Spiritum S. tuum ne auferas à me!* Psalm. 51, 11. 12 *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu! Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta!* Psalm. 143, 10. Ecclesia hunc in modum orat: Sancti spiritûs adsit vobis gratia, quæ corda nostra sibi faciat habitacula. Veni sancte Spiritûs & emitte cœlitùs lucis tuæ radium! Item: Præsta quæsumus omnipotens & misericors

Deus, ut Spiritus sanctus adveniens templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Item. Nu bitten wir den Heiligen Geist / umb den rechten Glauben allermeist. Kom Heiliger Geist / Herre Gott ꝛc.

Crux ferenda.

IV. Crucem non aversando. Christo enim dignus non est, qui crucem impositam patienter ferre recusat. Matth. 10, 18. Luc. 9, 13. 14. 27. Ad Scholam ergò crucis vocatos Christianos præmunit hac suâ prædictione Christus, duo malorum genera promtis animis subire jubens; unum *excommunicationis*; alterum *trucidationis*. Tria apud Judæos fuisse excommunicationum genera, ex Buxtorfio & Drusio commemorat Pelargus, quæst. in Johann. fol. 183. a.

Excommunicationis Judaicæ tria genera

1. per separationem;

2. per maledictionem;

3. per Maranotha, & per alia ejus generis. Hoc ipsum dicit Salvator noster, ἀποσυναγώγους ποιεῖν, ex cœtu hominum, tanquam καθάρματα καὶ περιψήματα rejicere. Vide præced. dispos. Theophylactus ita commentatur: *suscipite post hac & à me consolationem, quòd neq; in hoc decipiam vos, sicut neq; in prædictione passionum. Nam & absq; synagogis facient vos, & excludent à conciliis honestisq; conditionibus*, (Confer Scholam Papæ) *& in summa à sua communione separabunt. Nam non sinent vos vivere, sed morte vos punient ignominiosissimâ, utpote perniciosos, & ut inimicos Dei vos occident.*

V. Scandala vitando: ne offendamini. Etsi enim de scandalo, quod vocant, accepto hæc verba accipi debeant: tamen & hoc inde elicitur, Spiritûs sancti templa id potissimùm agere, ne aliis dato sint scandalo. 1. Corinth. 9, 27. γόος δηλοῖσιν ἑορτή, festa improbis sunt causa mali & luctûs, gentiles olim dicebant. O quàm optandum, carissimi, solis gentibus, verâ veri Dei cognitione destitutis, proverbium hocce fuisse veriverbium! At diaboli, proh pudor! astu & instinctu factum est, ut sacrosanctum Spiritûs sancti festum multis conspueretur, Christianâ fide ac professione indignis, facinoribus; tùm avis dejectione; tùm lascivâ saltatione; tùm immodicâ comessatione & compotatione. Aliena hæc sunto à veris Pentecostes cultoribus, quorum est, Spiritûs sancti instinctu tùm pietati, tùm honestati, tùm vel maximè sobrietati diebus feriatis studere. Luc. 21, 34. Rom. 13, 13. 1. Theſſ. 5, 15.

Pentecostes festum profanatur.

5,15. πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε; & verſ. 21. ab omni mala ſpecie abſtinete. Eph. 5,17.18.

VI. Dicta & verba Chriſti ſubinde repetendo. Beatam iſtam ἀνάμνησιν commendat, & ſuis diſcipulis, & nobis omnibus in præſenti Evangelio Servator. Jam ergò recurre animo ad præcedentium Dominicarum conciones, habebis materiam repetendi & reminiſcendi copioſiſſimam. Deut. 6,6. & 11,18. Pſalm. 1,2. Matt. 7,24. Luc. 11,17.28. Johann. 13,17. Et ſermo Chriſti inhabitet vobis opulenter, cum omni ſapientia, docete & commonete vos invicem: Col. 3,16. Sic digna pectora veſtra erunt Spiritus Sancti habitacula: Sic gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti futura eſt cum omnibus vobis. 2. Corinth. 13,13. Oramus cum Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & majeſtati tuæ ſincero corde ſervire, per Jeſum Chriſtum Filium tuum dilectum, Dominum noſtrum.*

Amen.

Finis Primæ Partis.

Δόξα Θεῷ Γενετῆρι, Θεῷ Υἱῷ, καὶ ἄληκτος
δόξα Θεῷ ἱερῷ Πνεύματι αἰὲν ἔη!

INDEX RERUM ET VERBORUM, PARTE PRIMA contentorum.

Arti-

ovium

 de-

Chri-

Con-

Cru-

Di-

E.

F.

G.

Scri-

K.

Ma-

Mu-

Obe-

Ora-

Pa-

Pen-

Re-

San-

Scri.

E Spi-

Ta-

T.

V.

Vi-

Y.

Z.

SOLI DEO GLORIA.